

DOCTORIS ECSTATICI

DIONYSII CARTUSIANI

OPERA OMNIA

IMPRIMI POTEST

Fr. Renatus-Maria, Prior Cartusiæ,

in Epiphania Domini, anno 1906.

IMPRIMATUR

Tornaci, 25[a] Januarii 1906.

V. Cantineau, Canonicus, Censor librorum.



ZACH. I. IRA MAGNA EGO IRASCOR SVPER GETES, ET SAGITAS MEAS COMPLEBO IN EIS DEV 32.






DOCTORIS ECSTATICI

D. DIONYSII

CARTUSIANI

OPERA OMNIA

IN UNUM CORPUS DIGESTA

AD FIDEM EDITIONUM COLONIENSIUM

CURA ET LABORE

MONACHORUM SACRI ORDINIS CARTUSIENSIS

FAVENTE PONT. MAX. LEONE XIII

SERMONES DE SANCTIS (Pars prima)

TORNACI

TYPIS CARTUSIÆ S. M. DE PRATIS

MDCCCCVI








CONVERTE NOS DEVS SALVTARIS NR: ET AVERTE IRA TVAM A NOBIS PSAL 84

SERMONES DE SANCTIS

D. DIONYSII

CARTUSIANI

SERMONES DE SANCTIS

TAM AD SÆCULARES QUAM AD RELIGIOSOS

CUM ENARRATIONIBUS

EPISTOLARUM ET EVANGELIORUM

DE SANCTIS

EX EDITIONIBUS COLONIÆ

PETRI QUENTEL MDXXXIII, MDXXXVII, MDXLII.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI D. PETRO LEYDENSI, MAJORIS CARTUSIÆ ORDINISQUE CARTUSIENSIS UNIVERSI PRIORI GENERALI, F. THEODORICUS LOER A STRATIS, CARTUSIÆ HILDESIENSIS IN SAXONIA CITRA MERITUM PRIOR, S. D.

POSTQUAM Cartusiæ Majoris, atque adeo universi Ordinis nostri Cartusiani factus es Prior Generalis, interim magno mihi desiderio, studioque etiam debito fuit, novo tuo honori, imo verius oneri, chartaceo aliquo munere congratulari. Et quanquam desiderio isti studioque erga te meo jampridem obstitit Hildesiensis nostra promotio, quin potius remotio ab urbe Coloniensi, amotioque a pristinis studiis meis : tamen ita nunquam intermisi curam hanc, quin quæcumque tandem daretur occasio satisfaciendi votis his, ea mihi neutiquam omitteretur. Itaque, quum paucos ante menses negotia Cartusiæ Hildesiensis me Coloniam appulissent, ac tumultus bellici undique insonantes, præter spem diutius ibidem tenerent, in magnis afflictionibus et ærumnis meis hoc nactus sum commodi, quod præter exspectationem se mihi obtulit studiis erga te nostris abunde satisfaciendi facultas. Opportune enim sub prælis erant, jam tum tertio excudendæ, Dionysii nostri homiliæ. Et quia in illarum parte ea quæ speciatim agit de Sanctis, haud ita longe processum erat, non licuit detentionis meæ tempus in otio transigere, sed institi per me meosque, ut Dionysii nostri Sermones, maxime vero isti de Sanctis, jam tertio summa diligentia in lucem prodirent. Et quum princeps ille felicis memoriæ, cui priores horum sermonum editiones inscriptæ fuerunt, jampridem naturæ concessisset, multæ et graves causæ huc nos egerunt, ut publicationem sermonum Dionysii de Sanctis tertiam, sub tui nominis auspicio fieri vellemus. Primum, quod olim Prior exsistens in Valle S. Spiritus prope Gosnaium, ac provinciæ Picardicæ Visitator, non vulgarem in promovendis Dionysii nostri laboribus affectum, benevolentiam item mihi ostenderis singularem. Deinde, quod venerabili ac piissimo, mihique nunquam satis laudando viro, D. Petro Leydensi, Agrippinensis Cartusiæ dignissimo quondam Priori, Rhenensisque provinciæ Visitatori, cui potissimum debetur quod Dionysii nostri sudores hucusque perducti sunt, conterraneus, cognominis, consanguineusque exsistas. Postremo, quod ea nunc sit tempestas, ut ejusmodi exempla, qualia in hoc libro complura de Sanctis narrantur, quum piis omnibus ac singulis, tum vero in primis non opportuna modo, sed prope etiam scitu opportuna sint iis qui in potestatibus, dignitatibus aut publicis officiis constituti, sectisque et bellis afflicti, heu! nimium experiuntur quam necessaria sit patientiæ virtus. Quanquam ut harum causarum suppeteret nulla, cui dignius offerrentur hi de Sanctis sermones, quam ei qui Sanctorum cultui maxime deditus est, qui Sanctorum vitam summe cupit non tam prædicare quam imitari?

Nec enim vereor, Reverende Pater, quod Paternitatem tuam moveat, mira quædam et insolita hoc in opere de Sanctis referri, quæ propterea quibusdam videri possint

a veritate aliena, quod nostris temporibus aut raro aut nunquam contingant. Multa enim olim in Sanctis mirabilia fecit Deus, aut in confirmationem fidei, aut in testimonium sanctitatis, aut ut sanctæ eruditioni robur adderet, quo latius propagaretur, minusque dubitaretur de ejus veritate. Quæ omnia quum hodie non sint necessaria, non sunt etiam expetenda miracula. Evangelium ubique jam prædicatum est, fides recepta; nec licet in dubium vertere quidquid pro vero perpetuoque dogmate sancta Ecclesia semel statuerit. Fuerint licet homines, qui ad Concilia evocati, quique in nomine Jesu collecti, Ecclesiæ et nomen et rem expresserunt; Spiritu Sancto tamen in iis quæ fidei sunt, nullo pacto ambigendum est esse imbutos : quandoquidem non suo nomine, sed Ecclesiæ, imo ejus qui suo nomine congregatis se in medio eorum affore pollicetur, fuerunt adunati. Hæc dixerim, ut quantæ sit auctoritatis, quantæ venerationis, quidquid a Conciliis, quidquid ab Ecclesia quod ad dogmata fidei attinet, est institutum, probem. Itaque habet verbum Dei auctoritatem suam; habet Ecclesia quoque nihilo minus auctoritatem suam, qua constat, qua cognoscimus quid sit quidve haberi debeat verbum Dei. Nam Augustinus Evangelio non crederet, nisi eum cogeret Ecclesiæ auctoritas. Ergo illa super omnem est Scripturam. Habent præterea scripta alia Sanctorum (tametsi canonica non sint) auctoritatem suam, cui, ubi manifesta non fuerit impietas, temere refragari illicitum sit. Inter hæc ponimus quæ de Sanctorum gestis vitisque scripta sunt : quibus non juxta ea quæ nobis, qui peccatores sumus, adsunt, sed juxta illorum de quibus narrantur, sanctitatem, credendum est. Sunt qui vitas Sanctorum et Spiritus opera, propterea quod ipsimet in carne sint, calumnientur; et quidquid sibi non est familiare (nihil enim præter carnem sentiunt), veritati detractum putant. Ego vero quæcumque pia, quæcumque verbo Dei (in sensu tamen quem Spiritus loquitur) non sunt contraria, recipio : verum ita recipio, quatenus me ædificent, non ut usquequaque omnia ceu firma indubitataque, ad credendum me urgeant. Neque enim in illorum cupio haberi numero qui prudentiæ humanæ, quæ stultitia est apud Deum, tribuunt omnia, pietati nihil. Hi namque dum omnia pervestigant, dum omnia scrutantur, dumque singulorum petunt rationem, ubi in Dei operibus eam nequiverint invenire, mirabilia Dei protinus fabulas mentiuntur. Equidem vix verbis consequi possum, quam justo sæpe dolore movear in hos blaterones, quorum tum animus, tum verba nunquam non derogant pietati. Atqui a nullo non est stomachandum in eos potissime qui omnes Sanctorum historias rident, qui antiquitati detrahunt, calumniantur devotionem, nihil verum æstimantes, quidquid Titus eorum Livius, aut Valerius, aut Plutarchus Justinusve non scripserit : ubi vero ii quamlibet absurde, quamlibet suspecte quid dixerint, protinus verum esse, ad bilem usque contendunt. Proh pudor! num ethnicis, aut solis aut plus quam Christianis est credendum? Num quidquid Trogus, aut Florus, aut reliqui id genus historici non dixerint, falsum putabimus? An et Christiani suos non habent auctores, quorum tum fidei, tum auctoritati facile tutoque credendum sit? Quæ hæc est Christianorum levitas, Cornelio, Tacito aut Suetonio credere, historiis ecclesiasticis non credere? mirari vitas Cæsarum, cœlitum vitam aspernari? Quid, quod tam multa nugis simillima, quædam dictu nefaria, plurima denique fidei Christianorum contraria apud ethnicos referuntur, de iis tamen dubitare nefas putant

Christiani? Quid, quod nostrates adeo juvat quidquid in libris paganorum offendunt, licet fidei christianæ palam sit inimicum, atque cum veritate ex diametro pugnet? Taceo quod ubi auctores sive pagani sive Judæi, quidpiam de re christiana tractant, ubi quidpiam quod in sacris quoque libris nostris adstruitur, referunt, adeo dissideat a veritate, ut ea plane ridicula merisque nugis permixta videat quisquis vel parum sacra fuerit lectione imbutus. Itaque, si ethnici scriptores adeo deprehenduntur a veritate deviasse, si adeo impudenter mentiti sunt, ubi canonica nostrorum librorum obsistit aliterque nos instruit auctoritas, quid in reliquis eorum historiis esse potest veritatis, quarum in codicibus ecclesiasticis nulla est mentio unde refelli queant? Aut si veræ sunt historiæ quas scripsere pagani, quomodo præter ipsos non etiam posset alius, quamvis christianus, verum scribere, præsertim quum pia sint quæ traduntur in gestis Sanctorum, licet non pari habeantur auctoritate qua Scripturæ canonicæ? Quod si cuncta quæ de Sanctorum vitis scribuntur, ficta esse oporteat, propterea quod vel incerto auctore hæc ipsa sola nobis tradiderit antiquitas, vel quod rara admodum et miranda in his legantur; multo magis hoc modo de canonicis libris complura forent eradenda, ubi permulta scribuntur quæ parum (ut reverentia sacrorum librorum salva loquar) conferunt morum honestati aut gravitati. Permulta (ingenue fateor) leguntur in sacris libris, quorum nisi canonica me compelleret auctoritas, ea nequaquam crederem, quum pleraque deliramentis simillima videantur. Jam vero quia Ecclesiæ ea nobis tradit auctoritas, omni veneratione suscipio : nec minus omnibus Scripturis divinis habeo fidei, quam si Christum ipsum sua voce mihi loquentem audirem; minusque dubito de his quæ ibi lego, quam quæ auribus audio, oculis video, manibus contrecto. Et quemadmodum certissime credo per Evangelium exhibita, quæ legis figuris et Prophetarum vaticiniis per Spiritum Sanctum fuerunt prædicta; ita pari certitudine credo secundi adventus promissionem, ac diversa malorum bonorumque præmia.

Hæc, Reverende Pater, scribo, ut ea quæ de Sanctorum vita ac obitu nobis traduntur, tametsi tam præstans eorum non sit auctoritas quam est canonicæ Scripturæ, nequaquam esse contemnenda, quod mira aut singularia ibi referuntur, quando in sacra Scriptura quoque leguntur quæ aut ridicula, aut incredibilia videbuntur, si de canonicis libris dubitare licebit. Nihil igitur calumniandum, quamvis rarum, quamvis mirabile, modo sit pium : quandoquidem cuncta quæ per Sanctos suos operatus est Deus, mirabilia sunt. Tuum igitur est, Reverende et sapientissime Pater, has Dionysii homilias sive sermones, et historias seu citata exempla, quibus et Christus in suis sermonibus creberrime usus est, non aspernari. Lege qua soles devotione, Sanctorum gesta, eruditionibus juxta piis ac castis intermixta : et quæcumque fidem juvant, quæcumque compunctionem administrant, quæcumque honestis moribus conducunt, cujusmodi est omnis eruditio Dionysii, iis patrocinare, meque illorum numero qui tibi summopere favent, qui te suspiciunt ac magni faciunt, quæso, adscribe. Deus omnipotens te nobis servet longævum, qui Ordini Cartusiano unus vivis et pater et moderator. Coloniæ, ex Conventu Cartusiensi, pridie S. Bartholomæi apostoli, anno MDXLII.

PRÆFATIO

IN SERMONES AD SÆCULARES

LAUDEMUS *viros gloriosos et parentes nostros.* Eccli. XLIV, 1.

Multiplici ratione hortatur nos sacra Scriptura, Sanctorum virtutes et gloriam prædicare, et eos devote laudare.

Primo, quoniam Sanctos laudando, Deum in eis laudamus. Non enim ipsi a se ipsis habuerunt quod sancte irreprehensibiliterque vixerunt, sed a Deo per gratiam ejus indesinentem. Nempe, si omne bonum a Deo est, quanto magis vitæ sancti- *Jacob.* I, 17.
tas? Ideo ait Propheta : Laudate Dominum in Sanctis ejus. Etenim Sanctos laudare, *Ps.* CL, 1.
est infinitam misericordiam, caritatem, liberalitatem ac omnipotentiam Creatoris vere fateri atque extollere, quia (ut Jacobus ait) omne datum optimum et omne *Jacob.* I, 17.
donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.

Secundo debemus Sanctos laudare, quoniam justum est hoc, et Deus illud jubet. Laus namque et honor debentur virtuti. Idcirco, quo Sancti virtuosius hic vixerunt, eo amplius sunt laudandi, majoremque laudem promeruerunt. Unde scriptum est : Sapientiam Sanctorum narrant populi, et laudem eorum nuntiat Ecclesia. *Eccli.* XLIV, 15.
Et quoniam Deus jam honoravit et exaltavit eos secum in cœlis, ipse requirit, et prorsus dignissimum est, ut honorificentur a nobis in terris, quum sint amici et filii Dei.

Tertio, quatenus etiam ipsi vicem nobis rependant, suis meritis et precibus nobis subveniendo, nosque in vitæ hujus periculis protegendo, atque ad æternam beatitudinem et suam beatissimam societatem nos perducendo.

Quarto, quatenus eos laudando, eorumque miracula memorando, confortemur in fide, roboremur in spe, et divino accendamur amore, atque ad imitandum viriliter Sanctorum virtutes fortiter provocemur, pensantes quod et ipsi nobis similes, mortales et ex se fragiles exstiterunt, et tamen invicte conando, et Dei auxilium jugiter implorando, tantum in omni profecerunt virtute et gratia, in sanctitate ac sapientia; considerantes quoque quod in tempore vitæ hujus brevissimo, tam ineffabilem et æternam promeruerunt atque adepti sunt gloriam. Hinc scribit Apostolus : Ideo et nos tantam habentes impositam nobis nubem testium, id est multitu- *Hebr.* XII, 1.
dinem copiosam Sanctorum, deponentes omne peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen. Jacobus quoque dicit : Exemplum accipite lon- *Jacob.* V, 10, 11.
ganimitatis et laboris et patientiæ, sanctos Prophetas; ecce beatificamus eos qui sustinuerunt.

Quum ergo tam exemplare, fructuosum, justum, Deoque placitum sit, Sanctos laudare, propono ad laudem et gloriam Omnipotentis, in præsenti opusculo, de Sanctis per annum sermones, Sancto Sanctorum præstante, conscribere, et juxta præcedentis operis formam procedere, in quo sermones scripsi de Tempore, cum expositionibus epistolarum et evangeliorum dominicalium, annectendo epistolæ unum sermonem, evangelio duos aut tres. Verumtamen isto in opere de Sanctis, intendo brevitati studere magis quam in præcedente de Tempore, quod in magnam nimis molem excrevit.

PRÆFATIO

IN SERMONES AD RELIGIOSOS

R*ELIGIO munda et immaculata apud Deum et Patrem hæc est, immaculatum se custodire ab hoc sæculo.* Jacob. I, 27.

Christo in Evangelio protestante, unum est necessarium : nam omnia *Luc.* x, 42. ordinantur ad unum, quemadmodum et ab uno sumpserunt exordium. Porro hoc unum, quod solum ac summe necessarium perhibetur objectum, est Deus, qui omnium beatitudo ac finis censetur. Formaliter vero, est gratiosa unio mentis cum eo in via, gloriosaque unio cum eo in patria. Ad hoc unum universa præcepta, evangelica quoque consilia tendunt, et propter ipsum cunctæ sunt institutæ observantiæ regulares atque monasticæ. Idcirco omne quod in cœnobio agimus, omne intentum ac studium nostrum, ad hoc finaliter referre debemus, quatenus quantum fragili defectuosæque vitæ huic sit possibile, simus indesinenter Deo intenti actualiterque uniti, per fidei speculationem, per doni sapientiæ contemplationem, per sanctæ caritatis ardorem, per divinorum meditationem beneficiorum ac promissorum, atque per ceterorum ad salutem pertinentium considerationem, præsertim per orationem devotam, et dominicæ passionis attentionem præcordialem.

Qui ita se habet in cœnobio, qui taliter occupatur coram Altissimo, merito religiosus vocatur, estque in eo munda et immaculata religio, quæ (ut beatissimus *Jacob.* I, 27. Christi frater Jacobus profitetur) « est, immaculatum se custodire ab hoc sæculo ». Nempe quid aliud est, se a sæculo custodire immaculatum, nisi ea omnia devitare quæ præfatam mentis cum Deo unionem impediunt, quæ caritatis fervorem diminuunt, quæ vagum atque instabilem efficiunt animum, ut sunt inordinatæ affectiones ad ea quæ mundi sunt, puta ad vanitates mundanas deliciasque carnales, temporales honores transitoriasve divitias? Quæ omnia necesse est religiosum vitare, si digne *Coloss.* I, debeat Deo ambulare, et vere monastice conversari, ac suæ satisfacere professioni. 10. Propter quod etiam Paulus hortatur apostolus : Nolite conformari huic sæculo, sed *Rom.* XII, 2; renovamini spiritu mentis vestræ. Denique discipulus quem diligebat Jesus : Si *Ephes.* IV, 23. quis (inquit) diligit mundum, non est caritas Patris in eo ; quoniam omne quod est I *Joann.* II, 15, 16. in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ.

Concupiscentiam ergo carnis, concupiscentiam oculorum et superbiam vitæ oportet in primis claustralem abjicere, nec aliter potest se immaculatum a sæculo custodire. Etenim a sæculo se immaculatum præservare, est nihil hujus mundi, nihil creatum, nihil citra Deum, nisi in Deo et secundum Deum diligere, quatenus

pura et simplex sit cordis intentio, omnisque ejus affectio sit adunata, simplificata ac stabilita in Domino. Abjicienda est ergo omnino appetitio sæcularis, amicitia
Jacob. IV, 4. mundialis, carnalis et sensualis affectio, quum et Jacobus contestetur : Amicitia hujus mundi, inimica est Deo ; quicumque ergo voluerit amicus hujus mundi fieri, inimicus Dei constituitur. Quid terribilius dici potest ? Quid ergo, o monache, quid, o religiosa persona, quid tibi cum hoc sæculo nequam ? quid tibi cum carnalibus ac mundanis hominibus, nisi ut ores pro eis, opportunoque loco et tempore cohorteris eos ad meliora ? Quid eorum familiaritates quæris nocivas ? quid inordinata colloquia ? quid stulta solatia, consortia quoque interioris custodiæ resolutiva ? Quæ utique omnia vigorem dissipant mentis, animam faciunt negligentem, cor red-
Ps. XVII, 27. dunt intimoratum. Quemadmodum enim cum perverso perverteris, ita cum carnali carnalis efficieris, cum mundano mundanus constitueris, sicque sub habitu spirituali cor deferes sæculare. Præterea, quid olim fuit filiis Israel ruinæ occasio,
Num. XXV, 1 et seq. idololatriæ causa, nisi cum Amorrhæis communio ? Sic religiosis incitamentum multiplicis casus est, cum sæcularibus confabulatio, societas et mixtura. Non enim
Eccli. XIII, 1. sine causa ait Scriptura : Qui tangit picem, inquinatur ; et qui communicaverit
Prov. XIII, 20. superbo, induetur superbiam ; itemque, Amicus stultorum, similis eis erit.

Hinc sancti Patres qui Ordines instituerunt, ipsos religiosos vita, habitu, mansione, a sæcularibus voluerunt esse distinctos, et habitationem eorum claustrum appellare sanxerunt. Cur itaque, nisi quia habitatores ejus debent ab omni sæculari tumultu esse quieti, a passionum ac vitiorum inquietudine liberi, ab omni carnalitate et sæculari proprietate abstracti ? Si quominus, tanto intolerabilior erit eorum damnatio, quanto ad proficiendum media habuerunt aptiora, et quanto ad perfectiora se adstrinxerunt.

Itaque, quia jam paulo ante, operante Domino, sermones compegi pro religiosis per annum de Tempore, propositum est nunc simili forma componere sermones de Sanctis per annum, pro religiosis, ad laudem et gloriam Sancti Sanctorum, Dei incomparabilis, adorandi ac omnipotentis.

IN FESTO

S. ANDREÆ APOSTOLI

ENARRATIO IN EPISTOLAM

CORDE CREDITUR AD JUSTITIAM, ORE AUTEM CONFESSIO FIT AD SALUTEM, ETC.
Rom. x, 10-18.

IN hodiernæ festivitatis epistola, agitur sermo de fidei efficacia et effectu, videlicet de ejus virtute ac merito, atque de evangelicæ legis prædicatione. Idcirco in festo B. Andreæ merito ista cantatur epistola, quoniam ipse in se ipso fide fuit plenissimus, plurimosque suis miraculis ac doctrinis ad fidem convertit. Itaque ait apostolus Paulus :

Corde creditur ad justitiam, id est, actualiter per intellectum credendo ea quæ christianæ sunt fidei, tendit ac proficit homo ad justificationis seu habitualis justitiæ adeptionem vel incrementum. Credendo namque meretur homo peccati remissionem, gratiæ infusionem sive augmentum, atque justitiæ exercitationem. Fides quippe informis disponit ad hæc; fides vero formata, id est caritate ornata,
Ephes. III, 17. auget et perficit ista. Per fidem enim, secundum Apostolum, habitat Christus in cordibus nostris. Et hujus coapostolus Pe-
Act. XV, 9. trus : Fide (inquit) purificans Deus corda
Prov. XV, 27. eorum. Salomon etiam per misericordiam et fidem ait purgari peccata.

Ore autem confessio fit ad salutem, id est, ore tenus confitendo ea quæ fidei sunt, meretur homo æternam salutem. Siquidem oris confessio est effectus fidei cordis, sicut vocalis oratio actus est latriæ, et eleemosynarum largitio opus est misericordiæ. Meritum autem consistit in actu virtutum, non in habitu solo. Hinc in Evangelio asserit Christus : Qui me confessus fuerit Luc. XII, 8; Matth. X, 32.
coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo. Et in prima Joannis scriptum est : Hæc est victoria quæ vin- I Joann. V, 4.
cit mundum, fides nostra, id est confessio fidei. Nam subditur ibi : Quis est qui vin- Ibid. 5.
cit mundum, nisi qui credit quod Jesus est Filius Dei? Unde ante verba hujus epistolæ præmisit Apostolus : Si confitea- Rom. X, 9.
ris in ore tuo Dominum Jesum esse Christum, et in corde tuo credideris quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris. Et istud consequenter probat Apostolus testimonio prophetali. *Scriptum est enim : Omnis qui crediderit in eum,* puta Is. XXVIII, 16.
in Christum, qui ait : Creditis in Deum, et Joann. XIV, 1.
in me credite, *non confundetur,* id est, non reprobabitur a Judice summo, neque spe sua frustrabitur, sed consequetur salutem, loquendo de fide per dilectionem operante, et perseverante usque in finem. Hinc dicit Salvator : Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego Luc. XII, 8; Matth. X, 32.
eum coram Patre meo.

Non enim est distinctio Judæi et Græci, id est, inter Judæos credentes et gentiles fideles nil distat, quantum ad ade-

ptionem salutis, dummodo credant modo A
prætacto. Nam et princeps Apostolorum
Act. x, 34, 35. fatetur : In veritate comperi, quoniam
non est personarum acceptor Deus ; sed
in omni gente, qui timet Deum et operatur justitiam, acceptus est illi. *Nam idem*
est *Dominus omnium,* qui ratione creationis et summæ dominationis, universorum
Esther xiii, 9. est Dominus. De quo scriptum est : Domine, rex omnipotens, in ditione tua cuncta
Judith ix, 17. sunt posita ; et alibi : Deus cœlorum, creator aquarum.

Quæritur, an Deus sit dominus ini- B
quorum. Videtur quod non, quoniam dominus et servus correlative dicuntur ;
iniqui autem non sunt servi Dei : ergo
nec ipse eorum est dominus. Denique Chri-
Luc. vi, 46. stus in Evangelio loquitur : Quid vocatis
me, Domine, Domine, et non facitis quæ
dico ? Quum ergo iniqui non impleant
Christi præcepta, non vere dominum eum
Malach i, 6. appellant. Iterum ait Altissimus : Servus
timet dominum suum : si ergo Dominus
ego sum, ubi est timor meus ? Iniqui autem non metuunt Dominum, imo de eis C
Eccle. viii, 11. asseritur : Absque ullo timore filii homi-
Prov. ii, 14. num perpetrant mala ; et alibi, Lætantur
Ps. xiii, 3. quum malefecerint ; atque in Psalmo, Non
est timor Dei ante oculos eorum. Non ergo
sunt servi Dei. Postremo, iniqui sunt ser-
Joann xii, 31. vi diaboli, qui (Christo testante) est princeps hujus mundi, utpote iniquorum. Sed
Ibid. viii, 34. et Christus affirmat : Omnis qui facit peccatum, servus est peccati. Non ergo iniqui
sunt servi Dei, præsertim quum servus a
serviendo dicatur, ipsi autem non serviunt
Deo, potissime infideles. — Et responden- D
dum, quod multis modis aliquis dicitur
servus Dei, videlicet : servitute filialis ti-
Matth xxv, 21, 23. moris. Unde dicit Salvator : Serve bone et
fidelis, intra in gaudium Domini tui. Et
hoc modo iniqui non sunt servi Dei ; sicque intelligendæ sunt auctoritates inductæ. Item, servitute timoris pure servilis,
Joann. viii, 35. de quo dicitur : Servus non manet in
domo in æternum. Sunt autem nonnulli
iniqui qui nec serviliter timent Deum, et
tamen aliquo modo sunt servi : quoniam
potestati Omnipotentis subjecti sunt dum
ipse voluerit, nec manum ejus evadunt ; et
completur in eis finaliter Dei voluntas secundum æquitatis processum. Sed non
competit eis perfecta ratio servitutis. Hinc
in Evangelio dicitur impio : Serve male et Matth. xxv, 26.
piger ; itemque, Serve nequam. Ibid. xviii, 32.

Dives in omnes qui invocant illum, id
est, copiose illis succurrens qui intimo
cordis affectu ejus pietatem perseveranter implorant, juxta illud Psalmistæ : Pro- Ps. cxliv, 18.
pe est Dominus omnibus invocantibus
eum, omnibus invocantibus eum in veritate. Ideo scriptum est : Si quis indiget Jacob. i, 5.
sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus
affluenter, et non improperat ; et dabitur
ei. Unde in Ecclesiastico habetur : Quis Eccli. ii, 12.
invocavit illum, et despexit eum ? Porro
Deus dives est, non pecunia, sed omnipotentia ; ejusque opulentia est sua perfectio
infinita ; atque ut divinus Dionysius pro-
testatur, in Deo est omnium bonorum et De Divin. nom. c. iv.
pulchrorum ac desiderabilium perfecta
possessio, quæ non est nisi ipsius simplicissimum esse in se, et per se omnifarie plenum, perfectum, superbeatissimum
et immensum. *Omnis enim quicumque in-* Joel ii, 32.
vocaverit nomen Domini, id est Dominum
nomine designatum, *salvus erit* modo in
spe per gratiam, postmodum in re per
gloriam, si tamen perseveranter et rationabiliter invocet Dominum.

Hæc autem invocatio præsupponit et
exigit fidem. Propter quod subditur : *Quomodo ergo invocabunt* homines Deum seu
Christum, *in quem non crediderunt?* quasi dicat, Nequaquam. Credere enim opor- Hebr. xi, 6.
tet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit. Sed obviare
videtur quod Christus loquitur Samaritanæ : Vos adoratis quod nescitis. Moyses Joann. iv, 22.
quoque de incredulis scripsit : Immolave- Deut. xxxii, 17.
runt dæmoniis et non Deo, diis quos ignorabant. Imo et in Jeremia ceterisque Pro- Jer. vii, 9 ;
phetis, frequenter dicuntur filii Israel Dan. xi, 38.
invocasse et coluisse deos quos ignorabant. Non ergo invocatio præexigit fidem
sive notitiam : nam fides aliqualis notitia

est. Et respondendum, quod Apostolus lo- A
quitur hic de vera invocatione, quæ est
actus virtutis; adoratio autem in illo Joan-
Joann. IV, 22. nis, Vos adoratis quod nescitis, large ac-
cipitur pro qualicumque cultu unius Dei,
non pro vera adoratione, quæ actus est
latriæ. Unde Christus ibidem de vera et
Ibid. 24. proprie sumpta adoratione subjungit : Eos
qui adorant, in spiritu et veritate adorare
oportet. Infideles autem atque idololatræ,
deos quos nescierunt invocasse dicuntur,
quoniam ii quos deos putaverunt, non sunt
dii : falsum autem non scitur, quum scien- B
tia sit verorum.

Aut quomodo credent ei, scilicet Deo,
quem non audierunt, id est, de quo nihil
Rom. X, 17. dictum est eis ? Fides enim est ex auditu :
quia et teste Philosopho, auditus est sen-
sus disciplinæ, id est informationis ab
alio. Quum ergo fides non habeatur nisi
per revelationem seu instructionem alte-
rius, oportet ut primo audiatur, vel per
locutionem angelicam intus solum, aut
etiam foris exhibitam, vel per locutionem
humanam. Sed iis objici potest, quoniam C
fides a solo Deo est per creationem seu
infusionem : non igitur ex auditu. Et re-
spondendum, quod fides prout est virtus
theologica, quantum ad habitum sive es-
sentiam suam, a Deo per creationem ac-
cipitur; prædicatio tamen disponit ad fi-
dem, nec communiter perducti sunt adulti
ad fidem nisi mediante prædicatione seu
informatione humana, per modum dispo-
sitionis præviæ concurrente. Hinc subdi-
tur : *Quomodo autem audient sine prædi-
cante,* id est forinsecus nuntiante? Loquitur D
namque Apostolus de exteriori auditu per
hominem, quia connaturale est hominibus
sic doceri, sicque communiter ad fidem
deducti sunt. Nihilo minus, ut divinus
De Cœlest. hier. c. IV. Dionysius protestatur, quidam gentiles ex
gratia speciali, solo angelorum obsequio
et doctrina ad fidem conversi sunt.

Quomodo vero prædicabunt, id est, qua
auctoritate aut efficacia prædicationis of-
ficium assument aut exsequentur ii per
quos convertendi sunt alii, *nisi mittantur*
a Deo, qui det eis auctoritatem, os, sapien- *Luc.* XXI, 15
tiam miraculorumque gratiam ? Non enim
quisque sibi debet honorem assumere, aut *Hebr.* V, 4.
propria auctoritate publice prædicare, ne
sit confusio in Ecclesia Dei : idcirco opor-
tet ut a Deo, seu ejus vices gerente, præ-
dicator verbi Dei mittatur. Unde per Jere-
miam et Ezechielem loquitur Deus de
pseudoprophetis : Ipsi currebant, et ego *Jer.* XXIII, 21; XXVII, 15;
non misi eos. *Sicut scriptum est* apud *Ezech.* XIII, 6.
Isaiam de prædicatoribus desuper missis :
Quam speciosi pedes evangelizantium pa- *Is.* LII, 7; *Nahum* I, 15.
cem, evangelizantium bona ! id est, valde
decori et virtuosi sunt gressus, actus et af-
fectus Apostolorum et apostolicorum viro-
rum, prædicantium reconciliationem gene-
ris humani cum Deo factam per Christum
(juxta illud, Reconciliati sumus Deo per *Rom.* V, 10.
mortem Filii ejus), prædicantium etiam
bona gloriæ, in cœlis præparata electis,
quæ nec oculus vidit nec auris audivit. I *Cor.* II, 9.

Sed non omnes obediunt Evangelio, id
est, evangelicæ prædicationi multi non
credunt, nec præceptis ejus cuncti obe-
diunt, sed soli electi. Unde et legitur :
Crediderunt quotquot præordinati erant in *Act.* XIII, 48.
vitam æternam. *Isaias enim dicit : Domi-* *Is.* LIII, 1.
ne, quis credidit auditui nostro, id est
mysteriis Christi quæ ego aliique Prophe-
tæ a Spiritu Sancto audivimus, et aliis
audienda proponimus? tanquam dicat, Pau-
ci credent. Quod tamen ad litteram præ-
dictum est de populo Judæorum, quorum
pauci (comparatione aliorum) crediderunt
in Christum. Hinc dicit Joannes : Quum *Joann.* XII, 37, 38.
tanta signa fecisset Jesus coram eis, non
crediderunt in eum, ut sermo Isaiæ com-
pleretur quem dixit : Domine, quis credi-
dit auditui nostro ? *Ergo fides* est *ex au-
ditu,* id est, ex auditione ejus qui informat
ad fidem et prædicat eam, quem oportet
audiri ; ex auditione quoque ejus qui in
fide instruitur, quem oportet prædicantem
audire. *Auditus autem* iste qui ad fidem
exigitur, est *per verbum Christi,* id est,
completur et fit per verbum Dei, quod
venit ad corporis aures, et movet auditum,
et aperit ac instruit aures mentis. Nisi

enim proponeretur verbum Dei, non esset auditio fidem dispositive inducens.

Sed dico, id est, quæro : *Numquid non audierunt* prædicationem Evangelii hi qui credere renuerunt ? Et probat quod imo audierunt, auctoritate Psalmistæ : *Et qui-*
Ps. XVIII, 5. *dem in omnem terram* Judææ, vel in principales plagas terræ, *exivit sonus eorum,* id est vocalis prædicatio Apostolorum, qui-
Act. I, 8. bus Christus prædixit, Eritis mihi testes in omni Judæa et Samaria et Galilæa, et usque ad ultimum terræ; *et in fines orbis terræ* A exierunt *verba eorum,* quia ubique prædicaverunt Apostoli per se ipsos et suos discipulos, ut Petrus in Italia, Andreas in Achaia, Joannes in Asia, Bartholomæus in Armenia, Thomas in India, etc. Unde per Isaiam Dominus dixit : Mittam ex eis qui *Is.* LXVI, 19.
salvati fuerint, ad gentes in mare, in Africam et Lydiam, in Italiam et Græciam, ad insulas longe, et annuntiabunt gloriam meam gentibus. Rursusque prædictum est : Viderunt omnes termini terræ Salutare *Ibid.* LII, 10; *Ps.* XCVII, 3.
Dei nostri.

SERMO PRIMUS

DE CERTITUDINE CHRISTIANÆ FIDEI, DE TRIPLICI CONFESSIONE, DEQUE PROMPTITUDINE DIVINÆ MISERICORDIÆ, ET S. ANDREÆ PRÆCONIO.

D*EUS dives in omnes qui invocant eum.* Rom. X, 12.

In præsenti epistola salubriter edocemur ad multa. Primo, ut corde firmiter credamus in Deum, et universa quæ ad christianam pertinent fidem verissima esse inviolabiliter sentiamus. Ex quo enim totum quod sumus, possumus et habemus, a Deo accepimus, ipse requirit a nobis ut omnia ista ei subjiciamus, et ipsum per hæc omnia veneremur, ita ut corde, ore et opere eum colamus. Vult ergo Deus in primis, ut intellectum nostrum ei subdamus propter ejus auctoritatem, credendo quæ nostram rationem et capacitatem omnino excedunt : ut quod Deus est unus et trinus, quod Christus est Deus et homo,
II *Cor.* X, 5. etc. Ideo dicit Apostolus : In captivitatem redigimus omnem intellectum in obsequium Christi. Istud fit in nobis per fidem, per quam intellectum nostrum auctoritati sacræ Scripturæ subjicimus, determinationi quoque Ecclesiæ, credendo omnia esse vera quæ sacra Scriptura vera esse testatur, credendo etiam universalem Ecclesiam infallibiliter gubernari a Spiritu Sancto, ita quod in his quæ sunt fidei et de necessitate salutis, errare non possit. Et hæc omnia credimus propter attestationem summæ et increatæ Veritatis, videlicet Dei, qui multipliciter contestatus est et ostendit, fidem christianam esse ab ipso datam et confirmatam. Nam fides est theologica virtus, primæ et æternæ veritati innitens, ita quod quam impossibile est summam Veritatem esse mendacem, falsitatisque testem, tam impossibile est fidem christianam non esse veram. Idcirco Apostolus ait : Licet nos aut angelus de cœlo *Galat.* I, 8.
evangelizet vobis præter id quod evangelizavimus vobis, anathema sit. Semper ergo in fide certissimi simus atque firmissimi. Nam et fides omnium virtutum est fundamentum, plurimum valens ad superandum universa dæmonum tentamenta.

Secundo docemur in ista epistola, ut Deum etiam ore honoremus, ea quæ fidei sunt publice confitendo, etiam (si opus sit) coram adversariis fidei, et pro fidei veritate ad moriendum simus parati.

Denique in divinis Scripturis fit mentio de triplici confessione. Prima est confessio

laudis divinæ, seu Dei laudatio; estque confessio ista actus latriæ : de qua loquitur Christus, Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ. Secunda est confessio propriæ culpæ, hoc est accusatio sui ipsius, quæ est pœnitentiæ actus : de qua ait Propheta, Dixi, Confitebor adversum me injustitiam meam Domino. Tertia est confessio credendorum, id est protestatio veritatis eorum quæ cadunt sub fide : quæ confessio actus est fidei; de qua in ista epistola sermo est.

Matth. xi, 25.

Ps. xxxi, 5.

Hac triplici confessione Deum quotidie venerari debemus, Dei bonitatem, misericordiam, justitiam, sapientiam, omnipotentiam, immensam felicitatem totis laudando et extollendo præcordiis, ejus quoque beneficia recognoscendo et commendando, atque futura ipsius magnificando promissa, et insuper Deum in suis judiciis atque operibus extollendo, et dicendo : Magna et mirabilia sunt opera tua, Domine Deus omnipotens ; justæ et veræ sunt viæ tuæ, Rex sæculorum. Hinc dictum est : Benedicite Deum cœli, et coram omnibus viventibus confitemini ei, quia fecit vobiscum misericordiam suam. Hinc devotissimus David rex ait : Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo; itemque, Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo. — Secundo, Deum honorare debemus confessione propriæ culpæ, nos ipsos in omnibus humiliter accusando. Primo in sacramentali confessione, quæ fit sacerdoti jurisdictionem super confitentem habenti : quæ confessio debet esse dolorosa, plana, bene præmeditata, ac integra, ut nihil omnino celetur; et ex interna contritione, vel saltem attritione confessio illa procedat. Secundo in foro exteriori, quando a superioribus nostris juste et caritative corripimur, aut certe a proximis increpamur : tunc enim nequaquam impatientes aut indignantes reddamur, sed nos ipsos humiliter fateamur culpabiles, atque ad emendationem nos exponamus. (Si tamen alicui culpa objiciatur, de qua sibi conscius non est, potest se humiliter excusare, ne alii scandalizentur in ipso.) Hinc in Proverbiis scriptum est : Viro qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus superveniet interitus. Et alibi dicitur : Quam bonum est, correptum manifestare pœnitentiam ! sic enim effugiet peccatum. Tertio in nostro secreto seorsum, ita ut unusquisque quotidie propriam vitam examinet, conscientiam purget, atque de suis peccatis intente se coram Deo accuset, ac veniam deprecetur : sicque omni die sit custoditior corde ac timoratior, ne Creatorem suum offendat. Hinc Dominus jubet : Custodi temetipsum et animam tuam sollicite.

Apoc. xv, 3. — *Tob.* xii, 6. — *Ps.* xxxiii, 2. — *Ps* ix, 2; cx, 1; cxxxvii, 1. — *Prov.* xxix, 1. — *Eccli.* xx, 4. — *Deut.* iv, 9.

Tertio ex hodierna docemur epistola, quam justus et pius sit Deus, qui sine personarum acceptione nullum ad se confugientem contemnit, imo omnibus pronus est misereri : ideo nemo desperet. Hinc scriptum est : Non est apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, neque acceptio munerum. Hanc Dei justitiam pro modulo nostro imitari debemus, ut nulli quantumcumque propinquo contra justitiam faveamus aut adsistamus, nec male agentibus consentiamus aut adulemur, sed zelo justitiæ cum vera discretione simus ferventes. Nam ut fertur in Psalmo, Dominus diligit justos. Et alibi dicitur : Pro justitia agonizare, et usque ad mortem certa pro justitia, et Deus expugnabit pro te. Porro vera requirit justitia ut homo in primis contra propria insurgat peccata, et in se ipso rationabiliter per opera pœnitentialia vindicet ea. Præterea, quilibet Christianus debet pietatis visceribus esse repletus, omnique indigenti pro posse succurrere, opera misericordiæ tam corporalia quam spiritualia exercendo. Perfectio etenim creaturæ est, Creatori altissimo proportionabiliter assimilari. Propter quod ait Salvator : Estote perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est. Quum ergo Deo sit proprium misereri semper et parcere, constat quod aliis miserendo, parcendo, subveniendo, perfectioni appropinquamus, Deoque si-

II Par. xix, 7. — *Ps.* cxlv, 8. — *Eccli.* iv, 33. — *Matth.* v, 48.

miles ac dilecti efficimur, quum similitudo sit causa amoris. Unde in epistola ista
Rom. x, 12. dicit Apostolus, quod Deus est « dives in omnes qui invocant eum ». Diligit enim ea quæ condidit, et suæ bonitatis ac liberalitatis nullus est finis. Ideo certum est, quod paratissimus sit gratiarum charismata impertiri : imo, ut cantat Ecclesia, ipse abundantia pietatis suæ, supplicum preces excedit et vota. Nec solum dives et pius est in eos qui invocant eum, sed et frequenter iniquos et aversos misericorditer prævenit et reducit, invocantesque facit. Semper igitur divinæ pietati gratias referamus.

Quarto in epistola hac docemur, quam salubre sit invocare Omnipotentem. Nam
Joel II, 32. dicitur : Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit. Idcirco ab orationibus
Luc. XVIII, 1. non cessemus, quum dicat Salvator : Oportet semper orare, et non deficere. Cuilibet ergo Christiano esse debet orandi consuetudo, et in exterioribus occupationibus cor ad Deum frequenter levandum est, ac brevibus saltem orationibus insistendum. Verumtamen non labiis tantum, sed cum ingenti cordis attentione orare oportet, nec sine reverentia Deum affari debemus : quamvis enim Deus piissimus exaudire et copiose dare paratus sit, non tamen vult nimia exaudiendi facilitate dona sua nobis vilescere, sed intentum ac perseverantem exigit oratorem. Propterea sanctissimus
Deut. IV, 29. Moyses ait : Quum quæsieris Dominum Deum tuum, invenies eum, si tamen toto corde quæsieris, et tota tribulatione animæ tuæ.

Denique in omnibus prætactis virtutibus ac virtuosis operibus B. Andreas apostolus excellenter resplenduit. Fuit namque in fide fortissimus, habens fidem cum rationibus credendorum et purificatæ intelligentia mentis. Nec solum in se ipso fide erat plenissimus, sed innumerabiles quoque convertit ad fidem : nam totam Achaiam, quæ est regio magna et pars Græciæ, implevit Ecclesiis. Insuper coram Ægea proconsule constantissime confessus est A Christum, nec timuit minas ejus, imo cum gaudio obtulit se ad moriendum pro fide. Erat etiam justus valde, quia pro innocentium defensione objecit se medium. Neque alicui in derogationem pepercit justitiæ. Nam quum Ægeas proconsul compellere conaretur Christianos ad sacrificia idolorum, occurrit ei Andreas et dixit : Oportebat ut tu qui hominum judex es, judicem tuum qui in cœlis est cognosceres.

Legitur quoque in miraculis S. Andreæ, quod juvenis quidam christianus et pul- B cher secretius dixit S. Andreæ, qualiter femina sibi valde propinqua tentaverit eum trahere secum ad carnalem commixtionem; et quoniam juvenis recusavit incestum, illa judicem adiit, et eum mendaciter accusavit quod voluerit eam opprimere. Tunc B. Andreas cum juvene ad judicis accessit tribunal, mulierique dixit : O crudelissima feminarum, quæ per libidinem tuam vis hunc juvenem innocentem tibi propinquissimum trucidare. Tunc mulier judici ait : Domine, huic mago adhæsit fi- C lius meus, postquam tantum crimen facere voluit. Iratus judex jussit juvenem in sacco pice ac bitumine linito ligari atque in flumen jactari, sanctum quoque Andream in carcere detineri, donec excogitaret supplicium quo periret; sed orante B. Andrea, tonitruum terribile exiens cunctos perterruit, et terræ motus magnus omnes prostravit. Tunc mulier illa a fulmine est percussa, occisa, et corruit arefacta. Orantibus autem ceteris qui adstabant, Apostolus, ne perirent, oravit pro eis, et terræ D motus ac tonitrua cessaverunt : quibus visis, judex ille cum tota sua familia ad fidem conversus est.

Postremo gloriosus Andreas apostolus misericordissimus fuit, et valde compassivus peccatoribus. Quum enim quidam senex nomine Nicolaus, dixisset S. Andreæ : Domine, ecce septuaginta anni vitæ meæ sunt, in quibus semper luxuriæ deservivi, et nunc usque a concupiscentia victus sum, sed tu, pie pater, ora pro me; B. Andreas cœpit mox flere, et a tertia hora

usque ad nonam oravit, surgensque ab A oratione, noluit manducare, sed dixit : Non comedam donec sciam an Deus miserebitur hujus senis. Quumque S. Andreas diebus quinque jejunasset, venit ad eum vox dicens : Obtines, Andrea, pro sene, sed sicut tu te jejuniis macerasti, sic et ipse se affligat jejuniis, ut salvetur. Tunc senex ille sex mensibus in pane et aqua jejunavit, et postmodum plenus bonis operibus quievit in pace. Venit ergo vox ad S. Andream, dicens : Per orationem tuam, Nicolaum quem perdideram, acquisivi.

Itaque in prædictis virtutibus et sanctis operibus sequamur felicem Andream apostolum, quatenus post hujus brevis vitæ curriculum ad æternæ beatitudinis gaudia perducamur.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

AMBULANS JESUS JUXTA MARE GALILÆÆ, VIDIT DUOS FRATRES, ETC. Matth. IV, 18-22.

HODIERNO in evangelio describitur vo- B catio B. Andreæ apostoli ad apostolatum Christi : idcirco evangelium istud hodie legitur. Itaque Matthæus asserit :

Ambulans Jesus juxta mare Galilææ, Luc. v, 1. quod alio nomine in Evangelio appellatur stagnum Genesareth : eratque lacus magnus, secundum Hieronymum; sed dicitur mare juxta consuetudinem idiomatis Hebræorum, qui quamlibet magnam congregationem aquarum nominant mare, quoni- Gen. I, 10. am Genesis primo habetur : Congregationes aquarum appellavit Deus maria. *Vidit duos* C *fratres,* videlicet *Simonem, qui vocatur* alio nomine *Petrus,* id est firmus, et etiam Cephas, quod interpretatur caput seu prin- Matth. XVI, 18; Joann. I, 42. cipalis : quæ nomina Christus ipsi imposuit; *et Andream fratrem ejus, mittentes rete* suum *in mare* præfatum, ut caperent pisces. *Erant enim piscatores :* quod futuro eorum officio congruebat, nam piscatores hominum erant futuri. *Et ait illis : Venite post me,* non solum corporis gressu, sed etiam imitatione virtutum et perfectionis intuitu, exteriora omnia relin- D quendo et vos ipsos abnegando, ut evangelicæ perfectionis apicem apprehendatis; *et faciam vos fieri,* id est, per gratiam apostolatus efficiam vos *piscatores hominum,* id est collectores diversorum hominum intra unam Ecclesiam, per extensionem doctrinæ vestræ super eos, quemadmodum pisces diversi colliguntur per rete intra unam naviculam. Per rete ergo significatur verbum prædicationis, qua homines de vitiorum profundo et fluctibus seu inquietudinibus hujus sæculi extrahuntur, atque in portu et pace constituuntur Ecclesiæ. Nam per mare significatur mundus perturbationibus ac vitiorum profluviis plenus; per piscatorem, prædicator et doctor verbi cœlestis; per piscationem, conversio peccatorum. Juxta hanc similitudinem, per Jeremiam loquitur Deus : Ecce Jer. XVI, 16. ego mittam piscatores multos et piscabuntur eos. *At illi continuo relictis retibus* et ceteris quæ habebant, secundum quod alibi loquitur beatissimus Petrus ad Christum : Ecce nos reliquimus omnia; *secuti* Matth. XIX, 27. *sunt eum* mente et corpore.

Denique triplex fuit Apostolorum istorum vocatio. Una ad simplicem ejus notitiam : quam vocationem describit Joannes, prout in sermone plenius referetur. Secunda vocatio fuit ad quamdam Christi familiaritatem. Tertia fuit ad apostolatum, quæ præsenti describitur loco.

Et procedens inde, id est, Jesus parum procedens per littus maris prædicti, *vidit alios duos fratres, Jacobum Zebedæi* fi-

lium *et Joannem* evangelistam *fratrem* A *ejus, in navi cum Zebedæo patre eorum, reficientes,* id est, reparantes et meliorantes, *retia sua :* nam pauperes erant; *et vocavit eos* ad gratiam apostolatus, et forte per eadem verba, aut consimilia, per quæ Petrum et Andream vocavit, dicendo : « Venite post me », etc. *Illi autem statim relictis retibus et patre* suo, *secuti sunt eum,* corporis gressu et mentis affectu. Nec hoc fuit indiscretionis, quod isti Apostoli tam cito Christum secuti sunt, ut infidelis Porphyrius arguit. Christus enim Deus et homo quos foris humanitatis suæ verbo vocavit, intus per deitatis suæ gratiam illos traxit : idcirco in ista tam celeri secutione datur nobis exemplum obedientiæ promptæ, ac documentum relinquendi vana, terrena, carnalia.

SERMO SECUNDUS

DE LAUDIBUS S. ANDREÆ; ET QUOMODO MULTOS, CRUCI AFFIXUS, AD CULTUM VERI DEI CONVERTERIT.

BEATUS *quem elegisti et assumpsisti,* B *Domine.* Ps. LXIV, 5.

Sicut Dominus noster Jesus Christus, Filius Dei, venit in mundum istum, et vixit in eo in omni humilitate et paupertate, sic et pauperes elegit in apostolos : tales namque a Deo specialiter frequentiusque vocantur ad viam salutis. Propter
I *Cor.* I, 26-28. quod Paulus ait apostolus : Videte vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles sunt inter vos ; sed quæ stulta sunt mundi elegit C Deus, ut confundat sapientes in oculis suis, et infirma et ignobilia mundi elegit Deus, ut confundat fortia. Unde ergo inaniter gloriantur atque superbiunt sapientes et potentes ac nobiles sæculi hujus, quum sæpius relinquantur a Deo, et imbecilles ac pauperes eligantur?

Inter hos pauperes electissimos Dei fuit gloriosus Andreas apostolus, qui multipliciter commendabilis honorabilisque consistit. Primo, quoniam a pueritia Deo sincere servivit, et in innocentia sua mansit D devotus. Nam antequam vocabatur a Chri-
Joann. I, 40. sto, fuit discipulus Joannis Baptistæ : imo et ante hoc in lege Moysis vixit virtuose et sine querela. Unde ait Joannes : Re- *Joann.* I, 36, 37, 39.
spiciens Joannes Jesum ambulantem, ait, Ecce Agnus Dei. Et audierunt duo ex discipulis Joannis Baptistæ ipsum Joannem hæc verba loquentem, et secuti sunt Jesum, quorum unus fuit Andreas, manseruntque apud Jesum die illo. Altera die *Ibid.* 41, 42.
invenit Andreas fratrem suum Petrum, et ait eidem, Invenimus Messiam, id est Christum; et adduxit eum ad Jesum. Ecce in his apparent diligentia caritasque Andreæ, quoniam quum audisset a magistro suo Joanne Baptista quod Jesus esset Messias, statim perrexit ad eum. Nec contentus est Christum videre, sed voluit etiam ejus sapientiam experiri et edoceri ab eo : ideo mansit apud eum die illo; sicque implevit quod in Ecclesiastico habetur, Quum vi- *Eccli.* VI,
deris sensatum, statim evigila ad illum. 36.
Quumque Christum novisset, statim de salute fratris sui Petri sollicitus, eum quæsivit atque ad Christum duxit, implens illud Petri : Unusquisque sicut accepit gratiam, I *Petr.* IV,
in alterutrum illam administrantes. Sic 10.
quoque quilibet Christianus proximum suum debet pro posse salubriter informare, spiritualiterque ad Christum perducere.

Secundo, B. Andreas laudatur a sapien-

tia sua. Nam et antequam a Christo vocatus est, magnæ fuit discretionis. Unde in Itinerario S. Clementis beatissimus Petrus refert. se a fratre suo B. Andrea interdum fuisse valde prudenter instructum. Post susceptionem vero Spiritus Sancti in die Pentecostes, fuit Andreas lumine sapientiæ mirabiliter decoratus. Nam quum Ægeas proconsul dixisset ad eum, Tu es Andreas qui superstitiosam prædicas sectam, quam Romani principes exterminari jusserunt? respondit : Romani principes nondum cognoverunt quomodo Filius Dei veniens, docuerit idola esse dæmonia. Deinde probavit proconsuli magnum esse mysterium crucis. Primo, quoniam primus homo mortem intulit toti generi humano per lignum, de ejus fructu contra Dei præceptum edendo, ideo congruum fuit ut Christus mortem illam repelleret per lignum, in eo patiendo. Secundo, quoniam Adam inobedienter manus suas ad prohibitum cibum extendit, congruum fuit ut Christus immaculatas manus in cruce extendendo, satisfaceret et salvaret. Tertio, quia ad hoc quod Christus suam nobis communicaret immortalitatem, congruum fuit ut mortalitatem assumeret nostram. Quumque proconsul S. Andreæ præciperet idolis sacrificare, sapientissime subtiliterque respondit: Omnipotenti Deo Agnum immaculatum quotidie offero, qui quum a tota fuerit plebe comestus, vivus et integer perseverat. Hoc autem dixit de Sacramento altaris, in quo Christus veraciter continetur, et Deo Patri offertur, nec a communicantibus læditur, neque consumitur.

Act. II, 1 et seq.

Gen. III, 6.

Tertio, commendatur B. Andreas a constantia et fortitudine in adversis, quia pro Deo et fidei veritate ad mortem paratissimus fuit, imo cum inæstimabili mentis fervore anhelabat ad salutare martyrium. Quum enim proconsul ei crucis supplicium minaretur, respondit : Si crucis patibulum formidarem, gloriam crucis non prædicarem. Iterum dixit proconsuli : Quidquid tibi videtur in suppliciis, magis excogita. Tanto namque regi meo ero acceptior, quanto pro ipso duriora pertulero, et quanto in pœnis constantior fuero. Tunc proconsul fecit B. Andream a viginti hominibus verberari : quod ipse patientissime sustinebat. Insuper, quum duceretur ad crucem, visa cruce, non (ut consuetudo est hominum) horrore concussus est, sed gaudio perfusus ingenti ; atque in affectuosissima ac devotissima verba prorupit, dicendo : Salve, crux quæ in corpore Christi dedicata es, et ex membris ejus tanquam ex margaritis ornata ; antequam te ascenderet Dominus, timorem terrenum habuisti, nunc vero cœlestem habes lætitiam, et cum desiderio susciperis : securus ergo et gaudens venio ad te, ita ut et tu exsultans suscipias me, discipulum ejus qui pependit in te, quia amator tuus semper fui, et desideravi amplecti te. O bona crux, quæ pulchritudinem et decorem de membris Domini suscepisti, diu desiderata, sollicite amata, sine intermissione quæsita, et tandem nunc concupiscenti animo præparata, accipe me ab hominibus, et redde me magistro meo, ut per te me recipiat qui per te me redemit. Ecce quanta constantia in adversis, quanta fortitudo animi contra pericula mortis.

Hinc in sermone de S. Andrea beatus ait Bernardus : Andreas, homo similis nobis, tam vehementi mentis ardore crucem optavit, tam inaudito a sæculis gaudio tripudiabat quum paratum sibi eminus patibulum conspexisset : O crux, inquit, diu desiderata, gaudens venio ad te, ut et tu exsultans suscipias me. Videtis quia non se capit præ magnitudine gaudii. Ita, inquit, « ut et tu exsultans ». Ergone tanta est exsultatio crucis, ut exsultet et ipsa crux, nec metus quidquam habeat, sed totum lætitiæ sit? Aut quid magis contra consuetudinem, supra rationem, ultra naturam, crucifixum exsultare, an crucem ? Hinc iterum ait S. Bernardus : Audistis certe, quum pervenisset B. Andreas ad locum ubi crux parata erat, quomodo confortatus sit in Domino, et per Spiritum Sanctum, quem simul cum ceteris Apostolis in lin-

guis igneis acceperat, verba vere ignea loquebatur. Videns ergo paratam eminus crucem, nequaquam (ut exigere videtur mortalis infirmitas) facies ejus expalluit, nequaquam sanguis ejus gelatus est, non steterunt capilli aut vox faucibus hæsit, non contremuit corpus, non mens ejus turbata est, non recessit ut assolet intellectus, sed ex abundantia cordis os ejus locutum est. Quid enim B. Andreas quum sibi paratam (ut dixi) crucem eminus cerneret, loquebatur? O crux, inquit, diu desiderata, et cetera verba præmemorata. Obsecro, fratres, homo est qui loquitur hæc, an non est homo, sed angelus aut nova aliqua creatura? Plane homo erat, similis vobis, passibilis. Unde ergo in eo nova hæc exsultatio? Unde in eo tanta constantia, tam spiritualis mens, tam fervens caritas, animus tam robustus? Non utique nisi a Spiritu Sancto.

Quarto, laudatur S. Andreas a suo glorioso martyrio. Nam manibus et pedibus cruci alligatus est, in qua per duos dies vivens, viginti millibus hominum adstantium prædicavit. Quumque turba illa minaretur proconsuli mortem, dicens virum sanctum, mansuetum et pium, talia pati non debere, venit Ægeas proconsul, ut eum de cruce deponeret. Cui B. Andreas dixit: Quid tu ad nos venisti, Ægea? Si pro pœnitentia et venia, ipsam consequeris; si autem ut me de cruce deponas, scias quod de ea vivus non descendam. Et quum vellent eum dissolvere, non poterant ad eum pertingere, quia eorum brachia mox stupida reddebantur. Tunc copiosissimus splendor de cœlo descendens, sic per mediam horam eum circumdedit quod nullus eum videre valebat, abscedenteque lumine, simul cum lumine spiritum tradidit, et regnum cœleste introiit gloriosus.

Quinto, commendatur Andreas sanctissimus a præclaris, multis et maximis suis

A miraculis, de quibus in sequenti sermone erit tractatus.

Itaque in prædictis virtutibus studeamus beatissimum sequi Andream, et innocentiam quam amisimus, per veram pœnitentiam (cujus partes sunt contritio, confessio, satisfactio), quantum possibile est, recuperemus. Simus quoque vere prudentes et discreti in omnibus, ita ut Deo omnipotenti, æterno et adorando, rationabile obsequium offeramus, opera vitæ nostræ taliter ordinantes ut æternam

B consequamur salutem; potiusque nitamur animas nostras ditare virtutibus, et divites fieri in virtuosis operibus, quam temporalia congregare, quum dicat Salvator: Nolite thesaurizare vobis in terra, ubi ærugo *Matth.* VI, 19-21.
et tinea demolitur; thesaurizate autem vobis in cœlo, etc. Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum. Postremo simus constantes in bono, non pertinaces in malo: quia proprii sensus immansio magnum peccatum est, et ad diversa ac maxima trahit vitia atque pericula. Simus etiam in

C omni adversitate et tribulatione stabiliter patientes, quoniam tam graviter ac frequenter Deum creatorem nostrum offendimus: in tantum quod merito totus contra nos mundus insurgeret, creatorisque sui in nobis injuriam vindicaret; et millies majora ac plura pati meruimus, quam unquam hic patimur. Hinc Judith optime dixit: Non ulciscamur nos pro his quæ pa- *Judith* VIII, 26, 27.
timur, sed reputantes peccatis nostris hæc ipsa supplicia minora esse, flagella Domini, quasi servi qui corripimur, ad emen-

D dationem, et non ad perditionem nostram, evenisse credamus.

Rogemus ergo beatissimum Andream apostolum, ut ipse nobis a Deo precibus suis gratiam adimplendi hæc omnia impetrare dignetur, quatenus post vitæ hujus brevissimæ incolatum, ad ejus beatum perducamur consortium.

SERMO TERTIUS

DE OBEDIENTIA AMPLECTENDA, DEQUE DUPLICI AMORE, INORDINATO VIDELICET ET RECTO.

R*ELICTIS omnibus, secuti sunt Christum.* Matth. IV, 20; Luc. V, 11.

In hodierno evangelio audivimus quemadmodum gloriosus Andreas apostolus, ad unam Christi vocationem, cuncta quæ habuit dereliquit, et Dominum Christum secutus est. Quanta est ergo perversitas nostra, qui quotidie invitamur, vocamur, admonemur atque jubemur a Deo peccata relinquere et Deo creatori nostro fideliter adhærere, et tamen abnuimus, et in perversitatibus nostris manemus? Ad hæc quippe invitat, vocat, hortatur nos Deus per se ipsum instinctu divino, et item per angelos sanctos inspiratione interna, per sacram quoque Scripturam, et per prælatorum ac prædicatorum et devotorum hominum informationem et allocutionem.

In primis ergo S. Andreas dedit nobis obedientiæ sanctæ ac promptæ exemplum, quatenus ejus imitatione studeamus præceptis Dei et vicariorum ipsius cito atque humiliter obedire, mandata Ecclesiæ observare, et propriæ voluntatis duritias semper abjicere. Nam et ipse Christus factus est obediens Deo Patri usque ad mortem. (*Philipp.* II, 8.) Unde et ipse in Evangelio protestatur: Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me. (*Joann.* VI, 38.) Hinc passione sua instante, dixit: Pater, non mea voluntas, sed tua fiat. (*Luc.* XXII, 42.) Si ergo unigenitus Filius Dei, rex regum et dominus universorum, non venit propriam, sed Dei Patris facere voluntatem, cur nos miserrimi atque vilissimi peccatores, quotidie contra Dei et Ecclesiæ præcepta, proprias facimus voluntates, pessimas et rebelles? Denique, quam perversum, iniquum, damnabile istud sit, pandit sanctus propheta Samuel, primo Regum dicendo: Melior est obedientia quam victimæ, et auscultare magis quam offerre adipem arietum: quoniam quasi peccatum ariolandi est, repugnare; et quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere. (I *Reg.* XV, 22, 23.) Ecce inobedientes comparantur ariolis seu necromanticis atque idololatris. Fugiamus ergo de cetero inobedientiæ crimen. Insuper, quia inobedientes et omnes iniqui, contra Dei præcepta propriam voluntatem adimplent, ideo Deus justissimo prorsus judicio, post hanc vitam in eis suam implet voluntatem contra voluntatem ipsorum, puniendo eos in sempiternum variis suppliciis inferorum.

Præterea in Legenda sancti continetur Andreæ, et præcedenti sermone descriptum est, (*Cf.* p. 13 A' et s.) sicut in virtutibus sancti hujus Apostoli hoc singulariter præfulgebat, quod dum duceretur ad mortem, et crucis patibulum sibi paratum, a longe intueretur, nequaquam contremuit; sed quantum alii qui ducuntur ad mortis supplicia, vultu pallescunt, horrore concutiuntur, verbis deficiunt, et animo infirmantur, tantum felix iste Apostolus, cruce conspecta, vultu refloruit, exsultatione repletus est, verbis invaluit, et corde firmatus est. Nempe quam ignita, quam devotissima, quam affectuosissima protulit verba, præcedens continet sermo, in quo digesta sunt verba illa sanctissima.

Sed forsitan miramini, qualiter homo mortalis et vir adeo senex, potuit, viso patibulo sibi erecto, taliter exsultare et nullatenus trepidare: idcirco scitote, quod duplex est amor, ex quorum uno oritur omne malum, et ex altero omne bonum.

Est etenim amor sui, qui dicitur amor privatus, improbus, et reflexus, quo homo amat se in se, inordinate ac vitiose, ea optando et amplectendo quæ sibi secundum propriam naturam ac voluntatem utilia, delectabilia sive honesta sunt, puta temporales divitias, carnales delicias, humanos honores. Inde procedunt avaritia, luxuria, superbia, ac alia vitia : et quanto quis hoc plenior exstat amore, tanto plus appetit talia ; tanto quoque intensius ac vehementius abhorret et refugit horum contraria ; tanto etiam amplius indignatur, irascitur, et ultionem inferre molitur his qui illorum contraria sibi infligunt. Unde homines pravi isto amore repleti, parvam injuriam sibi illatam reputant maximam, et pro modico verbo turbantur, imo pro verbis verbera, vulnera, et nonnunquam interfectionem rependunt : sic et modicum damnum sibi illatum judicant valde magnum. Isti itaque pro Deo, pro justitia, pro fraterna caritate pati nil volunt, imo nec pro suis excessibus corripi corrigique dignantur.

Porro alius est amor spiritualis infusus, quo Deum super omnia diligit homo, et se ipsum vere in Deo, desiderando sibi ipsi ac proximis æternam salutem, et omnia illa quæ accommoda aut necessaria sunt ad illam : sicque ex isto amore procedit quod homo appetit Deo placere, uniri, inhærere, eum in omnibus honorare, corpus per jejunia, vigilias, disciplinas pœnitentialiter castigare, adversa æquanimiter ferre, imo in tribulationibus gloriari, paupertatem, continentiam obedientiamque amplecti ; et quanto quis amplius crescit in hoc sancto amore, tanto ad omnia ista invenitur alacrior. Itaque caritas ista facit hominem libenter aliquid pati propter Deum, propter fidei veritatem, propter justitiam, et proximorum salutem. Quumque perfecta exstiterit, reddit hominem etiam paratissimum ad moriendum pro Deo, fide, et æquitate. Hinc S. Agatha perrexit ad carcerem tanquam ad epulas, et divus Dionysius, B. Ignatius, sanctique viri

A Polycarpus, Laurentius atque Vincentius, cum admiranda alacritate et gaudio, immanissima accesserunt ac pertulerunt supplicia. Conformiter B. Andreas apostolus hac divina dilectione plenissimus, visa cruce sibi parata, in tantum gavisus est, quod præ lætitia se ipsum vix cepit, ipsamque crucem affatus est, quasi et ipsa intelligere posset. Denique viri sancti, divinitus copiose illuminati, considerant quam ineffabiliter adversa, persecutiones, injuriæ, et ipsa pro Deo illata occisio, sibi
B proficiant ad salutem, ad gratiæ incrementum, ad æternæ gloriæ cumulum, ad expiationem quoque præteritorum delictorum, atque purgationis remedium a Deo salubriter provisum. Idcirco considerant illa non quasi adversa, sed tanquam maxime prospera, atque cum gaudio grandi suscipiunt ea.

Nunc igitur unusquisque nostrum examinet semetipsum, et penset quis horum duorum amorum magis dominetur in eo. Si enim faciliter indignatur, irascitur, vin-
C dicat, si jejunare, orare, corpus affligere, et pro Deo propriisque peccatis pati molestum est : quid aliud habet sentire, nisi quod improbus amor sui regnet in ipso ? Ideo doleat, confiteatur, emendet. Porro, si quis in adversis et contumeliis patiens est, et ad opera virtuosa ac pœnitentialia alacer, confidat humiliter quod spirituali amore dotatus sit, et gratus sit Deo ; nec tamen præsumat, neque inaniter glorietur, imo ubique et semper sit custoditus ac timoratus, sicut ait Apostolus : Qui stat, *I Cor. x, 12.*
D videat ne cadat. Insuper, ut cum B. Andrea temporalia et carnalia parvi pendamus, in adversis constantes fortesque simus, et Deo atque Ecclesiæ in omnibus obedientes : studeamus cor nostrum ab illo infelicissimo privato amore purgare, rogemusque Deum ut spirituali nos accendat dilectione, per quam vanitates et impietates mundanas, loquacitates, omnem gulam, pompam et curiositatem ac superfluitatem in vestibus ac ceteris devitemus, proximis quoque compatiamur, præsertim

in peccatis jacentibus, et si quis nobis injuriam fecerit, magis tristemur de ejus peccato quam de malo nobis illato. Quod si caritative ac patienter tulerimus, non malum sed utilissimum erit nobis.

Postremo, nunc aliquid de miraculis S. Andreæ est memorandum. Omnipotens etenim Deus ipsum mirificavit in vita, in morte, et post mortem. Quum enim B. Andreas in civitate Nicæa a civibus urbis illius audisset quod extra civitatem secus viam septem dæmones essent qui homines prætereuntes necabant, præcepit dæmonibus ut in specie canum coram populo apparerent : quo facto, eisdem præcepit ut illuc pergerent ubi nulli nocere possent; et protinus evanuerunt. Quum autem Andreas apostolus ad alterius civitatis portam venisset, et juvenem quemdam a A canibus illis occisum reperisset, suscitavit eumdem. Præterea, quadraginta viri simul ad Apostolum navigaverunt ut ab ipso fidei audirent doctrinam, sed omnes in mari submersi sunt. Quumque eorum corpora fuissent ad littus delata, coram Apostolo sunt portata, qui precibus suis omnes suscitavit a mortuis. Denique, Ægeas proconsul quum a loco crucifixionis S. Andreæ rediret, arreptus a dæmone, antequam domum reversus est, in via coram omnibus exspiravit. Uxor vero Ægeæ, quæ fuit B S. Andreæ discipula, corpus ejus honorifice sepelivit. Fertur demum, quod de sepulcro gloriosi Andreæ manna per modum farinæ et oleum cum odore dulcissimo, longo tempore emanaverunt. Nunc vero corpus ejus dignissimum in Constantinopolim dicitur esse translatum ac conditum.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUARTUS

DE MUNIFICENTISSIMA LIBERALISSIMAQUE ANIMÆ AD REFECTIONES SPIRITUALES INVITATIONE.

VENITE ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, etc. Matth. XI, 28.

In his verbis tria tanguntur. Primum est cœlestis legislatoris gratiosissima invitatio, quum dicitur : « Venite ad me ». Secundum est eorum qui invitantur proprietas virtuosa, quum subditur, « omnes qui laboratis et onerati estis ». Tertium est delicatum ac spirituale edulium ad quod invitantur, quum subinfertur, « et ego reficiam vos ».

De primo igitur advertendum, quod Unigenitus Dei Patris, Christus Dominus noster, legislator altissimus (de quo in Job
Job XXXVI, 22. asseritur, Ecce Deus excelsus in fortitudine sua, et nullus ei similis in legislato- C ribus ; in Isaia quoque, Dominus judex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster, ipse veniet, et salvabit nos; Is. XXXIII, 22.
qui de ipsa evangelica lege, quam per electissimos Israelitas contulit nobis, prædixit, Ecce dies veniunt, et feriam domui Israel et domui Juda pactum novum) : Jer. XXXI, 31.
hic (inquam) legifer summus, in Evangelio ad gratiarum suarum charismata in præsenti vita percipienda, atque ad gloriæ suæ dona in regno perpetuo obtinenda, piissime, sæpissime liberalissimeque nos D invitat. Piissime, quoniam absque meritis nostris, ex sola caritate sua qua prior dilexit nos, atque ex inæstimabili misericordia sua qua prævenit nos. Hinc etenim I Joann. IV, 19.

Joann. VII, 37. clamabat Jesus : Si quis sitit, veniat ad me ; et alibi, Non vos me elegistis, etc. ; *Ibid.* XV, 16. *Matth.* X, 8. et rursus, Gratis accepistis, gratis date. *Apoc.* XXII, 17. Unde et in Apocalypsi loquitur : Qui sitit, veniat ; et qui vult, accipiat aquam vitæ gratis. Invitat nos quoque sæpissime, prout ex sacri decursu Evangelii innotescit. Nam et evangelicam suam prædicationem ab invitatione ad pœnitentiam salutarem *Matth.* IV, 17. incepit : Pœnitentiam (inquiens) agite ; appropinquabit enim regnum cœlorum. Et *Joann.* VIII, 12. denuo ait : Ego sum lux mundi ; qui sequitur me, etc. Et rursum : Eum qui ve- *Ibid.* VI, 37. nit ad me, non ejiciam foras. Itemque : *Luc.* XI, 9 ; Petite, et accipietis ; quærite, et invenietis, *Joann.* XVI, 24. etc. Invitat nos etiam liberalissime, quia ad maxima bona ; et paratissimus est ad præstandum, ad exaudiendum, ad locupletandum, dummodo rite et sicut oportet petamus, atque ad suscipiendum nos præ- *Luc.* XI, 10. paremus. Idcirco fatetur : Omnis qui petit, accipit, etc. ; et rursus, Qui credit in *Joann.* VII, 38. me, sicut ait Scriptura, flumina de ventre *Ibid.* IV, 13, 14. ejus fluent aquæ vivæ ; sed et iterum : Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum ; sed aqua quam ego dabo ei, etc.

Ecce quam munificentissimus invitator et dator, qui et se ipsum nobis quotidie in Sacramento largitur, et suis fidelibus Spiritum Sanctum infundere et conferre dignatur. Cur ergo ejus invitationibus tantis ac talibus non protinus assentimus ? Cur ad ipsum plene converti differimus ? Cur ad proficiendum in omni virtute et gratia ejus pigri et negligentes consistimus, nec ei incessanter magis ac magis propinquare, intimiusque uniri, ardentius cohærere, ac magis contemplationi esse intenti enitimur?

Gen. XVIII, 2-5. In Genesi refertur quemadmodum tres angeli sancti a patriarcha Abraham invitati, mox propter ejus sanctitatem et reve- *Ibid.* XIX, 1-3. rentiam acquieverunt. Invitati vero angeli duo ex illis a Lot, quamvis viro justo, tamen præfato Abraham inferiori, se reddiderunt difficiles, primo dicentes : Nequaquam, sed in platea manebimus. Si

A itaque angeli gloriosi Abrahæ invitanti, ob ejus sanctitatem et honorabilitatem protinus consenserunt : quæ est ista ingratitudo, improbitas, imo perversitas et insipientia nostra, quod Deo majestatis immensæ nos invitanti, parere tardamus ? Nempe in tantum et tamdiu tardamus, quantum et quamdiu in nostris negligentiis, pigritiis, loquacitatibus, carnalitatibus passionibusque manemus. Invitat enim nos Dominus ad indesinentem profectum, ad quotidianum gratiæ incrementum, ad infatigabi-

B lem in via salutis processum ; et nihilo minus incustoditi, remissi, intimorati, carnales, garruli, atque tam passionati ut pudor sit dicere, remanemus : non formidantes cœleste illud tonitruum quod Dominus majestatis voce magnitudinis suæ per Filium tonitrui tonat, dicendo : Quia *Apoc.* III, 16. tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo ; et rursus, Nisi pœnitentiam egeri- *Luc.* XIII, 5. tis, omnes similiter peribitis. Porro, pœnitentiam agere, est præterita vitia deplorare, et ea non iterare. Quæ est ergo

C pœnitentia nostra, qui quamvis quotidie confiteamur, tamen quotidie in easdem culpas relabimur, nec efficacem timorem diligentiamque condignam ad eas vitandas apponimus, nec ad religiosæ conversationis idoneum properamus augmentum ? quasi ignoremus quod ait Scriptura : Nisi *Eccli.* XXVII, 4. in timore Dei tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua ; et item, Qui ti- *Eccle.* VII, 19. met Deum, nihil negligit ; et, Maledictus *Jer.* XLVIII, 10. qui opus Dei facit negligenter.

Consideremus ergo et imitemur beatis-

D simum Andream apostolum, qui ad unicam Christi invitationem statim obtempe- *Matth.* IV, 18-20. rans, secutus est eum, prout evangelii hodierni pandit historia; qui etiam ante hanc suam invitationem, quum a præclarissimo Christi præcursore audisset de *Joann.* I, 35 et seq. Salvatore, Ecce Agnus Dei, mox secutus est Jesum, dicens : Rabbi, ubi habitas ? Sequamur igitur Jesum. Jesum quippe in tantum nunc sequimur, in quantum universa peccata, non solum mortalia, sed venialia quoque, omni cum diligentia de-

clinamus, virtutibusque studemus, atque A
in luce sapientiæ ac divini amoris ardore
proficimus, ambulamus ac stabilimur.

Secundo, in verbis thematis præinducti
tangitur eorum qui invitantur a Domino
virtuosa proprietas, quum dicitur, « omnes qui laboratis et onerati estis ». Nunc
enim fit mentio de invitatione bonorum
ad spiritualem consolationem, internam
refectionem, confortationem gratiosam atque cœlestem : ad quæ omnia non nisi
laborantes et onerati vocantur et invitantur. Qui ergo sunt isti laboratores et one- B
rati, qui ad tanta bona etiam in præsenti
percipienda, divinitus invitantur? Qui (inquam) sunt isti, nisi qui contra aciem
vitiorum, contra invisibilium hostium impugnationes, contra concupiscentias carnis et omnium immoderantias passionum,
contra sæculi vanitates efficaciter et assidue præliantur ? quibus hic summus et
unicus labor est, ne Dominum Deum suum per humanæ fragilitatis distractiones,
per inordinatas affectiones, per verba aut
opera, per levitates, otiositates aut omis- C
siones, aliquo modo offendant, quotidianasque culpas per orationes, lamenta, jejunia, disciplinas, ac cetera satisfactoria
exercitia expiare solliciti sunt, satagunt et
conantur : qui juxta exigentiam suæ vocationis, qui juxta suæ professionis tenorem, Deo digne vivere enituntur, in divinis
strenue se habentes, in omni observantia
regulari diligentes ac agiles, sicque inclyte
adimplentes quod beatus hortatur Aposto-
II *Tim.* II, 3. lus : Labora sicut bonus miles Christi; et
Ibid. IV, 5. rursus, Tu (inquit) vigila, in omnibus la- D
Ibid. II, 5. bora, etc. Non enim coronatur nisi qui
legitime certaverit; quum et Christus te-
Matth. XI, 12. stetur : Regnum cœlorum vim patitur, et
violenti rapiunt illud. Hi salubriter violenti, sunt veri religiosi, qui frangunt, ab-
Luc. IX, 23. negant mortificantque se ipsos, tollentes
crucem suam quotidie, et Christum sequentes ; qui in se ipsis experimentaliter
sentiunt, aliisque exemplariter monstrant
Job V, 7. quam veraciter scriptum sit : Homo ad
Ibid. VII, 1. laborem nascitur ; et item, Militia est vita
hominis super terram. Denique ad virtuosos religiosorum spectat labores, etiam
corporalem a præsidente injunctum sive
ab Ordine institutum laborem, alacri corde et spirituali intentione explere.

His modis gloriosus Andreas apostolus
laboravit oneratusque fuit, qui et ante
apostolatum laboribus manuum suarum
quotidianum sibi victum procurans, etiam
in observantia Mosaicæ legis fervidus exstitit, sed et supererogationis exercitiis
sacris fuit intentus : quia et antequam
vocaretur a Christo ad apostolatus fastigium, beatissimi Præcursoris fuit discipulus. Post divisionem vero Apostolorum,
prædicationis officium in locis diversis
adimplevit infatigabiliter ac fructuosissime, multas pro Christo tribulationes patientissime ferens. Idcirco a Christo suavissime meruit refici, affluentissime consolari, mirabiliter confortari, ita quod omnia
fecit ac pertulit cum jucunditate.

Studeamus ergo et nos ejus felicia vestigia sequi, atque in præinductis laboribus exerceri, jugumque Domini indefesse
super nos ferre, ut sic ad prætactam quotidie pertingamus refectionem, quæ est
tertium in themate tactum. Sicut enim
corpus suas sibi necessarias habet refectiones, ita et anima : quam Deus multipliciter reficit in præsenti. Primo videlicet, gratiam ac virtutes in ea augendo.
Secundo, ad actus virtuosos eam valide
excitando. Tertio, caritatis flammam accendendo in ea, ita ut virtutum operibus
promptissima insistat lætitia, juxta quod
scriptum est : Viam mandatorum tuorum *Ps.* CXVIII, 32.
cucurri, etc. Quarto, ad divinorum contemplationem eam irradiando ac erigendo, ex
qua omnia ista carnalia ac terrena ei vertuntur in tædia, ita ut dicat : Heu mihi, *Ps.* CXIX, 5.
quia, etc.; et denuo, Sitivit anima mea, etc. *Ps.* XLI, 3; LXII, 2.
Quinto, spiritualibus gaudiis, secretis suavitatibus, intimis consolationibus multoties perfundendo : pro quibus oravit qui
ait, Sicut adipe, etc. Quas idem quoque *Ps.* LXII, 6.
expertus : Quam magna (inquit) multitu- *Ps.* XXX, 20.
do dulcedinis tuæ, Domine! et iterum, Se- *Ps.* XCIII, 19.

cundum multitudinem dolorum meorum, A etc. Cui consonans Paulus, disseruit : *II Cor. I, 3, 4.* Benedictus Deus, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra; et item, *Ibid. 5.* Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra. His spiritualibus alimoniis refectus, spiritus devoti religiosi pro nihilo ducit religionis labores : imo et tribulationum afflictiones, correptiones et correctiones cum ingenti hilaritate amplectitur, et gratulans canit, *Ps. CXVIII, 14.* In via testimoniorum tuorum, etc. ; experitur quoque feliciter, quam verissime dixerit Christus : Jugum meum suave est, etc. *Matth. XI, 30.*

Postremo, his refectionibus non mediocriter indigemus, ne torpore aut tædio obruamur, ne ad vana et vilia effundamur solatia, ne carnis oblectamenta quæramus. Idcirco ut eas adipisci mereamur, in præmemoratis laboribus quotidie ac indefectibiliter exerceamur, et gloriosi hujus Apostoli sectemur exempla, eum in omni mansuetudine, patientia, sobrietate, constantia, caritate sequentes.

SERMO QUINTUS

QUANTA PACE QUANTAQUE TRANQUILLITATE, EXEMPLO S. ANDREÆ, CONTEMPTUS, IRRISIONES AFFLICTIONESQUE RELIGIOSUM HOMINEM DECEAT SUSTINERE.

MIRABANTUR omnes in verbis gratiæ quæ procedebant de ore ejus. Luc. IV, 22. B

Verba hæc de Christo ad litteram scripta, de glorioso et sancto Andrea apostolo convenienter suscipiuntur. Et quamvis universi sermones ipsius, seu quibus edocuit populum, seu quibus confutavit Ægeam proconsulem, fuerint adeo gratiosi, quod universa plebs christifidelis eos audiens, inde fuerit admirata; specialissime tamen verba quæ protulit quum duceretur ad mortem, cruce sibi parata eminus visa, C prorsus gratiosissima erant : super quibus sicut fideles ibi præsentes tunc mirabantur, ita et nos et universi Christifideles inde miramur. Quæ ergo erant verba gratiæ quæ tunc de ejus procedebant ore ? Certe quum ab impio judice morti esset adjudicatus, atque ad locum martyrii duceretur, viso crucis patibulo sibi erecto, non contremuit, nec vultu expalluit, sed gavisus ex intimo corde salutavit crucem, dicendo : Salve, crux quæ in corpore Christi dedicata es, et ex membris ejus tanquam D ex margaritis ornata; antequam te ascenderet Dominus, timorem terrenum habuisti, nunc vero amorem cœlestem obtinens, pro voto susciperis. Securus ergo et gaudens venio ad te, ita ut et tu exsultans suscipias me, discipulum ejus qui pro me pependit in te, quia amator tuus semper fui, et desideravi te amplecti, etc. *Cf. p. 13 B'.* Quis horum gratiositatem verborum satis miretur ac laudet?

Ecce quomodo in sancto isto Apostolo gratia vicit et sibi subjecit naturam, quomodo amor divinus, spiritualis, infusus, in eo prorsus exstinxit omnem privatum amorem, omnem carnalem ac mundanum affectum. Omnium terribilium terribilissimum est mors, secundum Philosophum, ita quod sicut omnia naturaliter appetunt esse et vivere, sic naturaliter refugiunt corrumpi et mori. Nihilo minus admirabilis Sanctus iste sic gratiarum charismatibus fuit repletus, sic ab improbo sui amore radicitus expurgatus, sic divina dilectione succensus, quod mortem, imo et mortem crucis, quasi omnium appetibilium appetibilissimum apprehendit, appetiit, atque amplexus est. Et hoc quare ? Utique multiplici consideratione.

Primo, ut crucis sustinendo martyrium, A Christo salvatori ac domino suo aliqualem pro posse rependeret vicem: quatenus sicut pro ipso in cruce occubuit Christus, sic ipse pro Christo in cruce occumberet, quamvis dispar valde exstiterit causa. Nos itaque in hoc ipso imitemur beatum istum Apostolum, si non magna adversa et mortis tolerando pericula, saltem minora quæque obviantia, dura et aspera æquanimiter sustinendo Christi intuitu et amore, quatenus ejus tribulationibus ac tormentis vicem pro viribus aliquantulam B exhibeamus. Unde sive pro culpis nostris juste corripiamur et castigemur, sive absque demeritis nostris a præsidente aut fratribus caritative atque salubriter exerceamur, totum cum omni tranquillitate et gratiarum actione feramus, memores quæ, quanta et qualia pro nostra salute assumpsit, fecit ac pertulit Christus. Quod si corpore infirmemur, aut in victu, veste, strato, aut consimilibus, aliqualis occurrat defectus, non protinus instar carnalium mundanorumque hominum passionemur, C obloquamur, aut murmuremus: imo vocationem nostram pensantes, in qua ad paupertatem nos obligavimus, quæ et quanta pertulerit Christus, in quanta paupertate hic vixerit recolentes, in talibus gloriemur.

Denique, quamvis ad omnem Christifidelem pertineant patientia ac benevolentia, istæ ad religiosos tamen spectant potissime, quia civiliter mortui sunt, et abnegaverunt se ipsos, nec sui sunt juris, imo propriam voluntatem Deo in manu sui D vicarii obtulerunt: idcirco tanquam jam mortui semetipsis, de injuriis et adversis non amplius debent contristari, conqueri aut turbari, quam si jam penitus essent a vita sublati. Jam enim, ut tactum est, non sunt sui, sed superiorum suorum, quibus se commiserunt: propter quod et judicium de se et occurrentibus ac contingentibus sibi, debent illis committere, atque in talibus potius agi quam agere. Verumtamen istud ad perfectionem non sufficit, utpote mala illata occurrentiaque adversa tam tranquille sufferre, sed oportet insuper pro malis bona rependere, atque in bono vincere malum, ut tua mansuetudine alterius iram refrenes et cures, et irascenti injuriantique tibi beneficia præstes. Porro si præsidens quasi pro te zelans, illatam tibi injuriam voluerit in fratre tibi injuriante ulcisci, eum acriter corripiendo ac debite corrigendo, ad tuam jam pertinet bonitatem, idque a te requirit perfectio, ut non solum indulgeas fratri totum, sed præsidentem quoque exores, aut quantum in te est cupias, quatenus si bono fieri modo possit, præsidens fratri parcat. Sed heu, quam longe sunt ista a nobis, imo quam vehementer horum contraria insunt nobis! Facillime namque offendimur, difficulter placamur; offensi parumper, mox superiori conquerimur, justitiam petimus, et eum qui forefecit, desideramus acriter reprehendi, ac debite vel etiam ultra debitum corrigi; et quod pejus est, vindicamus pro posse nos ipsos, ac pro duro reddimus duriora. Quales ergo in Dei præsentia sumus? Quales reputamur ab eo? Quid judicabit de nobis? Cur non advertimus quod ait apostolus Paulus, Quum sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis? itemque, Noli vinci a malo, sed vince in bono malum? Heu, quantum amor improbus et privatus, passionum tumultus, vitiorum confusio adhuc regnant in nobis!

Rom. XII, 21.

I Cor. III, 3.

Rom. XII, 21.

Insuper unusquisque advertat ac impleat quod ait Salvator in Apocalypsi: Memor esto unde excideris, et pœnitentiam age; alioqui venio tibi cito. Hoc autem implemus, si in solo Deo nos diligamus, omnia scilicet appetendo et amplectendo quæ ad complacendum Deo sunt nobis accommoda, ut sunt patientia in adversis, castigatio corporis, humilitas cordis, atque occupatio in bonis assidua.

Apoc. II, 5, 16.

Secundo, sanctus et præclarus Andreas apostolus tam gaudenter accessit et amplexus est crucem, in quantum per mortem in ea, patuit sibi compendiosissimum iter ad regnum cœlorum, felicitatisque in-

crementum copiosissimum fuerat adeptu- A rus. Conformiter et nos in cruciformi Christi imitatione, in contemptu, irrisione et afflictione, intime gloriemur, eo quod tantus inde nobis proveniat fructus : quia per talia purgamur a culpis præteritis, implemur gratiæ ac virtutum augmentis, a diversis præservamur peccatis, a futuris quoque pœnis eripimur, atque ad regnum cœleste compendiosius pervenimus, sed et gloriosius coronamur in eo. Propter quod ait Christus : Gaudete in illa hora et exsultate, etc. *Matth.* v, 12 ; *Luc.* vi, 23.

Consideremus, o fratres, beatissimi An- B dreæ mansuetudinem, patientiam, caritatem ; quam compassivus fuerat proximis, quantum pro salute illius Nicolai in vitiis inveterati, se ipsum, orando, plorando, vigilando, abstinendo, afflixit, in tantum quod infra quinque dies nihil gustavit. Pensemus quoque, quam ardenter ac strenue injunctum sibi prædicationis complevit officium, quam assiduus in orationibus, contemplationibus cunctisque actibus sanctis exstitit. Atque in his pro posse, et quantum ad nostrum pertinet statum, C eum indesinenter sectemur, ut misericordiæ opera, præsertim spiritualia, proximis impendamus, pro lapsis ferventer et humiliter orando, delinquentes loco et tempore congruo decenter corripiendo, consilium et doctrinam indigentibus ac petentibus impertiendo, miseris et afflictis, tentatis, infirmis, cordialiter condolendo, et quantum valemus subveniendo, salutique proximorum pro viribus instanter cooperando.

Insuper opus Dei persolvamus alacriter; Horas, psalmodias, orationes cum ingenti mentis custodia proferamus; Dei præsentiam jugiter meditemur, et coram Judice omnia intuente, custoditi semper, puri, fructuosi ac fervidi esse conemur. Levis et momentanea nobis appareat omnis tribulatio vitæ præsentis, omnisque labor permodicus, respectu futuræ felicitatis. Potissimum tamen Domino majestatis ex puro et irreflexo serviamus amore, propter ejus dignitatem, honorabilitatem ac sanctitatem immensam, non jam ex servili timore, aut mercedis affectione : quod faciendo etiam multo plus de præmio sortiemur, quam si intuitu præmii Deo obsequeremur, quoniam Deus respicit corda, *Ps.* vii, 10. et caritatis intensioni essentiale præmium correspondet. Quemadmodum rex terrenus, si tres haberet ministros, quorum unus ei serviret ex servili timore, secundus ex mercedis cupidine, tertius ex sincero amore, ipseque rex illorum agnosceret corda, non dubium quin illius tertii obsequium sibi esset gratissimum, magisque sublimaret ac præmiaret tertium illum ministrum. Idcirco in purissimo Deitatis amore incessanter crescere studeamus, pro caritatis inflammatione Deum orando, Dei amabilitatem, perfectionem et eminentiam frequenter considerando, ejus beneficia assidue recolendo, vitiorum evulsioni conantes, et maxime carnalem ac privatum amorem funditus exstirpantes, virtuosisque actibus continue insistentes.

SERMO SEXTUS

QUOD ADVERSA NULLA NEC ASPERA EXPAVESCAT CARITAS ; ET QUOMODO DEO PROMPTISSIME AD MORTEM USQUE, IN OMNIBUS OBEDIENDUM.

NUNQUAM *sic locutus est homo, sicut* D *hic loquitur*. Joann. vii, 46.

De Salvatore nostro, unico Patris æterni Verbo, litteraliter scripta sunt verba inducta, quæ nunc de sanctissimo Andrea apostolo apte accipiuntur. Quamvis enim

legamus, multos Sanctorum utriusque sexus cum grandi lætitia ad martyrium properasse, de nullo tamen scriptum est quod cum tam excessivo gaudio, tamque devoto ac gaudioso eulogio ad mortem profectus sit, ut beatus iste Andreas. Nempe, quid cruce sibi parata primitus visa dixerit, in præcedentis sermonis exordio partim præhabitum est; verbisque ibi prætactis adjecit : O bona crux, quæ decorem et pulchritudinem de membris Domini suscepisti, diu desiderata, sollicite amata, sine intermissione quæsita, et tandem aliquando concupiscenti animo præparata, accipe me ab hominibus, et redde me magistro meo, ut per te me recipiat qui per te me redemit. Quid his verbis devotius? Quid mirabilius, quid jucundius eis? Nonne præ excessu lætitiæ, se ipsum non capiens et quasi alienatus a se, probatur fuisse, qui verba hæc protulit? Atque (ut memoratum est) inter cetera est locutus, Securus et gaudens venio ad te, ita ut et tu exsultans suscipias me : quasi lignum, res certe inanimata, valeat exsultare.

Ecce, carissimi, qualiter in homine carnali et viro plene spirituali omnia exstant contraria. Nec mirum, quum amor carnalis et spiritualis dilectio sibi invicem contrarientur, nec simul queant inesse. Unde,
I Cor. II, 14. quemadmodum animalis sive carnalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei, sed stultitia est illi; ita vir perfecte spiritualis non percipit ea quæ carnis sunt, sed despicit ea. Carnalis homo quærit commoda sua : abundare, deliciari, repausare, jocari, ludere, otiari, honorarique appetit. Corpus suum affligere, orationibus meditationibusque insistere, despici, corripi, obedire, subesse deponique refugit, qui in cunctis ad se ipsum inordinate reflectitur, in se ipso, non in Deo, se amans. Porro vir spiritualis, non propria commoda, sed Dei honorem, proximorum salutem, communitatis profectum, sui ipsius felicitatem verissimam et media pertingendi ad eam, quærit, amat, amplecti-
Galat. V, 24. tur : idcirco corpus suum affligere, carnem
A cum vitiis et concupiscentiis crucifigere, laborare, pœnitere, plorare, humiliari, obedire, subesse desiderat et conatur; orationibus, meditationibus, contemplationibus, psalmodiis, atque consimilibus internæ devotionis exercitiis immorari lætatur ; corripi quoque et castigari, despici, adversitatibus exerceri, sibi jucundum est. Per hos effectus ita contrarios inter se discernuntur atque ab invicem distinguuntur amor sui et dilectio Dei, carnalis affectio et caritas spiritualis. Præterea,
B quoniam S. Andreas divino amore fuit omnino succensus, ideo cum tanto tripudio ad passionem processit.

Nos ergo sciamus, tanto nos esse carnaliores quanto plus de prædictis carnalis amoris habemus effectibus, tantoque spiritualiores quanto plus de spiritualibus illis caritatis operibus in nobis exstiterit. Cur ideo immoderantiis et oblectamentis ciborum ac potuum delectamur? Cur loquacitatibus, levitatibus, risibus, otiositatibus relaxamur ? Cur labor et rigor Or-
C dinis, vigiliæ et psalmodiæ, disciplinæ, correptiones, nobis molestæ sunt, et non potius inflammamur ac delectamur in eis ? Cur in injuriis, despectionibus, adversitatibus conturbamur, deprimimur, pusillanimes sumus, et non magis gaudemus?

Porro tota gloriosi hujus Apostoli vita nobis proponitur in exemplum, et ejus virtutibus vehementer instruimur. Quod enim vocatus a Christo, protinus cunctis Matth. IV,
relictis secutus est eum, ad obedientiam 20.
amorosam ac celerem nos informat. De
D quo sanctus pater Bernardus in sermone sic loquitur : In ipso conversionis suæ initio, magnum nobis B. Andreas perfectæ obedientiæ præstat exemplum, quod religiosis, qui ex voto ad obedientiam obligantur, summe est necessarium. Sapiens nummularius est, imo Sapientia ipsa, cui tenemur reddere hujus obedientiæ nummum : nec suscipiet eum, nisi integer et sine falsitate inveniatur. Si enim discutimus et dijudicamus, obedientes in uno, non autem in alio, fractus est obedientiæ

nummus, nec suscipiet eum Christus. Si A
vero quis quasi obediat, sed simulatorie
atque ad oculum, murmuret autem in abs-
condito, falsus est suæ obedientiæ num-
mus : plumbum habet, non argentum ; et
Zach. v, 7, 8. sedet iniquitas super plumbi talentum.
Dolose agit, sed in conspectu Dei, qui
Galat. vi, 7. nullatenus irridetur. Propterea castificate
I Petr. i, 22. corda vestra in obedientia caritatis, quo-
niam caritas sola commendat obedientiæ
nummum ; sola est caritas quæ obedien-
tiam facit gratam et Deo acceptam. Quem-
II Cor. ix, 7. admodum enim hilarem datorem, ita et B
amorosum ac promptum obeditorem dili-
git Deus. Denique, Cassiano testante, tan-
ta fuit apud Ægyptios ac Orientales obe-
dientia monachorum, quod signo aut verbo
spiritualis patris audito, nec inchoati api-
cis effigiem compleverunt, neque ad re-
quisita naturæ in multis cœnobiis absque
licentia transierunt, nec opus quodcum-
que, quantumlibet bonum, obedientiæ præ-
ferendum credebant. In hac ergo virtute
sanctum imitemur Andream ; et quidquid
per suum vicarium nobis præceperit Chri- C
stus, ab ipsomet Christo nobis præcipi ar-
bitremur, præsertim quum suis dicat vi-
Luc. x, 16. cariis : Qui vos audit, me audit ; et qui
vos spernit, me spernit.

Insuper, per hoc quod S. Andreas mox
Joann. i, 41, 42. ut Christum cognoscere cœpit, fratrem
suum Simonem ad Christum duxit, ut Jo-
annes scribit, edocemur fraterna caritate
fervere, et confratres nostros ad meliora
monere, ædificare, et gratiæ nobis con-
cessæ participes efficere, quemadmodum
Coloss. iii, 14, 16. ad Colossenses loquitur Paulus : Super D
omnia caritatem habete, docentes et com-
monentes vosmetipsos in hymnis et psal-
Prov. xviii, 19. mis. Siquidem frater qui adjuvatur a fra-
Eccli. xvii, 12. tre, quasi urbs munita ; et unicuique
mandavit Deus de proximo suo, ut ei pro
posse cooperetur ad bonum. Absit ergo a
nobis vanum et infructuosum colloquium,
actio scandalizans, dissolutio et cachinnus,
Ibid. xxi, 23. quum teste Scriptura, vir prudens vix ta-
cite ridebit. Porro detractio, susurratio,
seminatio discordiæ, contumeliosumque
verbum, non aliud quam diabolica semi-
na reputentur a nobis, et ea tanquam ve-
nena tartarea semper vitemus, nec com-
mittentibus tanta facinora, per audientiam
aut complacentiam communicemus.

Amplius, per hoc quod sanctissimus An-
dreas Ægeæ proconsuli tam audacter ac
sapienter restitit et respondit, docemur
ne alicui consentiamus in malo, nec ad
vitia pertrahamur ab aliquo : ut nec adu-
latione, nec favore, nec obsequio, neque
munusculo, sed neque terrore aut commi-
natione emolliatur cor nostrum ad male
agendum, ad consentiendum illicitis, ad
complacendum alicui in peccatis, sed jux-
ta doctrinam Apostoli, unusquisque proxi- Rom. xv, 2.
mo suo placeat in bonum ad ædificatio-
nem, quatenus cum sancto Job dicere
valeamus : Justitia indutus sum ; donec Job xxix, 14 ; xxvii, 5.
deficiam, non recedam ab omni innocentia
mea. Justus etenim Dominus diligit ju- Ps. x, 8 ; cxlv, 8.
stos ; nec permanebunt injusti ante oculos Ps. v, 6 ;
ejus, sed justi confitebuntur nomini ejus, cxxxix, 14.
et habitabunt recti cum vultu ipsius. Quan-
to igitur aliquis tibi carior aut familiarior
fuerit, tanto seriosius increpa eum, si vide-
ris et perceperis eum cum aliquo conten-
dentem aut mali quid practicantem ; nec
adstes ei in talibus, ut carnaliter se aman-
tium moris est.

Postremo, per hoc quod gloriosus An-
dreas apostolus in omni sua passione tam
constans fuit, tam fervens ac imperterri-
tus, informamur ad fortitudinem animi, ad
mentis constantiam, ad cordis stabilitatem
in omni adversitate, imo in omni eventu,
ut assimilemur viro sapienti, qui ædifica- Matth. vii, 24.
vit domum suam supra petram : ita ut nec
flumina vanitatum, nec venti impiarum
suggestionum, nec pluvia persecutionum,
a rectæ rationis judicio virtutumque me-
dio nos queant abducere. Optimum quippe Hebr. xiii, 9.
est gratia stabiliri cor. Propter quod ad-
monet Paulus : Stabiles estote et immobi- I Cor. xv, 58.
les. Salomone namque testante, Justus est Prov. x, 25.
quasi fundamentum æternum, impius ve-
ro tanquam tempestas.

Quidquid ergo evenerit nobis, non per-

turbemur, nec iracundiæ fumo, aut impa- A
tientiæ impetu, aut tristitiæ nubilo, mentis
nostræ habitaculum evertamus aut obtene-
bremus, ne Spiritus Sanctus deserat illud.
Eccle. VII, 10. Nam ira in sinu stulti quiescit. Impatiens
Prov. XIV, 17. quoque operatur stultitiam, et multos occi-
dit tristitia. Absit equidem ut adeo pueri-
Eccli. XXX, 25. les, insipientes, defectuosi ac debiles si-
mus, ut pacem, virtutem et gratiam cordis
nostri in aliorum manu et in potestate
improbitatis eorum ponamus ; quatenus
quum eis, suggerente diabolo, placuerit
nobis inferre molestiam injuriamque infli-
gere, mox quietem, gratiam et profectum
animæ nostræ perdamus. Imo sic robore-
mur in Domino, sic virtutibus stabiliamur,
sic vera decoremur prudentia, ut quanto
gravius infestemur, tentemur seu affliga-
mur, tanto inavertibilius Deo inhæreamus
atque ad actus virtutum nos demus, cum
Paulo dicentes : Quis nos separabit a cari- *Rom.* VIII, 35.
tate Dei ? qui est super omnia benedictus.

IN FESTO

S. NICOLAI EPISCOPI

ENARRATIO IN LECTIONEM LOCO EPISTOLÆ

ECCE SACERDOS MAGNUS, QUI IN DIEBUS SUIS PLACUIT DEO, ETC.
Eccli. XLIV, 16 et s., XLV, 3 et s.

LECTIO quæ in hoc festo atque in festis A episcoporum confessorum communiter legitur, ex Ecclesiastico sumpta est, ex duobus ibidem capitibus, utpote quadragesimo quarto et quadragesimo quinto. Verumtamen verba lectionis istius non habentur ibi sub eadem forma, nec immediata connexione, neque de eodem ad litteram ibi dicuntur. Ecclesia autem verba ibi de pluribus Sanctis scripta conjunxit, et de sanctis confessoribus episcopis spiritualiter intellexit. Itaque dicitur :

Ecce sacerdos magnus. Per sacerdotem B magnum in litteris veteris Testamenti designatur princeps sacerdotum seu pontifex : sicque verbum istud de quolibet sancto novi Testamenti episcopo rite exponitur, qui magnus fuit sacerdotii dignitate, episcopali auctoritate, vitæ sanctitate
Is. XI, 2. ac sapientia, illa præsertim quæ donum est Spiritus Sancti. Attamen verba hæc in Ecclesiastico non habentur. Ecclesia præposuit ea, ut verba sequentia de sanctis intelligantur episcopis. *Qui in diebus suis placuit Deo.* Loco hujus in Ecclesiastico C
Eccli. XLIV, 16. Gen. V, 22, 24. habetur, Enoch placuit Deo : quia vir sanctus fuit et ambulavit cum Deo, ut patet in Genesi. Sic et sancti episcopi confessores Deo præcipue placuerunt, tanquam præelecti ab eo. *Et inventus est justus.* Hoc certum est cuilibet sancto convenire episcopo. *Et in tempore iracundiæ,* id est, dum alii peccaverunt, atque a Deo fuerant puniendi, *factus est reconciliatio,* id est, meritis vitæ suæ ac sanctis orationibus suis obtinuit hominibus veniam, et Deum placavit, ei homines reconciliando. Hoc sancti præsules excellenter egerunt, qui pro plebibus sibi commissis indesinenter orabant, et pro eis celebrare et satisfacere non cessabant. Loco hujus in præfato Ecclesiastici loco legitur : Noe inventus est Eccli. XLIV, 17.
perfectus, justus, etc. Verum brevitati studens, litteralem sensum prætermitto, et verba lectionis hujus sequentia, prout episcopis confessoribus sanctis conveniunt, explanabo.

Non est inventus similis illi, qui con- Ibid. 20.
servaret legem Excelsi. Communiter dicitur, quod comparationes sunt odiosæ. Salomon quoque : Spirituum (inquit) pon- Prov. XVI, 2.
derator est Dominus. Quo constat quod Dei est definire quis Sanctorum aliis sanctior sit. Nihilo minus de quolibet Sancto ista dicuntur, quoniam unus præfulsit in ista virtute, alter in illa : unde Apostolus loquitur, Unusquisque proprium donum I Cor. VII, 7.
habet a Deo. Porro lex Excelsi, est lex evangelica Christi altissimi, in qua sunt præcepta atque consilia. *Ideo jurejuran-* Eccli. XLIV, 22.
do, id est firmo proposito, quod metaphorice aut æquivalenter jusjurandum voca-

tur, *fecit illum Dominus crescere in plebem* A *suam,* id est fructificare in populo, multos convertendo ad Dominum, quorum spiritualis exstitit pater : quod unicuique præsuli competit sancto. Unde Apostolus I Cor. IV, 15. ait : Per Evangelium in Christo ego vos genui.

Eccli. XLIV, 25. *Benedictionem omnium gentium dedit illi,* id est, coram omni populo fecit eum gratiosum, benedicendum, amabilem, ita quod placuit Deo atque hominibus. Vel sensus est, quod dedit ei auctoritatem et gratiam benedicendi omni genti sibi com- B missæ. *Et testamentum suum confirmavit super caput ejus,* id est, virtutem et gratiam novi Testamenti multiplicavit in mente ipsius, caritate et ceteris gratiarum cha- Ibid. 26. rismatibus eum implendo. *Cognovit eum in benedictionibus suis,* id est, infundendo ei dona suæ benedictionis, per effectum monstravit se eum cognoscere, approbare, Ibid. 27. diligere. *Conservavit illi misericordiam suam,* continuando in eo dona supernorum charismatum, atque perseverandi virtutem ei præstando; *et invenit gratiam* C *coram oculis Domini,* id est, Deo placens, acceptus gratusque exstitit, et de eo potuit dici Deo : Beatus quem elegisti et Ps. LXIV, 5. assumpsisti.

Eccli. XLV, 3. *Magnificavit eum in conspectu regum,* id est, per vitæ sanctitatem, sapientiam atque miracula, fecit eum honorabilem regibus terræ. Unde et Constantinus imperator, cognita sanctitate et signis B. Nicolai episcopi, petiit orationes ipsius. *Et dedit illi coronam gloriæ.* Hoc potest exponi de mitra episcopali, quæ est corona D excellentiæ magnæ; item de gratia eminentiæ. Præcipue tamen exponendum est de præmio essentiali Sanctorum, quod est beatifica visio Dei, et aurea appellatur : Ps. XX, 4. unde fertur in Psalmo, Posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.

Eccli. XLV, 8. *Statuit illi testamentum sempiternum,* id est, novum Testamentum ei servandum commisit, ut juxta evangelicæ legis exigentiam viveret : quod Testamentum vocatur æternum, quoniam ei aliud non succedet, in patria quoque cœlesti perficitur. *Et dedit illi sacerdotium magnum,* videlicet episcopale fastigium; *et beatificavit illum in gloria* regni cœlestis, dando ei præmium gloriosum pro fideli obsequio. Unde loquitur Christus tali ministro : Eu- Matth. XXV, 21, 23. ge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam; intra in gaudium Domini tui : prout in evangelio legitur hodierno.

Fungi sacerdotio, id est, auctoritatem Eccli. XLV, 19. fungendi episcopali officio præstitit ei; *et habere laudem in nomine ipsius,* id est, fecit eum laudabilem omni plebi propter dignitatem officii sanctitatemque vitæ sibi a Deo collatas : et ita laudabilis fuit in nomine Dei, hoc est in Deo, a quo omne bonum quod habuit sumpsit, non in se ipso. Unde Propheta ait : In Domino lau- Ps. XXXIII, 3. dabitur anima mea; non utique in se ipsa, a qua non habet nisi deficere et peccare, juxta illud : Ad me ipsum anima mea tur- Ps. XLI, 7. bata est. *Et offerre illi,* scilicet Deo, *incen-* Eccli. XLV, 20. *sum dignum,* id est fervidam orationem : secundum illud Psalmistæ, Dirigatur oratio Ps. CXL, 2. mea sicut incensum in conspectu tuo. Vel potius, « incensum dignum », id est dominici corporis Sacramentum, et totum Christum, qui igne caritatis succensus fuit, passionisque igne in ara crucis ad Patris honorem consumi voluit, id est occidi, sicque offerri, *in odorem suavitatis,* id est, valde placenter Patri æterno, cui passio Christi summe complacuit, in quantum a Christo ex ardentissima caritate et plena obedientia sponte fuit accepta et tolerata. Hinc ait Apostolus : Christus dilexit nos, Ephes. V, 2. et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis.

SERMO PRIMUS

DE DIGNITATE ET ACTIBUS SACERDOTII NOVI TESTAMENTI ET EPISCOPALIS OFFICII.

G*LORIA et honore coronasti eum, Domine*. Ps. VIII, 6. A

Quemadmodum S. Thomas in libro suo de Regimine regum declarat, non solum apud gentiles, sed etiam apud Judæos in veteri Testamento, sacerdotes atque pontifices regibus et imperatoribus fuerunt inferiores et subditi: quia illorum sacerdotia erant carnalia, et circa sacrificia carnalia versabantur. In novo autem Testamento longe est aliter, quoniam sacerdotes ac præsules evangelicæ legis, cunctis principibus, regibus et imperatoribus terræ B sunt valde sublimiores : quoniam sacerdotium Christi eis collatum, est maxime spirituale, et circa hostiam versatur dignissimam, utpote Christi corpus et sanguinem, atque ad bona cœlestia immediate ordinatur, tendit ac ducit.

Ad sacerdotes etenim evangelicæ legis pertinet administrare populo ecclesiastica sacramenta, in quibus gratia continetur ac datur, per quam ad æternam salutem homines perducuntur. Hinc Hugo de S. Victore in libro de Sacramentis testatur : C Quantum vita spiritualis est dignior quam terrena, et anima quam corpus, tantum sacerdotalis potestas sæcularem honorem ac dignitatem præcedit. Hinc quoque in principio sui Pastoralis sanctus ait Ambrosius : Honor et sublimitas sacerdotalis ac pontificalis nullis poterit comparationibus adæquari; si eam regum honori et principum diademati compares, longe inferior erit ea regum principumque sublimitas, quam plumbi metallum ad auri fulgorem : quippe quum videas regum ac D principum colla genibus submitti sacerdotum, et osculata eorum dextera, eorum se credunt orationibus conservari. De hac re in Decreto, distinctione nonagesima septima, multa habentur. Ecce quanta est dignitas sacerdotum ac præsulum : idcirco a vulgo et subditis sunt debite honorandi.

Verumtamen de sua dignitate et eminentia nequaquam inaniter glorientur, imo vehementer formident, quia indubitanter quanto major eis collata est dignitas diviniorque potestas, tanto vitiosiores et damnabiliores sunt coram Deo, nisi conversatio eorum dignitati gradus ordinisque ipsorum concordet. Unde, ut sanctus scribit Gregorius, quanto eminent populo in ecclesiastica dignitate et sacrorum ordinum gradu, tanto in vitæ sanctitate et perfectione virtutum debent ceteris præfulgere. Hinc asserit Augustinus : Sacerdotis aut præsulis officio nil dignius, nil gratius exstat hominibus; et si res digne agatur, id est, si sua officia exsequantur condigne, nihil salubrius est, sicut nec damnabilius aut periculosius aliquid est, si negligenter agatur.

Præterea, ex lectione hac hodierna loco epistolæ lecta perpenditur, quid ad sacerdotes, præsules, pastores pertinet. Primum est, ut in se ipsis sint magni, id est excellenter virtuosi ac sapientes, Deo placentes ac justi. Ideo dicitur : « Ecce sacerdos magnus », etc. Secundum est, ut pro omni populo, præsertim pro grege sibi commisso, jugiter orent, et devotissimis precibus eos Altissimo commendent, oblatione quoque assidua Sacramenti altaris eos reconcilient Deo. Unde in libro Numerorum narratur, quod dum filii Israel Deum graviter offendissent murmurando contra Deum et *Num.* XVI, 41 et seq. Moysen, atque ob hoc Deus ignem misisset in illos, et multi ex filiis Israel occideren-

tur ab illo igne, Moyses dixit fratri suo A
Num. xvi, 46 et seq. Aaron pontifici : Accipe thuribulum tuum, et igne imposito, thus appone ; et vade ad populum, ut ores pro eo. Fecitque taliter Aaron, et stans inter viventes ac mortuos, se ipsum opposuit igni, offerens Domino thymiama seu thuris odorem : quod dum faceret, ignis ille exstinctus est, et placatus est Deus. Tertium est, ut omni virtute præ plebe communi ornati sint, sicut prædictum est. Hinc dicitur : « Non est inventus similis illi », etc. Quartum est, ut fructificent Deo, id est, multos ad Deum B convertant orando, docendo, exemplariterque vivendo. Et sicut ista ad præsules sacerdotesque pertinent, ita et a populo exigit Deus ut sacerdotes, pastores ac præsules suos decenter honorent, eorum salubribus pareant documentis, et bonorum imitentur virtutes. Denique, ut sanctus ait Bernardus, quamvis alicujus prælati, sacerdotis aut prædicatoris vita appareat tam indigna ut excusari non valeat, adhuc
Rom. xiii, 1. tamen propter eum a quo est omnis potestas, cujus vicarii esse noscuntur, sunt C honorandi, et implendæ sunt eorum informationes ac jussiones salubres, Dei intuitu et amore. Nam et Christus loquitur :
Matth. xxiii, 2, 3. Super cathedram Moysis sederunt Scribæ et Pharisæi : omnia ergo quæcumque dicunt vobis, facite ; secundum opera vero illorum facere nolite, dicunt enim et non faciunt. Verumtamen populares ac subditi proni esse non debent ad judicandum superiores suos ac clerum.

Postremo, in præinductis sanctis operibus ad sacerdotes ac præsules pertinenti- D bus, beatissimus Nicolaus episcopus gloriose præfulsit : siquidem ab infantia sua mansit in innocentia, imo quotidie crevit in gratia magna, sicque indesinenter Deo omnipotenti in sanctitate et justitia ministravit. Deinde factus episcopus, quantum crevit in ecclesiastica dignitate, tantum profecit in humilitate, in Dei ac proximorum ardentissima caritate, in vera discretione atque justitia, die ac nocte orans pro populo sibi commisso totoque mundo. Ideo fructum copiosum fecit in plebe, multos quoque gentiles convertit ad Dominum. Unde inter omnes episcopos temporis sui fuit famosus, præclarus ac honoratus; et de maxima sanctitate ejus populus undique loquebatur : nam et multis coruscavit miraculis.

Quum etenim quodam tempore totam S. Nicolai provinciam fames valida et ingens caristia occupasset, audiens ipse naves tritico plenas portui applicuisse, rogavit nautas ut ex qualibet nave centum modios propter Deum darent sibi pro populo fame periclitante. Qui responderunt : Non audemus, pater, quia mensuram integram oportet nos Alexandriæ in horrea imperatoris præstare. Quibus S. Nicolaus : Facite (inquit) quod dico, et in Dei virtute vobis promitto quod nullam minorationem habebitis apud regium exactorem. Quod quum fecissent, et nihilo minus integram mensuram quam acceperunt, in Alexandria apud imperatoris invenissent ministros, miraculum retulerunt, et Deum in suo famulo magnifice laudaverunt. Frumentum autem vir Dei secundum uniuscujusque necessitatem distribuit, ita ut miraculose per duos sufficeret annos, non solum ad victum, sed etiam ad seminandum.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

HOMO QUIDAM PEREGRE PROFICISCENS, VOCAVIT SERVOS SUOS, ETC. Matth. XXV, 14-23.

CHRISTUS in evangelio isto per quamdam parabolam docet, quam magna sit eorum beatitudo et merces qui donis sibi collatis fructuose utuntur : et quia B. Nicolaus antistes et alii sancti præsules confessores, donis sibi desuper distributis optime usi sunt, et plurimos converterunt; ideo in eorum festo recte evangelium legitur præsens. Itaque :

Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc : Homo quidam peregre proficiscens. Per hunc hominem, intelligitur Christus, qui in ascensione sua in cœlum perrexit; atque idcirco, secundum quosdam, profectus peregre dicitur, quoniam corpus suum, cujus proprius naturalisque locus exstitit terra, collocavit in cœlo. Sed quum cœlum sit patria electorum, maxime Christi, et cœlum empyreum sit proprius locus corporum glorificatorum, præsertim corporis Christi (in quo cœlo non ad tempus, sed æternaliter permanent Sancti, qui in sæculo isto peregrinantur); ideo aptius reor ut Christus ascendendo cœlum idcirco peregre profectus dicatur, quia domesticos suos, puta fideles discipulos, in hoc mundo reliquit, eisque corporalem subtraxit præsentiam ac propriæ eos deseruit libertati ; tandem quoque rediturus est huc unde ascendit. *Vocavit servos suos, et tradidit illis bona sua.*

Parabola ista specialiter concernit prælatos, quibus plus datum et creditum est, propter quod plus requiretur ab eis : attamen ad omnes potest homines pertinere, et ita jam exponetur, ut cunctis valeat convenire.

Itaque homo iste, Dominus Jesus, « vocavit servos suos », id est, gratiose eos sibi applicuit, « et tradidit illis bona sua », videlicet dona gratiæ, sacramenta Eccle-

A siæ, et quidquid boni in eis est : nam et merita nostra Dei sunt munera. *Et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum,* id est, huic dedit dona majora, alii minora. Porro per « quinque talenta », intelligere possumus quinque dona quæ prælatis necessaria sunt ad regimen aliorum, videlicet : scientiam Scripturarum, caritatem ferventem, facundiam, exemplarem conversationem, et veram discretionem in omnibus. In qua discretione comprehenduntur misericordia atque ju-

B stitia, quia ad discretionem id pertinet prælatorum ut sciant quando secundum rigorem justitiæ, et quando secundum dulcorem misericordiæ sit agendum, qualiter etiam contemperari debeant duæ istæ virtutes. Propterea sanctus rex David precatus est Dominum, Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me : per bonitatem intelligens misericordiam; per disciplinam, justitiam; per scientiam, discretionem. Per duo autem talenta, intelligi possunt sapientia et caritas, seu donum intellectus ac vo-

Ps. CXVIII, 66.

C luntatis ; per unum vero, sola cognitio agendorum. *Unicuique* servorum largitus est *secundum propriam virtutem,* id est secundum ipsius capacitatem aut dignitatem ; *et profectus est statim,* id est, distributione hac facta, propriæ eos libertati reliquit, ut fructificarent. Denique Christus post resurrectionem suam, quum discipulos instruxisset, et per insufflationem Spiritum Sanctum eis dedisset, ascendit ad cœlum.

Marc. XVI, 14-19; *Luc.* XXIV, 44-51; *Joann.* XX, 22; *Act.* I, 4-9.

Abiit autem, id est, in opus bonum processit, et ivit quo Deus eum direxit, *qui*

D *quinque talenta acceperat, et operatus est in eis,* id est per ea, fructuose eis utendo ad Dei honorem, proximorum ædificationem, propriamque salutem; *et lucratus*

est alia quinque : id est, in eisdem donis multum profecit, et alia quæ nondum acceperat, est adeptus. Gratiam quoque sibi concessam aliis communicavit, juxta illud
I *Petr.* IV. 10. Petri : Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes. Dona etiam gloriæ per gratiæ dona promeruit. *Similiter qui duo talenta acceperat, lucratus est alia duo,* proficiendo et fructificando in donis sibi collatis sicut præcedens. *Qui autem unum acceperat, abiens,* id est, per mentis aversionem a Deo recedens, *fodit in terram,* id est, ad terrena commoda donum scientiæ sibi datum convertit, *et abscondit pecuniam domini sui,* id est, donum sibi communicatum a Deo non produxit in lucem veritatis et æquitatis, nec fructuose usus est eo. Sunt etenim multi ad virtutes bene dispositi, ingeniosi ac litterati, et tamen ingrati sunt Deo et ad carnalia se convertunt : de quibus loquitur
Jer. IV, 22. Jeremias propheta, Sapientes sunt ut faciant mala, bene autem facere nescierunt.

Post multum vero temporis, venit dominus servorum illorum, et posuit rationem cum eis, id est, in die judicii rediet Christus, et rationem exiget a prælatis ac aliis, discutiendo qualiter usi sint beneficiis sibi concessis. *Et accedens,* id est, Christo fiducialiter se præsentans, *qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta,* id est, fructum et meritum operum suorum quæ consecutus est bene utendo talentis sibi concessis, coram
Apoc. XIV, 13. Christo portavit (opera enim illorum se-
A quuntur illos), *dicens : Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum,* proficiendo in bonis, et gratiam mihi datam duplicando ac aliis communicando. *Ait illi dominus ejus,* scilicet Christus judex justus : *Euge.* Interjectio est animi exsultantis : id est, congaudeo tibi. *Serve bone* in habitu, *et fidelis* in actu ; vel, « bone » interius, et « fidelis » exterius, non proprium, sed domini tui quærens honorem. *Quia super pauca fuisti fidelis,* id est, donis gratiæ,
B quæ parva sunt comparatione futurorum bonorum in cœlis, bene es usus, *super multa te constituam,* id est, copiosum tibi præmium dabo, ut cœlestium sis heres bonorum, et cunctis inferioribus feliciter emineas ; *intra in gaudium domini tui,* id est, paradisum cœlestem et beatitudinem plenam suscipies, ita ut cor tuum contentetur in Deo, utpote perfruens Deo immediate in semetipso.

Accessit autem et qui duo talenta acceperat, etc. Sensus verborum sequentium
C ex præinductis omnino est planus. Et quamvis huic servo dicatur sicut et primo, « intra in gaudium domini tui », non tamen amborum merces æqualis est ; sed qui majoribus ac pluribus donis fructuose usus est, majoris est gloriæ, ceteris paribus. Posset tamen contingere, quod aliquis ex majori caritatis fervore bene utens minoribus donis, gloriam sortiretur majorem quam qui majoribus ac plurimis donis bene usus est ex caritate remissiori.

SERMO SECUNDUS

DE VIRTUTIBUS S. NICOLAI ; ET QUANTÆ PIETATIS ATQUE JUSTITIÆ SIT, CORPORE SANUM OPIBUSQUE ABUNDANTEM SESE NEGLIGERE AC DEO OBEDIRE PROMPTISSIME, QUANTAMQUE EJUSMODI SANCTUS SPIRITUS GRATIAM INSPIRET.

D*OMINE, prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis.* Ps. XX, 4.

In Exodo locutus est Deus per Moysen :
D Miserebor cui voluero, et clemens ero in *Exod.* XXXIII, 19.
quem mihi placuerit. Hoc plane in diversis Sanctis facile est pensare. In quibus-

Ps. xxx, 22. dam enim electis Deus misericordiam suam mirificavit antequam nascerentur ex *Luc.* i, 15; *Jer.* i, 5. utero : sicut in Joanne Baptista et Jeremia propheta, qui in utero matrum suarum sanctificati fuerunt, nec postea peccaverunt mortaliter. In aliis Deus misericordiam suam mirificavit ab eorum infantia et matrum suarum uberibus, ita quod antequam ratione poterant uti, opera quædam virtutum apparuerunt in eis, quæ ex divino fecerunt instinctu. Inter hos fuit beatissimus Nicolaus, qui dum baptizaretur, per se ipsum stetit erectus; quarta quoque et sexta feria jejunabat, semel tantummodo ubera sugens. In aliis mirificat Deus misericordiam suam a juventute eorum, ita quod in juventute sua plene convertuntur ad Deum, quemadmodum S. Martinus, B. Bernardus, et alii multi. In nonnullis quoque Deus misericordiam suam II *Par.* xxxiii, 12 et seq. mirificat in senectute eorum, sicut in Manasse rege Juda. Præterea quosdam electorum suorum Deus in gratia eis concessa incessanter conservat, ita quod in innocentiæ suæ permanent puritate, vivendo absque labe mortalis culpæ : quales multi Sancti fuerunt, ut S. Benedictus, et ejus discipulus B. Maurus, et innumerabiles alii. Alios vero, quamvis valde electos, Deus interdum labi permittit per mortale peccatum; sed quia electi sunt, in peccatis non manent finaliter : imo impletur in *Ps.* xxxvi, 24. unoquoque eorum illud Psalmistæ, Quum ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam. Talis fuit sanctus David, qui post multas propheticas visiones, et post virtuosissima opera sua, in II *Reg.* xi, 4, 15. adulterium homicidiumque delapsus est; sic et beatissimum principem Apostolorum Christus in sua passione permisit corruere.

Porro, S. Nicolaum episcopum Deus multiplici gratia etiam eminenter ornavit. Primo, quoniam ex parentibus non solum secundum carnem nobilibus ac divitibus, sed etiam mente sanctis, est genitus. Unde in ejus fertur Legenda : Nicolaus ex nobilibus, divitibus ac sanctis parentibus duxit

A originem. Pater ejus Epiphanius dictus est, et mater Joanna. Qui quum in primævo juventutis suæ flore genuissent Nicolaum, deinceps continenter vixerunt : in quo patet magna eorum perfectio. Ad carnalem etenim voluptatem solent movere juventus, pulchritudo, abundantia divitiarum, præsentia objectorum, et opportunitas loci ac temporis, facilitas quoque potiendi optatis amplexibus. Unde non obstantibus omnibus iis vivere penitus continenter, magnum est valde. Et ita fuit in B parentibus Nicolai sanctissimi, quia (ut dictum est) divites nobilesque fuerunt, et quotidie simul; corpus quoque unius fuit I *Cor.* vii, 4. in potestate alterius. Inter hæc, quamvis frequenter ex vitiosis parentibus nascantur filii virtuosi, et ex virtuosis parentibus filii reprobi et perversi; attamen magnum est sanctos habere parentes. Denique, ex hoc quod B. Nicolaus dives ac nobilis fuit, et nihilo minus mundi delicias et honores contempsit, honorabilior fuit ac sanctior valde : quanto namque quis aptior est ad C mundum, et plures ac fortiores habet occasiones ac opportunitates vivendi mundane, tanto virtuosius est quod mundum et ejus vanitates relinquit ac vitia.

Secundo, Deus S. Nicolaum singulari gratia decoravit per hoc quod infantulum tam gratiose dulciterque prævenit, ut dictum est. Nam dum baptizabatur, stetit erectus; et quarta sextaque feria suxit semel tantummodo ubera; deinceps in magna innocentia permansit ac gratia, atque in virginali munditia. Unde in ejus Legen- D da habetur : Factus juvenis, aliorum juvenum vitavit lascivias, visitavit quotidie cum devotione ecclesias, orationibus fuit intentus, et sobrie vixit; quidquid de sacra Scriptura audivit, legit et intelligere potuit, diligenti conservavit memoria. Ecce quam mirabiliter et gratiose retraxit eum Spiritus Sanctus a voluptatibus vanitatibusque mundanis, ad quas fortiter affici et in quas cadere solent juvenes, præsertim locupletes ac nobiles. Non dubium quin spiritualibus consolationibus Deus cor ejus

multoties recreavit, quibus gustatis, facile A sprevit carnalia. Unde merito de felici hoc *Ps. xx, 4.* Nicolao dici potest illud ex Psalmo : « Prævenisti eum, Domine, in benedictionibus dulcedinis ». Benedictio namque Dei est collatio gratiæ ejus : ideo benedictiones dulcedinis Dei sunt dona gratuita et internæ consolationes quas infundit electis : in quibus tam mirabiliter et copiose prævenit Nicolaum pontificem, quoniam ab infantia, pueritia, juventute dedit et continuavit bona ista in eo usque in finem. Quum equidem Deus omnipotens atque B liberrimus, sit munificentiæ et opulentiæ penitus infinitæ, in quibusdam vasis misericordiæ suæ, puta electis hominibus, misericordiam suam ineffabiliter prorsus mirificat : quia frequenter plus gratiæ offert et influit eis quam pati queunt, valide eos illustrans, inflammans, adimplens, lætificans, ita quod exclamare coguntur : Domine, contine undas gratiæ tuæ.

Tertio, Deus æternus gloriosum præsulem Nicolaum ornavit præcipua liberalitate, maxima pietate et fervida caritate. Quæ C omnia patent in facto illo clarissimo quod fecit in juventute sua : quia (ut legitur) quidam concivis suus satis nobilis, ad tantam pervenit inopiam quod tres filias suas prostituere intendebat, ut earum turpi aleretur commercio. Quod ut S. Nicolaus audivit, exhorruit, et massam auri panno involutam in domum viri illius nocte occulte projecit : quod et postmodum bis fecit; sicque civis ille filias suas matrimonio junxit, atque honeste aluit semetipsum. Ecce hoc opus Nicolai ex multis processit D virtutibus. Primo, ex caritate Dei, ne Deus tam graviter offenderetur. Secundo, ex caritate proximorum, quibus subvenit ne tantam inciderent inhonestatem ac vitiositatem. Tertio, ex misericordia, qua indigentibus condoluit et subvenire non distulit. Quarto, ex liberalitate præcipua, qua bona sua communicavit proximis et egenis tam copiose. Quinto, ex zelo justitiæ, quo turpitudinem vitiorum abhorruit. Justitia quoque exegit ut in tali casu ex abundantia sua tam indigentibus et ad tantam ruinam expositis subveniret : idcirco opus illud libentissime ac jucundo corde electissimus Dei Nicolaus patravit. Præterea, quum Paulus dicat apostolus, Hilarem datorem diligit Deus : quid mirum *II Cor. ix, 7.* si hunc tam liberalem ac hilarem subventorem Deus dilexit? Rursus, quum Christus in Evangelio protestetur, Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis : quid mirum quod Deus gratiarum suarum charismata tam liberaliter contulit Nicolao, *Matth. vii, 2.* quum et ipse præamabilis Nicolaus proximis indigentibus fuerit tam pius ac liberalis? Nam et antequam B. Nicolaus opus egit prætactum, mox defunctis suis parentibus, cœpit sollicite cogitare qualiter tantam suarum copiam divitiarum posset, non ad laudem humanam, sed ad Dei gloriam erogare. — De ceteris gratiis et excellentiis quibus Deus S. Nicolaum ornavit, in sequenti dicetur sermone.

Sed quoniam nihil prodest nobis Sanctorum virtutes cognoscere ac laudare, nisi easdem imitari conemur, imo magis obesset (quia ut asserit Christus : Servus sciens *Luc. xii, 47.* voluntatem domini sui, et non faciens, plagis vapulabit multis; Jacobus quoque apostolus : Scienti, inquit, bonum et non *Jacob. iv, 17.* facienti, peccatum est illi); ideo in præfatis virtutibus studeamus S. Nicolaum sectari, gratiam nobis a Deo collatam diligenter custodiendo, sobrie quoque vivendo, et ecclesiam assidue frequentando, verbaque Dei memoriter retinendo. Hujus oppositum faciunt multi, qui etsi ad horam aliquam a Deo compunctionis et devotionis gratiam sortiantur, non diu curant in ea manere, sed cito se ad exteriora effundunt, vanitatibus resolvuntur, jocis, ludis, risibus, verbositatibus vacant, non formidantes quod summus loquitur Judex : Væ *Luc. vi, 25.* vobis qui ridetis nunc, quia plorabitis et flebitis. Tales sunt etiam qui postquam confessi sunt, statim ut ante fiunt intimorati, leves, vani et vitiosi, non formidantes quam grave sit recidivare, eo quod vulnera repetita periculosius et incurabi-

lius nocent. Insuper, o vos juvenes matrimonio nondum juncti, continentiam S. Nicolai sequamini, vitia carnis vitate, morum gravitate juvenilem ætatem transcendite, divina Officia in ecclesia libenter audite, nec sitis ibidem oculis vagi, sed mente devoti. Vos quoque, o conjugati, castitatem beatissimi imitemini Nicolai, etsi non per castitatem virginalem, saltem per conjugalem. Ne matrimonii fidem frangatis, imo nec adulterinos cupiatis amplexus : adulterium namque est iniquitas maxima. Neque vos mutuo cognoscatis, nisi vel desi- B derio prolis ad Dei obsequium educandæ, vel causa debiti reddendi, aut ob malum incontinentiæ vitandum in compare.

Præterea, exemplo sancti confessoris Nicolai, studeat unusquisque in spirituali dilectione Dei ac proximorum semper proficere, et alios pro posse a peccatis retrahere, indigentibus quoque liberaliter subvenire, atque operibus misericordiæ indefesse insistere : quoniam omnia ista ad quemlibet pertinent Christianum, eo quod

Matth. XXII, 40. lex Christi sit lex totius caritatis ac plenis- C simæ pietatis. Propterea, Augustino testante, nequaquam dignus est christianus vocari qui operibus caritatis et misericordiæ

A negligit immorari : imo tales merentur a Deo severiter condemnari, juxta quod Jacobus ait apostolus, Judicium sine mise- *Jacob.* II, 13.
ricordia fiet ei qui non fecerit misericordiam. Hinc virtuosus Tobias filium suum instruens, dixit : Quomodo potueris, ita *Tob.* IV, 8, 9.
esto misericors : si multum tibi fuerit, abundanter tribue; si parum tibi fuerit, etiam parum libenter impertiri stude.

Postremo, Deus beatissimum Nicolaum innumerabilibus decoravit miraculis. Inter quæ unum est hoc, quod dum Constantinus imperator ex falsa suggestione tres nobiles viros incarcerasset, eosque die sequenti decollari jussisset, et viri illi, hoc cognito, Deum et S. Nicolaum adhuc in carne viventem ardentissime invocassent, eadem nocte B. Nicolaus per visionem in spiritu apparuit Constantino, eum acriter reprehendens, et nisi viros illos statim dimitteret, mortem ei comminans. Mane igitur facto, eos dimisit. Hoc miraculum in ejus Legenda plenius recitatur. Similiter, quum quidam nautæ periclitarentur et pene submergerentur, auxilium S. Nicolai devotissime invocabant : qui mox eisdem apparuit, atque de tanto eos periculo liberavit.

SERMO TERTIUS

QUANTAM FORTITUDINEM CHRISTUS DEUS ADJICIAT EIS QUI VERE EUM DESIDERANT ; QUAMQUE IMPIUM SIT ATQUE INJUSTUM, A LEGE DEI ERRANTEM NON DOCERE AC CORRIGERE.

Q*UICUMQUE glorificaverit me, glorificabo eum, ait Dominus ; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* I Reg. II, 30.

Quum Deus sit summum, sanctissimum ac præstantissimum bonum, certum est quod ipse sit primum et summum honorabile : quod etiam est ratio honorabilitatis in ceteris omnibus quocumque mo- D do honorabilibus. Est autem in creaturis aliquid honorabile, in quantum participant quidpiam honorabilitatis divinæ : hinc honor debetur virtuosis, et item personis in dignitate seu publico officio constitutis; imo et quilibet homo in quantum ad summæ ac superbeatissimæ Trinitatis imaginem factus est, quodammodo honorandus consistit. Itaque Deum altissimum in

omnibus et super omnia honorare, glorificare, laudare debemus : primo et maxime, propter naturalem et propriam sanctitatem ac dignitatem ipsius, non nostræ mercedis aut utilitatis intuitu; secundo et minus principaliter, propter præmium inde nobis proveniens : nam sicut in themate tactum est, Deus judex justissimus eos glorificat, id est, beatos gloriososque efficit, in cœlesti eos regno constituens, qui ipsum glorificant, id est, majestatem et gloriam ejus recognoscunt, colunt et digne pro posse honorant, obediendo omni cum diligentia divinis præceptis.

Porro nonnulli glorificant Deum verbis et exterioribus quibusdam observantiis, sed mente ab eo aversi sunt, inhærendo per amorem rebus creatis, vanis, caducis, magis quam Creatori. Tales sunt omnes superbi, avari, libidinosi, acediosi, et ceteris mortalibus vitiis irretiti. Superbus namque magis quærit propriam laudem, honorem et excellentiam, quam divinæ honorificentiam majestatis. Avarus quoque plus appetit et conatur rebus temporalibus abundare, quam virtutibus mente ditari. Sic et libidinosus contra Dei præceptum voluptatem quærit carnalem; et acediosus fastidium habet ad ea quæ divini sunt cultus. Unde de istis loquitur Deus
Is. xxix, 13. per Isaiam : Appropinquat populus iste ore suo, et labiis suis glorificat me; cor au-
Matth. xv, 8. tem ejus longe est a me. Et hæc verba Christus allegat, qui alio in evangelio loquitur:
Luc. vi, 46. Quid vocatis me, Domine, Domine, et non facitis quæ dico? Hinc omnes isti sunt prorsus ignobiles et viles, fœdi et miseri : quemadmodum enim virtus nobilitat hominem, sic peccatum vilificat eum. Idcirco peccator indignus est pane quo vescitur, aere quem respirat, terra quam calcat, imo omnium usu atque obsequio creaturarum. Est enim Creatori suo ingratus, et dæmonibus servit.

Præterea, quoniam S. Nicolaus Deum totis viribus glorificavit, honoravit, laudavit; ideo Deus etiam in præsenti ipsum glorificavit, quia ad episcopalis dignitatis

A officium eum cum grandi reverentia sublimavit. Nam sicut in ejus fertur Legenda, defuncto episcopo civitatis Myrææ, in qua S. Nicolaus habitavit, convenerunt vicini episcopi, præfatæ urbi de episcopo provisuri. Quumque jejuniis orationibusque insisterent, revelavit Deus episcopo inter illos eminentiori, ut hora matutinali circa ecclesiæ januam vigilaret, et quem primum ad ecclesiam conspiceret venientem, ordinaret episcopum : sicque B. Nicolaum ante ceteros ad Matutinas venientem,
B ipse cum episcopis ceteris ordinaverunt pontificem, quamvis non mediocriter renitentem. Deinde Deus sublimis S. Nicolaum adhuc in corpore conversantem, tot decoravit miraculis, et tanta sanctitate ornavit, quod tota pene Christianitas scivit loqui de eo, atque in maxima eum reverentia habuit.

Insuper beatissimus Nicolaus quamvis misericordissimus fuit, tamen etiam speciali valde justitia Deus eum ornavit. Unde in ejus recitatur Legenda, quod fuit
C severus, id est terribiliter justus in corripiendo, nulli in derogationem justitiæ parcens. Quum enim judex civitatis Myrææ corruptus pecunia, tres innocentes milites morti adjudicasset, electus Dei Nicolaus hoc cognito, ad locum quo illi erant decollandi, festinanter accessit, invenitque spiculatorem super eos ensem vibrasse; sed ensem ipse de manu arripuit spiculatoris, et viros illos innocentes reduxit; judicemque accedens, dixit eidem : Inimice Dei, legis prævaricator, qua temeritate
D tanti tibi conscius sceleris, præsumpsisti vultum adspicere nostrum? Deinde acriter judicem illum redarguens et objurgans, tandem pœnitenti veniamque precanti indulsit.

Præterea Deus immensus S. Nicolaum in sua morte gloriose mirificavit. Quum enim ex revelatione divina cognosceret mortem sibi instare, Deum rogavit ut sibi mitteret angelos, et inclinato capite, angelos ad se venientes vidit; dictoque *Ps.* xxx, 2-6.
psalmo, In te, Domine, speravi, usque ad

id, In manus tuas commendo spiritum meum, spiritum tradidit anno Domini trecentesimo quadragesimo tertio. Tunc audita est ibi melodia cœlestis, cantus angelicus. Quumque sepultus fuisset in tumba marmorea, a capite ejus fons olei, et a pedibus fons aquæ profluxit; et usque hodie ex membris ejus sacrum profluit oleum, valens in sanitatem multorum. Multos etiam mortuos Deus meritis B. Nicolai post mortem ipsius suscitare dignatus est. Ecce quam multiplici excellentique gratia Deus hunc sanctum virum ornavit.

Ejus ergo exemplo studeamus et nos Creatorem nostrum totis viribus honorare, quoniam ipse verissime incomparabili honore superdignissimus est. Pensemus quam prompte, formidolose ac reverenter multi homines suis dominis obsequuntur, principibus et prælatis. Quantæ ergo damnationis est, Regi omnipotenti, Deo excellentiæ infinitæ, pigra et irreverenti mente servire? Ideo sanctus loquitur Jeremias : Maledictus qui facit opus Dei negligenter. Et David rex ait : Servite Domino in timore, etc. Porro, si maledicti sunt qui opus Dei faciunt negligenter, quam ineffabili maledictione, et quam æternali infernalique pœna digni probantur qui opus Dei omnino non faciunt, id est, divina non servant præcepta, sed diabolica perpetrant opera, et inquinamentis se maculant mentis et corporis, hoc est spiritualibus carnalibusque peccatis, quibus sub cœlo nihil est turpius?

Jer. XLVIII, 10.
Ps. II, 11.

Præterea B. Nicolai exemplo justi esse conemur, atque præceptum Dei de correptione fraterna strenue impleamus. Justitia autem duo requirit in generali : primo, ne alteri faciamus quod fieri nobis non velimus; secundo, ut alteri faciamus quod fieri nobis ab ipso rationabiliter volumus. De primo horum duorum Tobias ait : Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne aliquando alii facias. De secundo loquitur Christus : Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, ita et vos facite illis. Denique, prout sanctus affirmat Bernardus, justitia A est reddere unicuique quod suum est. Redde ergo tribus quæ sua sunt, videlicet, superiori, æquali et inferiori. Redde superiori reverentiam et obedientiam; æquali, consilium et auxilium; subjecto, custodiam, ut possit cavere peccatum, et disciplinam seu correctionem, ut malum quod non cavit non maneat impunitum. Justus et rectus est, qui ad terrena animo non curvatur, qui ad cœlestia totus erigitur, atque divinæ voluntati humiliter subditur. Verumtamen justitia debet misericordiæ esse per- B mixta et contemperata : quatenus sicut in omni opere Dei relucent justitia et misericordia, juxta illud Psalmistæ, Universæ viæ Domini misericordia et veritas (siquidem etiam in inferno Deus damnatos punit citra condignum, hoc est minus quam meruerunt; nec aliquem peccatorem in hoc mundo Deus in tantum relinquit sicut relinqui meretur, sed per instinctum divinum angelicamque custodiam retrahit peccatores a multis peccatis in quæ alias laberentur); ita et in omni opere nostro C bono misericordia et justitia simul reluceant. Hinc indigemus discretione, per quam noscamus qualiter unam harum virtutum alteri miscere et contemperare in omnibus debeamus.

Tob. IV, 16.
Matth. VII, 12.
Ps. XXIV, 10.

Præterea ex divino præcepto ad fraternam correptionem quilibet Christianus tenetur, secundum quod fraterna correptio actus est caritatis : hoc etenim caritas exigit, ut proximum peccantem corripiamus, quum peccatum sit maximum animæ nocumentum. Superiores vero etiam ex de- D bito justitiæ ad correptionem inferiorum suorum tenentur; et sicut quidam doctores testantur, propter negligentiam impletionis hujus præcepti, totus pene mundus perit et condemnatur. Videmus quippe ad oculum, quod præceptum istud correptionis fraternæ paucissimi implent : imo, quod gravius est, unus alterum trahit ad vitia, unus alteri consentit, blanditur, applaudit in malis, atque ut Propheta ait, Laudatur peccator in desideriis animæ suæ, et iniquus benedicitur. Hæc est via

Ps. X, 3, sec. Hebr.

perditionis æternæ. O quam longe sunt A
Is. XLVI, 8; I, 16, 17. isti a via salutis! Sed redite, prævaricatores, ad cor; quiescite agere perverse, discite benefacere. Et ut dignus sit homo corripere proximum delinquentem, in primis corripiat et emendet se ipsum. Hinc loquitur Augustinus : Si corripere negligis, pejor eo qui peccavit efficeris. Et sancti Patres fatentur : Ita peccat qui videt proximum peccare et tacet, sicut qui pœnitenti non indulget. Peccatum enim more putredinis sine fine discurrit, si illud increpatio medicinalis non resecat. Unde et B Cassiodorus loquitur : Peccatum quum perseverat, augetur; et remediale bonum in peccato, est accelerata correptio. Hæc autem correptio impendenda est animo caritativo, pio, non turbulento. Unde ait
Ps. CXL, 5. Psalmista : Corripiet me justus in misericordia, et increpabit me ; oleum autem peccatoris, id est adulatio transgressoris, non impinguet caput meum, id est, mentem meam nequaquam demulceat.

Postremo, de beato patre Nicolao multa præclara leguntur in Passionali Sanctorum C miracula. Quibus addam quod in quodam contigit cœnobio, cujus monachi abbatem suum valde instanter ac fervide rogaverunt ut daret eis licentiam cantandi in choro specialem cantum seu proprium Officium de B. Nicolao : quorum precibus abbas nullatenus acquievit. Itaque in nocte profesti sui, S. Nicolaus traxit abbatem ex lecto, eumque acriter flagellavit, responsorium quoddam sive antiphonam sui Officii cantans, atque ad quamlibet notam abbati in dorsum suum unum porrigens ictum, ita quod abbatis clamoribus monachi evigilabant. Quibus ad se venientibus dixit : Ite, et sicut petistis, Officium speciale de S. Nicolao cantate. Legitur quoque in revelationibus fide dignis, quod etiam B. Nicolaus animabus in purgatorio specialiter subvenit, multasque liberavit, eis præsertim succurrens quæ eum in hac vita specialiter honoraverunt. Idcirco hunc sanctum Patrem præcipue diligamus, et speciali devotione veneremur, quia revera ipse admodum magnus est Sanctus.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUARTUS

DE VITANDO TORPORE DESIDIAQUE IN RELIGIONE, ET DE EMINENTIA NECESSARIA IN OMNI PIETATE, ALACRITATE CETERISQUE VIRTUTIBUS.

EGO *autem sicut oliva fructifera in* D *domo Dei*. Ps. LI, 10.

Habet oliva delectabilem viriditatem in ramis et foliis, suavitatem in floribus, communicabilitatem in oleo quod ex ea producitur, multiplicem utilitatem ex usu quo hominibus deservire cognoscitur. Porro, per viriditatem, contemplativæ vitæ decor atque amœnitas designantur; per suavitatem floris, laudabilis vitæ fragrantia insinuatur; per olei communicabilitatem, misericordia; per utilitatem vero exprimitur salutaris doctrina. Propter hæc quatuor, confessor dignissimus Nicolaus merito oliva vocatur. Fuit enim divinorum contemplator florens, speciosus, amœnus ; et sua virtuosa ac exemplari conversatione, miraculorumque operatione, Christi bonus II Cor. II,
odor in omni loco omnium ædificativus; 14, 15.
etiam aliis condolendo ac succurrendo

piissimus; fuit quoque per verba suæ prædicationis multis perutilis, spiritualiterque fecundus ac plurium generativus : in quibus omnibus quilibet religiosus eum suo modo et quantum sibi possibile est, sequi debet.

Primo itaque debet religiosus gratia contemplationis esse ornatus, in luce sapientiæ florens, in veritatis notitia speciosus, in vitæ internæ exercitatione amœnus. Ad hoc etenim exteriora cuncta relinquit, cœnobium ingreditur, temporalium sollicitudine exspoliatur, divinis obsequiis totaliter mancipatur, quatenus summo et incommutabili bono, Deo et Creatori altissimo, tanto liberius vacet, tanto integrius sinceriusque intendat, tanto frequentius uniatur, tanto ardentius infigatur, quo minus circa exteriora diffunditur et pro temporalibus sollicitatur, quo etiam amplius spiritualibus exercitiis deputatur. Nempe quum virtus unita fortior sit quam dispersa, et pluribus intentus minor sit ad singula sensus; constat quod religiosus mentem suam tanto liberius, plenius, purius, frequentius atque ardentius potest et debet Deo unire, orando, laudando, meditando, contemplando, amando, quanto amplius ab exterioribus est abstractus, a sæcularibus sequestratus, a temporalibus absolutus : et nisi sic agat, vocationem propriam non attendit, beneficiis Dei abutitur, et negligit miser se ipsum, velut qui navem sibi procuravit ad navigandum, aut scalam ad ascendendum, non tamen navigat aut ascendit. Hinc juxta Climacum, monachus est qui solum ea quæ Dei sunt agit, meditatur et loquitur, Christo unitus in omni loco, actu atque negotio.

Studeamus igitur, quantum fragilitas nostra permittit, cor nostrum Domino Deo nostro incessanter unire, infigere, constabilire, intente orando, devote psallendo, salubriter meditando, sapientialiter contemplando, ferventer amando, ædificatorie proximos alloquendo, atque in exterioribus quæ agimus intentionem referendo ad Dei honorem. Distractiones et vanas

A cogitationes semper abjiciamus, quum per Michæam Dominus comminetur : Væ qui *Mich.* II, 1.
cogitatis inutile; et Sapiens, Spiritus san- *Sap.* I, 5.
ctus disciplinæ effugiet fictum, et auferet se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu. Increata quoque Sapientia protestatur:
Ego sapientia habito in consilio, et eruditis *Prov.* VIII,
intersum cogitationibus. 12.
Insuper omnes inordinatas affectiones vitemus, ut ad nullam rem creatam afficiamur, nisi secundum Deum, utpote in quantum utilis aut necessaria nobis est ad Dei obsequium, ad
B ejus notitiam et amorem, ad complacendum inhærendumque ei ; sed et verba illicita, et opera prava, omnesque negligentias, Deo juvante, vitare conemur.

Secundo debet religiosus esse bonæ famæ, quemadmodum scriptum est, Curam *Eccli.* XLI,
habe de bono nomine : idque ad Dei ho- 15.
norem et proximorum ædificationem, ne quis scandalizetur in eo (quia væ homini *Matth.*
per quem scandalum venit), sed Deus in XVIII, 7.
ipso et per ipsum glorificetur, et fratres ædificentur. Propter quod præcipit Chri-
C stus : Luceat lux vestra coram hominibus, *Ibid.* V, 16.
ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. Satage ergo, o Frater, ut nec verbo nec facto inordinato quemquam offendas, ut per iram, impatientiam, insolentiam, levitatem, nemini offendiculum ponas, neque per somnolentiam aut pigritiam in divinis scandalizes adstantes : imo mansuetudine, patientia, pietate, alacritate et caritate tua, aliorum superes et exstinguas iram, impatientiam, duritiam, ignaviam, aver-
D sionem, atque in vera, profunda ac stabili humilitate facias universa. O quam amabilis Deo, quam honorabilis angelis, quam utilis congregationi est Frater qui ita se habet ! Ita certissime se habuit felix et sanctissimus Nicolaus, qui etiam in juvenili ætate et habitu sæculari, ante omnes assidue ac devotissime frequentavit ecclesiam, exemplarissimus fuit, columbina simplicitate repletus, cunctis amabilis, nulli molestus, mira humilitate ac mititate repletus.

Tertio debet religiosus, instar olei, esse A communicativus, et misericordiæ visceribus totus redundans, ut spiritualia misericordiæ opera tanto exuberantius effectu vel affectu exerceat, quanto minus corporalia misericordiæ opera potest peragere. Cunctis itaque in tribulatione positis, universis afflictis, tentatis, infirmis, oppressis, viscerose condoleat, omnique modo sibi possibili opem ferat, orando, consolando, ac aliis modis, quatenus cum san-
Job xxx, 25. cto Job dicere mereatur, Flebam quondam super eo qui afflictus erat, et compatie- B batur anima mea pauperi; et item cum
II *Cor.* xi, 29. Paulo, Quis infirmatur, et ego non infirmor ? Quis scandalizatur, et ego non uror ? Absit omnino ut quis tam malitiosus consistat, ut de fratrum discordia, contentione, ruina, rideat aut lætetur, quum
Eccli. xxv, 1, 2. Sapiens dicat : In tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo et hominibus : concordia fratrum, amor proximorum, et vir et mulier bene sibi consentientes. Imo hoc non solum ad quemlibet religiosum, sed ad omnem per- C tinet Christianum, discordantes pro viribus concordare, litigantes sedare, et omnem turbationem pro posse exstinguere, omniumque paci et quieti diligenter cum
Matth. v, 9. omni sinceritate studere : beati namque pacifici ; et eum qui talis est, angeli pacis amant.

Quarto debet religiosus esse in verbis
Coloss. iv, 6, 5. documentisque utilis, ut sermo ejus semper in gratia sale sit discretionis conditus, atque ad eos qui foris sunt, ambulet sa-
I *Petr.* iv, 11. pienter ; et si quid loquatur, quasi ser- D
Ps. cxl, 3. mones Dei. Ponatque ori suo custodiam,
Jacob. i, 26. quoniam qui se putat religiosum esse non refrenans linguam suam, hujus vana est re-
Prov. xxix, 20. ligio : imo, quum Salomon fateatur, Vidisti hominem velocem ad loquendum ? stultitia magis speranda est quam illius correctio; quanto magis religiosus, si ad loquendum appareat velox, stultus magis quam corrigibilis est putandus ? Nec sub prætextu instructionis ædificationisque aliorum, debet in monacho esse procacitas ad loquendum; sed potius recordemur, quod sanctissimus abbas Pambo, rogatus a Fratribus loqui verbum exhortationis Alexandrino antistiti, dixit : Si non ædificatur in silentio meo, non ædificabitur in verbo meo.

Porro, quanto minus incumbit nobis verbis docere et ædificare, tanto copiosius faciamus hoc virtuosis operibus, condecentia morum, efficacia exemplorum. Vi- *Hebr.* iv, 12.
vus namque et efficax sermo est sanctæ actionis exemplum ; atque ut asserit Leo Papa, validiora sunt exempla quam verba, et plus est docere opere quam sermone. Boni ergo religiosi est, ut in medio congregationis irreprehensibiliter ambulans, factis et moribus suos edoceat fratres quid agere debeant, quid vitare. Nequaquam itaque otiositati, loquacitati, torpori aut negligentiæ locum demus, ne simus non solum arbor infructuosa, sed etiam male fructifera ac nociva, spinas iniquitatum et tribulos proferens passionum, dicaturque nobis : Quomodo conversus es in *Jer.* ii, 21.
amaritudinem vitis alienæ ? et rursus, Ex- *Is.* v, 4.
spectavi ut faceret uvas, fecit autem labruscas.

Erubescamus coram Judice summo, locum hunc inutiliter occupare, viliter conversari, opusque Dei facere negligenter : imo quotidie cum recenti fervore, cum diligentia pleniori, cum vigilantiori cordis custodia Domino obsequamur, præsertim quum ad perfectionem tendere obligemur, et fervori non addere, sit torporem incidere. Propter quod ait Scriptura : Quum *Eccli.* xviii, 6.
consummaverit homo, tunc incipiet. Et Salvator : Quum feceritis (inquit) omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles *Luc.* xvii, 10.
sumus ; quod debuimus facere, fecimus. Jacobus quoque apostolus terribiliter satis effatur : Quicumque totam legem imple- *Jacob.* ii, 10.
vit, offendat autem in uno, factus est omnium reus. Ecce quanta sollicitudine indigemus, quam diligentes nos esse oportet in cunctis observantiis Ordinis, ne paulatim evacuemur, sed quotidie in caritatis fervore, in cordis munditia, in omni virtute et gratia proficiamus.

SERMO QUINTUS

QUAM FECUNDOS IN FRUCTIBUS AMORIS, QUAMQUE SOBRIOS ET SPIRITU PAUPERES OPORTEAT ESSE RELIGIOSOS.

OLIVAM uberem, pulchram, fructiferam, speciosam, vocavit Dominus nomen tuum. Jer. xi, 16. A

Verba hæc, de Synagoga Deo olim complacita et electa, litteraliter scripta, de beatissimo Dei electo Nicolao antistite rite intelliguntur, qui fuit oliva uber et pulchra, quantum ad interiorem suæ animæ fecunditatem ac formositatem in caritativis affectibus et fidei ac sapientiæ contemplationibus, in exercitio omni interno et splendore virtutum, mirabilique fulgore donorum Spiritus Sancti ac fructuum B
Ps. xx, 4. ejus. Prævenit enim eum Dominus præventione superpiissima in benedictionibus dulcedinis, in tantum quod dum infantulus baptizaretur, atque materna adhuc sugeret ubera, apparuerunt in eo futuræ sanctitatis præcipuæ signa miranda. Stetit quippe erectus quum unda regeneraretur Baptismatis ; quarta quoque et sexta feria semel dumtaxat suxit puerulus ubera : ex quibus opinari quis posset, quod forte acceleratus fuit in eo supernaturaliter usus tunc rationis. Fuit insuper oliva C fructifera et speciosa, quoad exteriorum actuum virtuosorum exsecutionem assiduam, venustissimorumque morum decorem. Nam et angelicum habuit apparatum, et interioris gratiæ plenitudo refulsit in vultu ac moribus. Præterea, tanta gratiarum inundantia prævenit eum Spiritus Sanctus, quod vivens in sæculo, et inter sæculares conversans, in numero exstitit perfectorum, etiam in adolescentiæ annis : imo et monasticæ vitæ apicem illico apprehendit, divitias spernendo, castissime D sobriissimeque vivendo, atque in intima devotione cum omni humilitate serviendo Altissimo. Et breviter, tam perfecte vixit in sæculo, quod ejus conversatio exemplar virtutum est omni religioso.

Quod enim erectus stetit dum baptizabatur, quid aliud innuit nisi quod in Dei obsequio debemus esse prompti ac fervidi, et mente ad Deum suspensi, juxta illud Josue, Servite Domino corde perfecto atque verissimo? Propter quod primo Paralipomenon locutus est David : *Josue* xxiv, 14.
Tu, fili mi, servi Domino corde perfecto et animo voluntario. Simus ergo alacres *I Par.* xxviii, 9.
in divinis, non pigri, non oscitantes, inviti aut somnolenti. Et modicum istud obsequium quod Domino Deo nostro offerimus, cum gaudio spirituali, promptitudine animi, fervore suavi ei exhibeamus : quod maxime placet ei qui corda scrutatur et renes, *Ps.* vii, 10.
nec exteriora nisi propter interiora acceptat, ac juxta caritatis ardorem seu intensionem remunerat, præmiumque essentiale largitur. Propter quod asserit Augustinus : Non numerositas operum, non diuturnitas temporum, sed major caritas meliorque voluntas auget meritum. Idcirco caritatis fervori, augmento, perfectioni, jugiter studeamus, atque ad hoc reliqua omnia nostra exercitia ordinemus. Absolute namque loquendo, ille est melior, ille perfectior Deoque carior, qui in caritate est excellentior, non qui vigilias longas protrahit, aut acrius abstinet, seu corporaliter plus laborat.

Insuper, per hoc quod beatissimus iste confessor semel suxit ubera quarta sextaque feria, edocemur quantum abstinentiæ et jejunia placeant Deo, quantum gulositas ei displiceat. In hac ergo virtute sectemur hunc Sanctum, præsertim quoniam

teste S. Benedicto, Nihil ita contrarium ac A vitandum est monacho, sicut immoderantia cibi et potus. Ex qua varia oriuntur peccata, videlicet: somnolentia, multorum bonorum omissio, evagandi ac fabulandi cupido, orandi, psallendi meditandique tædium, concupiscentia carnis, distractio cordis. Hinc Cassiano narrante, sancti Patres definierunt, sobrietatem seu abstinentiam, spiritualis ac monasticæ conversationis exsistere fundamentum. Quo constat, eum non posse proficere, imo quotidie magis deficere, qui sobrietati non studet. Quum B etenim Filius Dei universaliter dicat cunctis fidelibus, Videte ne graventur corda vestra crapula vel ebrietate, aut curis hujus sæculi (*Luc.* XXI, 34.): quanto magis religiosos hoc adimplere necesse est, quum et Paulus minetur, Si secundum carnem vixeritis, moriemini (*Rom.* VIII, 13.); itemque, Carnis curam ne feceritis in desideriis (*Ibid.* XIII, 14.)? Quo monstratur, quod in cibo et potu necessitas, non voluptas, sit exquirenda. Et certe quum tam faciliter excedamus in cibo et potu, imo tam difficile sit non excedere in eisdem, at- C que tot vitia nascantur ex gula, oportet nos ad mensam cum Dei timore accedere, et ipsam corporalem refectionem timorate accipere, nec in ea a Dei commemoratione cessare, ac Spiritus Sancti directionem in omnibus invocare. Certis quoque diebus rigorosiori abstinentiæ danda est opera.

Denique, per hoc quod beatus et gloriosus iste confessor in juvenili ætate sæcularique habitu, opes suas indigentibus tam liberalissime est largitus, instruimur liberalitatem diligere, superflua quoque ab- D jicere, nec ad necessaria ac concessa affici inordinate, et si auferantur, non insipienter tristari. Quamvis ergo corporalia quæ demus non habemus, nihilo minus dona spiritualia nobis desuper gratiose concessa, quantumlibet parva, confratribus et proximis nostris ardenti amore liberalissimoque affectu communicemus, juxta quod princeps hortatur Apostolorum: Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes (*I Petr.* IV, 10.). Itaque verba piæ exhortationis, fraternæ correptionis, salubris informationis, impertiatur quilibet fratri aut proximo cum ingenti munificentissimoque affectu, paratus se ipsum impendere, et quidquid boni in se est diffundere et transferre in eos qui egent, imo multo plus quam habet. Per hoc equidem homo valde assimilatur ac placet superliberalissimo Deo, gratiamque præcipuam promeretur ab eo. Nam sicut se habet unusquisque ad proximos suos, ita ad ipsum se habet Deus, quemadmodum ait Salvator: Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis (*Matth.* VII, 2.). Præterea ponderemus quam verecundum et turpe sit nobis, quod jam in cœnobio constituti et paupertatem professi, tam immoderate ac pueriliter ad parva quæque* afficimur, et propter ea, si tollantur a nobis, tam impudenter rixamur, turbamur, ac variis passionibus concitamur, curiosa quoque et superflua quærimus, retinemus, diligimus (per quæ omnia a divini puritate amoris, a spirituali profectu, a vera perfectione non mediocriter, imo miserabiliter impedimur); quum sanctus hic pater Nicolaus, in adolescentia sua et vita vulgari massas auri et abundantissimas opes tam cordialiter spreverit, et cetera cuncta quæ habuit, quasi non habens habuerit, eisque tantum ad necessitatem et utilitatem, non ad voluptatem et superfluitatem, sit usus.

* *alias* et vilia

Amplius, per hoc quod vir iste ex divina revelatione ad episcopatum electus, invitatus, impulsus, tam vehementer tamque humiliter restitit, saluberrimum præstatur nobis pusillis, imperfectis, infirmis, exemplum omnem abjiciendi ambitionem, ne ad præsidentiam quis adspiret, ne se ipsum quocumque modo, sive per se, sive per alios ingerat, ne ad ea rursus conetur quæ semel propter Deum reliquit. Numerari enim culpæ non queunt quæ ex ambitione nascuntur. Et qui vitio hoc maledicto infectus est, quasi in cunctis etiam bonis quæ agit, ad se ipsum inordinate reflectitur, variasque suspiciones, stultas et vanas curas, timores, afflictiones illa-

bitur, et tribulat miser se ipsum, imo et A alios sæpe. Qui talis est, vix ad sinceritatem pertinget, sed inficitur et deviat vehementer ; et nisi fortiter resipiscat, vix curabitur, sed peribit. Nihilo minus multi, proh dolor ! inficiuntur hac labe, hac trabe, hac asinaria mola, secundum quod sanctus exclamat Bernardus : O ambitio ambientium crux, quomodo omnes torquens, omnibus places ? Verum ut ait Chrysostomus, Quis est qui cupit præesse, nisi qui non timet divini districtionem judicii ? Quam ut dignum est formidan- B tes, subesse et obedire, non præesse atque præcipere, appetamus.

Postremo, per hoc quod sanctus confessor iste Nicolaus in episcopali officio zelo justitiæ sic fervebat, nullius palpans peccata, et excedentes acriter increpans, docentur qui præsunt officium suum strenue exsequi justitiamque zelare, et sine personarum acceptione arguere, obsecrare, instruere, castigare. Docemur et singuli ut nos ipsos quotidie discutiamus, dijudicemus, disciplinemus, purgemus, atque divini accendamur zelo honoris, sic ut ipsimet Deum totis præcordiis ac viribus honoremus, et eum a cunctis sic honorari optemus, aliosque pro posse, verbo, facto et fama inducamus ad hoc.

IN SOLENNITATE
CONCEPTIONIS B. V. MARIÆ

ENARRATIO IN LECTIONEM LOCO EPISTOLÆ

EGO QUASI VITIS FRUCTIFICAVI SUAVITATEM ODORIS, ETC. Eccli. XXIV, 23-31.

LECTIO ista ex Ecclesiastici vicesimo quarto capitulo sumpta est, et verba lectionis istius ibi de æterna ac genita Sapientia, quæ est Verbum æternum et unigenitus Filius summi Patris, dicuntur ad litteram; sed nunc spiritualiter de Virgine beatissima exponentur : nam et alia multa quæ ibi de præfata Sapientia scripta sunt, legit et cantat Ecclesia de virgine Maria Christifera, et hoc secundum intelligentiam spiritualem. Itaque ex persona S. Mariæ in lectione hac dicitur :

Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris. Hoc dupliciter potest intelligi. Primo, ut per « suavitatem odoris » intelligatur Christus, qui secundum deitatem suam, essentialiter est suavis, et ipsa suavitas, fons et origo spiritualis odoris, interiorem olfactum suavissime recreans, vehementer alliciens et summe delectans. Christus quoque secundum suam humanitatem dici potest suavitas, propter suæ creatæ dulcedinis magnitudinem eminentem : quemadmodum de homine multum caro dicimus, quod sit amor noster. Itaque, sicut vitis fructificat, id est, fructum saporosum odoriferumque producit, videlicet uvas seu vinum; sic Virgo præelecta fructificavit, id est, produxit ac genuit Deum et hominem. — Secundo, potest exponi hoc modo : « Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris », id est suavem odorem, hoc est bonam virtuosamque famam : quia tam sancta et irreprehensibilis fuit vita Virginis gloriosæ, tantaque gratia ac dignitas collata est ei, præsertim per hoc quod mater Filii Dei effecta est, quod ex ea optima fama processit ad omnes credentes; ipsa quoque de cordibus devotorum spiritualem parit dulcedinem, dum eam sinceriter contemplantur. Rursus, « suavitatem odoris » produxit, quia per eam diffusa est fama atque notitia Dei in toto mundo. Per hoc enim quod Deus ad tantam dignitatem, gratiam beatitudinemque eam perduxit, manifestata est hominibus bonitas, misericordia, caritas et liberalitas Dei, quas excellenter ostendit in ea; sicque quasi materialiter virgo Maria fructificavit « suavitatem odoris ». Porro, in quantum per verba atque miracula, sui ipsius ac Creatoris et Filii sui dignitatem et notitiam hominibus patefecit, quasi efficienter suavitatem istam produxit. Juxta hunc modum loquendi, ait ad Corinthios Apostolus : Gratias Deo, qui per nos odorem notitiæ suæ manifestat; et rursus, Christi (inquit) bonus odor sumus. Sic in Canticis habetur : Curremus in odorem unguentorum tuorum. II *Cor.* II, 14. *Ibid.* 15. *Cant.* I, 3.

Et flores mei sunt fructus honoris et honestatis. Flores Christiferæ Virginis sunt

suæ mentis contemplationes pulcherrimæ A et affectiones sanctissimæ. Unde in Canticis dicitur : Fulcite me floribus. *Cant.* II, 5. Hi flores sunt « fructus honoris », id est honore dignissimi ; « et honestatis », id est actus virtutum. Honestum namque dicitur quasi status honoris ; honor vero debetur virtuti : idcirco honestas et virtus pro eodem sumuntur. Præfati autem spirituales flores Mariæ sunt « fructus », id est actus, sapientiæ et caritatis : idcirco sunt actus virtutum. Nam et sapientia dicitur virtus intellectualis, et proprie dicitur donum, B quod extense loquendo etiam virtus vocatur. Flores quoque Mariæ dici possunt ejus venustissimi mores, exemplarissimæ operationes, sapientissima verba : quæ omnia ex interioribus ejus prodierunt virtutibus.

Ego mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei. Pulchra dilectio est amor spiritualis seu caritas, quæ a solo Deo per creationem infunditur; similiter sancta spes, prout est theologica virtus ; filialis etiam timor a Deo est, et C in quantum est unum de septem donis, est habitus supernaturalis infusus. Quomodo ergo Virgo dignissima dicitur horum mater ? Non utique quasi causa effectiva ac principalis, sed potius velut causa secundaria instrumentalis, quoniam meritis suis et precibus obtinet nobis hæc bona a Deo, quum sit humani generis advocata, pietatis regina, cui Deus regnum misericordiæ dicitur commisisse. Sicque ut mater piissima, instrumentaliter et meritorie parit in multis hæc bona, videlicet : D pulchram dilectionem, qua Deus et proximus sincere et spiritualiter diliguntur absque reflexione ad propria commoda ; et filialem timorem, quo Dei offensa timetur et peccata vitantur, ne Deus offendatur et offendentem relinquat ; et agnitionem, id est contemplationem divinorum ; et sanctam spem, id est exspectationem cœlestium præmiorum. Juxta hunc sensum fertur in hymno : Maria, mater gratiæ, mater misericordiæ.

Nuncque subjungitur : *In me omnis gratia vitæ et veritatis :* id est, potestatem habeo impetrandi a Deo hominibus gratiam vitæ spiritualis ac virtuosæ, seu etiam vitæ gloriosæ; gratiam quoque veritatis et supernæ illustrationis, seu veritatis doctrinæ atque justitiæ. *In me omnis,* id est perfecta, *spes vitæ* gratiæ ac gloriæ, *et virtutis* bene vivendi ac tentationibus prævalendi. Spes ista est in Virgine sacra non subjective, sed objective : quia in ipsa secundario consistit spes nostra, ita quod per eam dona hæc adipisci confidimus.

Transite ad me, omnes qui concupiscitis me, id est, qui desideratis auxilium meum, et qui mecum esse optatis, ad me confidenter confugite, meque per considerationem et dilectionem ac invocationem accedite ; *et a generationibus,* id est operationibus seu gratiosis effectibus, *meis implemini :* non enim abjicio confugientes ad me. *Spiritus enim meus, super mel dulcis,* id est, mens mea tota pia, suavis, benigna est in se ipsa atque in eo qui bonitatem meam degustat. *Et hereditas mea,* id est æterna felicitas, quæ meo adjutorio obtinetur (vel, « hereditas mea », id est opulentia gratiæ mihi collata), dulcis est *super mel et favum,* imo super omnia corporalia bona.

Memoria mea manet in cœlo et in terra *in generatione sæculorum,* id est per omnes progenies in æternum : non enim recedit de cordibus devotorum. Hinc Virgo gloriosa prædixit : Beatam me dicent *Luc.* I, 48. omnes generationes. Imo et Sarraceni dicunt B. Mariam præ cunctis feminis electissimam atque sanctissimam, Christique matrem, et virginem prorsus mundissimam, ut patet in Alcorano.

Qui edunt me, hoc est, bonitatem meam degustant, et meam experiuntur dulcedinem, *adhuc esurient,* id est, in hac vita optabunt me plenius sapere et habere ; *et qui bibunt me,* hoc est, delectatione mea perfunduntur ac recreantur, *adhuc sitient,* hoc est, ferventius me optabunt, ut semper sint mecum. Nempe, ut ait Gregorius,

spirituales deliciæ quo amplius degustantur, eo plus appetuntur. *Qui audit me,* hoc est, exhortationibus meis obtemperat, *non confundetur,* sed consequetur salutem, et honorabitur a judice Christo; *et qui operantur in me,* id est secundum virtutum exempla quæ præbui cunctis, *non peccabunt,* in quantum me imitantur; A sed deficiendo a meis exemplis, poterunt culpam incidere. *Qui elucidant me,* id est, aliis dignitatem et gloriam meam insinuant, meque clare honorant, ac mea sequendo exempla ostendunt quam sancta et exemplaris fuerit conversatio mea, *vitam æternam habebunt* pro præmio, dummodo perseverent in bonis.

SERMO PRIMUS

DE BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ PRÆELECTIONE; DEQUE HONORE, OB GRATIÆ ABUNDANTIAM IN EA RELUCENTEM, EI IMPENDENDO.

E*GO mater pulchræ dilectionis.* Eccli. XXIV, 24.

Hodie in Ecclesia Conceptio beatissimæ Mariæ virginis celebratur. Qualiter autem ista solennitas ortum habuerit, Anselmus in quadam scribit epistola. Quidam vero
Cf. t. XXIII, immoderanter se occupant an in originali
p. 90 C et s. peccato fuit sacratissima Virgo concepta; sed occupatione illa omissa, de excellentia, virtute, perfectione et gloria Virginis Christiferæ, aliquid breviter est tangendum: ineffabilis namque est dignitas ejus.

Primo ergo, laudabilis est ratione suæ C mundissimæ virginitatis, qua non solum ab omni actu immundo, sed ab omni quoque carnali affectu, ab omni cogitatione impura fuit omnino immunis. Ideo recte vocatur « mater pulchræ dilectionis », quoniam nulla unquam fœda aut carnalis affectio fuit in ea, sed spiritualissima fuit omnis affectio ejus: nam Deum super omnia ob propriam et immensam ipsius bonitatem, cum inæstimabili dilexit ardore, et homines non nisi in Deo. Magna et præclara virtus est ipsa virginitas, per D quam homo angelicam sequitur puritatem, et vitam cœlestem inchoat in hoc mundo. Itaque beatissimam Virginem assequamur, omnem carnalem et fœdum abjiciendo amorem, et solam pulchram

B spiritualem ac meritoriam dilectionem habendo. In libro Numerorum conscriptum
est, quod filii Aaron sacerdotis cœlesti *Lev.* x, 1, 2;
igne combusti sunt, quoniam ignem alie- *Num.* III, 4.
num in suis posuerunt thuribulis. Per thuribulum intelligitur cor humanum, in quo ignis divini debet ardere amoris; per ignem vero intelligitur amor, et per ignem alienum amor carnalis ac turpis. Qui ergo talem amorem in suo posuerit corde, meretur igne infernalis torqueri incendii; et nisi pœnitens resipiscat, igne illo affligetur perpetuo.

Secundo, Virgo Christifera est laudanda a sua incomparabili fecunditate. Est enim Deo Patri comparentalis, quia eumdem cum illo peperit Filium, et illum genuit a quo Spiritus Sanctus vere procedit. Genuit omnium salvatorem, fontem omnis causalitatis, creatorem machinæ mundialis. Ecce quanta est dignitas ista. Etenim philosophi causalem fecunditatem dicunt esse præcipuam in creaturis perfectionem. Quam inæstimabilis ergo est dignitas ejus quæ tam infinitæ dignitatis peperit prolem? Certe non irrationabiliter asserunt quidam magni theologi, quod ratione hujus maternæ fecunditatis, maternitatisve Dei, beatissima virgo Maria sit dignitatis quodammodo infinitæ. Cum omni ergo re-

verentia honoranda, nominanda et cogitanda est nobis, atque post Deum ferventissime diligenda : et si vere diligimus eam, tam incomparabili dignitati et beatitudini ejus præcordialiter congratulemur.

Tertio, est laudanda et admiranda, eo quod simul mater fuit et virgo, et concepit de Spiritu Sancto: quod ei soli concessum est, nec unquam alteri concedetur. Verumtamen quod Deum habet filium, summum est ac dignissimum omnium. Hinc beatus ait Bernardus : In Maria si laudavero virginitatem, multi utique offeruntur Deo virgines post eam; si prædicavero humilitatem in ea, inveniuntur nonnulli qui mites facti sunt et humiles corde; si multitudinem misericordiæ ejus voluero magnificare, sunt etiam mulieres ac viri misericordiæ : unum est in quo nec primam similem visa est habere neque sequentem, fecunditatem videlicet
Luc. x, 42. matris cum virginitatis honore. Optimam sibi plane partem elegit Maria, quoniam bona quidem est fecunditas conjugalis, melior castitas virginalis, optima prorsus virginea fecunditas. O si addas et cujus mater sit ipsa, nonne superoptima tibi videtur virginalis fecunditas Dei?

Quarto, commendanda, amanda ac honoranda est nobis a sua communi et maxima utilitate. Multum nocuit toti generi humano prima mulier, illa genitrix nostra Eva, quæ virum suum ad divini transgressionem præcepti trahendo, totam suam posteritatem morti ac damnationi exposuit, magna felicitate et paradisi amœnitate privavit, atque diversis subjecit miseriis, quas singuli experimur. Verumtamen plus toti profuit mundo Maria, quam nocuit Eva. Peperit namque hominibus Deum in fratrem, advocatum ac salvatorem, qui plura ac majora dona gratiæ hominibus contulit, quam Adam eis abstulerat.

Quinto, commendanda est nobis, quoniam data est nobis advocata et mater in omni tribulatione, et in necessitate refugium. Et quamvis ipsa post Deum mundissima, sanctissima præstantissimaque consistat, nullum tamen peccatorem, quantumcumque turpissimum, vitiosissimum atque vilissimum, ad se confugientem contemnit: nullum se stabiliter invocantem relinquit: omnibus materna ac dulcissima pietate exorabilem se præstare dignatur. Merito igitur Regina misericordiæ appellatur.

Sunt et alia innumerabilia ex quibus Virgo incomparabilis, unica et amantissima Dei, nobis laudabilis redditur. De quibus in aliis de ea sermonibus, Deo præstante, dicetur.

Hinc de Mariæ præconio sanctus loquitur Augustinus : Quid nos tantilli, quid actione pusilli, quid in ejus laudibus referemus, quum etsi omnium nostrum membra verterentur in linguas, eam satis laudare sufficeret nullus, imo nec omnes simul? O felix Maria, o omni laude dignissima, o genitrix gloriosa ac sublimis puerpera, cujus castis visceribus auctor cœli ac terræ committitur, quid de te dicam pauper ingenio, quum quidquid de te dixero, minor laus est quam dignitas tua meretur? Tu decus et gloria mulierum, gemma ac honorificentia virginum, sidus confessorum, lætitia martyrum, domina Apostolorum, filia verificatrixque Prophetarum, angelorum regina, jucunditas cœli, mater Dei altissimi.

Nunc itaque beatissimam Dominam nostram imitari conemur, ejus virginitatem sequamur per mentis integritatem in Deo, quæ consistit in fide, spe et caritate, per quas anima Dei fit sponsa, et ei inhæret tota. Fecunditatem Mariæ sequamur per exercitia virtuosa, virtutum operibus jugiter insistendo, quia et Christus in Evangelio protestatur : Quicumque fecerit vo- *Matth.* XII, 50.
luntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater et soror et mater est. Utilitatem demum Mariæ sequamur, ut studeat unusquisque proximos suos ædificare, ad melioraque trahere; atque pro *Jacob.* V, 16.
invicem exoremus, quatenus simul salvemur. Hinc etenim Christus præcepit : Sic *Matth.* V, 16.
luceat lux vestra coram hominibus, ut vi-

deant bona facta vestra, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. Apostolus quoque loquitur : Quæ ædificationis sunt, invicem custodiamus. Nam sicut in Ecclesiastico scriptum est, Unicuique Deus mandavit de proximo suo, ut scilicet eum ædificet. Unde ut asserit Augustinus, Deo debemus conscientiam puram, et proximis bonam famam.

Rom. XIV, 19.

Eccli. XVII, 12.

Sed, proh dolor! quia ut ait Michæas propheta, Vir fratrem suum venatur ad mortem : quia pro eo quod unus alium traheret ad salutem, trahit eum ad culpam, et per culpam ad æternam damnationem. O quantum Deus indignabitur ei qui alios ad peccandum inducit! Denique hæc faciunt miseri, quoniam Deum non timent. Nam ut Salomon contestatur, Qui timet Deum, nihil negligit. Quod de filiali ac perfecto timore est intelligendum. Per hunc namque timorem fugit homo peccatum ex Dei amore, ne ipsum inhonoret, offendat, amittat. Hinc signum probabile quod quis Deum veraciter amet, est si diligenter omne vitet peccatum, ne eum offendat. Si ergo vis scire an diligas Deum, perpende quantum et qua ratione peccata devites. Certe multi dicunt se Deum diligere, et tamen nec cessant nec metuunt eum offendere: ideo mentiuntur, et fallunt infelices se ipsos. Sed attendamus quod Deus omnipotens, judex justissimus, omnium nostrum mentes, verba et opera jugiter intuetur et pensat, atque in brevi nos judicabit. Væ eis qui ejus præsentiam non attendunt, nec ejus conspectum verentur.

Mich. VII, 2.

Eccle. VII, 19.

Postremo, Anselmus archiepiscopus tria refert pulchra exempla, per quæ Deus ostendit festum Conceptionis Virginis benedictæ esse solenniter celebrandum. Primum est, quod dum Guillelmus dux Normannorum, vir timoratus, sibi Angliam subjugasset et statum Ecclesiæ reformasset, in ea percepit quod Dani se contra eum pararent ad bellum. Misit igitur quemdam devotum abbatem in Daniam, ad inquirendum de hoc veritatem. Quumque abbas ille rediret per mare, orta est tam vehemens tempestas in mari, quod ipse ac ceteri desperaverunt se posse mortem evadere. Quumque Deo suas animas commendarent, gloriosamque Virginem devotissime invocarent, apparuit eis vir venerandus, habitu pontificali indutus, super mare ad eos accedens, qui navi propinquus vocavit abbatem : Vis, inquiens, periculum istud evadere? Qui quum lacrimose respondisset se hoc totis affectare præcordiis, ille dixit : Scias me a Dei Genitrice directum, et si dictis meis obtemperare volueris, periculum istud evades. Promisitque abbas quod obtemperaret. Tunc ille præcepit : Diem conceptionis Virginis gloriosæ solenniter celebrabis, et celebrandum prædicabis. Quumque inquireret abbas quo die hoc ageret, et quo cantu seu officio uteretur Ecclesia, vir ille respondit : Sexto idus Decembris festum hoc celebrabis, et omne officium quod dicitur in ejus Nativitate, dicetur in ejus Conceptione, nomine Nativitatis in nomen Conceptionis mutato. His dictis ille disparuit, moxque tempestas cessavit, et abbas cum ceteris sanus evadens, quod promisit implevit, omnibus quibus potuit omnia ista notificans. Alia duo exempla in sermonibus circa evangelium conscribendis recitabuntur.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

LIBER GENERATIONIS JESU CHRISTI, ETC. Matth. I, 1-16.

BEATUS evangelista Matthæus, in evangelio hodierno, docet Christum Dei Filium esse veraciter incarnatum, et ex semine David progenitum : et quia ex virgine Maria immediate id factum est, idcirco in ejus solennitate legitur evangelium istud, quando aliud evangelium aptius non occurrit. Ait ergo Evangelista :

Liber generationis Jesu Christi, id est, liber hic evangelicus a Matthæo descriptus, a Christi generatione intitulatur. Consueverunt namque Hebræi libros a se editos denominare ab eo de quo in principio libri tractatur : quemadmodum primus Moysis liber dicitur Genesis, quia de mundi creatione sumit initium. Itaque iste est « liber generationis Jesu Christi », id est, humanam ac temporalem ejus generationem describens, de cujus deitate et divina atque æterna generatione plenius scripsit Joannes. *Filii David, filii Abraham,* id est, qui Christus secundum suam humanitatem est filius David regis et Abrahæ patriarchæ, quia ex eorum semine natus est, (Luc. I, 26 et seq.) non tamen immediate ex eis, sed ex Virgine matre. Si quæratur, cur Evangelista Christum nominavit specialiter filium horum duorum, respondet Hieronymus quia ad hos duos tantum de Christo facta est divina promissio. Ad David etenim dictum est : (Ps. CXXXI, 11.) De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Ad Abraham vero : (Gen. XXII, 18.) In semine tuo benedicentur omnes gentes. Sed obviare videtur, quod hæc eadem promissio legitur Isaac facta, (Ibid. XXVI, 4.) et postea in eodem libro etiam filio ejus Jacob. (Ibid. XXVIII, 14.) Præterea, Jacob patriarcha manifeste legitur prædixisse filio suo Judæ, quod de ejus semine nasciturus fuerat Christus : (Ibid. XLIX, 10.) Non auferetur (inquiens) sceptrum de Juda. Arbitror ergo idcirco Christum potissime dictum filium David et Abrahæ, quoniam hi duo in multis præ ceteris eminentes fuerunt, et principales valdeque sancti : nam David eximius fuit propheta et rex, et Abraham maximus patriarcha.

Abraham genuit Isaac supernaturaliter, de principali et prima conjuge sua Sara, quando nonagenaria fuit, (Gen. XVII, 17.) ita quod tunc duplex habuit fecunditatis impedimentum : siquidem naturaliter sterilis fuit, et tunc ratione senii fuit ad prolificationem inepta, sed virtute divina fecunda effecta est. *Isaac autem genuit Jacob,* (Ibid. XXV, 27; XXVIII, 12; XXXI, 11; XXXII, 24, 28.) qui fuit vir simplex atque in tabernaculis habitans : qui angelos sanctos frequenter vidit, interdum in visione nocturna, interdum in plena vigilia, et ab angelo sancto nominatus est Israel : quæ omnia patent in Genesi. Porro quam præclarissimus propheta exstiterit, (Ibid. XLVIII, XLIX.) quamque sanctissimum vitæ habuerit finem, liber Geneseos satis probat. *Jacob autem genuit Judam et fratres ejus,* undecim Patriarchas. (Ibid. XXIX, XXX.) Et quamvis Judas fuit quartus filius Jacob (nam ante eum nati sunt Ruben, Simeon, Levi), hic tamen præponitur et nominatim exprimitur, quia de ejus semine prodiit Christus. Unde et Deus in veteri Testamento, in multis honoravit tribum Juda : quia et reges ex Juda sunt orti, et cultus Dei magis permansit in regno Judæ quam in regno tribuum decem. Judas quoque inter fratres suos fuit fortissimus, (I Par. V, 2.) ut primo Paralipomenon habetur; sed et quam prudens ac eloquens fuerit, patet in Genesi. *Judas autem genuit Phares et Zaram de Thamar* nuru sua, (Gen. XXXVIII, 11-30.) cui quum Judas dare nollet suum filium in maritum, ut suscitaret semen fratribus suis maritis Thamar

absque prole defunctis, illa prolem habere A desiderans, mutato habitu, sedit in via qua noverat Judam venturum : qui æstimans esse scortum, concubuit cum ea, atque ad unum concubitum illa concepit geminos jam præfatos.

Phares autem genuit Esron; Esron autem genuit Aram; Aram autem genuit Aminadab; Aminadab autem genuit Na- Gen. XLVI, 8, 12. *asson.* Hic Phares cum patre suo Juda Ægyptum ingressus est, in qua genuit Esron; Esron quoque in Ægypto genuit Aram, et Num. I, 7. ille Aminadab. Sed et Aminadab in Ægy- B pto genuit Naasson, quorum uterque egressus est Ægyptum cum Moyse. Dicunt quoque Hebræi, quod mari Rubro diviso, et Moyse illud ingresso, quum ceteræ tribus eum sequi metuerent, Aminadab cum tribu Juda, in qua principalior erat, primo secutus est Moysen : quo viso, aliæ tribus secutæ sunt. Atque per hoc dicunt tribum Juda promeruisse regnum et principatum. Potius tamen tenendum est, quod tribus hæc sine merito suo ad regnum electa est et promota propter reverentiam Christi, C qui de ea incarnari et nasci elegit. *Naas-* Ibid. II, 3. *son autem genuit Salmon.* Iste Naasson fuit Exod. VI, 23. princeps tribus Juda, sororque ejus Elisabeth fuit uxor Aaron sacerdotis. *Salmon autem genuit Booz de Rahab.* Salmon iste cum Josue terram promissionis intravit. Josue II, 1 et seq. Rahab autem hæc est quæ nuntios Josue suscepit, abscondit, et per fenestram do- Ibid. VI, 25. mus suæ dimisit : idcirco cum parentibus et propinquis suis ab occisione præservata est a filiis Israel. Relicta quoque gentilitate, cum suis ad Judaismum conversa D fuit, virtuoseque vixit : unde ob suas virtutes a Salmon viro nobili et Hebræo in conjugem est assumpta.

Booz autem genuit Obed ex Ruth. Ista est Ruth Moabitis, cujus historia in libro ejus nomine intitulato descripta est : et quia ad Judaismum conversa fuit, et virtuose se habuit, non fuit illicitum eam a viro Judæo sumi uxorem. Booz quoque fuit vir pius, justus ac opulentus : qui cur Ruth pauperem sumpserit conjugem, patet in libro Ruth. *Obed autem genuit* Ruth IV. *Jesse,* qui (ut primo Regum habetur) in I Reg. XVII, 12. diebus Saul fuit vir grandævus, et inter filios Israel magnus. Et fuit trinomius : nam dictus est Jesse, et Isai, et etiam Is. XI, 1; Naas. *Jesse autem genuit David regem,* Ruth IV, 17, 22; II Reg. XVII, 25. qui fuit junior inter octo filios Jesse : fuitque David primus rex de tribu Juda. Porro I Reg. XVI, 10-13. sapientia, sanctitas, fortitudo, prosperitas, excellentia beatissimi David, primo et secundo Regum libris describuntur : imo et primo Paralipomenon multa inde addun- I Par. XIII et seq. tur, præsertim quam fervens fuerit in cultu divino. *David autem rex genuit Salomonem ex ea quæ fuit Uriæ,* id est ex Bethsabee, quæ fuit uxor Uriæ Hethæi, viri II Reg. XI, 3. justi. Accepit autem eam David in con- Ibid. XII, 24. jugem antequam ex ea genuit Salomonem. Porro, sapientia et devotio Salomonis, et III Reg III-XI. qualiter postmodum per mulieres depravatum est cor ejus, tertio Regum scribuntur. Reliquit quoque Salomon post se fi- Eccli. XLVII, 27. lium stultum, de quo subditur : *Salomon autem genuit Roboam,* propter cujus stul- III Reg XII, 13 et seq. tam responsionem decem tribus recesserunt ab ejus et posterorum suorum imperio. *Roboam autem genuit Abiam,* qui II Par. XIII. magnam unam victoriam habuit contra Jeroboam, decem tribuum regem, ut secundo Paralipomenon scribitur. *Abias autem genuit Asa; Asa autem genuit Josaphat.* Isti duo reges, scilicet Asa et Josaphat, gloriosi fuerunt et inclyti, vir- Ibid. XIV-XX. tuosi et magni : quibus maximas victorias atque divitias Deus concessit, prout secundo Paralipomenon plene describitur. *Josaphat autem genuit Joram,* virum pra- Ibid. XXI. vissimum, qui omnes fratres suos occidit, nec increpationibus Eliæ correctus fuit, et morte miserrima periit.

Joram autem genuit Oziam. Quarto Re- IV Reg. VIII, 24. gum habetur, quod Joram genuit Ocho- Ibid. XI, 2. ziam, Ochozias vero genuit Joas, de quo Ibid. XII, 21. natus est Amasias, qui genuit Oziam (qui Ibid XIV, 21. Is. I, 1. alio nomine vocatus est Azarias), sub quo beatissimus Isaias orsus est prophetare. Tres ergo reges hoc loco omissi sunt, scilicet Ochozias, Joas et Amasias. Cujus ratio

una est, secundum Hieronymum, Hilarium A et Chrysostomum, quoniam Joram accepit filiam Jezabel, feminæ gentilis ac pessimæ, conjugem : ideo filii ejus de iniquo et maledicto semine nati, usque ad quartam generationem tolluntur, ne in sanctæ nativitatis ordine collocentur. Aliam rationem ponit Hieronymus. Nam Matthæi evangelistæ propositum fuit, tres quaterdenas generationum, id est ter quatuordecim generationes, in Christi genealogia disponere, et hoc, in diverso temporum statu, ita ut a David usque ad transmigrationem B Babylonis esset una quaterdena. Quoniam ergo decem et septem generationes inter David et transmigrationem illam fuerunt, hi tres reges convenientius quam alii, ob causam præfatam, fuerant omittendi. Joram genuit immediate Ochoziam, mediate
II *Par.* xxvi, 16-21. vero Oziam : qui Ozias quum sibi usurpasset officium sacerdotum thurificando in templo, lepra a Deo percussus est, et usque ad mortem mansit leprosus; quem constat justum fuisse, et de sua præsumptione pœnituisse, plagam quoque pater- C næ correctionis Dei patienter tulisse.

IV *Reg.* xv, 5. *Ozias autem genuit Joathan,* qui patre suo propter lepram habitante seorsum, rexit palatium. Et fuit vir justus : imo Hieronymus super Isaiam, asserit eum fuisse justissimum. *Joathan autem genuit Achaz,*
Ibid. xvi ; II *Par.* xxviii. cujus idololatria, perversitas, infortunia, quarto Regum et secundo Paralipomenon describuntur. *Achaz autem genuit Ezechiam,* qui tantæ perfectionis et gloriæ
IV *Reg.* xviii, 5. fuit, ut quarto Regum de eo dicatur, quod nec ante eum, nec post eum in regibus D
Ibid. xviii-xx. illis aliquis ei similis fuerit. Cujus sanctitas, magnificentia, et mirabilia quæ propter eum Deus peregit, quarto Regum habentur descripta. *Ezechias autem ge-*
Ibid. xxi ; II *Par.* xxxiii. *nuit Manassen,* cujus gravissima scelera quarto Regum et secundo Paralipomenon
II *Par.* xxxiii, 11-13. scripta sunt. Postmodum vero a rege Assyriorum captus, incarceratus et catenatus, egit pœnitentiam valde. *Manasses autem*
Ibid. 22, 23. *genuit Amon,* qui patris sui facinora sequens, pœnitentiam ejus sequi neglexit.

Amon autem genuit Josiam, virum sanctissimum, qui in pueritia sua, quum esset (II *Par.* xxxiv, 3.) octo annorum, cœpit quærere Dominum : sub quo Jeremias orsus est vaticinari. De (*Jer.* i, 2.) cujus Josiæ laudibus scriptum est in Ecclesiastico : Memoria Josiæ in compositione odoris facta, opus pigmentarii; in omni (*Eccli.* xlix, 1, 2.) ore quasi mel indulcabitur, et ut musica in convivio vini.

Josias autem genuit Jechoniam et fratres ejus in transmigratione Babylonis, id est, imminente captivitate, perductione seu (IV *Reg.* xxiii, 30 et seq.) translatione Judæorum in Chaldæam, cujus Babylon fuit metropolis. *Et post transmigrationem Babylonis,* id est, Judæis in Babylonem transductis, *Jechonias genuit Salathiel.* Iste Jechonias, secundum Hieronymum, fuit filius Jechoniæ prioris, filii Josiæ; et ambo pravi fuerunt. Salathiel vero, secundum Chrysostomum, fuit vir virtuosus. *Salathiel autem genuit Zorobabel,* qui fuit vir sanctus, ut in Ecclesiastico et in Aggæo innuitur; de quo etiam (*Eccli.* xlix, 13; *Agg.* ii, 24.) in apocryphis Esdræ multa narrantur. *Zorobabel autem genuit Abiud.* Primo Paralipomenon legitur Zorobabel genuisse Mosollam et alios quosdam, inter quos non (III *Esdr.* iv, v. I *Par.* iii, 19, 20.) ponitur Abiud. Ad quod respondetur, quod unus illorum alio nomine appellatus est Abiud, vel non omnes filii ejus ibi ponuntur. De reliquis generationibus quæ sequuntur, usque ad Joseph, nihil habetur in scriptura canonica veteris Testamenti. Aliqui tamen Judæi diligenter scripserunt genealogias patrum suorum, præsertim ex semine David, de quo Christum noverant nasciturum : ideo sancti David posteritatem diligentius conscripserunt.

Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus. Erat autem Joseph veraciter vir Mariæ, quoniam inter eos matrimonium verum fuit, quamvis non fuerit per carnalem copulam consummatum. Natus itaque est Jesus secundum suam humanitatem ex Maria, quia ex purissimis ejus sanguinibus corpus ejus operatione Spiritus Sancti formatum est : qui Jesus vo-

catur et est Christus, id est Deus et homo in una persona duplicique natura.

Textum evangelii hujus super Matthæ- A um multo diffusius pleniusque exposui, et dubitationes ipsum concernentes dissolvi.

SERMO SECUNDUS

QUOD NULLAM VIRTUTEM OBTINUERINT PATRIARCHÆ SIVE PROPHETÆ AUT QUIVIS SANCTORUM, QUA NON SPECIOSISSIMA VIRGO MARIA FUERAT DECORATA.

IN *semine tuo benedicentur omnes gentes*. Gen. XXII, 18.

Quemadmodum circa exordium mundi in peccato hominis protoplasti humanum periit genus, juxta illud ad Romanos, Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors; ita a mundi principio necessarium fuit ad salutem habere aliquo modo fidem Christi venturi, salvatoris humani generis universi. Denique prima ætas mundi duravit ab Adam usque ad Noe atque diluvium : et in illa ætate non fuit idololatria, sed fides et cultus unius veri et summi Dei, propter recentem memoriam de mundi creatione et operibus Dei, ex quibus unitas Deitatis innotuit. Nihilo minus in illa ætate seu tempore illo, quædam gravissima viguerunt peccata, propter quæ Deus generale induxit diluvium. Sed longe post diluvium, tempore scilicet Nemrod et Nini regum Ninivæ, idololatria cœpit : quæ etiam cito valde fuit multiplicata, ita quod pauci manserunt veri Dei cultores.

Rom. V, 12. — *Gen.* VI, 1 et seq. — *Ibid.* X, 8-11.

Quumque idololatria undique cresceret, volens Deus tempore a se præordinato incarnari miserisque hominibus suffragari, unam ex omnibus gentem elegit, ex cujus semine fieret homo. Et primo sibi applicuit, elegit et gratiose vocavit patrem gentis illius Abraham patriarcham, quem fide, vita et loco seu habitatione a propria gente idololatra separavit; præcepitque ei ingredi et inhabitare terram promissionis, quia in ea Christus fuerat nasciturus, cum B hominibus conversaturus, et genus redempturus humanum.

Ibid. XII et seq.

Porro gens quam Deus ita elegit, fuit posteritas Abrahæ, populus Judæorum, cui loquitur Moyses : Te elegit Dominus ut sis ei populus peculiaris de cunctis populis terræ, quia dilexit vos Dominus. Et rursus : En Domini Dei tui cœlum est, et cœli cœlorum, terra et omnia quæ in eis sunt; et tamen patribus tuis conglutinatus est Dominus, et elegit eos, amavitque semen eorum post eos.

Deut. VII, 6, 8. — *Ibid.* X, 14, 15.

C Præterea, quam gratiosis, magnis et multis beneficiis Deus Judæorum populum in veteri honorarit Testamento, ex quinque libris Moysis, librisque Josue, Judicum, Regum, Paralipomenon, Esdræ et Prophetarum, ac aliis scriptis ostenditur. Unde Propheta gloriando ait in Psalmo : Quanta audivimus et cognovimus ea, et patres nostri narraverunt nobis; itemque, Non fecit taliter omni nationi. Fuerunt namque in populo illo Patriarchæ, Prophetæ, et alii Sancti. Eduxit etiam eos ex D Ægypto per signa, prodigia et miracula maxima. Pavit eos in eremo manna, atque in monte Sinai dedit eis legem per Moysen in evidentia et gloria magna. Deinceps induxit eos in Terram sanctam, quam patribus eorum frequenter promisit, non eis sed eorum posteris dandam. Fecit quoque gloriosa prodigia tempore Josue, in divisione Jordanis, stationeque solis ac lunæ in cœlo per viginti quatuor horas, et in aliis multis. Similiter multas miraculosas

Ps. LXXVII, 3. — *Ps.* CXLVII, 20. — *Exod.* XII. — *Ibid.* XVI, 35. — *Ibid.* XIX et seq. — *Josue* III et seq. — *Ibid.* IV et seq. — *Ibid.* X, 13.

victorias concessit eis tempore Judicum A et sancti David ac aliorum quorumdam regum, et tempore Machabæorum. Sed et per quosdam sanctos Prophetas fecit præclara miracula, præsertim per Eliam et Eliseum. Dedit quoque tunc populo Judæorum reges, pontifices, templum et propriam terram. *Deut.* IV, 7. Hinc Moyses loquitur : Non est alia natio tam grandis quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. *Ibid.* 8. Et rursus : Quæ est (inquit) gens alia sic inclyta ut habeat præcepta et cærimonias, B cunctamque legem quam tibi propono ? II *Reg.* VII, 23. Unde et secundo Regum David ait : Quæ est gens alia in terra sicut populus tuus Israel, Domine Deus ? Hinc ad populum Israeliticum dixit Moyses : *Deut.* XXXIII, 29. Quis similis tui, popule qui salvaris in Domino ?

Præterea diligentissime advertendum, quod post Christi adventum omnia ista ablata sunt populo Judæorum, et per gloriosos beatissimosque Apostolos ad populum christianum translata, imo et multo copiosius atque sublimius ei a Deo collata C quam olim Israeliticæ plebi. Fueruntque interim infelices Judæi a Deo relicti, capti, propria terra, regno, pontificio, ordine sacerdotum, miraculis, Prophetis, et omni cœtu sanctorum privati. Quod est certissimum signum et clarissimum argumentum, quod rex Messias Christus venit, et vera sit fides Christianorum : præsertim quum Judæi interim non coluerint idola, imo die ac nocte orent pro sua liberatione a præsenti captivitate, nec tamen exaudiuntur. Nec queunt aliam causam ratio- D nabilem assignare, nisi quoniam Christum occiderunt, nec credere volunt quod Jesus Nazarenus sit Christus. Unde etiam ex hac consideratione, multi doctissimi Judæorum magistri facti sunt christiani.

Insuper contemplandum, quod Dominus noster Jesus Christus, Deus et homo, sanctos illos Patriarchas ex quibus incarnari decrevit, videlicet Abraham, Isaac et Jacob, multosque ex posteritate eorum, multiplici gratia, excellenti virtute, admirabili sanctitate ornavit, sicut ex Genesi et aliis libris probatur. Etenim quantæ obedientiæ, quantæ fidei, quantæ humilitatis, mansuetudinis, pietatis et caritatis Abraham fuerit, scriptura sacra Geneseos docet. Item docetur ibidem de Isaac, Jacob, Joseph, et aliis multis. Similiter regibus Juda qui in ordine genealogiæ Salvatoris in evangelio hodierno ponuntur, copiosam sanctitatem, gratiam et virtutem contulit Deus : inter quos David, Ezechias et Josias præfulgere videntur; deinde Josaphat, Asa, Joathan, Ozias. Salomon vero creditur pœnituisse : imo Hieronymus evidenter hoc protestatur. Verumtamen non omnibus regibus illis Christus sic fecit : imo quidam eorum fuerunt pravissimi atque idololatræ, ut Achaz, Joas, Joram, Amon; Manasses quoque ad tempus, qui tamen pœnituit valde. In hoc quoque est considerare mirabilia et incomprehensibilia judicia Dei, quod inter præfatos reges quidam optimi, sunt nati de pessimis, et econverso. Nam vitiosissimus ille Joram de sancto Josaphat natus est, et pessimus Achaz de justissimo Joathan. Filii quoque Josiæ sanctissimi, fuerunt omnes iniqui. Similiter de impiissimo Achaz natus est devotissimus Ezechias, et de sceleratissimo Amon natus est optimus ille Josias. Nullus ergo propter parentum suorum præsumat virtutes, nec propter parentum malitiam quisquam desperet : quoniam sicut per Ezechielem prophetam loquitur Deus : Filius non portabit iniqui- *Ezech.* tatem patris, et pater non portabit iniqui- XVIII, 20. tatem filii; justitia justi super eum erit, et impietas impii erit super eum.

Præterea, quoniam Filius Dei, Christus Dominus, de Virgine sancta supernaturaliter voluit nasci, decentissimum fuit quod quibusdam præfatis Patriarchis supernaturaliter sobolem est largitus. Nam Isaac de matre naturaliter sterili natus est. Re- *Gen.* XI, 30; becca quoque Isaac uxor exstitit sterilis; XXI, 2. *Ibid.* XXV, et deprecatus est Isaac Deum, qui fecundi- 21. tatem dedit Rebeccæ, in tantum quod duos filios genuit simul, videlicet Jacob et Esau. Quæ omnia in Genesi scripta noscuntur.

Denique in Sanctis illis veteris Testamenti considerare valemus, quam bonum sit Deo servire, et quam amabilis fiat homo Deo altissimo perfecte et sancte vivendo : quod patet in multis victoriis quas Deus miraculose præstitit David et Asæ ac Josaphat. Specialiter vero istud pensatur in virtuosissimo Ezechia : nam ad ejus instantiam Deus per angelum interfecit inimicos Ezechiam obsidentes, centum octoginta quinque millia hominum in exercitu Assyriorum. Ad Ezechiæ demum petitionem, sol rediit retro per decem lineas, per quas descenderat in horologio Achaz, ita quod dies illa exstitit prolongata per horas viginti. Unde divinus Dionysius in epistola ad S. Polycarpum asserit, diem illum quasi triplicatum fuisse : quod intelligendum est de spatio diei artificialis. Item, quum Deus per Isaiam prophetam annuntiasset Ezechiæ quod protinus moreretur, et Ezechias ob hæc uberrime fleret, et Dominum exoraret, non ex mortis timore, nec desiderio vitæ præsentis, sed quoniam nondum habuit filium, ideo formidavit Christum non esse ex semine suo nasciturum : statim antequam Isaias exivit atrium palatii Ezechiæ, Deus eidem præcepit reverti ad Ezechiam, et dicere ei quod Deus concederet ei adhuc vitam per spatium quindecim annorum.

[*IV Reg.* xix, 35.] [*Ibid.* xx, 9-11.] [*Ibid.* 1 et seq.]

Insuper, omnium præfatorum sanctorum Patriarcharum ac regum virtutes in virgine Maria collectim et excellenter fuerunt. Ipsa namque in fide fuit fortissima, immobilis atque certissima, quia de Spiritu Sancto scivit se concepisse, et absque dolore ac tristitia peperisse : unde in triduo mortis Christi constantissima mansit in fide, quando ceteri corruerunt a fide. Ipsa etiam obedientissima fuit Deo, sicque in cunctis virtutibus post Christum erat summe perfecta. Nec inde se extollebat, quod in matrem Dei se vidit electam : imo quo excellentior fuit, eo in omnibus se humiliavit profundius. Quantæ etiam fuerit patientiæ, hinc probatur, quod tempore passionis Filii sui carissimi, quamvis Filio A patienti vehementissime compateretur, non tamen commota fuit aut impatiens contra illos qui mortem tam amarissimam suo Filio intulerunt. Legitur item in Revelationibus sanctæ viduæ Brigittæ, quod quamvis virgo Maria fuerit eloquens valde, raro tamen ac parcissime loquebatur, sed taciturnitati ac sanctis meditationibus jugiter fuit intenta, et pro totius humani generis salute oravit assidue. Nihilo minus labori manuum insistebat, panem otiosa non comedens. Pauperibus quoque pro posse liberaliter B succurrebat, implens quod Proverbiorum ultimo de ea Salomon ait : Manum suam aperuit inopi, et palmas suas extendit ad pauperem.

[*Prov.* xxxi, 27.] [*Ibid.* 20.]

In prædictis ergo virtutibus imitemur sanctos Patriarchas, potissimum Virginem summam, ut simus in fide firmati, et per sanctam obedientiam ad omne opus bonum parati, in prosperis humiles, in adversitatibus patientes, et Deo gratias exhibentes in omnibus. Imo, si quis in aliquibus bonis eminentiam aliquam videatur sortitus, C sive in bonis naturæ, ut in pulchritudine, eloquentia, subtilitate ingenii, dulcedine morum, sive in bonis fortunæ, ut in opulentia, potentia, nobilitate, sive in donis gratiæ ac virtutum; quanto in his aut in aliquibus horum fuerit major, tanto exsistat humilior, Deoque gratior atque subjectior, sciens se nihil boni a se habere, sed Deo tanto plus gratum et obedientem oportere exsistere, quanto plura ab eo bona suscepta sunt, et item attendens quod cui plus datum est, plus requiretur D ab eo; sicque districtum ac metuendum Dei expavescat judicium.

[*Luc.* xii, 48.]

Postremo, secundum exemplum quo Virgo beatissima notificavit festum hoc de sua Conceptione esse solenniter celebrandum, refert Anselmus his verbis : Tempore Caroli regis Franciæ, fuit clericus ejusdem * regis germanus, B. Mariam totis amans præcordiis, ejusque Horas quotidie legens devote : qui parentum suorum consilio nubere volens cum puella speciosa ac nobili, accepta a sacerdote nuptiali be-

[* *alias* Hungariæ]

nedictione, Missa completa, recordans quod A die illa Horas de Domina non legisset, omnes de ecclesia egredi fecit, et sponsam domum mittens, juxta altare Horas de Domina legit. Quumque antiphonam istam, Pulchra es et decora, filia Jerusalem, diceret, subito ei apparuit Virgo Christifera inter angelos duos, dicens : Si ego tam pulchra et decora sum, quid est quod me dimittis, et sponsam aliam accipis ? Nonne sum pulchrior illa ? Vidisti tam pulchram? Qui respondit : O Domina mea, claritas tua omnem mundi pulchritudinem excel- B lit, tu es super choros angelorum elevata. Quid ergo vis ut faciam ? At illa respondit : Si carnalem sponsam amore mei dimiseris, me sponsam in cœlesti regno habebis; et si Conceptionis meæ festum annuatim sexto Idus Decembris solenniter celebraveris, ac celebrandum prædicaveris, mecum in regno Filii mei eris coronatus. Quibus dictis, beatissima Mater Christi disparuit. Clericus vero domum regredi renuens, extra patriam cœnobium ingressus est, et monachus factus; atque post breve tempus meritis Virginis præelectæ patriarcha Aquilegiæ effectus est, festumque Conceptionis ejusdem omni anno diligenter celebravit, et celebrandum ordinavit. Devote ergo hoc festum celebremus.

SERMO TERTIUS

DE EMINENTI FORTITUDINE VIRGINIS MARIÆ, ET QUOMODO EJUS EXEMPLO FORTES VITIIS OMNIBUS RESISTERE DEBEAMUS.

M*ULIEREM fortem quis inveniet ?* C Prov. XXXI, 10.

Si rite consideremus quam ineffabiliter multa et magna mundo profluxerunt bona per Virginem gloriosam, merito ejus Conceptionem solenniter celebrabimus. Ipsa nempe est sacratissima ac desideratissima femina illa per quam humano generi universo recuperata est salus æterna. Per eam et in ea et ex ea Deus noster factus est frater noster, et Judex noster factus est advocatus noster, Creator noster factus est salvator noster. Ipsa est mulier illa victo- D riosa, præelecta, fortissima, de qua in exordio mundi dixit Deus serpenti, imo dia-
Gen. III, 15. bolo in serpente : Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius; ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus.

Sed nunc dicendum per ordinem, cur mulier ista, Virgo beata, dicta sit mulier fortis; et item, in quo fortitudo ista spiritualis consistat; quomodo etiam fortitudinem ejus debeamus sectari.

Itaque multis ex causis Virgo Deifera dicta est mulier fortis.

Primo, quoniam nunquam ab aliquo est superata peccato, quin imo omnem superavit aciem vitiorum. Hinc Sponsus cœlestis ait ad eam in Canticis : Tota pulchra *Cant.* IV, 7.
es, amica mea, et macula non est in te. O quam ineffabilis fortitudo est, in carne mortali, in fragili sexu, in femina inter peccatores versante, omnem aciem vitiorum prosternere, nec unquam saltem venialem incurrere culpam !

Secundo, quoniam cunctas aerias potestates, invisibiles humani generis hostes, nobilissimo debellavit triumpho, universa illorum tentamenta velocissime superans, et tanto spiritualium armorum apparatu incedens, quod ei propinquare præcipue verebantur. Hinc in Canticis conscriptum est : Terribilis es ut castrorum acies ordi- *Ibid.* VI, 3, 9.
nata. Ipsa contrivit caput serpentis, id est diaboli. Et potest per « caput » intelligi prava suggestio, seu vitium capitale superbia, quam ipsa specialissime sprevit,

exstirpavit et vicit, atque per hoc ad omnem gratiæ infusionem se eminentissime coaptavit. Ideo dixit : Quia respexit humilitatem ancillæ suæ. *Luc.* I, 48.

Tertio, quia omni virtutum perfectione fuit ornata. Virtus autem est animæ robur, armatura et confortatio ejus in Deo. Hinc de ea in Canticis dicitur : Quæ est ista quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol? *Cant.* VI, 9. Comparatur etenim Virgo beata auroræ. Primo, quoniam sicut aurora diem, sic ipsa præcessit Christum, qui est dies præclarissima electorum. Secundo, quia aurora incessanter crescit in lumine solis usque ad diem perfectum; sic Virgo dignissima indesinenter crevit in gratia, profecit in omni virtute, quousque ad diem pervenit æternitatis. Unde in Proverbiis asseritur : Justorum semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectam diem. *Prov.* IV, 18.

Insuper Virgo sancta dicitur pulchra ut luna. Primo, quia ut luna lucem suam sortitur a sole, sic ipsa a Christo, Deo altissimo, omnem suam adepta est gratiam. Secundo, quoniam lux lunæ imperfecta est comparatione luminis solis; sic virtus et gratia B. Mariæ comparatione perfectionis et gratiæ Christi. Sed quum in luna obscuritas seu macula quædam appareat, cur purissima ac sanctissima Virgo dicitur pulchra ut luna? Et respondendum, quod istud de interiori ejus pulchritudine dictum est, quæ quamvis admixtionem culpæ nullam habuerit, fuit tamen in ea minoratio quædam perfectionis et distantia ab eadem. Unde quotidie in pulchritudine ista profecit, quousque ad pulchritudinem illam perducta est quæ in beatifica Dei visione consistit.

Amplius, Virgo sacra vocatur electa ut sol, quoniam sicut sol præ cunctis cœli luminaribus micat, et aliis influit lumen, sic beatissima Virgo præ omni pura creatura fuit et est mirabiliter prorsus præfulgens, nec solum universam militantem Ecclesiam, sed summos quoque angelicos spiritus, etiam ordinum supremorum, illuminans, ut S. Dionysius contestatur, et totam Ecclesiam triumphantem lætificans et exornans. *Cf.* t. XV, p. 112 A, 551 A.

Quarto, ipsa dicta est mulier fortis, quia in caritate Dei et proximorum ardentissima fuit. Si enim quidam Sanctorum, non solum Apostoli et Prophetæ, sed et alii multi, ut Dionysius, Ignatius, Antonius, Deum tam fervide dilexerunt : quanto magis sacratissima Virgo, quæ se vidit tam præelectam a Deo, et cum qua ipse Dei Unigenitus ex ea natus, tot annis in mundo est conversatus? Nulla autem virtus tam fortis est ut dilectio, quæ omnia vincit, cui nihil videtur difficile, et quæ præ omni forma prompte ac delectabiliter operatur. Propter quod in Canticis dicitur : Fortis est ut mors dilectio; aquæ multæ non poterunt exstinguere caritatem, nec flumina obruent eam. *Cant.* VIII, 6, 7. Nec mirum si sacratissima Virgo in humani generis caritate fuerit tam accensa, quæ se propter illius salvationem vidit tam incomparabiliter sublimatam, utpote Dei matrem effectam; quæ etiam constituta est mediatrix, advocata et mater cunctorum fidelium.

Quinto, vocata est mulier fortis, quoniam tam inavertibiliter Deo inhæsit, tamque continue ei fuit intenta, et quasi semper in actu vacans Altissimo. Anima siquidem Christi in vita præsenti indesinenter in actu fuit Deo per contemplationem et dilectionem intenta, etiam tempore somni. Alii autem Sancti communiter, quamvis in vita hac fuerunt Deo valde frequenter atque ardenter intenti, sæpe tamen eorum contemplatio interruptionem sustinuit; sed Virgo præclara inter Christum et alios Sanctos se medio habuit modo. Nisi equidem tam frequenter ac fixe et fervide fuisset Deo unita, quomodo omnem venialem vitasset culpam? Idcirco, ut optime dixit Ambrosius : Incomprehensibilis incomprehensibiliter operabatur in Matre; et Sol ipse justitiæ, Sol sapientiæ sempiternæ, in mente Genitricis suæ clarissime splenduit, calefecit, peregit gratiosissime et quasi continue.

Nunc consequenter tangendum, in quo spiritualis fortitudo consistat. Quocirca perpende, quod fortitudo secundum unam sui acceptionem, est virtus specialis, et quatuor virtutum cardinalium una : et ita est virtus per quam homo se strenue habet circa pericula mortis, ea non formidando, sed aggrediendo propter justitiam; sicque fortitudo est virtus moralis passionem timoris refrenans. Alio modo fortitudo est unum de septem donis Spiritus Sancti, *Is.* xi, 2. quæ Isaias enumerat quum dicit, Spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis : et ita est habitus supernaturalis infusus, reddens animam prompte mobilem a Spiritu Sancto in aggrediendis et sustinendis adversis pro fidei veritate et æquitate. Tertio modo fortitudo accipitur magis extense, pro habitu virtuoso animum contra peccatum ac dæmonem confortante : sicque omnis virtus est mentis fortitudo ; et sic modo de fortitudine agitur sermo. Unde spiritualis fortitudo hominis consistit in connexione et perfectione virtutum : virtutes namque concatenatæ sunt, et se invicem juvant ac roborant, quemadmodum in exercitu unus alteri fit præsidio. Maxime autem fortitudo ista consistit in caritate, quæ est ceterarum virtutum motrix, forma, imperatrix et vita. Unde quo major est caritas, eo ceteræ virtutes frequentius excitantur promptiusque procedunt in actum. Itaque, quantum quisque resistit ac prævalet tentationibus et peccatis, passionibus atque dæmonibus, tantum spiritualiter fortis est; atque in quantum ab illis superatur, vitiisque consentit, tantum spiritualiter debilis est, vilis, miser, fœdus, læsus, corruptus.

Hinc non solum virgo Maria, sed omnis Christifidelis virtutum connexione ornatus, et earum corroboratione mutua constipatus, invisibilibus hostibus exstat terribilis : sicut castrorum acies ordinata terribilis est adversariis incolarum castrorum. Castra quippe ordinate disposita, magis delectant amantem, magisque terrent adversantem. Itaque fortitudo ista consi- A stit in expugnatione vitiorum, in victoria passionum, in exsecutione virtutum, ut stemus in medio rationis, nec inordinatam affectionem sed rectam rationem stabiliter assequamur. Hinc dicit Gregorius : Justorum fortitudo est, carnem vincere, propriis voluntatibus contraire, præsentis vitæ delectationes exstinguere, hujus mundi aspera et adversa pro æternis præmiis acquirendis amare, prosperitatis blandimenta contemnere, adversitatis metum abjicere. Porro impiorum ac reproborum fortitudo B est, transitoria sine cessatione diligere, contra flagella Conditoris insensibiliter in vitiis perdurare, vanæ gloriæ obedire, ad temporales honores adspirare, malitiæ augmenta exquirere, bonorum vitam verbis et factis impugnare, mala malis sine pœnitentia vera adjicere.

Postremo pensandum, qualiter fortitudinem spiritualem hujus fortissimæ mulieris debeamus sectari. Et ad hoc ex præinductis patet responsio. Nam quum dicat Salvator, Regnum cœlorum vim patitur, *Matth.* xi, 12. C et violenti rapiunt illud, videlicet qui salubriter vincunt se ipsos, utpote proprias passiones, pravitates et culpas (unde in Ecclesiastico scriptum est, Post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua *Eccli.* xviii, 30. avertere) : innotescit quod hanc fortitudinem imitari, est contra peccata jugiter præliari, verba illicita evitare, interiores exterioresque sensus custodire, motus ac stimulos passionum domare, mentem a cogitationibus appetitionibusque immundis et injustis servare immunem; in cibo, D potu, somno ac vestimentis moderamen servare, virtutum quoque operibus insistere strenue, et mentem ad Deum frequenter levare, præsertim tempore orationis ipsam ab evagationibus custodire; universa Dei atque Ecclesiæ observare præcepta. In his usque in finem perseverare, et in eis quotidie crescere, est vera et spiritualis hominis fortitudo. In his itaque gloriosissimam Virginem viriliter imitemur, quoniam hoc est eam potissime venerari, eam in virtutibus taliter imitari.

Atque ut eam sic sequi possimus, ipsam A jugiter invocemus, ut gratiam tantam nobis impetrare dignetur ; sed et viscera misericordiæ Dei pro gratia tanta incessabiliter imploremus, quia ut ait Apostolus,
Hebr. XIII, 9. Optimum est gratia stabiliri cor.

Præterea, tertium ultimumque exemplum quod in epistola sua recitat S. Anselmus, est istud : In pago Gallico fuit sacerdos, qui quadam nocte rediens a villa in qua cum uxore cujusdam viri fuerat fornicatus, solus ingressus est parvam navim, quia per aquam quamdam oportuit B eum transfretare. Quumque in medio flumine esset, et Matutinas de Domina legere inchoaret, turba dæmonum navim evertit; sicque submersus est, et dæmones ejus animam rapuerunt ad pœnas. Die autem tertio beata Virgo venit cum Sanctorum exercitu ad locum quo animam affligebant, dixitque illis : Cur animam famuli mei injuste affligitis ? Responderunt : Nos eam habere debemus, quia in nostro capta est opere. Ad quod Virgo piissima : Si illius (inquit) anima esse debet cujus opera C faciebat dum hominem submersistis, ergo mea erit, quia tunc meas Matutinas cantavit : idcirco vos magis rei facti estis, quia erga me inique egistis. His dictis, dæmonibus huc illucque fugientibus, sanctissima Virgo animam ad ejus corpus detulit, atque per brachium hominem illum ab utraque morte suscitatum accipiens, aquam a dextris et a sinistris stare jubens, de profundo fluminis ad portum reduxit incolumem. Qui gavisus, ad pedes ejus se prosternens, dixit : Carissima mea Domina et Virgo gratissima, quid tibi retribuam pro tantis beneficiis quæ mihi fecisti ? Et illa : Precor te, inquit, ne amplius in adulterii crimen labaris, et Conceptionis meæ festum sexto Idus Decembris solenniter celebres celebrandumque prædices. Quibus prolatis, Virgo Dei genitrix, sacerdote illo cernente, cœlos ascendit. Ipse vero eremiticam vitam assumens ac ducens, quid sibi acciderat, cunctis audire cupientibus narravit, et quamdiu vixit, celebravit hoc festum, prædicavitque celebrandum.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUARTUS

DE PROFUNDISSIMA VIRGINIS ET MATRIS DEI HUMILITATE, ET QUA POTISSIMUM VIA HANC NOBIS VIRTUTEM ACQUIRIMUS.

H*ANC amavi et exquisivi a juventute* D *mea.* Sap. VIII, 2.

Excellentissima virgo Maria, cujus modo solennitas agitur, omnibus nobis est amabilis : primo, propter bonitatem ejus sibi ab Omnipotente collatam ; secundo, ob suam supernaturalem et admirabilem dignitatem, qua omni puræ præeminet creaturæ ; tertio, propter multiplicem utilitatem nobis ab ea provenientem. Et propter easdem causas debemus eam semper exquirere, quatenus ei indesinenter complaceamus, et habeamus eam jugiter nobis favorabilem, materne adsistentem, protectricem fidelem. Primo igitur ipsa nobis amabilis est propter suam bonitatem. Et sicut omni pura creatura ipsa est melior, ita et amabilior. Idcirco post Deum eam singulariter præamare debemus. Porro bonitas ejus est multiplex : imo tot sunt ejus

bonitates quot virtutes ; nec dubium quin in omni virtute præfulsit.

Nunc autem de aliquibus ejus virtutibus est tangendum ; et primo de humilitate, de qua et ipsa specialiter gloriabatur
Luc. I, 48. in Domino : Respexit (inquiens) humilitatem ancillæ suæ. Credendum est itaque, quod post Christum, secundum quod homo est, nunquam fuit homo, imo nec angelus, tantæ humilitatis quemadmodum sacratissima atque dulcissima virgo Maria : imo sicut in ceteris virtutibus, sic in humilitate omnibus Sanctis incomparabiliter fuit perfectior, et ineffabiliter cunctis humilior. Quod ex diversis considerationibus innotescit. Prima est, quia humilitas est fundamentum virtutum. Ideo, quemadmodum Spiritus Sanctus decrevit excellentissimam virtutum structuram in beatissima Virgine ædificare, sic in ea perfectissimum, profundissimum ac validissimum humilitatis fundamentum locavit : sicut videmus, quod sapiens architectus quo altiorem, præclariorem et diuturniorem vult facere machinam, eo firmius et profundius fundamentum substituit. Secunda, quia humilitas mentem disponit ad omnium profectum virtutum ac gratiæ incrementum. Ideo, sicut Spiritus Sanctus decrevit gloriosissimam Virginem præ omnibus Sanctis implere omni charismate gratiæ perfectionibusque virtutum, sic summa et incomparabili humilitate eam ditavit. Tertia, quia quum exaltatio in gloria, correspondeat humilitati in via, juxta
Ibid. XIV, 11 ; XVIII, 14. illud, Qui se humiliat, exaltabitur ; propterea, quantum præ ceteris Sanctis est exaltata in cœlis, tanto præ eis humilior fuit in terris. Quarta, quoniam sicut Deus dignantissime se habuit circa eam, præsertim assumendo ex ea naturam humanam, et per hoc efficiendo eam suam matrem ; sic decuit ut ipsa cum summa sui humiliatione, tantæ Dei dignationi occurreret. Quinta, quia quo aliquid est alicui primo propinquius, tanto est ei similius. Quemadmodum ergo dignissima Virgo fuit Christo præ cunctis propinquissima, sic fuit ei in humilitate aliisque virtutibus simillima. Possent et aliæ variæ considerationes hujuscemodi introduci.

Porro actus interior elicitus humilitatis, est se ipsum ex contemplatione majestatis divinæ atque ex consideratione parvitatis propriæ parvi facere, dejicere ac Deo substernere, in propriam quoque nihileitatem defectibilitatemque resilire. Unde quo aliquis Dei sublimitatem, incomprehensibilitatem et infinitatem clarius contemplatur, ac propriam defectibilitatem, parvitatem et nihileitatem subtilius intuetur, eo ceteris paribus, semetipsum profundius sinceriusque humiliat. Nec dubium quin sicut incomparabilis et electissima virgo Maria fuit in fide, spe et caritate ceteris Sanctis perfectior, sic quoque in septem donis Spiritus Sancti, præsertim in dono sapientiæ donoque intellectus, fuerit cunctis sublimior ; in sui ipsius item notitia salutari completior : propter quod vere incomparabiliter fuit humillima. Ex interiori vero humiliatione procedit humilitas in loquendo, in incedendo, omnique exteriori apparatu, vestitu ac gestu.

Si ergo tam vehementissime se humiliavit Virgo ista tam præstantissima ac sublimissima : quanto magis nos omni defectuositate repleti, qui tam graviter tamque frequenter peccavimus, et quotidie adhuc peccamus, totque periculis sumus expositi, de hoc quoque, an simus in caritate *Eccle.* IX, 1.
ac prædestinati, ambigui, debemus nos humiliare, despicere, subjugare ; æquanimiter etiam ferre si humiliemur, despiciamur, deprimamur ab aliis, non indignari, turbari, tristari, neque ulcisci nec conqueri inde ? sicut sacratissima virgo Maria, quæ adhuc in carne degens mortali, quamvis a cunctis fidelibus in admiratione et veneratione maxima haberetur, a perfidis tamen Pharisæis, Scribis, ceterisque Judæis incredulis, miro et improbo modo despiceretur, de hoc nequaquam fuit indignans ; nec ex consideratione excellentiæ suæ usquam intumuit, nec illos despexit. Hæc est cordis humilitas, quæ Spiritus Sancti in-

habitationem atque totius meretur gratiæ A incrementum. Signum autem hujus interioris humilitatis, est sincera recognitio propriæ culpæ ac defectuositatis in accusatione seu correptione a præsidente aut aliunde illata : ut signum superbiæ est excusatio propriæ culpæ et infirmitatis. Idcirco dum accusaris, proclamaris, corriperis sive corrigeris, humilem, patientem, tractabilem, pœnitentem et emendantem te exhibe, quum in Ecclesiastico scriptum sit : Quam bonum est correptum manifestare pœnitentiam ! sic enim effugiet voluntarium peccatum. Et denuo ait : Vir sapiens non murmurabit correptus ; qui vero illusor est aut insipiens, non audit dum corripitur. Resplendeat ergo humilitas in verbis nostris, imo et in silentio, in omni actu, incessu, et morum ostensione ; nec inveniatur in aliquo nostrum quod in Ecclesiastico legitur, Est qui nequiter se humiliat, et interiora ejus plena sunt dolo : quoniam ficta humilitas non est humilitas, sed geminata iniquitas.

Eccli. xx, 4. *Ibid.* x, 28. *Prov.* xiii, 1. *Eccli.* xix, 23.

Insuper, cum beatissima Virgine discamus et assuescamus agnoscere, contemplari, mirari infinitam excellentiam Domini Dei nostri : quemadmodum ipse solus est verus Deus, ens æternum, independens, incircumscriptum, ens per essentiam absolute perfectum, infinite beatum, ipsumque esse separatum, superpurissimum, incommiscibile rebus, omnem essendi nobilitatem, plenitudinem, perfectionem cum interminabili eminentia simplicissime comprehendens ; ipsa bonitas superessentialis, immensa, veritas sempiterna, unitas supersimplicissima, mens supersanctissima, omnipotens virtus, illimitata majestas, sapientia increata, interminata, omnium provisiva, pietas summa, justitia incomprehensibiliter plena. Hæc et consimilia per fidem illuminatam et sapientiæ donum, de Domino Deo nostro sinceriter, humiliter, affectuose, absque periculoso perscrutinio contemplantes, comparatione suæ tam infinitæ excellentiæ tamque supersplendidissimæ puritatis humiliemus, prosternamus, dejiciamus, parvificemus nos ex totis præcordiis coram eo in infinitum, et nostras (si quas forsan habemus) justitias, non aliud quam velut pannum menstruatæ putemus. Non justificemus nos ante Deum, non magni, sapientes aut justi simus in oculis nostris, quum dicat Apostolus : Noli altum sapere, id est te ipsum extollere, seu de te ipso magna sentire ; sed time : et merito, quum nescias an amore sis dignus an odio. Ideo nos imperfecti et defectuo- B si, cum viro perfecto et sancto dicamus : Non intres in judicium cum servo tuo, Domine.

Is. lxiv, 6. *Rom.* xi, 20. *Eccle.* ix, 1. *Ps.* cxlii, 2.

Præterea, proprietates nostras miseras ac deflendas, sapienter et acute, assidue ac devote pensemus, utpote : quod ex nihilo facti, ad omne malum sumus proclives, a nobis ipsis nil nisi deficere, deviare, peccare habentes, et nisi divina pietate et gratia præservemur, enormia et innumerabilia quotidie peccata illabimur ; item, quod toties et tam graviter Deum offen- C dimus quod merito terra nos dudum absorbuisset ; quod bona quæ agimus, tam imperfecta et tot malis sunt mixta ; quod a patrum nostrorum conversatione, ab Ordinis nostri sincera observatione tam vehementer deficimus ; quod in corpore et anima tot fœditatibus, tot ærumnis et defectuositatibus sumus repleti. Hæc et his similia assidue perspicientes, humiliemus nos sub omnipotentia Judicis summi, et beatissimæ Virginis humilitatem utcumque sectemur ; eamque die hoc sacro, imo D quotidie, devotissime invocemus, ut gratiam sic agendi nobis impetrare dignetur, quatenus secundum exigentiam nostræ vocationis coram Domino ambulemus, in omni cordis custodia jugiter timorati, in omnibus observantiis Ordinis providi, in verbis discreti, in observatione silentii stricti, alacres in divinis, in colloquio et ubique a dissolutionibus præcaventes, sicque altissimæ Virginis Filio adorando, in sanctitate et justitia jugiter servientes.

I Petr. v, 6. *Ephes.* iv, 1. *Deut.* iv, 9.

SERMO QUINTUS

QUOD BENIGNISSIMA VIRGO MARIA SUIS AMATORIBUS SPONSA SIT TUTISSIMA ; QUODQUE OMNI EVITATA IMMUNDITIA, SPONSÆ TANTÆ CASTITATEM ET HUMILITATEM UNUMQUEMQUE DECEAT RELIGIOSUM IMITARI.

QUÆSIVI sponsam eam mihi assumere. Sap. VIII, 2.

Verba hæc de Sapientia ad litteram scripta, de sapientissima atque mundissima Virgine Dei matre convenienter accipiuntur. Sed quis audeat aut præsumat regis ac domini sui sponsam, vivente suo rege ac domino, sibimet desponsare ? Et tamen in historia solennitatis præsentis refert Anselmus, quemadmodum benignissima *Cf.* p. 54 A'. Virgo dixerit clerico : Si propter me carnalem sponsam dimiseris, me in cœlis sponsam habebis.

Itaque inter spirituale et carnale connubium ista est distinctio, quod in spirituali connubio unus et idem sponsus plures habere potest et habet sponsas ac conjuges; similiter una et eadem sponsa plures habere potest et habet sponsos. Christus namque triplicem dicitur sponsam habere, utpote : universalem, quæ est Ecclesia ipsa catholica; particularem, quæ est anima virtuosa, seu quæcumque particularis Ecclesia; et singularem, quæ est Virgo dignissima. Tot autem sunt Christi particulares sponsæ, quot particulares Ecclesiæ devotæque animæ. Denique dominus Papa vocatur universalis Ecclesiæ sponsus; episcopi quoque particularium suarum sunt sponsi Ecclesiarum. Conformiter æterna Sapientia, omnium eam sincere amantium sponsa asseritur. In connubio demum carnali, una unius est, et unus unius : carnalia etenim instar spiritualium bonorum communicari non queunt.

Sed explanandum nunc est, qualiter Virgo piissima devotorum amatorum suorum sit sponsa. Itaque, sicut carnalis connubii causa est consensus per verba de præsenti expressus, sic spiritualis matrimonii seu desponsationis causa est unio caritativa cum jugis adhæsionis proposito : quia qui Deo aut divinis per caritatem conjungitur, ei perpetuo adhærere intendit ; et hoc ejus propositum, est tanquam mentale verbum. Quicumque autem Deo caritate unitur, omnibus ad Deum spectantibus, hoc est in triumphanti ac militanti Ecclesia consistentibus, eadem caritate conjungitur. Dum ergo devotus Virginis gloriosæ amator ei amorose afficitur ac semper cohærere proponit, ei quodammodo desponsatur, ut sint duo in spiritu uno, sicut in carnali connubio sunt duo in carne una. Præterea, sicut carnalis matrimonii tria sunt bona, videlicet fides, proles et sacramentum; sic proportionabiliter in spiritualibus nuptiis triplex est bonum, utpote : fides, quæ est fidelitas inter sponsum et sponsam; fidelitas (inquam) vitandi omnem carnalem et fœdum amorem, omnem concupiscentiam vitiosam, et quidquid spirituali amori puræque unioni contrarium est, omnem scilicet culpam mortalem. Secundum bonum est proles, hoc est, germen virtutis, actio caritatis, fecundatio spiritualis, et omne meritorium opus : quæ omnia ex spirituali unione caritatis procedunt ac generantur, utpote ex mutua sponsi ac sponsæ dilectione interna. Tertium est, sacramentum seu sacrum signum. Nam unio ista caritativa per gratiam in hac via, signum est futuræ unionis plenæ dilectionis in gloria.

Desponset sibi igitur quilibet nostrum Virginem benedictam, per ferventem ad

eam affectionem ac inseparabilis adhæsionis propositum; et ipsam dignissimam ac dignantissimam sponsam brachiis caritatis spiritualiter ac sincerissime amplexemur, ac nostris præcordiis intime imprimamus ac constringamus; ejus flagremus amore, servemus ei fidelitatem, quatenus ejus intuitu et amore, omnem vitiosum et adulterinum detestemur affectum, omne abhorreamus peccatum, spiritualis connubii destructivum. Nulla in corde nostro resideat aut perduret cogitatio prava, ne illud Jeremiæ quarto Dominus nobis di- B cat : Usquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ? Qui et per Michæam pravis cordibus comminatur : Væ qui cogitatis inutile; et apud Isaiam hortatur : Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis. Imo de conceptione cogitationum illicitarum intra nos assidue pœniteamus, juxta illud Psalmistæ : Quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini. Hinc per Zachariam præcipit Deus : Malum vir fratri suo non cogitet in corde suo. Nullus ergo alium curiose observet, C quum scriptum sit : Qui observator est malorum, opprimitur ab eis. Et rursus ait Scriptura : Stultitia hominis, auscultare per ostium. Quo verbo reprehenduntur qui callide aut secrete advertunt quid alii inter se conferant.

Jer. IV, 14. *Mich.* II, 1. *Is.* I, 16. *Ps.* IV, 5. *Zach.* VII, 10. *Prov.* XI, 27. *Eccli.* XXI, 27.

Nullus quoque injuriam sibi illatam recogitet, aut ulcisci proponat, quum in Levitico præceperit Deus : Non quæres ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum. Quod quum Judæis quoque præceptum sit, et cunctis injungatur fideli- D bus : quanto magis nobis religiosis observandum est istud? Et væ multis qui non implent hoc ipsum, imo modicissimam sibi illatam injuriam in verbo aut signo, imprimunt cordi, scribunt in chartula et reponunt, quatenus suo tempore accusent hinc fratrem. Mirum, et utique valde mirum ac deplangendum, quod non audimus, non advertimus, non horremus cœleste illud tonitruum quo tonat Judex supernus voce magnitudinis suæ : Quum A stabitis (inquiens) ad orandum, dimittite, si quid habetis adversus aliquem; quod si non dimiseritis, nec Pater vester cœlestis dimittet vobis peccata vestra. O quanta est surditas interioris auditus, quam grandis duritia cordis ejus quem non alterant et emendant, si oppositum egit, hæc verba! Cogitemus ergo semper utilia, sancta, salubria et divina. Benedicamus Dominum in omni tempore; semper laus ejus in corde nostro. Sic igitur sponsæ cœlesti, virgini benedictæ Mariæ Christiferæ, mundum semper servemus nostri habitaculum intellectus.

Lev. XIX, 18. *Marc.* XI, 25, 26. *Ps.* XXXIII, 2.

Insuper superiorem animæ appetitum, utpote voluntatem, ab omni illicito purgemus affectu, ut prorsus nil diligamus, nil cupiamus, nisi vel summum et incommutabile bonum, vel alia propter illud, in quantum videlicet ad illud obtinendum nobis necessaria aut expedientia sunt. Nulla voluntati insit malitia, sed benevolentia, pietas, caritas, justitia, zelus sanctus ac dulcedo regnent et abundent in ea. Inferiorem quoque appetitum, videlicet sensitivum, rationi habeamus subjectum, ut passionibus dominemur : non ira, indignatione, impatientia, concupiscentia, torpore, tristitia, voluptate vincamur, sed imperemus his omnibus, dicamusque huic cogitationi, affectioni et passioni, Vade, et vadat; et alteri, Veni, et veniat; et servo nostro, scilicet corpori, Fac hoc, et faciat. Sicque sit anima nostra in manibus nostris semper, dum actibus virium ejus ad libitum imperamus; et corpora nostra exhibeamus hostiam sanctam, viventem, Deo placentem, atque per hæc sit rationabile obsequium nostrum.

Matth. VIII, 9. *Ps.* CXVIII, 109. *Rom.* XII, 1.

Præterea ex spirituali nostro cum gloriosissima cœli Regina connubio fecundemur et prolificemus, hoc est, ex intima dilectione ad eam, procedamus in omnem actum ei placentem : qui etenim aliquem diligit, libenter agit quod illi placet. Ideo si cœlestem hanc sponsam diligimus, ejus intuitu et amore faciamus quæ ei sunt placita.

Porro, quamvis ipsa universis fuerit plena virtutibus, specialiter tamen commendantur ac splendent in ea tres virtutes, quæ sunt castitas, humilitas et caritas : per quas etiam præcipue aptabatur ad hoc ut fieret Genitrix Dei. Castitas namque disposuit et aptavit eam ad hoc inchoative, humilitas inductive, caritas consummative; castitas de longinquo, humilitas de propinquo, caritas de proximo : magis etenim placuit Deo ex humilitate quam castitate.

Hinc in his tribus virtutibus nos ad summæ Virginis honorem exercere debemus potissimum. Nam et ad castitatem ex voto solenni adstringimur : propter quod sensualitatis edomationi nos invigilare oportet, et omnem carnis tentationem, concupiscentiam, stimulum mox arcere, exstinguere, eradicare, periculosas familiaritates, indecentes contactus, et quidquid sensualitatem actuat seu inflammat, vitare. Quod si manus nostra aut pes nos scandalizat, id est aliquis tam dilectus ut manus aut pes, mox eum abscindere, et occasiones peccandi debemus abjicere. Sic ergo, ut purissimæ Virgini complaceamus, omni carnalitati, fœditati, impuritati renuntiemus, atque quotidie magis ac magis mundi, casti ac spirituales esse condigne nitamur : similitudo namque est causa amoris ac ratio complacendi.

Matth. xviii, 8.

In humilitate quoque indesinenter crescere enitamur, et quantum in nobis est, A ab omnibus despici, derideri, affligi optemus. Humilitatis obsequia ejusque exercitia amplectamur et exsequamur; honore invicem præveniamus; et quanto quis major videtur, tanto plus humiliet se in cunctis. Consideremus quid desit nobis, quantum a patribus nostris deficiamus; et si quid boni in nobis est, inde nequaquam intumescat infelix cor nostrum, sed Deo, omnis boni datori ditissimo, illud cum omni gratiarum actione et humilitate attribuamus, pensantes illud Apostoli : Quid B habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?

Rom. xii, 10. *Eccli.* iii, 20. *I Cor.* iv, 7.

Postremo, in caritate, omnium matre ac fine virtutum, specialissime ac indefesse perfici satagamus; quidquid divinæ ac fraternæ dilectionis inflammativum est, consideremus, apprehendamus ac prosequamur. Ex effectibus et beneficiis Dei, ad ejus admirationem, honorificentiam ac timorem assidue accendamur, in universis et singulis sapientiam, omnipotentiam bonitatemque Creatoris inspicientes : quia ut C Salomon loquitur, Omnia fecit Deus ut timeatur. Circa proximos autem et confratres habeamus nos maxime caritative corde, signo, obsequio, opere, facientes ipsis quod ab ipsis nobis fieri cupimus; et quod nobis fieri ab ipsis odimus, eis nunquam faciamus; sicque suavissimæ Virginis cultores et sponsi esse ac permanere conemur. Ad laudem et gloriam superincomprehensibilis Trinitatis.

Eccle. iii, 14. *Matth.* vii, 12; *Tob.* iv, 16.

SERMO SEXTUS

DE INCOMPARABILI ANIMÆ ET CORPORIS VIRGINIS MARIÆ SANCTISSIMÆ ORNATU ET PULCHRITUDINE, DEQUE VIRTUTIBUS EJUS QUAS THEOLOGICAS VOCANT.

AMATOR *factus sum formæ illius.* Sap. viii, 2.

Pulchritudinem homines naturaliter appetunt delectabiliterque inspiciunt, et ad D eos qui pulchri sunt, specialiter afficiuntur. Quum igitur infra Deum non sit pulchritudo æqualis pulchritudini sacratissimæ ac divinissimæ Virginis, merito esse

debemus amatores sinceri pulchritudinis ejus, præsertim quum tanta sit pulchritudo ipsius, ut et fons universæ pulchritudinis, Deus et rex ejus, concupierit pulchritudinem ejus, quemadmodum ait Psalmographus : Concupiscet rex decorem tuum, quoniam ipse est Dominus Deus tuus. Porro de ratione pulchri, et quemadmodum, juxta divinum Dionysium, convertibile sit cum ente, de distinctione quoque pulchri et veri, multa possent subtilia introduci : quibus omissis, his dumtaxat quæ nostræ possunt ædificationi ad Dei gloriam deservire, intendamus.

Ps. XLIV, 12.

De Divin. nom. c. IV.

Fuit ergo in Virgine incomparabili deiformiterque fecunda, multiplex pulchritudo, videlicet pulchritudo naturalis, et pulchritudo supernaturalis. Pulchritudo naturalis ipsius fuit duplex, utpote : corporalis, nam et corpore erat (ut decuit) valde formosa, optime complexionata, et excellenter bene disposita. Alia ejus naturalis pulchritudo fuit et est spiritualis, scilicet summæ et increatæ Trinitatis similitudo et imago, in anima ejus expressa, resultans ac fulgens. Hæc est pulchritudo innata. Alia pulchritudo spiritualis ac naturalis est acquisita, in virtutibus naturalibus et acquisitis consistens : quæ et præclarissima fuit in Virgine, quoniam ex continuis suis exercitiis virtuosis generabantur et erant in anima ejus habitus virtutum acquisiti, secundum doctores; quæ virtutes acquisitæ, erant in ea valde præeminentes, quemadmodum et actus ex quibus generabantur. Fuit item in ea pulchritudo quædam moralis, in exteriori sui corporis ac apparatus dispositione morumque venustissima habitudine consistens : quæ in ea post Christum excellentissima fuit, ita quod in situ, apparatu, motu, incessu, singulorumque membrorum manerie, ac morum facetia, atque in cunctis modestia fuit præfulgida.

Præterea supernaturalis pulchritudo ejus consistit in excellentia, perfectione et ordine virtutum et donorum ei supernaturaliter per creationem infusorum, atque in actibus eorumdem : quæ pulchritudo

A maxima est in ea post Christum, et præinductis pulchritudinibus sublimiter eminet; specialissime vero consistit in virtutibus, donis, eorumque actibus, in illis potentiis subjective consistentibus in quibus supersanctæ Trinitatis imago attenditur. Hæc demum supernaturalis pulchritudo est duplex, quoniam una est viæ ac gratiæ, alia est gloriæ ac patriæ; et utraque tanta fuit in dulcissima Christi Genitrice, quod ab ejus notitia præconiisque condignis penitus deficit mens humana et lingua. Nihilo minus de supernaturali pulchritudine B sua quam habuit in hac vita per gratiam, paulisper pro viribus aliquid tangi potest.

In primis ergo consistit pulchritudo hæc in theologicarum ornatu virtutum : quæ in Virgine sacra perfectissimæ erant. Nempe quis cogitare, concipere, eloqui queat, quam clara, certa et firma exstiterit splendidissimæ Virginis fides ? Ipsa etenim supercertissime noverat se virginem esse, de Spiritu Sancto concepisse, sine pudoris sui minoratione, salvo videlicet virgineæ integritatis C signaculo, peperisse. Scivit se esse matrem Christi, Unigeniti Patris æterni; scivit se Deum et hominem in una persona concepisse ac genuisse; quumque plena esset gratia discretionis spirituum, scivit se cum archangelo Gabriele habuisse colloquium. Audivit verba pastorum et Simeonis ac Annæ, vidit tres Magos ac stellam, vidit Christi miracula, omniumque mysteriorum ejus excellentissime conscia fuit; et ei post resurrectionem suam primo apparuisse credendus est Christus. Quantum ergo ex D omnibus istis ac aliis illuminata, corroborata et certificata fuit fides ipsius ? Unde et tempore Passionis ipsa sola mansit in fide explicita plenarie stabilis et perfecta.

Amplius, de perfectione, excellentia ac certitudine spei ejus, dignum dici quid poterit ? O quam supercertissima et perfecta fuit spes hujus optimæ Virginis, quæ agnovit se matrem esse Dei deorum, eumque genuisse, tractasse, lactasse, educasse, qui omnium electorum est salus ac gloria ! Scivit se esse inter prædestinatos

præcipuam, atque in regno cœlesti thro- A num habere super omnium choros ac ordines angelorum. Propter quod cecinit
Luc. I, 46, 48, 49. confidenter : Magnificat anima mea Dominum, quia respexit humilitatem ancillæ suæ : ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna qui potens est. Scivit certissime se ab unico Filio suo, Deo et homine, summe et æternaliter honorandam, et vicem ab eo se reportaturam, nec a bono Filio suo se in suis precibus repellendam. Scivit se esse electissimam feminarum, imo om- B nium creaturarum. Nec dubitavit se esse eam de cujus persona, dignitate et gloria, ab exordio Patriarchæ ac Prophetæ fuerant prælocuti. Ineffabiliter ergo perfecta fuit spes ejus.

At vero de caritate ipsius, caritatisque suæ eminentia et ardore, idoneum dicere nil valemus. Quomodo enim non superferventissime diligeret Deum, a quo se vidit tam incomparabiliter esse electam, tam gratiosissime esse præventam ; cujus se vidit matrem esse effectam, cujus C bonitatem et munificentiam tam indesinenter et exuberantissime experiebatur in se; quem etiam tam illuminatissima fide, tam perfectissimo sapientiæ dono contemplabatur, quem dilexit non solum ut Deum et creatorem, ut patrem ac dominum, sed item ut filium, quem quotidie inspiciendo, contrectando, alendo et ad incrementa virilia perducendo, inæstimabiliter accendebatur ? Sic et ardentissime Deum Patrem dilexit, a quo noverat sibi missum ejus unigenitum Filium, et comparenta- D lem se ipsi Patri æterno vidit effectam. Sic quoque ferventissime dilexit Spiritum Sanctum, cujus virtute et obumbratione scivit se concepisse, tantisque gratiis esse ditatam, tantis charismatibus adimpletam.

Præterea, septem dona Sancti Spiritus dantur in expeditionem adjutoriumque virtutum, et potissimum expediunt atque perficiunt theologicas tres virtutes : et quanto quis in virtutibus theologicis est perfectus, tanto et in septem donis prædictis; idcirco credendum, quod quanta erat præstantissimæ Virginis excellentia in virtutibus theologicis, tanta et in donis. Fuit ergo in dono sapientiæ prorsus clarissima. Sunt autem doni sapientiæ hujus tres gradus, sicut et caritatis; et sapientia ista, quantum ad supremum seu tertium gradum suum, realiter idem est quod mystica theologia, quæ est sapientia theorica, unitiva, affectiva, flammigera, in qua præ omnibus viatoribus fuit beatissima virgo Maria ineffabili modo perfecta. — Sic et de aliis donis inferioribusque virtutibus declarari hæc possent. Quod in aliis hinc inde de ea sermonibus poterit fieri ; nunc autem in tantum sit tactum.

Postremo, in præinducta supernaturali pulchritudine eam utcumque sequi conemur, indefesse studentes in gratia crescere, in fide, spe et caritate, atque in donis Spiritus Sancti proficere. Et ut hoc fiat in nobis, laboremus in primis negligentias quotidianas, levitates, dissolutiones, pigritias semper vitare, imo et cuncta peccata venialia quasi mortalia abhorrere ; in humilitate, patientia, mansuetudine, sobrietate, ceteris quoque virtutibus moralibus quotidianum facere incrementum, ut motus bestiales omnium passionum discamus prorsus conterere, reprimere, suppeditare. Non cessemus cor nostrum ad Creatorem ac Dominum suum assidue elevare, orationibus meditationibusque internis insistere, virtutum operibus inhærere, et sæpe ad Dei honorem ac gloriam omnia ordinare, ut cum beatissimo psalmista David vere dicamus : Oculi Ps. XXIV, 15.
mei semper ad Dominum; et, Providebam Ps. XV, 8.
Dominum in conspectu meo semper. Pro communi bono Ecclesiæ jugiter accendamur ac deprecemur; pro vivis ac pro mortuis exoremus ; Deum ab omnibus debite honorari, semper cum omni fervore optemus, et ipsimet in primis eum totis viribus veneremur, aliosque pro posse ad idem, orando, hortando, virtuose agendo, inducere non cessemus. Ad laudem et gloriam Omnipotentis.

IN FESTO

S. BARBARÆ VIRGINIS

ET MARTYRIS

SERMO UNICUS

DE ADMIRABILI CONVERSIONE, ILLUMINATISSIMA FIDE, MAXIMA IN DEUM CARITATE GLORIOSISSIMOQUE MARTYRII TRIUMPHO SANCTISSIMÆ VIRGINIS, SPONSÆ ET MARTYRIS CHRISTI, BARBARÆ; ET QUALITER IMITANDA HÆC SINT.

F*ORTITUDO et decor indumentum* A *ejus.* Prov. xxxi, 25.

Quam admirabilis fuerit conversio S. Barbaræ, et quanta erat virtutum suarum perfectio, quam gloriosum etiam martyrium habuit, ejus Legenda testatur. Itaque, sicut in ea describitur, in Nicomedia civitate Ægypti fuit princeps dives ac nobilis, nomine Dioscorus, Christianorum atrocissimus persecutor. Hic duxit uxorem nobilissimam, quæ (ut legitur) de radice Jesse descendit : ex qua genuit filiam nomine Barbaram, præ ceteris temporis B illius filiabus hominum speciosissimam. Hæc matre sua defuncta, a patre liberalibus artibus tradita est, et diligentissime ipsis vacavit. Quumque ingeniosissima virgo videret homines idola adorare, plurimum mirabatur, et intra se arguit quod non esset Deus nisi ens unum, æternum, non participatum, et quod ille solus esset adorandus : hinc affectuosissime informari optavit veri Dei notitia, fide et cultu.

Præterea percepit, in Alexandria urbe Ægypti esse virum doctissimum, nomine C Origenem, cujus sapientiæ atque facundiæ nullus philosophorum posset resistere, qui certis argumentis probaret esse unum dumtaxat verum Deum, et idolorum confunderet vanitatem. Quo audito, gratiosissima Barbara cordialiter est gavisa, et cum nuntio misit ei occulte epistolam, petens informari ab eo quid sentiendum esset de Deo ejusque cultu. Nuntius ergo Alexandriam veniens, reperit Origenem in palatio Mammææ matris Alexandri imperatoris, ubi occupabatur tunc Origenes instruendo Mammæam ac ejus familiam christianæ fidei religionem. Hæc Mammæa ad Christum conversa, filium suum Alexandrum imperatorem precibus suis a Christianorum persecutione fecit cessare. Origenes perlecta epistola S. Barbaræ, præ gaudio plorans, terram statim osculabatur, benedicens Deum et laudans ; Mammææ quoque ista insinuans, et per hoc eam ac ejus familiam multum confortavit in fide, ac divino accendit amore. Porro Origenes sapientissime ei rescripsit, et qualiter Deus sit non solum in essentia unus, sed trinus etiam in personis, multum catholice docuit ; atque cum beatis-

simæ Barbaræ nuntio unum de sacerdotibus suis misit ad eam, cum libris Evangelii, Epistolarumque Pauli apostoli, et libro Psalmorum.

Interim Barbara sancta decubuit lecto, infirmam se simulans; sed solo Divinitatis languebat amore. Sicque sacerdos Origenis legatus, sub forma medici introivit ad eam. Quem ipsa cum grandi reverentia suscepit, protinusque audivit patrem suum Dioscorum advenire : ideo ipsa mox cubile suum ingressa est, ut patrem suum languendi colore deciperet. Dioscorus vero cum filia sua ignotum inveniens virum, indignans quæsivit : Quis hic et cur? Gloriosa virgo Barbara dixit, quod medicus esset, et subitum sibi sponderet valorem. Hinc pater ejus recedens, permisit eam loqui cum viro. Legit ergo epistolam Origenis et libros quos misit; ab ejus quoque legato instructa est plenius de Christi incarnatione, passione, et de sacramento Baptismi ac aliis fidei christianæ mysteriis. Facta est ergo lætissima, et patri suo insinuavit melius se habere : qui de hoc valde gavisus est. Post hæc pater ejus fecit pulcherrimam ac pretiosissimam fieri turrim, et duas in ea fieri jussit fenestras, et in ea filiam suam manere fecit, ne tam pulcherrima virgo ab hominibus videretur. Quumque multi nobiles ac potentes eam habere conjugem niterentur, de hoc Dioscorum sollicitabant. Qui filiam suam interrogavit quid ei circa hoc esset cordis. Ipsa respondit se nulli hominum nec imperatoris filio nubere velle, sed castitatem vovisse. Tunc pater respondit nobilibus, filiam suam velle manere innuptam.

Post hæc Dioscorus rex pro negotiis imperatoris in longinquam profectus est regionem, et diu moratus in ea. Interim S. Barbara turris structuram consideravit; quumque de origine, motu et influentiis solis et lunæ ac stellarum, quas ibi sculptas conspexit, meditaretur, apparuit et adstitit ei angelus Dei, ipsam de universis ad christianam spectantibus fidem illumi-

A nans. Quumque de Christi incarnatione eam institueret, apparuit ei Dominus Jesus in similitudine pulcherrimi pueri, in quo ipsa ineffabiliter delectabatur. Deinde angelo ei narrante quanta Dominus noster Jesus Christus pro ea et pro toto genere humano sustinuit, et prænuntiante quod ipsa quoque multa esset passura pro Christo, atque hortante ut se ad martyrium sacrum disponeret, mutatus est puer ille, et apparuit quasi totus passus, vulneratus et sanguinolentus, ita quod virgo Barbara
B ex compassione et compunctione in ecstasim lapsa est, viribusque defecit, Christi passionem pensando ac deplangendo.

Completa hac visione, consideravit beatissima Barbara duas tantum esse fenestras in turri, dixitque artificibus ut tertiam quoque efficerent. Responderunt : Timemus, o domina, offensam Dioscori regis patris tui, qui jussit ut duas tantum faceremus fenestras. Quibus dixit : Ego respondebo pro vobis. Tunc tertiam addiderunt fenestram : quod B. Barbara ad supergloriosis-
C simæ Trinitatis honorem fieri fecit. Post hæc ingressa est lavacrum quod pater ejus fieri fecit, ut ipsa lavaretur in eo. Quum pollice dextro sanctæ crucis signum imprimeret columnis marmoreis, saxa quasi mollis cera cesserunt, et manserunt in eis expressa crucis signacula, ex quorum intuitu adspicientium corda in admirationem et devotionem excitabantur. Deinceps Barbara præelecta descendens in absidem lavacri, et nullam ibi aquam reperiens, Christum ardenter oravit ut lavacrum il-
D lud aqua repleret : et ecce protinus, Deo cooperante, tanta ibi aqua effluxit, quod pertingebat usque ad S. Barbaræ umbilicum. Et tunc in eadem aqua virgo hæc a glorioso Christi præcursore Joanne est baptizata. Fuitque aqua illa multis infirmis in sanitatem. Ex tunc S. Barbara locustis et melle silvestri contentabatur, Joannem sequendo Baptistam. Et turrim læta ascendens, et patris sui idola cernens, exspuit in ea, fregitque ea, et auri ac argenti fragmenta dedit pauperibus. Hymnis quoque

et psalmis et orationibus die ac nocte fuit A intenta.

Post longum tempus pater ejus regressus, et tres in turri videns fenestras, artificibus dixit : Tertiam fenestram facere quis præsumpsit? Cui unus respondit : Filia tua id fieri jussit. Filiam ergo suam accedens, post oscula dixit : Tune, filia, tertiam fenestram fieri voluisti? Ipsa respondit : Imo, pater, et bene, quoniam tres fenestræ omnem hominem illuminant; duæ autem domum offuscant. Et pater ejus : Quomodo, inquit, tres fene- B stræ abundantius illuminant quam duæ? Cui Barbara : Tres fenestræ evidentius illuminantes, sunt Pater et Filius et Spiritus Sanctus, non tres dii, sed unus verus Deus, in quem credere et quem adorare oportet. Harum personarum una, videlicet Filius, humanam naturam assumpsit, et nunc me in conjugem duxit ac sponsam : cui meam vovi virginitatem, a cujus amore nulla me persecutio separabit. Quumque de his felicissima Barbara multa prosequeretur, pater ejus obriguit, et cadens, C quasi simulacrum exanime jacuit. Postmodum ad se reversus, verborumque filiæ recordatus, intellexit eam christianam effectam, ac Christum vocare suum sponsum. Mox ergo furore repletus, evaginato gladio voluit eam transfigere. Ipsa vero pro Christo mori non renuens, sed patri compatiens, Dominum invocavit, et statim omnipotenti Dei virtute abscissum est marmor, eam intus suscipiens; atque in montem eam transduxit.

Porro, in monte illo fuerunt duo pastores D oves pascentes, idque conspicientes. Quumque pater eam non invenisset in domo, urbem egrediens et montem ascendens, interrogavit pastores an filiam suam vidissent. Unus pastorum puellæ compassus : Non vidi (inquit) eam, nec scio ubi sit. Alter vero crudelis, eam digito demonstravit, et statim ex ultione divina mutatus est ipse in statuam marmoris, ovesque ejus sunt factæ locustæ : quæ ad sanctæ virginis sepulcrum sic permanent usque in præsens. Quum autem B. Barbara patrem suum audisset, ei sponte occurrit. Qui videns eam sponte sibi occurrere, mitigato furore, gladium in vagina reposuit, et filiam suam atrociter flagellavit; apprehensaque ejus coma, traxit eam de monte et ad palatium duxit. Clausit quoque tunc eam in arcta tenebrosaque cella, catenis et clave muniens eam; ipsa vero angelorum recreabatur consortio. Quumque die sequenti non potuisset filiam a christianitatis proposito revocare, furiosus adiit præsidem, nomine Martianum, recitans ei quid ei de sua filia contigisset; adjuravit etiam præsidem per deorum potentiam, ut filiam atrocioribus objiceret tormentis, nisi sibi præberet consensum.

Quum autem Barbara ad præsidem duceretur, Dominum exoravit pro confortatione gratiæ suæ. Adducta vero ad præsidem, primo allocuta est eum : Cur me advenire fecisti? Vis fidem meam cognoscere? Christiana sum, Deum verum adoro, falsa simulacra respuo. Ad quam præses : Condolendum est formosissimo tuo conspectui et adolescentiæ tuæ, idcirco in primis sustinenda es gratia patris tui; sed si diutius in superstitione ista duraveris, vires tuas experiar. B. Barbara ait : Mihi vis misereri? tibimetipsi miserere. Ego per temporales has pœnas æternam requiem introibo; te temporalis dignitas et mundi prosperitas ad perpetua mittent supplicia. Tunc iratus præses, suggerente Dioscoro, præcepit eam nudari et virgis acriter flagellari, dicens : Verba verberibus cedant. Gloriosissima autem Barbara exsultavit quod digna habita esset pro *Act.* v, 41.
nomine Christi contumeliam pati : Hunc (inquiens) diem exspectavi, hunc diem quæsivi et reperi. Quumque post flagellationem præsidi esset adducta, dixit ad eam : Nonne lapideum habes cor, quæ nec consiliis salutaribus acquiescis, neque flagella perhorrescis? S. Barbara dixit : Justitiæ rigor flecti non novit dum forti utitur pectore. Nihil tam justum quam unum verum colere Deum, et nihil tam impium

quam idola adorare. Ego autem melius ju- A dico omnia membra tormentis exponere, quam a semita justitiæ declinare. Quum autem præses flectere eam non posset, sed publice confunderetur ab ea, rugiens ipse ut ferox leo, jussit eam nudari et corpus virginale tenerrimum absque omni miseratione nervis taurinis dilaniari, ciliciniisque textis atrocissime defricari, ac crepitans calidissimum sal vulneribus ejus infundi. Dum itaque diu hoc sustinuisset tormentum, et totum corpus ejus sanguine proprio esset perfusum, præcepit eam in B teterrimum carcerem trudi, et super acutissima testarum fragmenta volutari. Et ecce media nocte circumfulsit eam lux cœlestis, ipseque Christus apparuit ei, dicens : Confide et confortare, o filia præelecta, quoniam magnum gaudium fit in cœlo et in terra de tua passione. Statimque omnes plagæ ejus sanatæ sunt, et Christus signo crucis super eam facto, ipsa vidente ascendit in cœlum. Tunc ipsa ineffabili gaudio est repleta.

Denique die sequenti præsidi præsentata, C pulchrior apparebat quam antea unquam. Quod præses diis suis adscribens, dixit : Vide quomodo dii miserti sunt tui, ut vel modo resipiscas. Sanctissima Barbara Martiano respondit : Dii tui pro suis sceleribus in inferno torquentur. Ego autem Christo Domino Deo meo pro thure offero orationem, pro victima animam meam ; insuper pro ejus amore corpus et cor meum ad omnia supplicia præparo : quem tu ignoras, eo quod cor tuum sit a diabolo induratum. Tunc præses jussit eam nudam in equuleo D pedibus sursum versis suspendi, et harpaginibus sacra ejus latera perforari, ardentium quoque lampadarum appositione plagas ejus horribiliter uri. Quæ omnia quum virgo victoriosissima alacriter sustineret, Deum laudans ac ei psallens, apponuntur ejus lateribus laminæ ferreæ ab igne candentes ; nec tamen Barbara a sua alacritate Deique laude cessavit. Tunc præses fecit eam coram se in stipite pessumdari verso capite, et illud ferreis malleis contundi, quousque pavimentum sanguine virginis maduit. Deinde fecit ubera ejus lenta sectione abscindi, ut sic diutius torqueretur. Quo facto jussit eam per totam urbem nudam circumduci, ut verecundiora ejus ab omnibus viderentur. Tunc pudicissima virgo Dominum exoravit ut sibi de cœlo mitteret tegumentum. Statimque angelus detulit ei candidam stolam, qua induit eam ; et eam consignans, integram ei restituit sanitatem. Quumque reducta esset ad præsidem, et ipse conspiceret eam rubicundam, fulgentem et alacrem, cœlestique stola indutam, præ stupore defecit, et quasi lapis effectus est. Cui beatissima Barbara dixit : O tu consimilis patri tuo diabolo, et confusus a Domino Jesu Christo, quid turbaris de gratia mihi facta ? Præses autem a suis satellitibus expergefactus, atque in se reversus, dedit sententiam ut decollaretur. Tunc proprius pater ejus Dioscorus duxit eam in montem, decollavitque eam. Quumque descenderet, ignis desuper veniens, eum omnino consumpsit.

Porro virgo hæc sancta, antequam decollaretur, oravit ut qui in necessitatibus et angustiis suis ejus agendo memoriam, Deum fideliter invocarent, consolationem reciperent, et ut passionem suam annua devotione recolentes, improvisa morte non prævenirentur, sed vere confiterentur. Venitque vox de cœlo, dicens eam esse exauditam. Passa est anno Domini ducentesimo tricesimo septimo, pridie Nonas Decembris, sub Maximino imperatore. Sepelivitque eam Valentinus sacerdos devotus : et quindecim annorum erat dum passa est. Denique ad ejus sepulcrum cæcis reddebatur visus, surdis auditus, claudis ambulatio, mutis locutio, debilibus virium restitutio, mœstis consolatio, obsessis dæmonum effugatio, aliarumque ægritudinum perfecta curatio. Intuentes igitur habitatores civitatis illius tot mirabilia, quamvis pagani, tumbam mirificæ structuræ fecerunt, quam auro ac gemmis copiosissime ornaverunt : in qua corpus glorio-

sissimæ Barbaræ reverenter ponentes, illud A cum quatuor catenis aureis in tumba illa in quodam templo civitatis suæ cum ingenti suspenderunt lætitia ; lampades quoque in circuitu adhibuerunt ardentes.

Hæc ex originali S. Barbaræ Legenda breviter sumpta sunt.

Ps. LXVII, 36. Ex quibus vere ostenditur quam mirabilis sit Deus in Sanctis suis, et quam beata sint vasa misericordiæ ejus. Insuper patet ex iis quam illuminata et fortis fuerit beata hæc virgo in fide, quam fervens caritate, quam constans et patiens in tam B longo et horrendo martyrio.

Ecce virgo illa illustris, pulcherrima, ditissima, omnem mundi contempsit ornatum, omnia vana et carnalia sprevit, tam atrocissimas pertulit pœnas. Quid itaque nos peccatores miserrimi sumus dicturi, qui pro regno cœlesti, pro Dei amore, pro nostris excessibus pati nil volumus, sed proni sumus ad iram, ad indignationem, ad pompam, ad inquinamenta mentis et corporis, ad Dei obsequium pigri, quibus molestum est orationibus meditationibusque devotis insistere, fabulari vero et cachinnare jucundum est? Sed redeamus ad viam salutis, quæ arcta est, et beatissimæ *Matth.* VII, 14. Barbaræ sequi vestigia saltem aliquo modo enitamur. Sequamur patientiam ejus et caritatis fervorem ; vana atque illicita fugiamus; Deum omnipotentem, æternum, temporalibus omnibus præponamus, ei semper corde timorato ac stabili adhærentes, qui est super omnia benedictus in sæcula. Amen.

Enarrationem epistolæ ac evangelii, cum sermonibus, quære de S. Catharina et in Communi Sanctorum de Virginibus.

IN FESTO

S. LUCIÆ VIRGINIS

ET MARTYRIS

SERMO UNICUS

DE VITÆ SANCTIMONIA B. LUCIÆ; ET VERECUNDIA AC TACITURNITAS QUAM SINT MAGNUM VITÆ ORNAMENTUM.

GRATIA *super gratiam, mulier sancta* A *et pudorata et tacita.* Eccli. XXVI, 19.

In iis verbis beata virgo et martyr Lucia commendatur a tribus. Primo, a mentis suæ munditia, quum dicitur, « mulier sancta ». Secundo, a casto pudore, quum additur, « pudorata ». Tertio, a sapientiali taciturnitate, quum subditur, « tacita ».

Denique sanctitas est mentis immunitas a peccatis, et decor gratiæ ac virtutum. Sed tunc quæri potest, qualiter aliquis in hoc corpore fragili vivens, possit sanctus vocari, quum Joannes apostolus dicat, Si B dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus : imo in Proverbiis scriptum sit, Justus septies in die cadit. Et respondendum, quod non omnes homines mortali peccato carentes, sancti sunt appellandi, sed homines excellenter virtuosi, utpote viri heroici ac perfecti, recte sancti vocantur : quia etsi quotidie venialiter peccent, tamen tantus in eis est fervor divini amoris, tantus vigor virtutum, tanta sinceritas intentionis, tanta cordis in Deo stabilitas, atque tam fre- C quens ac fervida elevatio mentis in Deum, quod pro suis venialibus culpis quotidie

I *Joann.* I, 8.

Prov. XXIV, 16.

satisfaciunt Deo; imo et ultra hoc, omni die valde proficiunt in omni virtute, præsertim in sanctæ dilectionis fervore. Itaque sanctitas viatorum non est tam pura atque perfecta ut sanctitas Beatorum.

Ad sanctitatem ergo primo exigitur immunitas ab omni culpa mortali. Secundo, elongatio et purificatio mentis ab omni carnali ac mundano affectu, quatenus ad divitias sæculi hujus, ad corporales delicias, ad temporales honores, mens non afficiatur inordinate : imo quantum fieri potest, omnia talia aspernetur ac fugiat, quatenus summo et incommutabili bono, Deo incircumscriptibili et æterno vacet liberius, ipsumque amet intensius et stabilius contempletur. Nam pluribus intentus, minor est ad singula sensus; et virtus unita fortior est quam dispersa. Ideo homo tanto aptior est ad Dei contemplationem et dilectionem ferventem et cultum assiduum, quanto minus in carnalibus et terrenis se occupat. Tertio, ad sanctitatem requiritur perfectio seu excellentia quædam virtutum, ut homo habeat eas secundum quod pertinent ad statum perfectorum, et ad viros heroicos seu divinos, qui

a passionum immoderantia penitus sunt A purgati, in omni humilitate, patientia, continentia radicati, plenarie fracti et sibimet mortui, solique Deo viventes, ita quod eorum conversatio est continua quædam honoratio Creatoris. Hi tales sunt sancti, qui cum Apostolo dicere queunt : Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus. (*Galat.* II, 20.) Hi sunt quorum voluntas est divinæ voluntati plene subjecta, qui nil agunt, nil amant aut appetunt, nisi in Deo et secundum Deum.

Hoc modo beata virgo Lucia fuit sancta, B quia hæc tria ad sanctitatem requisita, excellenter erant in ea. Aut enim in innocentia sua permansit, ita quod nunquam peccavit mortaliter; aut si quam talem incurrit culpam, per veram contritionem, confessionem et satisfactionem se purgavit ab ea.

Insuper, quantum ab omni carnali ac mundano se elongavit amore, probatur ex ejus Legenda. In qua inter cetera legitur, quod dum una cum matre sua juxta sepulcrum S. Agathæ oraret pro suæ matris C curatione, quæ per quatuor annos fluxum sanguinis incurabiliter pertulit, somno suavi oppressa, vidit in visione beatissimam Agatham in medio angelorum stantem, ac ei dicentem : Soror mea Lucia, virgo Deo devota, cur a me petis quod ipsa tuæ matri tribuere potes? Nam ecce merito fidei tuæ curata est. Evigilansque Lucia dixit : O mater, ecce sanata es. Per ipsam ergo te deprecor quæ suis orationibus te sanavit, ne mihi de cetero nomines sponsum carnalem; sed quidquid mihi pro conju- D gio eras datura, dones pauperibus. Sicque gloriosa virgo nubere recusavit, in virginitate permansit, et omnia sua pauperibus liberalissime erogavit : et ita carnales delicias ac temporales divitias sprevit omnino, quatenus mente purissima, atque ab omni mundana occupatione ac sollicitudine expedita et libera, Sponso jungeretur cœlesti. Habuit quoque fidem, spem, caritatem, patientiam, fortitudinem ceterasque virtutes in excellentia magna, sicut in ejus patuit passione et infra tangetur.

Itaque et nos in prætactis virtutibus sacram Luciam sequi conemur. Deo enim sanctitatis immensæ mundo corde oportet servire. Carnalia desideria contemnamus, de rebus temporalibus nemo plus appetat quam sibi utile aut necessarium est ad bene vivendum, ad serviendum et complacendum Altissimo. Ait namque S. Hieronymus : Ab omni nequitia mundum necesse est esse et dolo, qui cupit regnare cum Christo. Si cum Christo partem habere desideras, Christi exemplo tibi vivendum est. Si Sanctorum cupis habere consortium, a malitiæ et nequitiæ cogitatu pectus emunda, quia non nisi sanctos et justos et innocentes et puros cœlestis aula suscipiet.

Secundo, in themate commendatur S. Lucia a pudore laudabili, hoc est a verecundia bona. Est equidem verecundia duplex, juxta illud Ecclesiastici : Est confusio adducens peccatum, et est confusio adducens gratiam et gloriam. (*Eccli.* IV, 25.) Verecundia bona est erubescentia de peccato præterito aut præsenti, et etiam timor de re turpi ne accidat. De hoc bono pudore per Jeremiam loquitur Deus : Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere. (*Jer.* III, 3.) Hac verecundia carent indurati in vitiis et habituati in turpibus, qui gloriantur in malis, nec de suis sceleribus erubescunt : quia eorum ratio est penitus obscurata, atque palatum cordis eorum prorsus infectum est, ita quod prava judicant bona, nec virtutes sed vitia sapiunt eis. Hæc bona erubescentia debet haberi in confessione, quia tunc confitens debet de suorum turpitudine vitiorum coram Deo et ejus vicario confessore præcipue verecundari. Qui etiam pudor non parum minuit culpam, et magnam debitæ satisfactionis seu pœnæ tollit partem. Hinc ait Ambrosius : Erubescere debemus, et condemnare peccatum, non defendere ; quoniam pudore culpa minuitur, defensione cumulatur. Erubescentia ista de malo culpæ, actus est sapientiæ ac pœnitentiæ. Ex conside-

ratione etenim pulchritudinis, sanctitatis A dignitatisque Dei, gignitur castus pudor, quo homo erubescit coram Deo turpiter et impie se habere, atque de culpa præterita non negligit pœnitere. — Porro verecundia mala est, qua homo ita de suis erubescit peccatis, quod ea abscondit, negat, excusat, et confiteri sincere postponit. Hæc est verecundia pessima, quæ multos pertrahit in infernum. Et utique valde stultum est et iniquum, plus erubescere coram hominibus de confessione peccati, quam coram Deo de perpetratione B ipsius. Ideo dicit S. Hieronymus : Quidquid pudet dicere, pudeat cogitare. Est item quædam verecundia mala, qua aliqui verecundantur agere bona ; et si quid boni agere inveniantur, hinc erubescunt. Idcirco Gregorius loquitur : Sicut verecundia laudabilis est in malo, ita reprehensibilis est in bono. Erubescere enim malum, sapientiæ est ; sed erubescere bonum, fatui-
Luc. IX, 26. tatis. Propter quod ait Salvator : Qui me erubescit et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet.

Denique S. Lucia casto et bono pudore fuit repleta, caruitque verecundia mala. Unde in omnibus se coram Deo habuit reverenter, et Christum confessa est coram persecutore constanter. Quum enim Paschasius judex ei juberet idolis immolare, juxta principum Romanorum decreta, ipsa respondit : Tu principum tuorum decreta custodis, et ego legem Dei mei custodiam. Tu illos offendere non vis, ego Deum offendere caveo. Tu illis placere desideras, ego Deo placere desidero.

Itaque in hac virtute beatam imitemur Luciam, et quo nostra peccata sunt plura ac graviora, eo cordialius erubescamus de ipsis. Sic tamen erubescamus, ut ea nihilo minus sincere ac integre confiteamur.
Ibid. XVIII, 13, 14. Nam publicanus peccata sua erubescendo in tantum quod nec oculos audebat levare ad cœlum, et pectus suum tundendo, meruit justificari. Hinc Esdras ait, vir justus :
I *Esdr.* IX, 6. Deus meus, confundor et erubesco levare faciem meam ad te, quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt, et delicta nostra creverunt usque ad cœlum.

Tertio, in themate commendatur S. Lucia a taciturnitate virtuosa, quoniam inutilia et illicita verba diligentissime cavit, et nihilo minus congruo loco et tempore sapientissime loquebatur : imo pro christianæ fidei defensione, cum imperterrita promptitudine loquebatur. Nempe, ut Salomon protestatur, est tempus tacendi, et *Eccle.* III, 7.
est tempus loquendi. Quum enim Paschasius dixisset ad eam, Patrimonium tuum cum corruptoribus tuis expendisti, ideo quasi meretrix loqueris ; ipsa respondit : Patrimonium meum in tuto constitui ; corruptores autem mentis et corporis nunquam cognovi. Cui Paschasius : Qui sunt corruptores mentis, et qui corporis ? Ait Lucia : Corruptores mentis vos estis, qui suadetis ut animæ suum deserant Creatorem ; corruptores corporis sunt, qui temporalem delectationem præponunt deliciis sempiternis. Dixit Paschasius : Cessabunt verba, quum perventum fuerit ad verbera. C Et Lucia : Dei (inquit) verba cessare non possunt. Cui Paschasius : Tu ergo es Deus ? Respondit B. Lucia : Ancilla sum Dei. Ad quam Paschasius : In te ergo est Spiritus Dei ? Ait : Qui caste vivunt, templum sunt Spiritus Dei. Et Paschasius : Ego (inquit) ad lupanar te faciam duci, ut ibi violeris, et Spiritum Sanctum perdas. Respondit Lucia : Non inquinatur corpus nisi de consensu mentis. Nam si me invitam feceris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam. Ecce quam sapientialis et secura, non D formidolosa responsio.

Itaque et nos laudabilem taciturnitatem discamus, et tempore opportuno sapienter loquamur, verbositatem semper vitantes, quia ut ait Scriptura, Qui multis utitur *Eccli.* XX, 8.
verbis, lædit animam suam ; et, Vir lin- *Ps.* CXXXIX, 12.
guosus non dirigetur in terra. Hinc denuo legitur : Est tacens, qui invenitur sapi- *Eccli.* XX, 5-7.
ens ; et est odibilis, qui procax est ad loquendum. Est autem tacens, non habens sensum loquelæ ; et est tacens, sciens aptum tempus. Homo sapiens tacebit usque

ad tempus, lascivus autem et imprudens A non servabit tempus. Itaque verba utilia et necessaria sunt dicenda, inutilia atque superflua sunt vitanda.

Præterea prætactæ virtutes ad feminas et ad adolescentes ac adolescentulas præcipue pertinent, quia in eis verecundia et taciturnitas maxime collaudantur, quemadmodum etiam inverecundia et loquacitas in eis præsertim vituperantur. Juvenes igitur et puellæ ab omni loquacitate et inverecundia se refrenent. Hinc in libro de Officiis scribit Ambrosius : Verecundia B quum sit omnibus ætatibus, personis, locis, temporibus apta, tamen adolescentes et juvenes maxime decet ; et sicut artifex in materia commodiori operari aptius solet, sic verecundia in ipsa quoque corporis compositione plus eminet. Ait quoque Bernardus : Quam pulchra ac splendida morum gemma est verecundia in vita et vultu adolescentis ! Quoniam vera atque indubia bonæ spei est nuntia, bonæ indolis index, virga disciplinæ, expugnatrix malorum, propugnatrix virtutum, custos famæ C decusque vitæ. Parentes ergo et seniores instruant filios suos ac filias has virtutes, et a frontosa audacia, a garrulitate, a choreis et saltationibus cohibeant eos sicut tenentur, ne simul cum illis damnentur.

Postremo Deus omnipotens sponsam suam ac martyrem gloriosam Luciam in sua passione mirabiliter honoravit. Quum enim Paschasius fecisset advenire lenones ut eam ad locum turpitudinis ducerent, eam movere non poterant. Fecit quoque Paschasius mille viros accedere, nec tamen valebant eam de loco movere. Deinde viris adhibuit plura paria boum, et nihilo minus virgo sancta mansit immobilis. Videntes autem amici Paschasii eum angustiari, gladium gutturi Luciæ beatissimæ infixerunt. Quæ nequaquam loquelam amisit, nec ab illo mota est loco quousque sacerdotes venerunt, et corpus ei dominicum tradiderunt. Quo facto, feliciter migravit ad Christum, qui cum Deo Patre et Spiritu Sancto unus est Deus vivens et regnans per sæcula cuncta. Amen.

Fuit autem B. Lucia dives ac nobilis genere virgo Syracusana, et passa est circa annum Domini trecentesimum decimum, tempore (ut fertur) Maxentii.

Reliqua quære de Virginibus.

IN FESTO

S. THOMÆ APOSTOLI

ENARRATIO IN EPISTOLAM

SCIMUS QUONIAM DILIGENTIBUS DEUM OMNIA COOPERANTUR IN BONUM, ETC.
Rom. VIII, 28-39.

APOSTOLUS in præsenti epistola describit quasdam proprietates electorum, A et quanta sit eorum beatitudo ac gratia. Ideo in solennitate hodierna et aliorum quorumdam Apostolorum, recte ista epistola legitur, quia beati et gloriosi Apostoli inter electos Dei sunt præcipui, at-
Rom. VIII, 23. que primitias Spiritus, id est præcipua dona gratiæ Spiritus Sancti, præclarissime acceperunt. Ait ergo apostolus Paulus :

Scimus, id est, ego ceterique Apostoli ac viri perfecti certissime credimus, et ex divina revelatione cognoscimus. Frequenter autem in Scripturis, scire pro cre- B dere sumitur : ut quum sanctus Job lo-
Job XIX, 25. quitur, Scio quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus
Joann. XI, 22. sum ; et Martha Christo ait, Scio quia quæcumque poposceris a Deo, dabit tibi ;
Ibid. 24. itemque, Scio quia resurget in resurrectione, in novissimo die. Itaque, « scimus » *quoniam,* id est quod, *diligentibus Deum* amore supernaturali infuso, *omnia,* tam prospera quam adversa, bona et mala, *cooperantur in bonum,* id est, finaliter eis C proficiunt ad salutem. Opera namque virtuosa cooperantur eis in bonum directe,
Rom. v, 20. mala autem indirecte. Nam ubi abundavit iniquitas, abundat et gratia. Hinc de viro
Ps. I, 3. justo fertur in Psalmo : Omnia quæcumque faciet, prosperabuntur. Sæpe quippe contingit ut quo gravius se peccasse perpendunt, eo cautiores, humiliores ferventioresque fiant, sicut in Evangelio ait Salvator : Cui plus dimittitur, plus diligit. Luc. VII, 47.
Verumtamen istud non accidit universis diligentibus Deum : nam aliqui reprobi, ad tempus meritorie diligunt Deum. Ideo subditur : *Iis qui secundum propositum vocati sunt sancti,* id est prædestinatis, qui secundum divinæ mentis decretum ad gratiam sanctificantem vocati sunt, finalem gratiam ac perseverantiam adepturi. Itaque, « secundum propositum », id est divinæ voluntatis intentum, et rationem prædestinationis æternæ, « vocati sunt sancti », id est, per gratiosam Dei vocationem sancti effecti sunt.

Nam quos præscivit, id est, ab æterno salvandos prænovit, hos *et prædestinavit,* id est, in sua æterna dispositione et providentia præordinavit, *conformes fieri imaginis Filii sui,* id est, Filio suo unigenito naturali, per dona gratiæ in præsenti, atque per dona gloriæ in futuro assimilari. Adoptiva quippe filiatio electorum, est similitudo quædam filiationis naturalis divinæ. Conformantur ergo electi Filio Dei dum fiunt filii adoptivi, quia per gratiam gratum facientem, caritatem et cetera do-

na Spiritus Sancti, sortiuntur quamdam supernaturalem assimilationem cum Deo Patre, cujus imago naturalis, perfecta et plena, est unigenitus Filius ejus, quum
Sap. vii, 26; Hebr. i, 3. sit imago bonitatis paternæ, splendor gloriæ, candor lucis æternæ, et speculum sine macula majestatis Dei Patris, et figura sive character substantiæ ejus. Assimilan-
Joann. i, 1; xiv, 6; I Cor. i, 24. tur quoque et Filio, qui est Verbum, veritas et sapientia Patris, dum natura eorum intellectualis dono sapientiæ et divinorum contemplatione perficitur. Potest etiam conformatio ista referri ad Filium secundum ejus humanitatem. Sic enim prædestinati sunt « conformes fieri imaginis Filii » Dei, ut coheredes sint Christi; et
I Cor. xv, 49. sicut portaverunt imaginem terreni, sic portent imaginem cœlestis, hoc est, sicut similes fuerunt Adæ per culpam et fomitem, sic sint similes Christo homini per gratiam et virtutes.

Ut sit ipse Filius Dei *primogenitus in multis fratribus,* id est, inter prædestinatos fideles, qui sunt fratres ejus secun-
Coloss. i, 18. dum naturam ipsius humanam, primatum tenens ordine dignitatis tanquam caput eorum, et primogenituræ jus possidens, hereditatem Patris abundantius percipiendo, eamque aliis distribuendo. Dicitur
Apoc. i, 5. etiam Christus primogenitus mortuorum, quoniam propria potestate surrexit, et fuit primus impassibilis resurgens. Porro, in quantum unigenitus, non habet fratres : sic enim est naturalis et unicus Filius, verusque Deus; sed in quantum primogenitus, fratres habet : quorum naturam assumpsit, qui et suæ gloriæ erunt par-
Hebr. ii, 11, 12; Ps. xxi, 23. ticipes. Hinc ad Hebræos asseritur : Non confunditur fratres eos vocare, dicens, Narrabo nomen tuum fratribus meis.

Denique quæ bona prædestinationem sequantur, subjungitur. *Quos autem prædestinavit* Deus ab æterno, *hos et vocavit* ad fidem et gratiam, per inspirationem internam, per instructionem angelicam; sive per prædicationem humanam : quæ tamen sine interna vocatione seu motione et illuminatione non sufficit. *Et quos vo-*
A *cavit, hos et justificavit* indulgentiam conferendo, seu culpam eis dimittendo et gratiam infundendo. *Quos autem justificavit, illos et magnificavit,* id est, magnos fecit in felicitate et gloria : nam quosdam jam ita magnificavit, alios magnificabit. Itaque prædestinatio gratiam præparat, et respicit gratiæ bonum finale. Unde secundum Augustinum, prædestinatio est præparatio gratiæ in præsenti, et gloriæ in futuro. Vocatio gratiam offert, et retrahit a peccato; justificatio gratiam confert, et
B respicit bonum gratiæ initiale; magnificatio gratiam consummat in gloria, et respicit bonum felicitatis æternæ.

Quid ergo dicemus ad hæc? id est, qualiter ista et tantam Dei misericordiam in electis satis laudare poterimus? *Si Deus pro nobis* est, nos defendendo ac adjuvando (sicut est pro prædestinatis), *quis contra nos?* id est, quis nobis nocere valebit? Nullus utique, quia omnia cooperabuntur nobis in bonum. Si enim tentemur a dæmone, si infestemur a mundo, omnia per
C Dei gratiam fiunt nobis materia meritorum : imo si corpus occidatur, anima per patientiam coronatur. Ideo sanctus Job loquitur Deo : Pone me juxta te, et cujusvis Job xvii, 3.
manus pugnet contra me. *Qui* Deus Pater, inter alia beneficia sua nobis impensa, *etiam proprio Filio suo non pepercit* a passione et morte crucis. Quamvis enim Filius Dei ter oraverit, Pater, si possibile Matth.
est, transfer a me calicem istum, nihilo xxvi, 39, 42, 44.
minus Pater voluit eum pati : ideo subditur, *sed pro nobis omnibus tradidit illum*
D manibus adversariorum permissive, quia a proditore eum tradi permisit. Porro, secundum Thomam in tertia parte Summæ suæ, Deus tradidit Christum tribus mo- q xlvii, a. 3.
dis : primo, quoniam ab æterno præordinavit per Christi passionem genus humanum esse salvandum; secundo, quoniam inspiravit ei voluntatem patiendi pro nobis; tertio, permissive, ut dictum est. *Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* Per locum a majori concluditur, quod ex quo Filium suum carissimum,

sibi consubstantialem, coæqualem et coæternum, dedit nobis in salvatorem per Incarnationis mysterium (juxta illud Isaiæ, Is. IX, 6. Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis), etiam cetera cuncta Filio minora præstiterit nobis in re vel in spe, et quantum in ipso est et ad salutem nobis Hebr. I, 14. necessarium est. Angelos enim dedit nobis Ps. VIII, 8. in concives atque custodes. Omnia quoque corporalia subjecit fidelibus : nam et cor- Deut. IV, 19. pora cœlestia fecit in ministerium cunctis gentibus, ut dicitur in Deuteronomio. Omnem gratiam in præsenti, omnem gloriam in futuro dare paratus est, sicut et Filius Joann. XVI, 23. contestatur : Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.

Quis accusabit adversus electos Dei? quasi dicat : Nullius accusatio poterit eis coram Deo nocere in hora judicii particularis aut generalis. Possunt tamen jam fraternaliter accusari a proximis, et paternaliter corrigi a prælatis : imo a dæmonibus animæ electorum apud Christum judicem accusantur, et frequenter purgatorio adjudicantur ; sed nulla accusatio poterit eis nocere ita ut a Deo finaliter separentur. Ideo subditur : *Deus* est *qui justificat* electos. *Quis est qui condemnet* eos? Nullus utique, quoniam Dei judicio nullus potest resistere. Idcirco subjungitur : *Christus Jesus qui mortuus est* pro electorum salute, *imo qui et resurrexit* tertia die, *qui est ad dexteram Dei* residens? id est, in summo honore et Patris æqualitate, in quantum Deus ; secundum humanitatem vero suam, sedet ad dexteram Patris, id est in potioribus bonis illius. *Qui etiam* I Tim. II, 5. *interpellat pro nobis,* secundum quod mediator Dei et hominum. Unde in prima I Joann. II, 1. Joannis Canonica scriptum est : Advocatum habemus apud Patrem, Christum Je- Hebr. VII, 24, 25. sum justum. Et ad Hebræos legitur : Christus sempiternum habet sacerdotium, unde et salvare potest in perpetuum, accedens per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis. Ostendit etenim Patri latus et vulnera.

Quis ergo nos separabit a caritate Chri- A *sti?* id est, quis tollet amorem Christi a nobis? *Tribulatio* corporis? *an angustia* mentis? *an fames? an nuditas? an persecutio? an periculum,* id est mortis discrimen, damnum apparatusve mortis? *an gladius,* id est mors ipsa, aut mortis timor? Quasi dicat : Nullum horum separare nos poterit a Christi amore. *Sicut scriptum est* in Psalmo in persona justorum ac martyrum : *Quia propter te,* o Do- Ps. XLIII, 22. mine Deus, id est, propter tuum amorem, et propter justitiam, atque ut te finaliter B obtineamus pro felicitatis objecto objectalique præmio, *mortificamur tota die,* id est, assidue tribulamur, et per quotidianas adversitates ac persecutiones ad mortem deducimur : imo etiam nos ipsos sponte ac salubriter mortificamus, propriam voluntatem frangendo, concupiscentias refrenando, et per opera pœnitentialia nos castigando ; *æstimati,* id est a persecutoribus ac vitiosis hominibus reputati et spreti, *sumus ut oves occisionis,* id est ut oves quæ occiduntur ut lana earum et C carnes in occidentium veniant usum. Hinc Christus dixit discipulis : Ecce ego mitto Matth. X, 16. vos sicut oves in medio luporum.

Sed in iis omnibus adversitatibus *superamus,* omnia æquanimiter sustinendo, *propter eum qui dilexit nos,* id est, propter Christi amorem, qui prior dilexit nos, I Joann. IV, 10. et propter beneficium gratiæ ejus, cujus auxilio et virtute omnia invictissime patimur, et etiam propter ipsum finaliter obtinendum pro præmio.

Certus sum enim, quia neque mors, ne- D *que vita,* id est amor vivendi aut vita voluptuosa ; *neque Angeli,* qui sunt de ordine ultimo infimæ hierarchiæ cœlestis, *neque Principatus,* qui sunt de tertio ordine hierarchiæ prædictæ, *neque Virtutes,* quæ sunt de secundæ hierarchiæ medio ordine; *neque instantia,* id est præsentia bona vel mala, *neque futura* prospera vel adversa, *neque fortitudo,* id est violentia alicujus, *neque altitudo,* id est dignitas sæculi hujus, vel cornu humanæ præsumptionis, *neque profundum,* id est

profunditas sapientiæ sæcularis aut philosophicæ, *neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro,* id est, quæ secundum ejus doctrinam et voluntatem a
Matth. xxii, 37. nobis impenditur Deo, ita quod eum toto diligimus corde, ut docuit Christus. Vel dicitur caritas ista « Dei » esse « in Christo Jesu », quoniam ea quæ Christus pro nostra salute fecit ac pertulit, incitant nos ad actualem ac fervidum Dei amorem.

Istud dicit Apostolus in persona sui ipsius et aliorum Apostolorum, quos ex revelatione divina sciebat esse confirmatos in gratia. Vel si istud intelligatur dictum in persona omnium prædestinatorum, referendum est quantum ad separationem finalem. Nam quamvis interdum quidam eorum separentur ad tempus a Deo per

A culpam mortalem, finaliter tamen separari non possunt.

Præterea, quod de angelicis spiritibus dictum est, non est ita intelligendum quasi angeli sancti velint nos separare a Dei amore, sed quia etsi per impossibile vellent hoc, non tamen id possent. Juxta quem sensum ait Apostolus : Licet angelus de cœlo evangelizet vobis præter id *Galat.* i, 8.
quod evangelizavimus, anathema sit. Verumtamen per angelos præfatorum cœlestium ordinum, intelligunt quidam angelos
B malos qui de ordinibus illis ruisse creduntur. De quibus ad Ephesios habetur : Non *Ephes.* vi, 12.
est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, etc. Expositionem textus hujus epistolæ hic celeriter transeo, quoniam eam super epistolas Pauli diffusius elucidavi.

SERMO PRIMUS

DE IMMENSA DEI ERGA SUOS MISERICORDIA, ET CONTRA MALOS JUSTITIA INFINITA.

B*EATUS quem elegisti et assumpsisti, Domine.* Ps. LXIV, 5.

Ad hoc Dominus universorum, Deus omnipotens, justus, pius et sapiens, universa constituit, ut sua in eis perfectio reluceret. Porro inter perfectiones Dei, misericordia et justitia magnum et altum obti-
Ps. cxlvi, 5. nent locum : ideo Deus (cujus sapientiæ non est numerus) voluit misericordiam atque justitiam suam in intellectualibus ac rationalibus creaturis manifestari. Quos ergo præordinavit ad hoc ut finaliter salvi fiant, ii vocantur electi et prædestinati; quos autem perituros prævidit, præsciti reprobique dicuntur : et illos vocat Apo-
Rom. ix, 22, 23. stolus vasa misericordiæ, istos nominat vasa iræ. Hoc in spiritu sanctus Propheta intelligens, locutus est Deo : « Beatus quem elegisti et assumpsisti ». Vere beatus est, quem Deus ab æterno elegit, et tempore

C sibi placente assumpsit, id est, per caritatem et gratiam sibi in vita præsenti conjunxit, deinde in cœlesti regno per gloriam beatificæ visionis sibi adstrinxit, aut ita unire decrevit.

Denique, de materia ista prædestinationis divinæ et præscientiæ ac reprobationis æternæ, non est coram populo multum loquendum, neque incaute aut abundantius prædicandum, quoniam vulgus non est tam altæ materiæ capax, et facile ex tali sermocinatione occasionem sumit erroris
D vel indecentis confabulationis. Verumtamen, quia Apostolus in præsentis festi epistola evidenter de ista scribit materia, aliquid inde tangam superficialiter et succinctim, quatenus Christiani advertant quantum Deo habeant regratiari de hoc quod præ ceteris mundi gentibus, ad fidem salutarem gratiamque Baptismi vo-

cati sunt. Propter quod ait Hieronymus : A Nihil felicius Christiano, cui regna promittuntur cœlorum. Non quod omnes Christiani salvantur, sed quia nullus homo nisi Christianus, salvatur tempore evangelicæ *Joann.* III, 5. legis, quum Christus testetur : Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. Et rur- *Ibid.* 18. sus ibidem asseritur : Qui non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei.

Primo ergo videndum est hic, quid sit prædestinatio. Et ad hoc Augustinus re- B spondet, quod prædestinatio est præordinatio rationalium et intellectualium creaturarum quarumdam ad æternam beatitudinem certitudinaliter obtinendam. Et rursus : Prædestinatio, inquit, est præparatio gratiæ in præsenti, et gloriæ in futuro. Quum enim ad supernaturalem felicitatem Deus creaverit hominem, ad quam nemo naturalibus potest pertingere viribus, sed per sola supernaturalia auxilia gratiæ Dei ; hinc ii quibus Deus largitur gratiosa media pertingendi ad felicitatem C æternam, dicuntur electi. Et quoniam Deus nil casualiter agit aut improvise, sed omnia sapientialiter ac providentialiter operatur : ideo isti quibus ab æterno decrevit præstare dona et virtutes certive ac finaliter veram adipiscendi salutem, vocantur electi et prædestinati et vasa misericordiæ, quia ex sola caritate, liberalitate et misericordia sua Deus hoc facit ; ceteri autem vocantur præsciti et reprobi vasaque iræ, quoniam propter eorum demerita juste relinquuntur a Deo.

Nunc ergo pensemus profundius, quam beati sint electi et prædestinati, quam item miseri sint præsciti ac reprobi. Quum etenim totum tempus vitæ præsentis sit tanquam momentum et indivisibile *nunc*, respectu futuræ æternitatis in vita sequenti, omnisque tribulatio hujus vitæ sit tanquam nihil, comparatione futuræ felicitatis et gloriæ ; constat quod electi, quantumcumque duras ac diuturnas tribulationes habeant in hoc mundo, nihilo minus valde beati censendi sunt, eo quod ad æternam et ineffabilem illam beatitudinem certissime sint venturi. Ideo ait Salvator : Beati estis quum maledixerint vobis homi- *Matth.* v, 11, 12. nes, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos, mentientes, propter me ; gaudete in illa hora et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Imo quo graviora hic patiuntur, eo feliciores sunt, dummodo veram in Deo patientiam servent. Simili modo reprobi et præsciti, quantumcumque temporaliter prosperentur, delicientur ac honorentur, prorsus miseri sunt : et tanto infeliciores, quanto nunc abundantius atque diutius in propriis desideriis prosperari ac ambulare sinuntur, quum delectatio ac duratio vitæ istius, nullius momenti sint comparatione gaudii et perpetuitatis futuræ felicitatis. Unde de talibus scriptum est : Impii vivunt, sublevati sunt, *Job* xxi, 7-9, 13. confortatique divitiis ; semen eorum permanet coram eis, et non est super eos virga Dei ; ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt.

Denique, quum unusquisque homo in sæculo isto incertus sit an prædestinatus *Eccle.* ix, 1. sit, an certe præscitus ; restat ut universi et singuli semper timorati, custoditi, solliciti simus coram Judice summo, et periculi nostri immensitatem jugiter vereamur. Præsertim quum in laqueorum medio ambulemus, quos pauci evadunt : ita quod non solum multo major pars hominum, sed et multo major Christianorum, in æternum damnantur. O quanta est excæcatio D hominum, quanta insipientia mortalium, quanta perversitas iniquorum, qui tam intimorate vitioseque vivunt, quasi a Deo judicandi non essent, et quasi non esset vita post vitam præsentem ! Idcirco de eis beatissimus Moyses dixit : Gens absque *Deut.* xxxii, 28, 29. consilio est et sine prudentia ; utinam saperent et intelligerent, ac novissima providerent. Et sanctus David : Filii (inquit) *Ps.* iv, 3. hominum, usquequo gravi corde ? Ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium ? Hinc etiam Salomon loquitur : Us- *Prov.* i, 22.

quequo stulti ea quæ sibi nociva sunt cu- A
pient ? Siquidem stulti sunt omnes Deo non adhærentes nec obedientes : quoniam bona carnalia et caduca præferunt bonis spiritualibus et supernis, imo summo, incommutabili et interminabili bono, quod est Deus sublimis et benedictus, cujus
Is. XL, 15. comparatione totus mundus est velut pulvis exiguus ; prosperitatem quoque vitæ præsentis brevem, incertam ac modicam prædiligunt ac præponunt beatitudini regni cœlestis inæstimabili et æternæ. Nonne vanissimi atque stultissimi sunt ii om- B
nes ? Et tamen tam multi sunt, ut de eis
Eccle. I, 15. illud Ecclesiastæ dicatur : Stultorum infinitus est numerus.

Præterea, quum inter prædestinatos et præscitos nihil ita distinguat in sæculo isto ut caritas Dei et amor sui, quia per caritatem Dei efficitur homo membrum Christi et civis Jerusalem, et per amorem sui (qui est amor improbus ac privatus, quo homo diligit se in se, et propria delectamenta ac commoda quærit contra divina præcepta) efficitur servus ac mem- C
brum diaboli, civisque Babylonis : hinc ad veram et spiritualem dilectionem Dei ac proximorum semper nos demus, in ea permaneamus, crescamus, et consummemur ; omnem vero inordinatum, carnalem et fœdum abjiciamus de cordibus nostris amorem. Amicos in Deo et inimicos propter Deum amemus ; Dei honorem et gloriam fervide desideremus, ei uniri, placere æternaliterque vacare super omnia appetamus, et quidquid a Dei amore impedit aut avertit, despiciamus. Nam ut ait D
Rom. VIII, 28. Apostolus, Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.

Insuper, quum præinducta ita se habeant, attendamus quam vere et excellenter beatus fuit et est sanctus apostolus Thomas : quia non solum quoad propriam personam eminenter electus fuit et prædestinatus, sed etiam tam copiosissimum et innumerabilem populum infidelem convertit ad Christum, et sua prædicatione, virtutibus atque miraculis, ad æternam perduxit salutem. Nam (ut testatur Isidorus) gloriosissimus iste Apostolus Evangelium prædicavit Parthis et Medis ac Persis, Hyrcanis quoque et Brachmanis ; et orientalem ingrediens plagam, remotioraque gentium penetrans loca, usque ad Indiam superiorem devenit, atque ibidem, sicut alibi, plurimos convertit. Ideo fructuosissima arbor fuit, et dicere potuit cum Propheta : Ego autem sicut oliva fructifera in *Ps.* LI, 10.
domo Dei.

Præterea admonemur in præsenti epistola, considerare quam indicibilis sit caritas, munificentia et misericordia Dei in suis electis, quia per supernaturalia gratiarum suarum charismata facit eos Filio *Rom.* VIII, 29.
suo naturali conformes : per caritatem namque et ceteras virtutes infusas, fiunt amici et adoptivi filii Dei, qui et paternaliter eos tuetur. Non ergo pusillanimes simus aut formidolosi, quoniam si Deum veraciter quærimus, si eum diligimus, si ei placere conamur, et ei pro posse in omnibus obedimus, ipse adjutor atque protector est noster. Ideo ipso juvante hostibus prævalemus, dicente Apostolo : Si *Ibid.* 31.
Deus pro nobis, quis contra nos ?

Amplius, sicut hic docet Apostolus, hoc inter beneficia Dei præcipuum est, quod Deus Pater omnipotens proprio Filio suo *Ibid.* 32.
non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. In quo primo apparet inæstimabilis caritas Dei ad nos, juxta illud B. Joannis : In hoc apparuit caritas Dei in I *Joann.* IV, 9.
nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum. Secundo in hoc apparet misericordia Dei Patris, quia in tantum condoluit nobis per vitia vulneratis, atque æternæ damnationis periculis expositis, quod unigenitum Filium suum misit nobis in medicum animarum, qui animarum nostrarum languoribus mederetur, et vitia nostra curavit, ab infernali quoque interitu liberavit, et ad veram perduxit salutem. Hinc ait Propheta : Benedic, anima mea, Domi- *Ps.* CII, 2-4.
num, et noli oblivisci omnes retributiones ejus ; qui propitiatur omnibus iniquitatibus

tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas; (A) qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia et miserationibus. Tertio in hoc apparet summa justitia Dei, qua Deus maluit Filium suum dilectissimum tam amarissimam mortem pati, quam peccata manere inulta. Imo, ut (*Is.* LIII, 6.) Isaias dicit, Deus posuit in eo iniquitatem omnium nostrum. Quarto apparet in isto incomprehensibilis liberalitas Dei, quia tam magnum bonum, videlicet unicum Filium suum, præstitit nobis : quem etiam quotidie in Sacramento nobis largitur. Ex (B) quo constat quod bona majora dare paratus sit, tanquam benignissimus atque ditissimus pater, si tamen fiducialiter, humiliter ac perseveranter oraverimus eum.

Nunc ergo indesinenter consideremus beneficia Dei, caritatem, liberalitatem et misericordiam ejus super nos : sicque in ejus roboremur amore, ut ab ipso nihil nos queat avertere; imo, ejus intuitu et amore, mortificemus salubriter nosmetipsos. (*Galat.* v, 24.) Nam ut ait Apostolus, Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum (C) vitiis et concupiscentiis. Non ambulemus in desideriis vanis ac pravis, sed in continuo Dei timore, in arcta via salutis, in caritate, sobrietate, humilitate, ceterisque virtutibus; sic fructuosi ac gloriosi Thomæ, imo et Christi, sectemur vestigia : quoniam qui dicit se in Christo manere, (I *Joann.* II, 6.) debet sicut ille ambulavit, et ipse ambulare. Hoc est quod ad Corinthios dicit Apostolus : Semper mortificationem Christi in corpore nostro circumferentes, ut (II *Cor.* IV, 10, 11.) vita Christi manifestetur in carne nostra mortali. Unde in eadem ait epistola : Pro (*Ibid.* v, 15.) omnibus mortuus est Christus, ut qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est.

Hoc modo beatissimus Thomas apostolus mortificavit se ipsum; et Christo, non sibimet, vixit, sed innumerabiles pro Deo persecutiones patientissime tulit, infatigabiliter laboravit, ignotas et remotissimas ingrediendo provincias, in quibus varias ac pessimas invenit abusiones, quas exstirpavit ab eis : quarum una hæc fuit, quod marito alicujus mulieris defuncto, uxor ejus bene vestita, ornata, viva sepeliebatur cum eo. Unde in Itinerario S. Clementis narratur, quemadmodum S. Thomas exsistens in India, misit principi Apostolorum, sacratissimo Petro, epistolam de hoc ipso.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

MISIT JESUS DUODECIM DISCIPULOS SUOS, PRÆCIPIENS EIS ET DICENS, ETC. Matth. x, 5-8.

HODIERNO in evangelio legitur, qua- (D) liter Christus ante passionem suam misit duodecim Apostolos ad prædicandum in Judæa, dans eis virtutem faciendi magna et præclara miracula. Unde evangelium istud in solennitate Thomæ apostoli legitur, qui post Christi passionem, usque ad fines mundi missus est prædicare, atque innumerabilibus præclarissimisque miraculis coruscavit longe lateque. Itaque Matthæus ait :

Misit Jesus duodecim discipulos suos, id est Apostolos, qui inter discipulos Christi fuerant principales. Misit autem eos ad prædicandum combinatos, id est duos si- (*Marc.* VI, 7.) mul, ut dicit Marcus. *Præcipiens eis, et dicens : In viam gentium ne abieritis,* hoc est, non eatis ad prædicandum gentilibus; *et in civitates Samaritanorum ne intraveritis* ad prædicandum eis, similiter nec in villas nec in castella eorum. Porro Samaritani erant natione gentiles, nati ex

IV *Reg.* xvii, 24. his quos rex Assyriorum adduxit, habitareque fecit in terra decem tribuum Israel, quum cepisset et transtulisset tribus easdem, prout libro quarto Regum plenius edocetur. Receperuntque Samaritani quinque libros Moysis, non Prophetas. *Sed potius ite ad oves quæ perierunt domus Israel.* Ordo verborum est : Ite ad oves domus Israel quæ perierunt, id est ad homines Israeliticæ plebis, qui oves Dei fuerunt aut esse debuerunt, juxta illud
Ps. lxxviii, 13. Psalmistæ : Nos autem populus ejus et oves pascuæ ejus. Hi « perierunt », id
B est, damnationi fuerunt obnoxii per proprias culpas, et spiritualiter mortui erant peccando. In primo quoque parente per originale peccatum perierant.

Itaque, sicut Christus de se ipso asse-
Matth. xv, 24. ruit, Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel, quoniam ante passionem suam in propria persona prædicare missus non fuit nisi Judæis, tanquam peculiari et fideli populo Dei, cui adventus Christi specialiter fuit per Prophetas promissus; sic Christus ante passionem suam
C discipulos suos non misit nisi ad prædicandum Judæis, ut vel credendo et obediendo salvarentur, vel non credendo inexcusabiles redderentur. Honorandi quippe erant Judæi, quia ex semine Patriarcharum descenderunt, et legem habuerunt a Deo per Moysen datam, atque ex eis Christus ac ejus Apostoli nati sunt. Porro post suam resurrectionem Christus præcepit
Marc. xvi, 15. Apostolis : Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Nec tamen Apostoli hoc præceptum
D sunt exsecuti, nisi postquam prædicaverunt Judæis per plures annos, et pro majori parte fuerunt indurati : tunc namque justa facta est transmigratio Apostolorum ad gentiles. Hinc Paulus et Barna-
Act. xiii, 46. bas dixerunt Judæis : Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repulistis illud, ecce convertimur ad gentes.

Euntes autem prædicate Judæis, *dicentes : Quia appropinquavit regnum cœlo-* A
rum, hoc est beatitudo et gloria regni cœlestis. Nam Christus sua passione pro totius mundi satisfaciendo peccatis, aperuit januam regni cœlestis, id est, impedimentum intrandi illud delevit, et meritum introeundi communicavit hominibus. Obediendo etenim Patri usque ad mortem, *Philipp.* ii, 8.
et crucis patibulum sustinendo, promeruit, quantum in ipso est et sufficienter, cunctis hominibus cœlestis regni ingressum, suumque meritum communicavit hominibus.

Sed quia doctrina Christi et Apostolorum supernaturalis fuit, et de secretis cœlestibus, idcirco Salvator dedit Apostolis virtutem et gratiam faciendi miracula, quæ sunt apta proportionataque media, utpote supernaturalia argumenta, ad probandum veritatem fidei christianæ et evangelicæ sinceritatem doctrinæ. Hinc ait : *Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite,* hoc est, vestris orationibus impetrate hominibus beneficia ista, ita quod supernaturaliter, efficienter, principaliter, præstentur a Deo, instrumentaliter vero et dispositive a vobis. Verumtamen Apostoli ante Christi passionem non leguntur aliquem mortuum suscitasse; sed Marcus asserit, quod dæmonia plurima eje- *Marc.* vi, 13.
cerunt, et ægros aliquos curaverunt. *Gratis accepistis,* id est, absque pretio et merito vestro accepistis a me dona gratiæ gratis datæ, videlicet virtutem faciendi miracula, et etiam dona gratiæ gratum facientis ; *gratis date,* hoc est, pure propter Deum, non temporalis lucri aut favoris intuitu, aliis communicate beneficia ista, et sacramenta Ecclesiæ, informationem, ac cetera spiritualia bona : pro quibus nihil sumendum est per modum pretii et initi pacti, ne spiritualibus temporalia comparentur, quia hoc simoniacum esset; quamvis aliquid accipi possit tanquam stipendium vitæ. Hinc princeps Apostolorum in prima sua hortatur Canonica : Unusquis- I *Petr.* iv, 10.
que sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei. Hinc quoque

idem beatissimus Archiapostolus, ut legitur in Actibus, dixit Simoni mago, volenti emere potestatem dandi Spiritum San- A ctum : Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri. *Act.* VIII, 20.

SERMO SECUNDUS

DE CARITATE S. THOMÆ AD CHRISTUM, PROMPTAQUE EJUS RESIGNATIONE AD MORTEM; DE FRATERNA CARITATE, ET QUOD NEMINI QUIDQUAM NEGARE DEBEMUS QUOD IMPENDERE POSSIMUS.

D*IXIT Thomas ad condiscipulos : Eamus et nos, et moriamur cum illo.* Joann. XI, 16.

Quemadmodum evangelista refert Joannes, *Joann.* XI, 1 et seq. quando Lazarus, frater Mariæ Magdalene ac Marthæ, graviter ægrotabat, miserunt *Ibid.* 3. sorores ejus ad Jesum, dicentes : Domine, ecce quem amas infirmatur. Quumque Dominus Jesus vellet ire ad Bethaniam, in qua habitaverunt Maria et Martha, et Apo- *Ibid.* 8. stoli trepidarent, dicentes, Domine, jam quærebant te Judæi lapidare, et tu iterum vadis illuc? beatus apostolus Thomas eos *Ibid.* 16. exhortans ac roborans : « Eamus », inquit, « et nos, et moriamur cum illo ». In quibus verbis ostendit caritatem suam ad Christum magistrum ac Dominum nostrum, bonum quoque propositum suum ad moriendum simul cum Christo et pro eo. Et quamvis sanctus ille Apostolus, instante Christi passione, dum ipse ab impiis caperetur, a proposito fortitudinis suæ ceciderit, quia *Matth.* XXVI, 56. cum coapostolis fugit; tamen post Christi ascensionem et Spiritus Sancti missionem constantissimus mansit, atque fortissimus fuit usque ad mortem. Nam Christo præcipiente, perrexit ad Indos, quum tamen ad nullam gentem tam invite ivisset sicut ad illos, quantum in se erat. Nihilo minus Domino id jubente, promptissime ivit ad eos. Quum etenim S. Thomas apud Cæsaream esset, apparuit ei Christus, dicens : Rex Indiæ misit præpositum ad quærendum hominem arte architectonica erudi- B tum. Veni ergo, et mittam te ad illum. Cui Thomas : Domine, quovis mitte me, præterquam ad Indos. Dixitque ei Dominus : Vade securus, et ero tecum; quumque Indos converteris, ad me cum palma martyrii venies. Cui Thomas : Dominus meus es tu, et ego servus tuus; fiat voluntas tua.

Ecce in his hujus thematis verbis multa nobis proponuntur virtutum opera imitanda. Primo, ut sicut B. Thomas coapostolos hortabatur ad eundum cum Christo atque ad moriendum cum ipso, ita et C quilibet nostrum, quantum potest et obligatur, proximos suos hortetur ad bona agenda, ad exercitia virtuosa, ad fervidum Dei obsequium. Quod quamvis ad superiores et prædicatores ac patres potissimum spectet, quilibet tamen Christifidelis ad hoc ipsum aliquo modo adstringitur, tam ex caritate Dei, quam ex dilectione proximi. Si enim Deum super omnia vere diligimus, restat ut eum ab omnibus honorari optemus. Idcirco proximos nostros ad Dei venerationem ac servitutem pro D posse debemus inducere. Hinc in sua Apocalypsi ait Joannes : Qui audit, dicat, Ve- *Apoc.* XXII, 17. ni : id est, qui percipit et cognoscit aliquid esse virtuose agendum, proximos suos invitet ut ambulent secum in via virtutum. Unde ad Hebræos dicitur : Adhortamini *Hebr.* III, 13. vosmetipsos per singulos dies, ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati. Porro videmus in sæculo isto, quod servi magnorum prælatorum ac principum graviter

indignantur, si quis inferior prælatis principibusque eorum reverentiam debitam non impendat. Unde et impiissimus ille Malchus Domino Jesu Christo alapam dare præsumpsit, eo quod (ut sibi apparuit) Christus non satis reverenter respondit pontifici. Qui igitur proximos ad divinæ honorificentiam majestatis inducere non conatur orando, hortando, docendo, corripiendo, exemplariter conversando, aut aliquo modo sibi possibili ac decenti, neque de inhonoratione Altissimi, creatoris sui, cordialiter contristatur, a Dei amore se vacuum esse testatur. Ideo ait Propheta ad Dominum : Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei; itemque, Docebo (inquit) iniquos vias tuas, et impii ad te convertentur.

Joann. XVIII, 22.

Ps. CXVIII, 139.

Ps. L, 15.

Secundo, ad istam exhortationem proximis impendendam adstringimur ex caritate fraterna, qua omnes homines sicut nos ipsos spiritualiter amare tenemur. Si etenim proximos nostros tanquam nos ipsos sincere diligimus, certum est quod ea sine quibus salutem consequi nequeunt, persuadebimus eis, hortando eos ad bona agenda, et ad vitia relinquenda. Hinc quippe ad fraternam correptionem omnes tenemur. Videmus quod homines ad eumdem locum proficiscentes, hortantur se invicem ad eundum; similiter, qui contra eosdem adversarios præliantur, cohortantur se mutuo ad pugnandum. Quum ergo omnes Christiani sint conviatores et commilitones, ad eamdem cœlestem patriam gradientes, et contra malignorum spirituum vitiorumque aciem bellum juge habentes, debent se invicem ad gradiendum per arctam viam salutis atque ad resistendum peccatis hortari, sicque sibi invicem ad salutem cooperari. Hinc ad Galatas dicit Apostolus : Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei. Et ad Colossenses ait : Super omnia caritatem habete, docentes et commonentes vosmetipsos. Væ itaque eis qui verbo aut exemplo alios trahunt ad culpam et perditionem, aut male agentibus blandiuntur, arrident, consentiunt : quia per hoc participes fiunt illorum in vitiis.

Galat. VI, 10.

Coloss. III, 14, 16.

Præterea, hoc modo sanctus apostolus Thomas ferventissimus fuit exhortator hominum ad virtutes. Quum enim a rege Indiæ copiosam accepisset pecuniam pro palatio fabricando, et rex per biennium esset absens, S. Thomas toto biennio prædicationi fuit intentus, plurimosque convertit, pecuniam quoque dedit pauperibus. Imo dum adhuc esset in via ad Indiæ regem, atque in urbe quadam nuptiis interesset quas rex quidam suæ filiæ fecit, ipse Apostolus ad regis petitionem sponso ac sponsæ benedixit. Quibus paulo post Christus in somno apparuit, et Apostolum januis clausis introduxit ad illos. Dum ergo Apostolus sponsum ac sponsam ad virginitatem servandam cohortaretur, apparuerunt eisdem angeli duo, dicentes : Nos sumus angeli vobis ad custodiam deputati. Qui si Apostoli monita servaveritis bene, offeremus Deo omnia desideria vestra. Sicque sponsus et sponsa sunt conversi ac baptizati a Thoma apostolo, in virginitate manentes. Et sponsus ipse, nomine Dionysius, civitati in qua ista contigerant est episcopus ordinatus; sponsa vero sacro velamine consecrata, post longum tempus martyrium est perpessa.

Secundo, in themate præassumpto docemur ut eamus cum Christo, ipsum sequendo, et hoc dupliciter. Primo, indigentibus pro posse subveniendo, quemadmodum Christus a Maria et Martha rogatus, ivit ad eas ad suscitandum fratrem earum defunctum. Secundo personaliter, exemplo Christi virtuose vivendo. — Debemus igitur proximis nostris caritative succurrere obsequiosique esse, quum dicat Apostolus : Per caritatem servite invicem. Nam et naturalis lex exigit ut unusquisque faciat proximo prout sibi fieri vult ab illo. Quod quam expediens sit, Salomon pandit, dicendo : Frater qui adjuvatur a fratre, quasi civitas munita. Hinc loquitur et Christus : Omni petenti te, tribue. Si ergo proximus

Joann. XI, 1 et seq.

Galat. V, 13.

Matth. VII, 12.

Prov. XVIII, 19.

Luc. VI, 30.

quærat a nobis auxilium, consilium, obsequium, quidquid rationabiliter petit, caritative et pie impertiendum est ei : caritas namque non quærit quæ sua sunt tantum, sed aliis pro posse adsistit. Hoc modo proximis suis succurrunt, qui ad opera misericordiæ corporalia ac spiritualia proni sunt : de quibus ait Salvator, Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Unicuique equidem subveniendum est in his in quibus amplius indiget : ita ut qui tristis est, consoletur; qui infirmus, visitetur; qui læsus, curetur. Unde ad Thessalonicenses dicit Apostolus : Corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes. Porro ad istud insinuandum, Dominus noster Jesus Christus in Cœna novissima pedes Apostolorum lavare dignatus est. Quo facto, locutus est eis : Scitis quid fecerim vobis, id est, quid istud quod vobis feci, significet? Vos vocatis me, Magister et Domine; et bene dicitis, sum etenim. Si ergo ego lavi pedes vestros, magister et Dominus vester, et vos debetis alter alterius lavare pedes, hoc est mutuo humiliter deservire. Itaque, sicut gloriosus princeps Apostolorum protestatur de Christo, quod pertransiit benefaciendo, et sanando omnes oppressos a diabolo, ita et quilibet nostrum (si vere est Christi minister ac membrum) debet proximis benefacere, quantum potest et ratio dictat, lexque divina requirit.

I Cor. XIII, 5. — *Matth.* V, 7. — *I Thess.* V, 14. — *Joann.* XIII, 4 et seq. — *Ibid.* 12-14. — *Act.* X, 38.

Præterea, hoc modo beatus apostolus Thomas proximis copiose, spiritualiter corporaliterque subvenit, ignorantes docendo, perfidos convertendo, pauperibus eleemosynas tribuendo, infirmos quoque curando. Quum enim regem Indiæ ejusque fratrem et multum populum convertisset ad fidem, omnem plebem illius provinciæ convocavit. Quibus congregatis, debiles et infirmos fecit stare seorsum, et oravit pro eis; quumque qui docti fuerant respondissent, Amen, coruscatio de cœlo veniens, tam Apostolum quam alios per horam fere mediam sic prostravit, ut omnes se putarent ictu fulguris interiisse. Erigens autem se Apostolus, dixit : Surgite, quoniam Dominus meus sicut fulgur venit, vosque sanavit. Exsurgentes igitur omnes, Deum glorificaverunt atque Apostolum.

Secundo, Christum sequi debemus personaliter, virtuose vivendo, hoc est, Christi virtutes sequendo, caritative, humiliter, timorate, patienter, mansuete, continenter, sobrie atque simpliciter conversando. Inaniter namque et ad graviorem sui damnationem christianus a Christo vocatur, qui Christi virtutes non imitatur. Hinc ad Ephesios ait Apostolus : Obsecro vos in Domino, ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis, cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia supportantes invicem in caritate, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. O quam compendiosissimum et saluberrimum documentum !

Ephes. IV, 1-3.

Tertio, in themate edocemur ut simus parati mori pro Christo, imo et pro proximis nostris, Christi servis et membris, et tempore opportuno. Hinc Joannes dicit : In hoc cognovimus caritatem Dei, quoniam ille pro nobis animam suam posuit; et nos debemus pro fratribus animas ponere. Ordo equidem exigit caritatis, ut primo et super omnia atque incomparabiliter diligamus Dominum Deum, deinde nos ipsos, tertio proximos, quarto proprium corpus seu vitam corpoream. Ideo primo debemus esse parati ad moriendum pro Deo, ut scilicet potius mori et omnia pati adversa et aspera eligamus, quam Deum per peccatum mortale offendere. Proximos quoque magis quam proprium corpus diligere obligamur : idcirco in casu debemus esse parati corporalem ponere vitam pro illorum salute. Imo quotidie cum Christo et pro eo aliqualiter mori debemus, quum ipse dicat : Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me. Qui etenim cum omni diligentia cor suum custodit, et corpus suum castigat, salubriter mortificat se ipsum, eo modo

I Joann. III, 16. — *Luc.* IX, 23. — *I Cor.* IX, 27.

Coloss. III, 5. quo ait Apostolus : Mortificate membra A vestra quæ sunt super terram. Quæ mortificatio non est nisi cohibitio membrorum ab omni usu seu opere malo, ne per linguam loquamur verba illicita, nec per manus faciamus prohibita, neque per pedes curramus ad opera vitiosa, sed neque in choreis saltemus velut vituli et cameli. Nec sufficit mala vitare, sed membris bene uti oportet ad exercendum opera virtuosa. Hinc Romanis scribit Apostolus : Sicut exhibuistis membra vestra servire Rom. VI, 19. immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem, ita et nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem.

Postremo, istud felix et sanctus apostolus Thomas implevit præclare : siquidem pro fidei veritate et Christo mortem promptissimo passus est animo, ut sequenti dicetur sermone.

SERMO TERTIUS

DE B. THOMÆ INTEGRITATE, ET DUODECIM VIRTUTUM GRADIBUS QUIBUS POPULUM INSTRUXIT; DEQUE STUPENDIS CIRCA CORPUS EJUS EXHIBITIS DIVINITUS MIRACULIS.

D*IXIT Thomas : Domine, nescimus quo* B *vadis, et quomodo possumus viam scire ? Respondit Jesus : Ego sum via, veritas, et vita; nemo venit ad Patrem nisi per me.* Joann. XIV, 5, 6.

In pulcherrimo ac sapientissimo illo sermone quem Dominus noster Jesus Christus post Cœnam novissimam fecit Apostolis, scripta sunt verba ista. Quum enim
Joann. XIV, 2. dixisset Christus, Vado parare vobis lo-
Ibid. 4. cum, et addidisset, Quo ego vado scitis, et viam scitis ; sanctus apostolus Thomas di-
Ibid. 5. xit : « Domine, nescimus quo vadis, et quo- C modo possumus viam scire ? » Cui respondit
Ibid. 6. Salvator : « Ego sum via, veritas, et vita ». Ac si diceret : Quum ego sim via, eo ipso quo me scitis, viam scitis. In his verbis multa innuuntur quæ nobis imitanda consistunt.

Primo enim, in his insinuatur diligentia Thomæ apostoli, quod tam avide inquisivit intellectum verborum Christi ab ipso : ita et nos quum aliqua sacræ Scripturæ verba audimus aut memoramus quorum intellectum non capimus, instructionem et expositionem a sapientioribus investi- D gare debemus. Sacra namque Scriptura est velut epistola nobis a Spiritu Sancto missa : ideo verba ejus diligentissime debemus advertere, et sensum attendere ; alias parvi pendimus verba Spiritus Sancti, imo et Spiritum Sanctum inhonoramus. Si rex aut princeps terrenus destinaret alicui urbi aut personæ epistolam, nonne indignaretur et contemptum se judicaret, si urbs aut persona illa ejus epistolam parum adverteret, nec intelligere eam curaret ? Quanto magis Deus majestatis immensæ indignabitur nobis, si verba Scripturæ divinæ non multum advertimus, nec intelligere ipsa satagimus ? Hinc Ecclesiasticus dicit : Auris bona cum omni con- Eccli. III, 31. cupiscentia audiet sapientiam. Et sanctus Moyses loquitur : Interroga patrem tuum, Deut. XXXII, 7. et annuntiabit tibi; majores tuos, et dicent tibi.

Secundo, in verbis istis insinuatur humilitas beati apostoli Thomæ, quia ignorantiam suam non erubuit confiteri, sed ait : « Domine, nescimus quo vadis ». Sed circa hæc quæstio oritur. Videtur namque Thomas verbis Christi contradixisse. Siquidem Christus dixit : Quo ego vado scitis, et viam scitis. Ad quod Thomas protinus est locutus : « Domine, nescimus quo vadis, et quomodo possumus viam scire ? » Et respondendum, quod Thomas

apostolus nequaquam intendebat verbis A Christi magistri sui contradicere, nec putavit ea falsum aliquid continere, sed æstimavit verba sua simul cum verbis Christi posse verificari. Et ita fuit, quoniam incomplete, confuse et materialiter, non complete, determinate atque formaliter sciverunt quo tenderet Christus, et viam salutis : quia etsi Christum aliqualiter cognoverunt, non tamen perfecte et sub ratione viæ ac mediatoris. In hac igitur humilitate sequamur Apostolum, et ignorantiam ac imperitiam nostram humiliter B fateamur, ne pereamus cum illis qui tanta replentur superbia ut nec suam ignorantiam velint fateri, et ea scire se jactant aut simulant quæ ignorant.

Insuper in themate præassumpto docemur duplicem esse naturam in Christo, puta : humanam, per quam sibi competit esse viam, id est reconciliatorem et mediatorem inter Deum et homines; et divinam, per quam competit sibi esse vitam et veritatem. Pater namque et Filius et Spiritus Sanctus, sicut sunt unus verus C Deus, una essentia, una bonitas infinita, ita sunt substantialiter una pura et actualissima vita, unaque veritas prima, æterna (*Joann.* XIV, 6.) et increata. Et quoniam nemo venit ad Patrem in vita præsenti per gratiam, nec in futura per gloriam, nisi per Christum, hoc est, per fidem et meritum ejus, et virtutum ejus sectando vestigia; hinc omnes impii Christiani et infideles, sunt in statu æternæ damnationis. Propterea sa- (*Ephes.* v, 1, 2.) luberrime monet Apostolus : Estote imitatores Dei, sicut filii carissimi; et ambulate D in dilectione, sicut et Christus dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis. Princeps quoque Apostolorum in prima sua Cano- (I *Petr.* II, 21.) nica ait : Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus, hoc est humilitatis, patientiæ, mansuetudinis, caritatis ejus exempla.

Præterea, quoniam Christi vestigia sic sequi oportet, ideo sanctus apostolus Thomas docuit populum quem convertit, duodecim gradus virtutum, per quos velut per scalam ad fontem beatitudinis Deum conscenderent. Primus gradus est, ut in Deum crederent, qui est in essentia unus et in personis trinus. Fides namque est omnium fundamentum virtutum, sine qua (*Hebr.* XI, 6.) impossibile est Deo placere. Secundus gradus est, ut sacrum Baptisma susciperent. In adultis enim baptizandis fidei instructio debet Baptismi susceptionem præcedere. Propter quod dixit Apostolis Christus : Euntes docete omnes gentes, baptizantes (*Matth.* XXVIII, 19.) eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Ubi ait Hieronymus : Primo doceant gentes, deinde doctos baptizent. Tertius est, ut se a fornicatione abstraherent. Hoc enim vitium adolescentes ac juvenes magis impugnat; et per vitium istud efficitur homo omnino carnalis et acediosus ac bestialis, atque in proprium corpus pec- (I *Cor.* VI, 18, 15.) cat, quod dehonestat et de membro Christi efficit membrum meretricis : imo se ipsum facit habitaculum dæmonis, qui per peccatum luxuriæ possidet maxime genus humanum. Quartus est, ut avaritiam devitarent. Nempe in senioribus luxuria tepescente, avaritia solet magis vigere. Imo multos conspicimus, qui quanto plus vitant luxuriam, tanto amplius se demergunt in avaritiæ insaniam vitiosam. Cujus tanta est gravitas, ut Apostolus avaritiam idolorum nominet servitutem. Sicque ava- (*Ephes.* v, 5; *Coloss.* III, 5.) ri comparantur idololatris : nam sicut idololatræ idola plus colunt quam verum Deum, ita avari rebus vilibus et terrenis magis quam Deo summo inhærent. Ex avaritia quoque nascuntur fraus, rapina, mendacium, furtum, testimonium falsum, perversum judicium, et innumerabilia mala, imo et latrocinium.

Quintus, ut gulam restringerent : quia gula non animam tantum, sed corpus quoque occidit, gravat; somnolentiam, pigritiam, concupiscentiam, luxuriam causat. Ideo ait Salvator : Videte ne corda vestra (*Luc.* XXI, 34.) graventur crapula, vel ebrietate, aut curis hujus sæculi. Et Petrus apostolus : Sobrii (I *Petr.* v, 8.) (inquit) estote, et vigilate. Sextus est, ut in pœnitentia permanerent, peccata jugiter

detestando, et de præteritis, opportunis A horis, dolendo : semper enim displicere debet homini quod peccavit. Contra quod faciunt, qui mala sua præterita cum risu recitant atque lætitia, quum tamen dicat Bernardus, quod nihil sic displicet Deo sicut exsultatio in peccatis. Septimus, ut in his ac ceteris bonis perseverarent. Sola namque perseverantia coronatur, Christo dicente : Qui perseveraverit usque in finem, salvus erit. (*Matth.* xxiv, 13.) Octavus, ut hospitalitatem amarent. Hoc namque est unum de operibus misericordiæ. (*Ibid.* xxv, 35 et seq.) Unde et princeps B Apostolorum in prima sua epistola cohortatur : Hospitales invicem sine murmuratione. (*I Petr.* iv, 9.) Nonus, ut voluntatem Dei in agendis quærerent. Decimus, ut eam quærerent etiam in non faciendis, ut scilicet ea agerent quæ complacent Deo, et illa vitarent quæ displicent ei. Unde ad Romanos dicitur : Probetis quæ sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta. (*Rom.* xii, 2.) Dei namque voluntas, prima regula est omnis justitiæ ac virtutum. Undecimus, ut amicos et inimicos diligerent : hoc enim necessarium C est ad salutem, quum Christus præcipiat, Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos. (*Matth.* v, 44.) Duodecimus, ut in his observandis curam haberent pervigilem.

Præterea, quum B. Thomas innumerabiles homines in inferiori India, Perside ac Media convertisset, superiorem Indiam est ingressus, atque innumeris ibi coruscavit miraculis, et copiosissimam plebem convertit. Quumque uxorem Carisii cognati regis, et regis conjugem convertisset, a Carisio in carcerem missus est. Deinde D ligatis manibus præsentatus est regi, qui fecit Apostolum nudis pedibus super ferreas laminas stare ardentes. Moxque per omnipotentiam Dei, fons ibi erupit laminas illas infrigidans. Tunc rex fecit Apostolum in ardentem jactari fornacem, de qua B. Thomas die sequenti exivit illæsus. Quumque rex ei jussisset ut solem adoraret, flectens Apostolus genua, dixit : Ecce adoro, sed non solem aut ejus simulacrum, sed Dominum meum Jesum Christum; in cujus nomine jubeo tibi, dæmon, qui in illo simulacro latitas, ut illud comminuas. Et statim instar ceræ est liquefactum. Tunc sacerdotes idolorum dederunt mugitum. Pontifex vero eorum elevans gladium, occidit Apostolum, dicens : Ego vindicabo injurias dei mei. Rex autem atque Carisius, videntes quod populus vellet mortem Apostoli vindicare, fugerunt. Christiani vero gloriosum corpus Apostoli cum ingenti reverentia sepelierunt.

Insuper, sicut fertur, postmodum corpus sacratissimi hujus Apostoli in urbem nomine Edessam translatum est. Sed contradicit patriarcha Joannes, qui anno Domini millesimo centesimo vicesimo, causa pallii suscipiendi per iter unius anni Constantinopolim venit; ubi audiens Romam esse caput Ecclesiæ, venit illuc tempore Calixti Papæ II. Ibi dispositionem et statum civitatis suæ, Ulna* nomine, sic descripsit : Longitudo ejus quatuor dierum itinere per circuitum tenditur; latitudo murorum ejus duos simul recipit currus; altitudo altas Romanorum turres excedit. Per medium civitatis, Phison defluit fluvius paradisi, (*Gen.* ii, 11.) ibique aurum optimum et gemmas pretiosissimas, quibus Indi ditantur, emittit. Extra civitatem est mons lacu profundissimo circumseptus, in cujus circuitu sunt duodecim ecclesiæ in honore duodecim Apostolorum constructæ, ubi cœnobitæ quotidie celebrant. Porro, in summitate montis est excelsa ecclesia, in qua S. Thomas quiescit. Hanc nullus intrat, nisi quum diebus octo ante festum ejus, aqua decrevit. Die itaque solennitatis ejus, patriarcha cum suffraganeis, pontificalibus indutus, ingrediens, capsam argenteam cum catenis deponit. Ibi cernitur corpus Apostoli tanquam vivens et erectum. Ante ipsum pendet lampas aurea, balsamo plena, cum catena argentea : quæ semel accensa, ab anno in annum sine diminutione luminis ac balsami reperitur, quo omnes ægri sanantur. Est autem Apostolus talis formæ qualis fuerat adhuc vivens. Facies ejus ut sidus rutilat, capilli

* Calamina

rubei usque ad humeros descendunt, barba rufa et crispa, vestis dura et integra. Post Missam patriarcha hostias consecratas in patena genibus flexis offert Apostolo : qui miraculose et manum aperit, et singulis porrigit; si accedit infidelis vel peccator mortalis, manum retrahit, donec ille convertatur vel subito moriatur. Peracto officio, et corpore Apostoli reposito, populus ad propria remeat, et lacus redundans, montem ut prius circumdat. Hæc patriarcha Joannes in propria recitavit persona. Quibus auditis, Calixtus Papa cum clero et populo Romano qui aderat, manibus in cœlum extentis benedixerunt Christum, qui tanta miracula per apostolum beatissimum Thomam annuis temporibus operari dignatur.

Postremo, in Legenda sancti apostoli Thomæ habetur, quod quum in præfatis nuptiis esset, et jugiter cœlum intueretur, nec manducaret, quidam pincerna alapam dedit ei. Cui dixit Apostolus : Expedit tibi ut in hac vita pro hoc scelere castigeris, quatenus in futuro indulgentiam consequaris. Non hinc surgam donec manus quæ percussit me, huc a canibus defera- A tur. Quumque ad hauriendam aquam iret pincerna, leo accurrens occidit ipsum, bibitque sanguinem ejus. Lacerantibus vero canibus corpus ipsius, unus niger canis manum ejus in medium portavit convivium. Sed istud non videtur aliquibus esse credibile, quod talem Apostolus exercuerit atque obtinuerit ultionem. Ad quod mihi videtur dicendum, quod Apostolus ex divino et occulto instinctu prætacta protulit verba et talem voluit fieri ultionem : non ex impatientia aut zelo vin- B dictæ, sed amore justitiæ, pro multorum conversione ad gloriam Creatoris. Nam viso tanto miraculo, tota obstupuit turba ; rex quoque sponsum ac sponsam fecit ab Apostolo benedici ; et hujus occasione facti, multi valde conversi fuerunt. Apostolus etiam percussori suo veniam impetrasse legitur in futuro : sicque in magnum bonum ejus contigit ei illa vindicta. Certum est autem ex scripturis utriusque Testamenti, quod homines sancti multa fecerunt ex occulto Spiritus Sancti instin- C ctu, quæ secundum communem legem non essent licita, nec sine tali instinctu commendabilia viderentur aut imitanda.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUARTUS

DE PERFECTA PROPRIÆ CARNIS ABNEGATIONE, DEQUE VERAM RELIGIONEM CONSTITUENTIBUS.

E*AMUS et nos, et moriamur cum illo.* Joann. XI, 16.

Hæc verba locutus est sacratissimus Thomas apostolus ad coapostolos, trepidantibus illis ire cum Christo, quando resuscitaturus fuerat Lazarum. Quum enim
Joann. XI, 7. dixisset ad eos, Eamus in Judæam iterum,
Ibid. 8. responderunt : Rabbi, jam quærebant te D Judæi lapidare, et iterum vadis illuc? Quibus locutus est Thomas : « Eamus et nos, *Joann.* XI, 16.
et moriamur cum illo », videlicet Christo. In quibus verbis, fervor dilectionis Thomæ ad Salvatorem, et fortitudo animi ejus, patescunt. Sit ergo in nobis tantus caritatis ardor, et tanta animi fortitudo, ut simus parati mori pro Domino Jesu Christo :

quia ut princeps Apostolorum fatetur, A
I Petr. II, 21. Christus passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia ejus.

I Joann. III, 16. Denique Joannes ait : In hoc cognovimus caritatem Dei, quoniam ille pro nobis animam suam posuit; et nos debemus pro fratribus animas ponere. Si ergo exemplo Jesu Christi, debemus pro fratribus seu proximis nostris nostras animas ponere, quoniam Christus hoc fecit : quanto magis parati esse debemus ad ponendum animas nostras pro ipsomet Christo? Verum, B quoniam tempore isto, istud nemo requirit a nobis, est aliud genus mortis seu mortificationis, quo pro Christo quotidie mori debemus, de quo in Evangelio Dominus, Luc. IX, 23. Lucæ nono, ait : Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me. De quo cecinit Sanctus qui loquitur Deo : Ps. XLIII. 22. Quoniam propter te mortificamur tota die; II Cor. IV, 10, 11. et Paulus : Semper (inquit) mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in carne C nostra mortali.

Quæ est ergo mortificatio ista quæ vocatur quotidianum martyrium? Et respondendum, quod mortificatio ista in duobus consistit. Primo, in hoc quod corpus quotidie salubriter castigetur, et ejus concupiscentiæ exstinguantur, spirituique subdatur, ac variis tribulationibus exerceatur, seu pœnis gravibus propter justitiam afficiatur. De qua mortificatione ait Vas I Cor. IX, 27. electionis : Castigo corpus meum et in servitutem redigo; itemque, Coloss. III, 5. Mortificate D membra vestra quæ sunt super terram. Secundo, consistit in hoc quod homo plene abneget ac relinquat se ipsum, propriam voluntatem penitus deserendo, seque ab omni amore privato funditus expurgando, ita ut jam nequaquam secundum proprias et naturales affectiones inclinationesque vivat, sed juxta Christi consilia et præcepta, juxta caritatis divinæ exigentiam, juxta evangelicæ legis perfectionem seu beneplacitum Dei in omnibus conversetur, ut cum Apostolo dicere queat : Vivo, jam Galat. II, 20. non ego, vivit vero in me Christus; et denuo, Mihi autem absit gloriari, nisi in cru- Ibid. VI, 14. ce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.

Sic se abnegare, superare, relinquere, merito mortificatio appellatur : quoniam ita se abnegans et privatum amorem exstinguens, omnia illa amorose amplectitur, fortiter agit, patienterque sustinet, quæ naturæ humanæ secundum se ipsam consideratæ, molesta, pœnalia sive contraria sunt. Talis quippe corpus suum in omnibus domat, paupertate, fame, siti, jejuniis, abstinentiis, vigiliis, disciplinis, nuditate, frigore afflictioneque lætatur, atque in his Christi vestigia assequi gloriatur. Insuper adversarios diligit, pro injurianti- Matth. V, 44. bus orat, maledicentibus benedicit, odientibus ac malefacientibus benefacit. Cupit contemni, irrideri, humiliari, subesse ac obedire. Et breviter, quod novit Deo placere et sibi accommodum esse ad complacendum approximandumque ei, ad honorandum eum, ad obtinendum beatificam fruitionem ipsius, hoc cupit, hoc amat et amplexatur : in his quasi in omnibus divi- Ps. CXVIII, 14. tiis gloriatur. Hoc namque est privatum amorem expellere, seque in Deo diligere, omnia illa appetere quæ ad complacendum et uniendum se Deo expediunt. Hoc modo felix et sanctus apostolus Thomas se abnegavit, et omnem a se privatum evulsit amorem. Qui quum a Christo mitteretur ad conversionem Indorum, tunc usque valde ferocium, dixit : Deus meus es tu, et ego servus tuus; fiat voluntas tua.

Nos ergo in hac saluberrima atque vivifica mortificatione, tantum imitemur Apostolum, et cum eo exhortemur nos invicem, dicentes : Eamus et nos, et moriamur Joann. XI, 16. cum illo. « Eamus » (inquam) de virtute Ps. LXXXIII, 8. in virtutem, de imperfectione ad perfectionem, de via ad patriam. « Eamus » post Christum, ejus sequendo vestigia; « et moriamur cum illo », mortificantes nos ipsos quotidie, juxta prætacta. Delicias et honores carnis ac sæculi despiciamus, pro-

spera mundi vilipendamus. Quidquid mundus, id est, carnales mundanique homines appretiantur, sit nobis ut crux sive tormentum. Ridere, jocari, libertatibus vanitatibusque resolvi, carnaliter repausari, juxta proprium libitum vivere, tanquam venena infernalia fugiamus ac aspernemur. Ad istam mortificationem, ad privati amoris eradicationem, omnia corporalia exercitia nostra, et universos labores, et quidquid religiose agimus ac servamus, ordinare debemus. Pro impetranda perfectione hac ipsa, infatigabiliter et affectuosissime viscera misericordiæ Dei nostri expostulemus. Et si ita non agimus, similes sumus stulto agricolæ, qui equos et aratrum habet, nec utitur eis ; vel arat quidem et seminat, sed ex negligentia sua agrum a nocivis herbis non purgat, propter quod nec percipit fructus, sed laborat inaniter.

Ecce vigilias noctis protrahimus, jejunamus, psallendo, cantando et alia Ordinis exercitia faciendo laboramus ac fatigamur, et tamen intus parum aut nihil proficimus, ab amore privato, omnium vitiorum radice, non expurgamur. Cujus indicium est, quod ad improbos motus passionum, ad iram, impatientiam, concupiscentiam, contentiones, murmurationes, indignationes, sumus tam proni, manemusque miseri in fæcibus nostris. Non transfundimur de vase in vas : ideo gustus noster manet in nobis. Hinc exercitia et labores nostri parum aut nihil complacent Deo, modicumque meremur, neque in caritatis sinceritate atque ardore proficimus, nec in sapientiæ dono perficimur. Unde nec contemplationis luce perfundimur, sed imaginationibus ac phantasticis apprehensionibus, vanis cogitationibus et distractionibus obruitur et impletur anima nostra etiam in divinis. O quantum placerent Deo actus et labores nostri, si præfato modo essemus mortificati, privato amore mundati, et mentaliter reformati ! Quantis gratiarum charismatibus impleremur, quam splendifluis contemplationibus illuminaremur, quam cari et familiares essemus Domino Deo nostro !

Nunc ergo, carissimi fratres, præteritas negligentias deploremus, et quod hactenus tam parum profecimus deplangentes, accingamus nos ad meliora et viciniora saluti obtinenda ac exercenda, ad eundum de imperfecto ad perfectum, atque ad moriendum cum Christo. Discamus frangere nosmetipsos, erubescamus passionibus superari ; verecundemur ad iram, impatientiam, pusillanimitatem, tristitiam, concupiscentiam provocari ; Christi amarissimam passionem, mansuetudinem, patientiam, caritatem, constantiam ceterasque virtutes ita quotidie intueamur ac revolvamus, ut conformemur eisdem. Postremo, ad hoc indefesse nitamur, ut mens nostra instar vitri perlucidi, et tanquam politissimus lapis ac lignum planissimum, ab omni tortuositate passionum, ab omni curvitate et obliquitate culparum, ab omni demersione negligentiarum suarum penitus sanetur, sinceraque fiat, recta et imperturbabilis perseveret : ut sic Deo intime uniatur et proxime sit conjuncta, stans in contactu Solis justitiæ, a quo radio sapientiæ perfundatur, stillicidiis gratiæ locupletetur, et omni roboretur virtute.

Hebr. VI, 9.

SERMO QUINTUS

QUOD RELIGIOSUS QUISQUE ANIMAM SUAM TEMPLUM SANCTUM DOMINO EFFICIAT ; ET QUIBUS IN VIRTUTIBUS RECTIUS AGAT.

ÆDIFICAVIT *regi domum*. III Reg. vii, 1 et s. A

Ad litteram scripta sunt verba hæc de Salomone, cui vir in arte architectonica eruditissimus, Hiram nomine, missus a rege Tyri, templum construxit ac domum. Sic sapientissimus atque sanctissimus apostolus Thomas, a Christo regi Indiæ missus, eidem ædificavit spirituale palatium, et hoc duplex : unum in mente ipsius, dum eum convertit ad fidem, et ad virtutum structuram ordinemque perduxit; aliud in paradiso cœlesti, dum regem ad meritorios B actus instruxit. Sic et quilibet nostrum Regi cœlorum debet in anima sua domum, thronum, templum, palatium ædificare : imo animam suam facere debet domum, thronum, templum, palatium Regis æterni, qui per Zachariam testatur :
Zach. ii, 10. Ecce ego venio, et habitabo in medio tui.
I *Cor.* iii, 17. Apostolus quoque : Templum (inquit) Dei sanctum est, quod estis vos. Sed et anima
Sap. vii, 27. justi, sedes sapientiæ appellatur.

Porro per caritatem fit anima domus, templum, thronus et palatium Creatoris C
I *Joann.* iv, 16. Salvatorisque sui. Qui enim manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo. Et
Ephes. iii, 17. quamvis (Paulo testante) Christus per fidem habitet in cordibus nostris, non tamen per solam informem seu nudam fidem hoc agitur, sed per fidem formatam, utpote caritate ornatam. Domus autem in qua regia commoratur majestas, vocatur palatium, quod formosum, luminosum, nobile, amplum ac forte esse oportet, prout excellentiam decet regalem. Sive ergo ipsa anima virtutibus decorata, sive ordinata D
Apoc. xix, 16. virtutum structura, domus et templum Dei vocetur, debemus Regi regum ac Domino universorum condecens in nobis habitaculum ædificare. Et quamvis virtutes infusæ sint, utpote per creationem a Deo collatæ, nihilo minus dicitur homo in se virtutum structuram seu spirituale palatium Deo ædificare, vel se ad gratiæ ac virtutum infusionem seu incrementum aptando, seu actus virtutum ordinate prosequendo et exercendo. In hoc igitur summi Regis palatio et spirituali ædificio, necesse est firmum ac profundum fundamentum locare, quod est fides, aut certe timor Dei, sive humilitas; patientia autem est pavimentum ; quatuor vero parietes, sunt virtutes quatuor cardinales; caritas demum est turris. Tectum quoque est spes; ostium autem, prudentia; fenestræ, sapientia et scientia ; reparatio, pœnitentia.

Sit igitur primo in nobis fides catholica, certa, clara et prorsus firmissima, ut simus tam certi de fidei veritate, quam certi sumus Deum verum falsitatis testem esse non posse. Atque in fide hac, omnia tela *Ephes.* vi, 16.
nequissimi ignea exstinguamus, certi de providentia ac adsistentia Dei, et angelorum ope sanctorum. Propter quod cum omni instantia, confidentia ac fervore, Dei gratiosum auxilium, angelorum quoque custodum nostrorum opem adsistentiamque invocare debemus. Quod facientes insuperabiles erimus, imo et victoriosi in omnibus. Quis enim speravit in Domino, *Eccli.* ii, 11, 12.
et derelictus est? Aut quis invocavit illum, et despexit eum? Sit, inquam, in nobis fides certa et clara, quum non sit religiosorum circa communia languere, sed in cunctis virtutum actibus præfulgere, virtutumque habitus radicatos, perlucidos, immobiles possidere. Idcirco spectat ad

nos habere fidem cum rationibus credendorum ac intelligentia mentis purgatæ, ita ut sæpe contemplemur, quæ, quanta, et qualia testimonia perhibuerit Deus omnipotens et æternus fidei christianæ ab exordio primitivæ Ecclesiæ usque in præsens : quæ certe numerari nullatenus possunt. Et ipsi Patres per quos Deus fecit miracula, fuerunt in omni virtute perfecti, vere humillimi, patientissimi, mitissimi, Deitatis amore ineffabiliter inflammati, nihil terrenum, nihil carnale vel mundanum aut vanum cupientes, ab omni simulatione, duplicitate ac magica arte purissimi, soli Deo intenti.

Contemplemur item, quemadmodum per scripturas veteris Testamenti, per Prophetarum oracula, per finalem derelictionem hanc Judæorum, veritas fidei demonstratur; et qualiter in viris perfectis omnia sibi pulcherrime consonabant, incomprehensibilitas fidei, spiritualitas vitæ, admirabilitas prodigiorum; et quomodo nunc usque Deus Sanctos suos mirificat, per plura et eminentiora miracula sanctitati eorum testimonium præbens, eis defunctis, quam fecit eis adhuc in carne viventibus. Per quod pius Deus ostendit, quam cari sint ei, et quam gloriose vivant ubi vivunt, qui in tam miraculosis effectibus hic vivunt ubi defuncti sunt. Quid honoris et gloriæ largitur Omnipotens animabus quarum corpora sic honorat? Hæc contemplando accendamur ad bene agendum, at-
Ps. XVII, 30. que in Deo nostro per fidei magnitudinem transgrediamur murum, id est omne virtutum obstaculum, omne diabolicæ ten-
Ps. XC, 5, 6. tationis machinamentum. Non timeamus a timore nocturno, a sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris, ab incursu et dæmonio meridiano : ubique et semper certi de omnipotentis ac superfidelissimi Creatoris præsentia, sine cujus dispositione ac permissu nil nobis potest accidere; de angelorum quoque custodia, qui cunctis hostibus nostris sunt fortiores.

Insuper, sit in nobis timor Dei filialis, sanctus, assiduus, tam perfectus ut eorum

A quæ Ordinis sunt nil negligamus, quemadmodum scriptum est : Qui timet Deum nihil negligit. Simus itaque animalia undique oculata, ut diligentes et circumspecti simus, in omnibus separantes pretiosum a vili, hoc est, virtutes a vitiis, vera a falsis, spiritualia desideria a carnalibus, ut pretiosis inhæreamus et vilia respuamus. Sit quoque in nobis semper profunda humilitas, ut etiam si quis dixerit nobis seu cuilibet nostrum, Incurvare ut transeamus, non indignemur. Nec solum tranquillitatis B prosperitatisque tempore, sed adversitatis, correptionis, tribulationis injuriarumque hora, humiles simus, non tumentes superbia, nec loquentes convitia, nec quempiam aspernantes; memores ejus qui inclinato capite ante præsidem stetit, et propter nos a rege iniquo alba veste illusus est et contemptus. Hinc abbas Pastor disseruit, quod tam indesinenter debet monachus timorem Dei et humilitatem mente revolvere, quam incessabiliter attrahit aerem ore.

(Eccle. VII, 19. Ezech. I, 18. Jer. XV, 19. Is. LI, 23. Matth. XXVII, 11 et seq. Luc. XXIII, 11.)

C Præterea, his spiritualis ædificii fundamentis locatis, construamus in nobis patientiæ pavimentum, ut etiam si conculcemur et cunctis subjiciamur, æquanimiter toleremus. Per patientiam, prospera et adversa virtuose suscipiamus, ut nec prosperis extollamur, neque adversis dejiciamur. Stetque inflexibilis mentis nostræ status, quia in patientia nostra possidebimus animas nostras, id est, salvas et sanas eas habebimus, seu in statu salutis ac gratiæ constitutas, quas per impatientiam D perdimus, sicut in Job legitur : Quid perdis animam tuam in furore tuo? Et Judith ait : Qui tentationes non susceperunt in timore Domini et in patientia sua, exterminati sunt. Et sicut qui patiens est, multa gubernatur prudentia; ita qui impatiens est, exaltat stultitiam suam. Est autem patientia clypeus hominis virtuosi, quia per eam contra vitiorum læsiones se protegit. Nam sicut per impatientiam incidit homo diversa et magna peccata, ita per patientiam varia ac grandia evadit vitiorum peri-

(Ibid. XXI, 19. Job XVIII, 4. Judith VIII, 24, 25. Prov. XIV, 29.)

cula. Magna ac nobilis est patientiæ virtus: A qua qui caret, raro vel nunquam erit quietus ac stabilis, sed tanquam arundo vento agitata, hinc inde concutietur.

Taliter ergo constituto in nobis patientiæ pavimento, parietes hujus spiritualis palatii erigamus in nobis, qui sunt quatuor virtutes cardinales, prudentia, justitia, fortitudo et temperantia : ut discreti simus in cunctis, et justitiam induamur, *Ps.* CXXXI, 9. secundum illud, Sacerdotes tui induantur justitiam. Nec propter pericula mortis a virtutibus recedamus, cum Susanna dicen- B *Dan.* XIII, 23. tes : Melius est mihi incidere in manus hominum, quam peccare in conspectu Domini. Multoque minus ex minorum adversitatum timore abducamur a via justitiæ, ut hi qui ex timore displicendi hominibus aut patiendi oblocutiones seu modica damna, non erubescunt peccare.

Amplius, parietibus istis tectum, videlicet spem, superponamus, quoniam spes instar tecti ab incommodis, impulsionibus, tentationibus universis, nos tegit ac *Rom.* V, 5. protegit. Spes etenim non confundit. Spes C *Jer.* XVII, 7. omnia impetrat. Idcirco benedictus vir qui *Ps.* LXXXIII, 13. confidit in Domino; et beatus homo qui sperat in Deo. Omnibus autem his, caritatem pro turri superædificemus. Caritas enim est virtus summa, et erigit ad superna, ac Deo nos unit. In ea secure quiescitur, et tanquam in summo manetur.

Sic ædificato palatio isto, ostium fabricemus in eo, quod est misericordia seu pietas ad omnia utilis : per quam homo ad *Eccli.* XXX, 24. se ipsum ingreditur (juxta illud, Miserere *Prov.* XI, 17. animæ tuæ placens Deo; et item, Benefa- D cit animæ suæ vir misericors), atque ad *Matth.* VII, 12. suos egreditur proximos, faciens eis prout sibi vult fieri, ut visitans speciem suam non peccet, ignoscens injuriantibus sibi, et condolens omni peccanti.

Fenestræ demum quibus hæc domus illuminatur, sunt sapientia et scientia. De quibus loquitur Isaias, Divitiæ salutis, sa- *Is.* XXXIII, 6. pientia et scientia : utpote quæ sunt dona Spiritus Sancti, nec habentur nisi ab exsistente in caritate et gratia. Donum etiam intellectus, fenestra est domus istius.

Præterea, si in domo hac spirituali aliqua læsio per veniale peccatum, aut corruptio per mortale contingat, per pœnitentiam protinus reparetur, fiatque quam fuerat ante fortior. — Est autem regium istud palatium pulchriformiter decorandum, varietate picturæ ornandum, contemplationibus divinorum, ac sacris exercitiis ceterarum virtutum, potissimum actibus latriæ, devotione, orationibus, meditationibus, psalmodiis.

In iis ergo virtutibus gloriosissimum Thomam apostolum imitemur, qui quanto ante ad credendum fuit durior, tanto postmodum fuit in fide constantior. Unde et innumerabilibus coruscavit miraculis. Incarceratus quoque, et ab illustri fidelique femina Mygdonia rogatus ut ei ignosceret, eo quod ejus occasione fuit carceri traditus, consolatus est eam, dicens se omnia pati libenter. Postremo, quam ardentissimus fuerit in caritate Dei et proximi, innotescit ex hoc, quod tam longe ac late prædicando discurrit, tam infatigabiliter pro aliorum conversione et Dei honorificentia laboravit : siquidem Parthis, Medis, Persis, Indis ac aliis prædicavit, innumerabilesque convertit ad Dominum.

SERMO SEXTUS

QUANTA VIRTUS ET GRATIA SIT FIDES VERA; QUANTUM DEO SACRIFICIUM SIT, EJUS VERBIS CREDERE ET OBTEMPERARE.

Quia vidisti me, credidisti; beati qui non viderunt, et crediderunt. Joann. xx, 29. A

Hæc fuerunt verba Christi ad gloriosum et præelectum Thomam apostolum, quum dixisset ad eum: Infer digitum tuum huc, et vide manus meas; et affer manum tuam, et mitte in latus meum, etc. (Joann. xx, 27.) Ex quibus verbis infert Albertus, quod clavi quibus cruci affixus est Dominus Jesus Christus, tam grossi fuerunt ut digitus manus virilis, quia quod ait, Infer digitum tuum huc, exponitur, In manus meas, B hoc est, in locum cicatricis vulnerum manuum mearum; et item, quod lancea illa dira qua transfixum est latus Salvatoris, grossa fuit et lata ad modum virilis manus. (Ibid. xix, 34.) Ex quo patet acerbitas pœnæ quam pertulit Filius Dei in perforatione manuum suarum ac pedum. Propter quod ei compati debemus dupliciter. Primo, interna compassione ex pietatis affectu. Secundo, suæ passionis imitatione, patienter ferendo aspernationes, opprobria, afflictiones, injurias, correptiones, correctiones, C et alia quævis adversa, Christi intuitu et amore, quoniam ipse testatur: Qui non bajulat crucem suam et sequitur me, non potest meus esse discipulus. (Luc. xiv, 27.) Non igitur simus etiam sæcularibus hominibus pueriliores et infirmiores, ita ut pro modico verbo aut signo aut quantulacumque adversitatula commoveamur, aut male loquamur, seu vindicemus, aut conqueramur.

Denique beatissimus iste Thomas, post verba præmemorata, de fidei veritate certificatus, atque divinæ dignationis circa se D magnitudinem admiratus, devotissime exclamavit: Dominus meus et Deus meus! (Joann. xx, 28.) Cui Salvator: « Quia vidisti me », inquit, « credidisti; beati qui non viderunt, et crediderunt ». (Joann. xx, 29.) Itaque qui Christum corporaliter non viderunt, et nihilo minus credunt in eum, utpote fide formata in eum extenti, beati sunt modo in spe, in inchoatione ac merito, paulo post futuri beati in re, in consummatione ac præmio, dummodo finaliter perseverent. Magni etenim meriti est apud Deum, intellectum subjicere fidei seu Scripturis, ea credendo quæ rationem naturalem prorsus transcendunt, imo sensui ac rationi contrariari videntur: quia per hanc credulitatis subjectionem, intellectus se ipsum vincit, violentat, mactat et sacrificat Domino Deo suo. Unde loquitur Paulus apostolus: In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. (II Cor. x, 5.) Vult namque et exigit Deus ut homo se totum subdat ac offerat illi, a quo totum quod habet et est, sumpsit. Quemadmodum autem voluntas se Deo subdit et sacrificat, adversarios quoque amando; sic intellectus incomprehensibilia credendo: prout de hoc pulcherrime scribit doctor ille fervens et unctus, Guillelmus Parisiensis, in libro de Fide et legibus.

Præterea, quoniam fructuosissimus iste apostolus Thomas tam dignantissime certificatus et visitatus fuit a Christo, idcirco ferventissime atque latissime evangelizavit fidem ac legem Christi, prout apud Isaiam de ipso et coapostolis Christus prædixit: Mittam ex eis qui salvati fuerint, ad gentes, in mare, in Africam et Lydiam, in Italiam et Græciam, ad insulas longe; et annuntiabunt gloriam meam gentibus. (Is. lxvi, 19.) Quumque in India prædicaret beatissimus

Thomas, specialiter admonuit plebem ut A verbum Dei libenter audirent : et hoc propter quatuor rationes, secundum quod verbum Dei rebus quatuor comparatur.

Primo equidem comparatur collyrio, quia oculum mentis illuminat. Hinc in Apoca-
Apoc. III, 18. lypsi loquitur Christus : Collyrio inunge oculos tuos, ut videas. Audiamus ergo et nos verbum Dei libenter ubique, in choro, in capitulo, in colloquio, ut illustretur mens nostra ad intuendum et ponderandum suas defectuositates, culpas præteritas, mala instantia, futura pericula, sicque B timorati et circumspecti ac custoditi in omnibus simus; ad considerandum etiam Dei beneficia ac promissa, consilia et præcepta, et ea quæ Ordinis sunt, ut cuncta observet, sicque grata sit Deo, agilis et subjecta; ad contemplandam etiam immensitatem perfectionis et excellentiæ ac beatitudinis Dei, et supergloriosissimæ Trinitatis felicitatem et gloriam, mutuamque intuitionem, dilectionem, complacentiam, fruitionem, emanationem et communicationem ad intra, superbeatissimam et æter- C nam consistentiam ejus. Cum omni itaque aviditate audiamus verbum Dei, tanquam epistolam Spiritus Sancti cum summa reverentia audiendam, et verba prælati nostri tanquam verba Christi, qui ait præla-
Luc. x, 16. tis : Qui vos audit, me audit. Propter quod
Jacob. I, 21. Jacobus præcipit : Abjicientes omnem immunditiam, in mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas
Eccli. v, 13. vestras. Et Ecclesiasticus : Esto mansuetus ad audiendum verbum Dei.

Secundo, audiendum est verbum Dei li- D benter, quoniam verbum Dei comparatur potioni medicinali. Nam sicut potio talis corpus a pravis et immoderatis purgat caloribus, sic verbum Dei affectum a vitiosis et carnalibus mundat amoribus. Inducit namque ad Dei timorem, et spirituali accendit fervore, per quæ carnalis eradica-
Ps. CXVIII, 140. tur affectio. Ideo dixit Psalmista : Ignitum
Ibid. 161. eloquium tuum vehementer; itemque, A verbis tuis formidavit cor meum. Jere-
Jer. xx, 9. mias quoque propheta fatetur : Factus est sermo Domini in corde meo quasi ignis exæstuans. Itaque verba Scripturæ, et sermones Sanctorum, exhortationesque Patrum nostrorum, non quasi ex arida consuetudine, superficialiter legamus et audiamus, sed cum grandi attentione, ne Deum in verbis suis parvi pendere videamur : quatenus ex verbis hujusmodi filiali repleamur timore, atque divino accendamur amore. Docent enim nos verba Scripturarum et Patrum sanctorum, quemadmodum summa, infinita et prorsus incomparabilis sit bonitas, amabilitas ac suavitas Dei, et quemadmodum ipse prior I Joann. IV, 10.
dilexit nos, ac suam ad nos dilectionem copiosissime nobis monstravit, præsertim per Verbi æterni incarnationem, et cetera quæ Verbum incarnatum pro nostra egit pertulitque salute. Quantum vero in Dei timore ac amore excrescemus, tantum ab omni loquacitate, vanitate, carnalitate, negligentia et torpore cavebimus. Nec aliter credamus nos in Dei timore ac caritate proficere, nisi ab his et a cunctis quæ displicent Deo, magis ac magis quotidie abstineamus. Siquidem signum dilectionis est exhibitio operis, Christo protestante, qui ait : Qui diligit me, sermonem meum Joann. XIV, 23.
servabit.

Tertio, verbum Dei libenter et avide debemus audire, quoniam comparatur emplastro, eo quod vitiorum nostrorum vulnera curet. Inducit namque ad pœnitentiam salutarem, emollit cordis duritiam, et ab ingruentibus peccatis præservat. Hinc in Actibus dicitur, quod verbis S. Petri Act. II, 37, 38.
auditis, Judæi compuncti sunt corde, et dixerunt Apostolis : Quid faciemus, viri fratres? Quibus Petrus : Pœnitentiam (inquit) agite. Quum itaque verbum Dei audimus, quum exhortationis, correptionis et informationis verba nobis dicuntur, nequaquam gravemur, indignemur, aut more phreneticorum irrationabiliter reclamemus, quemadmodum de quibusdam perversis, ingratis ac reprobis scriptum est : Odio habuerunt Amos v, 10.
corripientem; et loquentem perfecte, abominati sunt. Sed pœniteamus et humilie-

mus nos ipsos, ac gratias referamus, discutientes conscientias nostras. Quanta ergo est ingratitudo atque perversitas Fratrum, qui quum proclamantur, corripiuntur aut instruuntur, ad iram impatientiamque moventur, et de ipso animarum emplastro infirmiores redduntur ac gravius vulnerantur? Quibus illud Proverbiorum timendum
Prov. XXIX, 1. est : Viro qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus superveniet interitus. Porro veræ sapientiæ signum est, correptiones et informationes patienter et gratanter suscipere. Propter quod Salo-
Ibid. IX, 8, 9. mon ait : Argue sapientem, et diliget te; doce justum, et festinabit accipere.

Quarto, verbum Dei audiamus libenter, quoniam est cibus et refectio animæ no-
Deut. VIII, 3 ; *Matth.* IV, 4. stræ, quemadmodum scriptum est : Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Quemadmodum enim corporeus cibus restaurat deperditum, reparat vires, confortat, oblectat, in vita conservat, ad debitam quantitatem perducit; sic verbum Dei hominem incitat ad recuperandum tempus negligenter inutiliterque consumptum, tepefactas reaccendit virtutes, roborat mentem, exhilarat animam, in vita gratiæ conservat eamdem, atque ad debitam perfectionem perducit Dei ministrum. Hinc ait Gregorius : Sicut de illius vita merito desperatur qui sumptum cibum non retinet, sic de illius vita spirituali diffiditur qui verbum Dei non servat nec audit. Psalmista

A quoque loquitur Deo : Quam dulcia faucibus meis eloquia tua! super mel ori meo. *Ps.* CXVIII, 103.
Ex quibus innotescit, quam malum sit signum, verbum Dei cum fastidio quodam audire : potissimum quum dicat Salvator, Qui ex Deo est, verba Dei audit. Hinc *Joann.* VIII, 47.
etiam verba psalmodiæ et orationum delectabiliter proferre et audire debemus, nec unquam tædio affici in divinis, sed cogitare Dei præsentiam atque intuitum super nos, ejusque verba præfato modo suscipere : sicut rex Indiæ, et frater ejus carna-
B lis, Sintice quoque amica Mygdoniæ, et ipsa Mygdonia Carisii uxor, soror etiam Mygdoniæ uxor regis superioris Indiæ, et alia millia hominum multa nimis, verbum Dei a beatissimo Thoma apostolo devotissime audierunt.

Postremo, verbum Dei aliis quoque quamplurimis rebus assimilatur, quum per Jeremiam Dominus protestetur, Numquid *Jer.* XXIII, 29.
non verba mea sunt quasi ignis, et quasi malleus conterens petram? in Ecclesiaste quoque scriptum sit, Verba sapientium *Eccle.* XII, 11.
C sunt quasi stimuli, et quasi clavi in altum defixi. Durissima igitur corda habent qui verbum Dei assidue audiendo, legendo, loquendo, ad meliora non emolliuntur, nec a sua franguntur duritia : quorum consilium longe a nobis sit. Nos vero præfato modo verba Dei jugiter audiamus, legamus, et proferamus. Ad laudem et gloriam omnipotentis Dei, cui est honor et gloria, etc.

IN VIGILIA
NATALIS DOMINI

ENARRATIO IN EVANGELIUM

QUUM ESSET DESPONSATA MATER JESU MARIA JOSEPH, ETC. Matth. I, 18-21.

RECTE evangelium istud in profesto A sacratissimæ Nativitatis Christi legitur, quia in evangelio isto, de nativitate Christi ex Virgine scribitur angelus præ- *Matth.* I, 21. nuntiasse B. Joseph, dicendo : Pariet autem filium, etc., sicut patebit. Dicitur ergo a Matthæo :

Quum esset desponsata, hoc est in matrimonium tradita, *mater Jesu Maria Joseph,* id est viro sic appellato, qui de eadem fuit tribu de qua et Maria : unde, ut *Num.* XXXVI, 6-9; *cf.* Tob. VII, 14. ait Hieronymus, secundum legem Moysis cogebatur eam accipere ut propinquam. B Fuit autem inter gloriosam Virginem et S. Joseph matrimonium verum, quamvis non fuerit per carnalem copulam consum- *Luc.* II, 5. matum : hinc Lucas vocat Mariam uxorem Joseph, ut in evangelio crastino legetur. *Antequam convenirent* ad cohabitandum, ut aliqui dicunt, vel ad carnalem conjunctionem, secundum Hieronymum, ad quam nec postea convenerunt, *inventa est in utero habens,* id est, Joseph tanquam diligens custos ac sponsus Virginis sanctæ, invenit ac deprehendit eam esse impræ- C gnatam, *de Spiritu Sancto,* id est virtute et operatione Spiritus Sancti, qui ex purissimis Virginis sacræ sanguinibus corpus Christi formavit et organizavit. Quamvis autem Maria de Spiritu Sancto concepit, hoc tamen Joseph prima facie (ut aliqui dicunt) ignoravit. Denique, quamvis opera summæ Trinitatis ad extra sint indivisa, eo quod Patris et Filii et Spiritus Sancti sit una essentia et una potestas; nihilo minus incarnatio seu conceptio Christi specialiter attribuitur Spiritui Sancto, quum sit effectus infinitæ misericordiæ bonitatisque Dei. Bonitas autem et misericordia appropriantur Spiritui Sancto.

Cur autem Unigenitus Dei potius nasci voluit de virgine desponsata quam de non desponsata, multæ causæ traduntur. Prima est, secundum S. Ignatium martyrem, ut Christi nativitas lateret diabolum. Verumtamen sicut diabolus ex diversis rebus certo cognovisset Jesum esse Christum in lege promissum, utpote ex verbis angeli ad pastores, ex verbis quoque parentum Joannis Baptistæ, si permissus fuisset; ita non obstante Virginis desponsatione, facile ex sua naturali industria deprehendisset ipsius virginitatem, si permissus fuisset, quum et per humanam industriam possit deprehendi an puella sit virgo. Secunda causa est, ne Virgo beata a Judæis reputaretur adultera. Tenera namque est verecundia virginum : maluit ergo Christus Judæos de sua nativitate ad tempus ambigere, quam de Matris suæ pudore perverse sentire. Tertia, ne Judæi haberent occasionem abjiciendi Christum, qua-

si de fornicaria natum. Quarta, ut Virgo sanctissima haberet casti viri solatium atque obsequium, præsertim quando in Ægyptum ductura fuit filium suum, et deinde reductura eumdem; et ut Christus haberet nutricium.

Joseph autem vir ejus, quum esset justus, et nollet eam traducere, id est Judæis quasi adulteram tradere et puniendam exponere, vel publice accusare, *voluit occulte dimittere eam.* Denique, secundum Hieronymum et Bernardum, S. Joseph certus fuit de castitate Mariæ. Si enim cognovisset eam esse adulteram et non traduxisset eam, fuisset injustus : quia secundum
Lev. v, 1. legem, non solum auctor sceleris, sed etiam conscius ejus, obnoxius est peccato si tacet. Dum ergo Evangelista affirmat Joseph justum fuisse, atque ob id Mariam non traduxisse, innuit quod de suæ castimonia sponsæ non dubitavit. Rursum, si Christus noluit Judæos de Matris suæ pudore sinistrum quid suspicari, probabile est quod non permisit justum Joseph de tanta Virgine adulterium opinari. Sed cur tunc voluit eam occulte dimittere ? Respondetur, quoniam cohabitatione ac præsentia Virginis tantæ se reputavit indignum : sicut et Petrus repulit a se Christum, dicen-
Luc. v, 8. do, Exi a me, quia homo peccator sum,
Matth. VIII, 8. Domine ; centurio quoque, Domine (inquiens), non sum dignus ut intres sub tectum meum.

Chrysostomus vero dicit, quod Joseph desponsata sibi Virgine, accepit eam in
Luc. I, 31. domum suam : ubi quum Gabriel angelus, ignorante Joseph, annuntiasset Virgini
Ibid. 36. conceptionem Filii Dei et qualiter cognata ejus Elisabeth concepisset, Virgo mox surgens, accepta a sponso suo licentia,
Ibid. 39-44. visitavit Elisabeth, ut ei congratularetur.
Ibid. 56. Rediens autem post menses tres, quum Joseph eam jam cerneret imprægnatam, prima facie reputata est ab eo peccasse; sed excusatione ab eo recepta, et attenta sanctitate ipsius, ambiguus fuit Joseph quid de ea magis sentire deberet. Ideo voluit eam occulte dimittere, ne vel innocentem traduceret, vel adulteræ cohabitaret, et per hoc ejus crimini consentire videretur. Verumtamen Chrysostomus alibi aliter scribit de ista materia. Nam alio ait in loco : O inæstimabilis laus Mariæ! Magis credebat Joseph castitati ejus quam ventri ipsius, et magis credebat gratiæ quam naturæ. Imprægnatam videbat, et fornicationem de ea suspicari non poterat; possibilius credidit mulierem sine viro concipere, quam Mariam posse peccare. Unde quod ait Chrysostomus, S. Joseph putasse Mariam esse adulteram, referri potest ad tempus quo primo vidit eam prole fecundam. Alia verba Chrysostomi jam inducta, possunt referri ad tempus excusationis receptæ. Præterea dubium non est, quin interior sanctitas castitasque Mariæ mirabiliter ac potenter resplenduit, non solum in ejus vultu, sed et in toto corporis gestu ac apparatu, in tantum quod qui ejus conversationem et apparatum bene consideravit, crimen quodcumque de ea suspicari nequivit.

At vero aliqui dicunt, quod Joseph cum Maria profectus est ad visitandum Elisabeth, tanquam obsequiosus ac diligens commissæ sibi Virginis custos. Aliqui etiam dicunt, quod Joseph nondum accepit Mariam in domum suam, sed quod desponsatione peracta, ipse descendit ad propriam domum, tanquam nuptiis necessaria provisurus; et quod Maria interim mansit in suorum domo parentum ad tempus. Quumque reversa fuisset ab Elisabeth, cernens eam Joseph gravidam, noluit eam in domum suam accipere, sed decrevit eam secrete dimittere.

Quid horum sit verius, incertum est.

Hæc autem eo, scilicet Joseph, *cogitante,* videlicet quod Mariam occulte dimitteret, *ecce angelus Domini apparuit in somnis ei,* id est ipsi Joseph dormienti, visione imaginaria. In somno quippe revelationes divinæ fieri solent, quia tunc anima aptior est ad talium perceptionem propter exteriorum sensuum clausuram, quietem, vacantiam, et præsertim propter imagina-

tionis quiescentiam ampliorem. Hinc in Job dicitur : Per somnium in visione nocturna, aperit Deus aures virorum, et instruit eos. (Job xxxiii, 15, 16.) Apparuit ergo Joseph, *dicens : Joseph fili David,* non solum carnis propagine, sed fidei ac virtutum imitatione, *noli timere accipere Mariam conjugem tuam,* id est, audacter eam suscipias ad cohabitandum, nec aliquid mali suspiceris de ea; *quod enim in ea natum est,* id est proles quam habet in utero, *de Spiritu Sancto est,* id est, virtute et operatione Spiritus Sancti concepta est, salvo virginitatis signaculo.

Quæritur, cur non potius dicat Evangelista, Quod in ea conceptum est, quam, « quod in ea natum est », quum res nasci dicatur dum prodit ex utero. Respondendum, quod nativitas seu generatio, est productio seu acquisitio esse substantialis. Res ergo tunc nascitur quum formam substantialem sortitur. Hanc autem proles primo suscipit in utero matris : ideo primo et prima est nativitas in utero; deinde ex utero, quum fetus separatur a matre et incipit apparere : quæ nativitas est quasi manifestatio primæ nativitatis. Alia ratio est, ad innuendum quod Christi conceptio non fuit successiva et naturalis, ab imperfecto ad perfectum procedens, sed instantanea et supernaturalis, ita quod in eodem instanti completa est corporis Christi organizatio ac animatio. Ideo dicit, « quod in ea natum est » : quoniam puer quem concepit, a primo suæ conceptionis instanti fuit homo perfectus, imo et vir, non corporis quantitate, sed sapientiæ ac virtutum perfectione. Unde a Jeremia prædictum est : Novum creavit Dominus super terram, mulier circumdabit virum. (Jer. xxxi, 22.)

Pariet autem filium : de quo Isaias prædixit, Puer natus est nobis, et filius datus est nobis; (Is. ix, 6.) *et vocabis,* in die circumcisionis, quando Judæi masculis nomina imponebant, *nomen ejus* nominatum, hoc est ipsummet puerum, *Jesum,* id est nomine illo. Vel, « vocabis », id est, vocando dices, « nomen ejus » nominans esse « Jesum », id est, quod Jesus sit nomen pueri hujus. Et cur ita vocandus sit, subditur : *ipse enim salvum faciet populum suum,* potissimum prædestinatum, *a peccatis eorum,* originali, personali et actuali. Christus namque per suam incarnationem dignissimam, conversationem sanctissimam, amarissimam passionem, liberavit sufficienter, quantum in ipso fuit, totum genus humanum ab omni peccato; sed soli electi hanc salvationem finaliter assequuntur. Oportet tamen ut virtus ac meritum conversationis passionisque Christi applicetur hominibus : quod fit per sacramenta Ecclesiæ, et per fidem, sine qua impossibile est salvari, (Hebr. xi, 6.) atque per caritatem, per quam homines Christo incorporantur et gratiarum fluenta ab ipso adipiscuntur. Postremo, Jesus interpretatur salvator vel salutaris. Convenienter ergo Christus dictus est Jesus, quum sit mundi Salvator, de quo Joannes Baptista testatus est : Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. (Joann. i, 29.) Unde in Apocalypsi habetur : Christus dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. (Apoc. i, 5.) Et in Isaia scriptum est : Dominus posuit in eo iniquitatem omnium nostrum; cujus livore sanati sumus. (Is. liii, 6, 5.) — Quæritur, quomodo secundum Matthæum, angelus vocet nomen filii hujus Jesum post suam conceptionem, quum Lucas dicat : Vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab angelo priusquam in utero conciperetur. (Luc. ii, 21.) Dicendum, quod Lucas loquitur de vocatione pueri facta ab angelo ad Mariam, quum dixit : Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum. (Ibid. i, 31.)

SERMO PRIMUS

QUOD SUMMA CUM DEVOTIONE SUMMOQUE DESIDERIO, CHRISTUM MULTIS SÆCULIS DESIDERATUM, IN NOBIS QUOQUE SPIRITUALITER NASCITURUM EXSPECTARE DEBEAMUS.

E*CCE veniet Desideratus cunctis gentibus, et implebo domum istam gloria, dicit Dominus.* Agg. II, 8.

Quemadmodum solennitas crastina inter omnes solennitates totius anni est præcipua, sic inter omnes vigilias et profesta primatum sortitur vigilia ista, seu præsens profestum. Insuper, sicut solennitas crastina est cum devotione summa et maxima celebranda, ita in ista vigilia debent se Christiani cum maxima diligentia et præcipua devotione, ad internam cordis munditiam præparare. Hinc enim sancta mater B Ecclesia ordinavit, Christi adventum per quatuor dominicas celebrari, quatenus in toto tempore hujus Adventus fideles per orationes, eleemosynas, jejunia, ac cetera pietatis ac devotionis exercitia se pararent ad celebrandum condigne, cum omni gratiarum actione et alacritate, beatissimam Christi ex virgine Maria nativitatem. Præcipue autem etiam præparare se debent ad hoc per veram confessionem et satisfactionem.

In hac ergo vigilia unusquisque se debet C disponere ad crastinam solennitatem devotissime peragendam, jejunando, orando, ad Vesperas transeundo, et confitendo si paulo ante confessus non est, atque beneficia Dei et dignitatem maximam hujus festi fideliter considerando. Sed heu, quanta est infelicitas filiorum hominum, quam magna excæcatio est eorum, quam infinita ingratitudo perversitasque ipsorum! Nempe in sacro isto profesto, in quo (sicut prætactum est) ad maximam se merito devotionem disponerent, multi se vanis- D sime atque pravissime habent, tota nocte usque ad Matutinas potationi gulosæ, taxillationi litigiosæ, loquacitatibus et aliis diversis intenti peccatis. Ita, o miseri, disponitis vos ad gratiam Dei, ad celebrandum solennitatem Nativitatis Christi, ad devotionem sinceram? Sed resipiscite, et consuetudinem maledictam relinquite; tempus hujus sacratissimæ noctis virtuose expendite, et si totam noctem in Dei obsequio ac laudibus ejus et orationibus ac sanctis meditationibus expendere non vultis, aut non valetis, ante Matutinas dormiatis ad tempus, ut in matutinali officio vigilantiores devotioresque sitis.

Sed nunc primo considerandum est, quis sit iste « Desideratus cunctis gentibus », de quo in themate præassumpto loquitur Aggæus propheta; et cur ita vocetur. Secundo, unde venit. Tertio, per quam viam venit. Quarto, ad quos venit. Quinto, qualiter venit. Sexto, cur venit. Septimo, qualiter venientem debeamus suscipere.

Circa primum, sciendum quod iste « cunctis gentibus Desideratus », est Dominus noster Jesus Christus, Filius Dei, Deus et homo, Salvator mundi, de quo sanctus patriarcha Jacob locutus est : Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit exspectatio gentium; itemque, Salutare tuum exspectabo, Domine. De quo etiam justus Simeon loquitur Deo : Viderunt oculi mei Salutare tuum, Domine, quod parasti ante faciem omnium populorum, lumen ad revelationem gentium. O quanta est dignitas hujus Desiderati, videlicet Jesu Christi! Ipse namque est Deus et homo. Et in quantum Deus, sic suæ dignitatis, suæ perfectionis et gloriæ nul-

Gen. XLIX, 10. *Ibid.* 18. *Luc.* II, 30-32.

lus est finis, estque penitus infinite di- A gnior toto universo, seu cunctis creatis simul acceptis. Porro, in quantum homo, sic etiam est major et dignior toto mundo, in quantum ejus humanitas est unita Verbo æterno, seu divinitati unigeniti Filii Dei, hypostatica unione seu suppositali conjunctione, utpote ad personale et increatum esse Verbi æterni assumpta, et in eodem esse suppositata.

Nunc consequenter considerare oportet, cur Christus, Dei Filius, dicatur « Desideratus cunctis gentibus ». Hujus ratio prima B est, quoniam Christi adventus fuit omni nationi ac populo vehementissime desiderabilis, quia per Christum liberatæ sunt a cultu idolorum, a jugo vitiorum, a tenebris ignorantiæ atque perfidiæ, a dæmonum potestate, ab æterna damnatione; ad fidem quoque et gratiam Dei perductæ sunt, et ad æternam beatitudinem repara-
Ps. LXXI, 17. tæ. Hinc Psalmista prædixit : Benedicentur in ipso omnes tribus terræ ; omnes gentes magnificabunt eum. Daniel quoque ait :
Dan. VII, 14. Omnes populi, tribus et linguæ servient C ei. Et per Isaiam prophetam Deus Pater
Is. XLIX, 6. ait ad Christum : Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ. Ecce quam desiderabilis est Christus et ejus adventus, incarnatio, nativitas, passio; quam ineffabiliter multa et magna bona nobis ab ipso et per ipsum venerunt, veniunt atque futura sunt, dummodo ei grati et obedientes fuerimus. Secunda ratio cur Christus dicitur « Desideratus cunctis gentibus » est, quoniam quamvis ejus adventus fuit Judæis speci- D aliter repromissus (propter quod ipse in
Matth. XV, 24. Evangelio loquitur, Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel), tamen sancti Prophetæ præviderunt in spiritu, et multipliciter prædixerunt, Judæos non esse credituros in Christum pro majori parte, sed gentiles toto orbe terrarum. Tertia ratio est, quoniam Christus propter bonitatem suam incomparabilem et immensam, est vere summe desiderabilis, et ab electis omnibus maxime desideratus, quemadmodum Isaias propheta sanctissimus loquitur : Nomen tuum et memoriale *Is.* XXVI, 8, 9.
tuum, Domine, in desiderio animæ; anima mea desideravit te in nocte, sed et spiritus meus in præcordiis meis.

Secundo dicendum est, unde Desideratus iste, scilicet Christus, venit. Et ad hoc respondet David propheta, dicens in Psalmo : A summo cœlo egressio ejus. Et *Ps.* XVIII, 7.
ipsemet protestatur : Exivi a Patre, et ve- *Joann.* XVI, 28.
ni in mundum. Venit ergo a Deo Patre, missus ab eo. Venit autem non locum mutando, nec Patrem relinquendo (quum sit incircumscriptibilis, invariabilis et immensus, in corde Patris æternaliter manens), sed humanam naturam assumendo atque hominibus visibiliter apparendo, quemadmodum Baruch ait : Qui fecit stel- *Baruch* III, 35, 36, 38.
las, hic est Deus noster; et, Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est. O quanta est gratia ista ! Nonne magnum reputatur in sæculo, si aliquis notabilis officiatus ex curia domini Papæ, vel ex aula imperatoris aut regis, mittatur ad aliquos pro expeditione alicujus negotii? Quam incomparabiliter majus est, quod unigenitus Filius Dei, ex summa aula cœli empyrei, imo ex fonte paterni cordis descendit ad nos, ad reconciliandum genus humanum Patri altissimo ? Pensemus beneficium istud, simusque grati pro posse superbeatissimæ Trinitati, Patri et Filio et Spiritui Sancto. Simus (inquam) grati corde, ore et opere indesinenter usque in finem.

Tertio dicendum, per quam viam venit. Ad quod primo dici potest, quod venit per Virginem gloriosam, Matrem suam dignissimam, tanquam per viam. In quo apparet infinita dignatio Dei, quod is qui est unigenitus Filius Dei Patris, dignatus est fieri, esse et dici filius Virginis Matris. Sed quum dicat Propheta, Universæ viæ Domi- *Ps.* XXIV, 10.
ni misericordia et veritas, dicere possumus quod per misericordiam suam venit, quia misericordissime pereuntibus condolens, ipsis succurrit, juxta illud : Per *Luc.* I, 78.
viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus

visitavit nos oriens ex alto. Venit quoque A per veritatem, quoniam sicut per Prophetas prædixit, sic adimplevit, juxta illud *Ps.* XCVII, 3. in Psalmo : Recordatus est misericordiæ suæ et veritatis suæ domui Israel. Unde *Joann.* I, 17. Joannes asserit : Gratia et veritas per Jesum Christum facta est. Item, venit per *Ephes.* II, 4. caritatem. Nam propter nimiam caritatem suam qua dilexit nos, nostram assumpsit naturam, et tam proxime se nobis conjunxit : caritas enim efficit unionem. *Galat.* II, 20. Ideo dicit Apostolus : In fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum B pro me.

Quarto dicendum, ad quos venit. Et ad hoc facilis est responsio, quia ad homines venit, ad salvandum genus humanum; et specialiter ac primitus venit ad populum Judæorum, quibus specialiter fuit promissus, et de quorum progenie natus est. Sed quia Judæis, propter eorum incredulitatem, pro majori parte eorum non profuit Christi adventus (imo plus nocuit indirecte : nam usque in finem a Deo relicti sunt, eo quod Christo non crediderunt, C *I Thess.* II, 16. dicente Apostolo, Pervenit super eos ira Dei usque in finem), gentilibus vero ad Christum ubique conversis profuit Christi adventus; idcirco in Actibus ait Aposto- *Act.* XXVIII, 28. lus : Gentibus missum est hoc Salutare Dei, id est Christus salvator, per quem Deus genus humanum salvavit. Christus ergo, qui per se ipsum ad Judæos corporaliter ac visibiliter venit, per Apostolorum prædicationem ad gentiles spiritualiter est delatus, atque invisibiliter venit ad eos. Hinc Isaias propheta prædixit : D *Is.* LV, 5. Ecce gentem quam nesciebas, vocabis, Domine; et gentes quæ non cognoverunt te, ad te current.

Quinto dicendum, qualiter venit. Venit utique in summa paupertate et humilitate, in maxima pietate et caritate. Nam pauperem matrem elegit; in parvo oppi- *Luc.* II, 4-7. do, in vili stabulo natus, moxque panniculis involutus, in præsepio fuit collocatus. Ex quo enim Filius Dei venit ad prædicandum omnium terrenorum despectum, et ad amandum præfervide bona spiritualia, cœlestia ac divina ; idcirco summam paupertatem et humilitatem elegit, assumpsit, exhibuit. Hinc in Evangelio loquitur : Volucres cœli nidos habent, et *Matth.* VIII, 20. vulpes terræ foveas; Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.

Sexto dicendum, cur venit. Ad quod ipsemet respondet, dicendo : Filius ho- *Luc.* IX, 56. minis non venit animas perdere, sed salvare. Et rursus protestatur : Ego veni ut *Joann.* X, 10. vitam habeant, et abundantius habeant. Venit ergo Filius Dei, ut homines reformaret salutari doctrina, ædificaret omni virtutum exemplo, et ut per passionem, crucem et sanguinem suum, pro ipsorum satisfaceret culpis; sicque hominibus promereretur dona gratiæ in præsenti, et bona gloriæ in regno cœlesti. Venit quoque ad succurrendum, ad salvandum, ad beatificandum eos qui perierunt. Hinc in evangelio hodierno angelus ait ad Joseph : Vo- *Matth.* I, 21. cabis nomen ejus Jesum; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Omnia namque quæ Christus in sæculo isto fecit ac passus est, ex maxima pro nobis caritate fecit ac pertulit, et ex eadem caritate omnia illa ad nostram ordinavit salutem. Non enim illis indiguit ipse: imo anima ejus a primo suæ creationis principio fuit unita Verbo æterno, perfecte perfruens Deo, et liberrima ab omni peccato.

Septimo dicendum, qualiter Christum debeamus suscipere nostro in corde. Et de hoc in principio hujus sermonis nostri est dictum, sed plenius dicetur in sermone sequenti.

SERMO SECUNDUS

QUANTA CORDIS PURITATE ET HUMILITATE, PARVULO JESU NASCITURO OCCURRERE, ET QUANTA PAUPERTATE EUMDEM IMITARI DEBEAMUS.

QUÆ *societas luci ad tenebras? Aut quæ conventio Christi ad Belial?* II Cor. VI, 14, 15.

Quemadmodum solennitas crastina omnium est solennitatum potissima, ita indecentissimum est eam absque devotione debita celebrari. Sed quum devotio sit actus virtutis quæ latria appellatur, nemo est vere devotus nisi omni mortali careat culpa, sitque in caritate et gratia. Non enim in eodem simul esse possunt virtutes infusæ secundum esse completum, et mortale peccatum : nam ut ait Apostolus, nulla est « societas luci ad tenebras ». Caritas autem, gratia, ceteræ quoque virtutes, sunt spiritualia lumina, quibus animæ intus ornantur, splendent et illustrantur. Peccata vero sunt tenebræ, quibus animæ assimilantur dæmonibus, atque a Deo (qui vera, prima et summa lux est) elongantur. Itaque eum qui instantem solennitatem digne vult celebrare, oportet ab omni peccato mortali esse immunem, ita quod si qua ante commisit, de eis vere pœniteat, confiteatur, emendet.

Porro ipsemet Christus lux est, juxta illud Joannis : Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. (*Joann.* I, 9.) Et non solum peccata, sed et peccatis obnoxii, hoc est in mortali culpa aliqua exsistentes, tenebræ nominantur, dicente Apostolo : Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. (*Ephes.* V, 8.) Christus quoque a Judæis mox capiendus, asseruit : Hæc est hora vestra et potestas tenebrarum, (*Luc.* XXII, 53.) id est hominum impiorum ac dæmonum. Non est ergo societas Christo cum impiis, ita quod iniqui Christum in suo corde suscipere nequeunt, nisi a suis prius purgentur peccatis. Ideo dicit Apostolus : « Quæ conventio », id est unio, « Christi ad Belial », (II *Cor.* VI, 15.) id est rebellem ? Belial quippe interpretatur, absque jugo. Et ita per Belial potest intelligi quilibet divinæ legis transgressor : quoniam talis abjicit a se legem Dei, per quam homo subdit se Deo, et propriam voluntatem refrenat, ne instar equi infrenis ad illicita moveatur. Unde qui Deo atque Ecclesiæ et parentibus ac superioribus suis obedire despiciunt aut non curant, recte Belial nuncupantur. Hinc impio dicitur per Jeremiam : A sæculo confregisti jugum, rupisti vincula mea, et dixisti, Non serviam, dicit Dominus. (*Jer.* II, 20.) Apud Job quoque dicitur : Tetendit iniquus contra Deum manum suam, et cucurrit adversus eum erecto collo. (*Job* XV, 25, 26.) Etenim contra Deum manum tendit, qui agit quæ Deus prohibuit; et contra Deum currunt collo erecto, qui absque freno et sine timore peccatis peccata adjiciunt, (*Eccli.* V, 5.) nunc hoc nunc istud vitium perpetrantes, et absque numero offendentes : quemadmodum multos videmus qui simul diversis serviunt ac replentur peccatis, superbi, avari, lascivi, acediosi, impatientes ac negligentes. Isti non solum vadunt, sed etiam currunt adversus Deum, et ita festinant ad inferos quasi ad epulas, quasi ad dedicationem, quasi ad festa. Sic ergo oportet ut ab omni culpa purgemus nos, si Christum devote suscipere, et ejus Nativitatem debite celebrare optamus.

Præterea, quoniam Christus in summa et maxima humilitate venit ad nos, oportet ut ei in humilitate occurramus sincera. Sicque in primis oportet nos superbiam omnem abjicere, ut neque de generis no-

bilitate, neque de amicorum aut propinquorum vel ministrorum ac subditorum multitudine sive potentia, neque de opulentia, pulchritudine, robore, statura, eloquentia, scientia, præsidentia, fama, laude humana, honore impenso aut aliquo tali aliquis intumescat : imo, quo major est, quo plura bona a Deo accepit, quo ceteris
Sap. VI, 6. eminentior esse videtur, eo plus Dei expavescat judicium, et eo plus gratus ac sub-
Luc. XII, 48. ditus Deo esse conetur. Cui enim plus datum est aut commissum, plus utique requiretur ab eo.

Abjicienda est ergo primo superbia cordis, ne cogitando aut desiderando quisquam superbiat, se ipsum nimis reputando aut efferendo, aut honores, dignitates laudesve vitæ præsentis concupiscendo. Hinc
Eccli. VI, 2; XI, 4. in Ecclesiastico scriptum est : Non te extollas in cogitatione tua velut taurus, et in die honoris tui non extollaris. Apostolus
Rom. XI, 20. quoque : Noli (inquit) altum sapere, sed
Is. V, 21. time. Et per Isaiam loquitur Deus : Væ vobis qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes. Secundo, abjicienda est superbia oris, ne quis verbis inanibus se ipsum commendet, jactet, nec præsumptuosus exsistat, aut alium aspernetur, improperando, convitiando aut vituperando. Hinc virtuosus Tobias docuit
Tob. IV, 14. filium suum : Superbiam (inquiens) nunquam in tuo sensu aut in tuo verbo dominari permittas; in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio. In libro Proverbiorum
Prov. XXVII, 2. quoque Salomon loquitur : Laudet te alienus, et non os tuum; extraneus, et non labia tua. Tertio, abjicienda est superbia
Eccli. X, 29, 31. operis, juxta illud Ecclesiastici : Noli te extollere in faciendo opere tuo, sed in mansuetudine serva animam tuam. Itaque in universis quæ agimus, non propriam laudem, non temporalem honorem, sed Domini Dei nostri honorem, gloriam, laudem intendamus, quæramus, optemus, quem-
Coloss. III, 17. admodum ait Apostolus : Omne quodcumque facitis, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi agite, gratias agentes Deo Patri per ipsum. Nemo igitur quærat inani-

A ter apparere, nec cum tumore cordis aut nimia audacia agat quod agit, sed magis cum Dei timore, quum Salomon dicat, Bea- *Prov.*
tus homo qui semper est pavidus; et in XXVIII, 14.
Ecclesiastico scriptum sit, Fili, in man- *Eccli.* III,
suetudine opera tua fac, et super omnem 19.
hominum gloriam diligeris.

Quarto, abjicienda est superbia in vestitu, in qua multi graviter Deum offendunt, vestimenta superflua, curiosa, pomposa nimisve pretiosa habendo ac deferendo, non attendentes quod sancti doctores Am-
B brosius Basiliusque affirmant, dicendo : Nudi vestimentum est, quod recludis aut superflue habes. Hinc beatissimus Joannes
Baptista dixit : Qui habet duas tunicas, id *Luc.* III, 11.
est unam superfluam, det non habenti. In
Ecclesiastico quoque scriptum est : In ve- *Eccli.* XI, 4.
stitu ne glorieris unquam. Denique omni Christiano vehementer advertendum est et timendum quod sanctus ait Hieronymus : Si vir aut mulier se ornaverit, et adspectum hominum in se provocaverit, etiam si nullum malum inde sequatur, ta-
C men æternum supplicium patietur : quoniam quantum in se fuit, venenum propinavit, si fuisset qui biberet. Hinc dicunt doctores, quod viri et mulieres qui ita se ornant ac vestiunt, quod aliquis inde ad concupiscentiam provocari potest libidinosam, peccant mortaliter. Et proh dolor! quam multi sunt tales : imo, quam multi ex proposito agunt hoc. Quidam etiam tam intimorati ac vitiosi consistunt, quod cum suo ornatu intrant ecclesiam Dei, et ibi in Missa, in divino Officio, se ipsos objiciunt
D et præsentant ad intuendum, ut placeant, ut inspiciantur, ut appetantur. Quid sunt isti, nisi rete diaboli, per quos animas hominum capit ac perimit? Istis melius esset ire ad tabernam, quam ad ecclesiam.

Quinto, abjicienda est superbia in præparationibus et exhibitionibus ciborum ac potuum, et utensilium ac ceterorum quæ possidentur. Nam quidam in istis superbe se habent et ostentationes ac laudes exquirunt. Est quoque abjicienda superbia omissionis : nam aliqui ex superbia asper-

nantur et vitant facere quædam opera bona, ut pauperes alloqui, visitare infirmos, ministrare proximis suis.

Insuper, non solum abjicienda est omnis ista superbia, sed omnis quoque humilitas ei contraria est amplectenda, ut omnis Christianus sit vere humilis corde, verbis, factis, vestitu, atque in ceteris omnibus. Cogitet ergo unusquisque infinitam excellentiam Dei altissimi super se, et comparatione ejus nihil se esse advertat. Attendat quoque se factum esse ex nihilo, nec se aliquid boni a se ipso habere, imo a sese nihil habere nisi deficere et peccare. Sicque parvificet et vilipendat se ipsum, pensando illud Apostoli (I Cor. IV, 7) : Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Sed forsan aliquis cogitat se a progenitoribus suis habere nobilitatem, dominium atque divitias : ideo intumescit. Sed progenitores ejus, unde hæc habuerunt? Nonne omnia originaliter sunt a Deo? Cogitet insuper unusquisque quam graviter, quam diu et frequenter offendit proprium Creatorem, quam multa mala commisit, quam multa bona omisit : et tunc non solum non intumescet, sed etiam omni bruto se reputabit viliorem, pejorem et contemptibiliorem. Penset rursus immunditias, defectuositates, fœditates, quas habet in anima et corpore; quam fragilis sit et pronus ad vitia, quantis æternæ damnationis periculis sit expositus : et tunc utique in omnibus humiliabit se ipsum, timoratusque erit.

Præterea, quoniam Christus in summa paupertate venit ad nos, debemus ei in paupertate occurrere, omnem avaritiam fugiendo, et temporalia relinquendo, vel saltem ea inordinate non diligendo, nec immoderanter congregando retinendoque ea : quemadmodum ait Psalmista (Ps. LXI, 11), Divitiæ si affluant, nolite cor apponere. Hinc Christus (Matth. VI, 25 et seq.) immoderatam sollicitudinem reprobat. Sed, heu! hujus oppositum faciunt multi, qui terrena magis quam gratiam et virtutes sibi conantur colligere, et vehementer sollicitantur qualiter sobolem suam in temporalibus ditent, non qualiter eam ad virtutes perducant. Quod certum est signum quod neque se ipsos, nec prolem suam spiritualiter amant, sed magis carnaliter : ideo in statu damnationis se esse cognoscant, nisi pœniteant et se emendent.

Amplius, quoniam Christus, Filius Dei, venit ad nos in maxima misericordia, utpote ad satisfaciendum et moriendum pro nobis, ad instruendum nos, et ad locupletandum nos in omni gratia, virtute et dono Spiritus Sancti; idcirco debemus nos ad ejus susceptionem per opera misericordiæ corporalia ac spiritualia, prompta ac larga, disponere, et mutuo indulgere, pro invicem exorare, nudos vestire, visitare infirmos, et tempore frigido indigentibus etiam combustibilia dare. Cujus oppositum faciunt quidam immisericordes, qui quum videant aut percipiant quosdam pauperculos sibi in agro sive alibi ligna pro igne colligere, non eis de abundantia sua succurrunt. Quid ergo isti nisi infernalem ignem merentur?

Postremo, quoniam Christus in ardentissima et perfectissima caritate venit ad nos, communicando se ipsum et omnia bona sua nobis, sicut in hymno S. Thomas ait devote :

> Se nascens dedit socium,
> Convescens in edulium,
> Se moriens in pretium,
> Se regnans dat in præmium.

Idcirco in præcipua caritate Dei et proximorum debemus ei occurrere, et ipsum in cordis cubili suscipere, amicos inimicosque caritatis brachiis amplectendo, omnium salutem cordialiter affectando, pro cunctis orando, de aliorum ruina, oppressione, calamitate dolendo ex corde, et eorum prosperitati atque profectui virtuoso congratulando sincere.

Ecce his modis præparemus nos ad celebrandum Christi Natalem. Sed, heu! multi carnales et indevoti non ita se præpa-

rant ad solennitatem instantem, sed per A
curiosas et pompaticas vestes, per superflua et delicata fercula, per exteriorem ornatum; et quidam, his sacris diebus, potationibus vacare et carnalitatibus insistere non verentur. Sed abjiciatur consuetudo pravissima, atque in vera ac specialissima devotione studeamus hos dies expendere, ad gloriam Domini nostri Jesu Christi, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus benedictus et gloriosus in sæcula. Amen.

IN NOCTE

NATIVITATIS DOMINI

ENARRATIO IN LECTIONEM PROPHETICAM

POPULUS QUI AMBULABAT IN TENEBRIS, VIDIT LUCEM MAGNAM, ETC. Is. IX, 2, 6, 7.

SICUT in Rationali divinorum habetur, A Telesphorus Papa statuit die isto tres Missas cantari seu legi, ad designandum quod per Christi nativitatem salvati sunt homines trium temporum, utpote qui fuerunt ante legem, sub lege, et post legem : intelligendo per legem, legem Moysis. Sicque illi dicuntur fuisse ante legem, qui fuerunt ab Adam usque ad Moysen et legislationem factam per ipsum, et illi dicuntur fuisse tempore legis naturæ, seu legis naturalis. Qui autem a Moyse usque ad Christum fuerunt, sub lege fuisse di- B cuntur, præsertim quantum ad populum Judæorum. Qui autem tempore novi Testamenti fuerunt et sunt, post legem fuisse feruntur. Ideo etiam in hoc die tres Missæ cantantur, quoniam triplex est Christi nativitas, videlicet æterna, et temporalis, ac spiritualis. Æterna est a Patre ; temporalis, a Matre ; spiritualis consistit in multiplicatione fidelium, qui per gratiam regenerantur in Christo.

Porro, in Missarum istarum officiis, lectio prophetica ex Isaia præmittitur lecti- C
Deut. XIX, 15. oni epistolæ, ut in ore duorum tam solennium testium confirmetur evangelica veritas, ita quod Evangelium est tertius testis nativitatis Domini Salvatoris (Isaias quoque propheta de Christi nativitate atque mysteriis, illuminationeque gentium abundantius est locutus); itemque, ut in Rationali dicitur divinorum, quatenus designetur basis (id est fundamentum) superpositioni columnæ, quoniam super basim Prophetarum fundata est columna Apostolorum. Fit etiam istud ad designandum consonantiam utriusque Testamenti de Christi nativitate, et propter prærogativam ac reverentiam hujus solennissimi festi, atque ad pleniorem instructionem fidelium.

Porro, lectio ista prophetica ex sermonibus Isaiæ (ut dixi) sumpta est, aliquibus verbis ibi interpositis, in ea omissis. Itaque de gentilium tunc futura illuminatione Isaias prophetans, et more Prophetarum de futuro per modum præteriti propter veritatis certitudinem loquens, ait :

Populus qui ambulabat in tenebris, id est plebs gentilis, quæ versabatur et vixit in obscuritate ignorantiæ et errorum atque in caligine vitiorum, *vidit* oculo interiori per fidem, *lucem magnam,* videlicet Christum, evangelicamque doctrinam; *habitantibus in regione umbræ mortis,* id est in isto sæculo, et in hoc mundo immundo repleto peccatis, quæ sunt umbra mortis, *lux orta est eis,* id est, Christus menti eorum resplenduit : quod per prædicationem Apostolorum impletum est. Christus etenim *Joann.* VIII, 12.
ait : Ego sum lux mundi. Juxta quem mo- *Malach.* IV, 2.
dum loquendi, in Malachia legimus : Orie-

tur vobis Sol justitiæ. Christus namque est A Sol justitiæ, qui oritur eis quos ipse ad se cognoscendum ac diligendum illuminat, et in quorum mentibus per gratiam habitat. Itaque culpa mortalis seu impia vita dicitur mortis umbra, quia a Deo separat mentem, quemadmodum mors naturalis a corpore separat animam. Iterum, mortis umbra est præsens sæculum, quod quum sit vallis lacrimarum, peregrinatio atque exsilium, umbra et obscura quædam repræsentatio mortis respectu patriæ nominatur. Imo et vita præsens recte umbra dicitur B mortis, dicente Gregorio : Vita temporalis æternæ vitæ comparata, mors est potius dicenda quam vita. Hæc est una expositio passus istius.

Verumtamen verba hæc ad litteram, tempore Christi, in sæculo isto impleta sunt per propriam prædicationem ipsius. Scri-
Matth. IV, 12-16. ptum est enim : Quum audisset Jesus quod Joannes traditus esset, et ab Herode incarceratus, secessit in Galilæam; et relicta civitate sua Nazareth, venit et habitavit in civitate Capharnaum maritima, in finibus C Zabulon et Nephthali : ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam :
Is. IX, 1. Terra Zabulon et terra Nephthali, via maris trans Jordanem Galilææ gentium. Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam ; et sedentibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. Christo itaque prædicante habitatoribus Galilææ, populus qui habitavit in ea, et vitiis atque erroribus fuit plenus, « vidit lucem magnam », id est Christum, quem corporaliter conspexerunt, et multi eorum ex prædica- D tione ipsius pœnituerunt et spiritualiter illuminati fuerunt.

Consequenter subjungitur causa præfatæ illuminationis secundum utramque expositionem inductam. *Parvulus enim natus est nobis,* id est Jesus Christus, qui erat parvulus corpore, sed immensus in deitatis natura, magnus quoque in anima sapientiæ ac virtutum perfectione. Sic quippe vir fuit et gigas, juxta illud Jere-
Jer. XXXI, 22. miæ : Novum creavit Dominus super terram, Mulier circumdabit virum ; et in Psalmo, Exsultavit ut gigas ad currendam *Ps.* XVIII, 6.
viam. Unde in hymno sanctus ait Ambrosius :

> Procedens e thalamo suo,
> Pudoris aula regia,
> Geminæ gigas substantiæ,
> Alacris ut currat viam.

Anima etenim Christi, a primo suæ creationis instanti, repleta fuit gratia omnique sapientia et virtute, omni etiam dono, fructu et beatitudine, ac beatifica Deitatis fruitione. Hic « parvulus », a Deo Patre secundum divinam naturam æternaliter genitus, ex Maria virgine « nobis » (id est ad nostram salutem) « est » temporaliter « natus ». *Et filius datus est nobis,* id est, parvulus iste, qui est Deus et homo, Filiusque Dei Patris ac Virginis matris, « datus est nobis » a Deo Patre salvator, advocatus, legislator, magister ac frater, secundum illud Joannis : Sic Deus dilexit mundum, ut *Joann.* III, 16.
Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam. Filius quoque se ipsum dedit pro nobis, juxta illud Isaiæ : Tradidit in mortem animam suam. *Is.* LIII, 12.

Et factus est principatus ejus super humerum ejus, hoc est, supra fortitudinem potestatis pueri hujus fundavit et statuit Deus dominationem et auctoritatem qua puer iste constitutus est omnium *Act.* X, 42.
judex et Dominus, sicut scriptum est : Pater diligit Filium, et omnia dedit in *Joann.* III, 35.
manu ejus. Sic per « humerum » pueri designatur potestas ejus, qua omnia portat, id est, in esse conservat, prout ad Hebræos habetur : Portans omnia verbo vir- *Hebr.* I, 3.
tutis suæ. Itaque super increatam et divinam pueri hujus potestatem fundata est ejus dominatio, sibi per creationem collata ut mediatori Dei ac hominum. Unde *I Tim.* II, 5.
ait in Psalmo : Ego autem constitutus sum *Ps.* II, 6.
rex ab eo super Sion montem sanctum ejus. Omnia namque (secundum Aposto- *Ephes.* I, 22; *Hebr.* II, 8.
lum) subjecit sub pedibus ejus. Vel sic : « Factus est principatus ejus », hoc est causa et ratio dominii sui, « super hume-

rum ejus » corporalem. Christus namque A
Joann. xix, 17. bajulans sibi crucem, exivit ad mortem.
Quod faciendo, diabolum vicit, mundi gloriam stravit, et omnium judex ac Dominus constitui meruit, dicente Apostolo :
Philipp. ii, 8, 9. Factus est obediens usque ad mortem ; propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen quod est super omne nomen, etc.

Et vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis. Nomina ista, secundum Hieronymum, non combinatim, B sed divisim legenda sunt. Sex ergo nominibus istis asserit Propheta hunc puerum appellandum. Vocabitur ergo et vocatus est « Admirabilis », propter suam incomprehensibilem deitatem, et propter miraculorum suorum eminentiam, propter suæ sapientiæ profunditatem, et propter ineffabilem unionem divinæ atque humanæ naturæ in ipso. Vocatur quoque « Consiliarius », quia mandatis Decalogi evangelica consilia addidit, et quia consilium summæ Trinitatis de nostræ redemptionis C modo patefecit hominibus, de quo loqui-
Act. xx, 20, 27. tur Paulus : Nihil subtraxi vobis utilium, quominus annuntiarem vobis omne consilium Dei. Hinc translatio Septuaginta interpretum continet : Vocabitur nomen ejus, magni consilii angelus. Vocatur insuper « Deus », secundum quod apud Jeremiam
Jer. xxiii, 6. legitur : Hoc est nomen quod vocabunt eum, Deus justus noster. Ubi in Hebræo habetur nomen Domini tetragrammaton, quod soli vero convenit Deo. Ex quo sequitur, quod Christus sit verus Deus, sicut D
I Joann. v, 20. de eo Joannes in epistola sua ait : Hic est verus Deus, et vita æterna. Appellatur etiam « Fortis », quia secundum divinam naturam omnipotens est, et secundum naturam suam assumptam fuit omni virtute et dono Spiritus Sancti plenissime robora-
Joann. xiv, 30. tus, et principem hujus mundi penitus su-
Ps. xxiii, 8. peravit. Hinc fertur in Psalmo : Quis est iste rex gloriæ ? Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio. Vocatur et « Pater futuri sæculi », quia per gratiam ejus ad cœlestis patriæ beatitudinem perducuntur electi, et sua passione promeruit illud cunctis hominibus sufficienter. Dicitur item « Princeps pacis », hoc est dator et conservator pacis internæ. Pacem quoque præcipue docuit habendam et conservandam : Pacem (inquiens) habete inter Marc. ix, 49.
vos ; et rursus, Pacem relinquo vobis, pa- Joann. xiv, 27.
cem meam do vobis ; et alibi, In quamcumque (ait) domum intraveritis, primum Luc. x, 5.
dicite, Pax huic domui. Denique (teste Apostolo) Christus est pax nostra, qui fecit Ephes. ii, 14.
utraque unum, quia electos Judæos atque gentiles fecit unum populum christianum. Verumtamen est quædam pax carnalis, sæcularis et falsa, cujus Christus non est princeps, sed reprobator. Unde Matthæi decimo protestatur : Non veni pacem mit- Matth. x, 34.
tere in terram, sed gladium.

Multiplicabitur ejus imperium, id est, dominium Christi paulatim crescet, donec per totum mundum diffundatur. Christus namque dominatur in omni militanti Ecclesia, quæ per totum orbem diffusa est. Hinc prædixit Psalmista : Dominabitur a Ps. lxxi, 8.
mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terræ ; et rursus, Remi- Ps. xxi, 28.
niscentur et convertentur ad Dominum universi fines terræ. Hinc Daniel describit quomodo lapis de monte sine manibus Dan. ii, 34, 35.
præcisus, crevit et implevit superficiem universæ terræ. *Et pacis non erit finis,* hoc est, pacis internæ, quam Christus largitur, terminus nullus erit, quia pax pectoris in vita hac inchoatur, et in patria perpetuatur, paxque æternitatis vocatur.

Super solium David et super regnum ejus sedebit. Huic simile est quod angelus dixit Virgini benedictæ : Dabit illi Domi- Luc. i, 32.
nus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum. A Jeremia quoque de ipso prædictum est :
Regnabit rex, et sapiens erit, et faciet Jer. xxiii, 5.
judicium et justitiam in terra. Sed quomodo intelligenda sunt hæc, quum primus Christi adventus fuerit in omni humilitate, paupertate et abjectione, ut judicare- Zach. ix, 9. Matth. xx, 28.
tur ac pateretur et ministraret, non ut

judicaret atque regnaret? Propter quod dixit : Regnum meum non est de hoc mundo. (Joann. XVIII, 36.) Et respondendum, quod duplex est regnum, videlicet : corporale, quo unus alteri in exterioribus rebus actibusque humanis principatur. Tale regnum Christus in primo suo adventu non habuit neque exercuit, imo discipulis dixit : Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare. (Matth. XX, 28.) Aliud est regnum spirituale, quo Deus per fidem et gratiam in Ecclesia (id est in cordibus fidelium) dominatur, quantum ad cultum divinum : et de isto regno ista intelliguntur. Christus namque in suo adventu cœpit in mentibus electorum quos convertit, regnare. Est igitur sensus : « Super solium David et super regnum ejus sedebit », id est, regiam ac judiciariam potestatem habebit, et ipsi Ecclesiæ ex electis Judæis gentilibusque collectæ præsidebit, quemadmodum apud Zachariam habetur : Ipse ædificabit templum Domino, et portabit gloriam, et sedebit, et dominabitur super solio suo. (Zach. VI, 12, 13.) Dicitur quoque Christus super solium David et super regnum ejus sedere, quia in regno Ecclesiæ seu populo christiano, cujus figura fuit regnum David, tenet primatum.

Ut confirmet illud et corroboret in judicio et justitia, id est, ad hoc Christus taliter præsidebit, quatenus suos fideles « confirmet » ad mala vitanda ac superanda, atque « corroboret » ad bona agenda, sicque fortes exsistant « in judicio » discretionis ac justæ correctionis, et in virtute justitiæ circa Deum et proximos. *Amodo et usque in sempiternum,* id est ex principio evangelicæ legis usque in finem mundi. Ecclesiam enim Christus confirmavit in gratia, et semper in ea sunt aliqui boni qui ab imperfecta justitia vitæ præsentis transferuntur ad perfectam justitiam regni cœlestis. Hinc Christus promisit fidelibus : Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi. (Matth. XXVIII, 20.) Hæc autem de Christo dicuntur, quia in eo dumtaxat regnum David perpetuatur. Non enim aliquis ex semine David perpetuum regnum in mundo sortitus est, nec per successionem carnalem hoc factum est. Unde de perpetuitate regni David in Christo completa Dominus ait in Psalmo : Thronus ejus sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in æternum. (Ps. LXXXVIII, 38.) Per Jeremiam quoque loquitur Deus : Si irritum fieri potest pactum meum cum die et nocte, ut non sit dies et nox in tempore suo; et pactum meum irritum esse poterit cum David servo meo, ut non sit ex eo filius qui regnet in throno ejus. (Jer. XXXIII, 20, 21.)

Zelus Domini exercituum, hoc est magna dilectio Dei omnipotentis, qui angelicorum agminum Dominus est, *faciet hoc,* quod Christus Ecclesiæ suæ tam gratiose ac incessabiliter præsidebit, et tantam hominibus gratiam conferet. Ideo Paulus : Propter nimiam (inquit) caritatem qua dilexit nos, Pater Filium suum misit. (Ephes. II, 4; Galat. IV, 4.) Et in epistola prima Joannis inducitur : In hoc apparuit caritas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit in mundum, ut vivamus per ipsum. (I Joann. IV, 9.)

SERMO PRIMUS

DE EO QUOD ADMIRABILIS, CONSILIARIUS, DEUS, FORTIS, PATER FUTURI SÆCULI, ET PRINCEPS PACIS, PUER JESUS SIT DICTUS, ET DE HORUM EXPLICATIONE RECTA.

POPULUS *qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam.* Is. IX, 2.

Tempus quo Christus in hoc mundo natus est, et evangelicam legem dedit, atque ubique prædicari præcepit, merito tempus gratiæ appellatur : quia ex tunc cœpit

Deus omnipotens non solum uni populo A Judæorum, sed universis per mundum nationibus, viam salutis ostendere, gratiarum dona offerre, pietatis suæ copiosos præstare effectus. Hinc ait apostolus Paulus : Prioris ignorantiæ tempora despiciens Deus, nunc annuntiat hominibus ut omnes ubique pœnitentiam agant. Unde et angelus in hac nocte dixit pastoribus : Annuntio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est hodie vobis Salvator. Denique in hac nocte et in die præsenti, cœpit Christi nativitas diversis nationibus manifestari. Manifestata est enim modo tribus Magis ; innotuit quoque Romanis per ruinam templi æternitatis, et per prophetiam Sibyllæ. Insuper verbum istud propheticum quotidie adimpletur : dum enim iniqui convertuntur ad Deum, et Christo obedire incipiunt, qui paulo ante servierunt diabolo, tunc utique « populus qui ambulabat in tenebris » videt per fidem et gratiam, et per sapientiæ donum, « lucem magnam », videlicet Deum, quem fideliter contemplatur, intelligendo C quod ipse sit summum bonum, lux infinita, sapientia sempiterna, ens omnino simpliciterque perfectum. Omnes autem iniqui in tenebris ambulant, quoniam propriis vitiis eorum mens excæcatur. Ideo in Proverbiis asseritur : Relinquunt iter rectum, et ambulant per vias tenebrosas. Sed his viis relictis, sequamur patrum nostrorum Sanctorum vestigia ; et magnam lucem, Dominum Jesum, qui hac nocte nobis nasci dignatus est, intueamur.

Act. XVII. 30.

Luc. II, 10, 11.

Prov. II, 13.

Consideremus nomina ejus quibus bea- D tus Isaias eum appellandum prædixit, et primo quam recte « Admirabilis » nominetur. Vere etenim mirabilia in hac operatus est nocte, quia de clauso suæ virgineæ Genitricis utero est egressus, et Matrem suam in partu ab omni præservavit dolore, atque per angelum nativitatem suam manifestavit pastoribus. Et sicut in hac nocte corda paucorum induxit ad credendum ea quæ christianæ sunt fidei, ita postmodum totum pene mundum convertit ad hanc tam incomprehensibilem fidem, qua ea creduntur quæ omnem rationem prorsus excedunt : ut quod Deus est unus et trinus, quod ipse Christus in unitate personæ est Deus et homo, quod Mater ejus est mater et virgo, et multa alia incomprehensibilia. Quid tam admirabile, quam mundi conversio ad hanc fidem absque armorum violentia, absque humana astutia arteque magica, absque argumentatione naturalis scientiæ, absque ornatu humanæ facundiæ? Vere omnipotens est, qui B hominum corda ad hanc potuit fidem inducere. Idcirco, secundum Augustinum, conversio mundi ad fidem hanc, est majus miraculum quam aliquod eorum prodigiorum per quæ conversus est ad fidem hanc mundus.

Is. IX, 6.

Luc. II, 8 et seq.

Denique in quotidiana iniquorum conversione ad pœnitentiam salutarem, et præsertim in conversione quorumdam vagissimorum juvenum ad religionis ingressum, ad parentum et omnium propinquorum terrenarumque rerum perpetuam derelictionem, clarissime patet quam ineffabiliter mirabilis sit Dominus Jesus Christus : mirabilis plane in potestate, nec minus mirabilis in pietate, qua tot peccatis ignoscit, et pro tot malis tot bona rependit. Asserit etenim Augustinus, quod majus miraculum sit justificatio impii, quam creatio mundi. Nam quamvis infinitæ potentiæ Dei omnia æque possibilia sint, tamen conversio impii mirabilior dicitur quam creatio mundi : quia in mundi creatione non est aliquid Deo resistens ; in conversione autem iniqui est rebellis voluntas, quam vincit Omnipotens, illam ad omne quod sibi placet inclinans, vertens, perducens, juxta illud Job : Deus immutat cor principum terræ. Sic autem in mentes imprimere, et voluntatem ad libitum immutare, afficere, inclinare, soli omnipotenti Deo possibile est ac proprium. *Job* XII, 24.

Nunc ergo rogemus Dominum Jesum Christum, admirabilem Dei Patris ac Virginis matris Filium, nobis hac nocte natum, ut omnipotentiam suam ostendat in

nobis parcendo ac miserendo; sicque imperscrutabilem suæ pietatis abyssum declaret in cordibus nostris, ea semper a vitiis avertendo, ad virtutes trahendo, ad se summum et incommutabile bonum jugiter convertendo, atque conversa in se incessabiliter conservando.

Is. IX, 6. Secundo, consideremus quam recte ac vere Christus vocetur « Consiliarius ». Nempe (ut ait Ambrosius) talis debet esse qui consilium dat, ut se ipsum bonorum operum exemplum exhibeat in doctrina, in integritate, in maturitate, ut sit sermo ejus salubris, actio irreprehensibilis, consilium utile, vita honesta, sententia quoque decora. Hæc omnia fuisse in Christo nulli fidelium est ambiguum. Quoniam itaque Filius Dei venit in mundum hunc, ut invitaret et informaret homines ad beatitudinem regni cœlestis, ipse dedit hominibus saluberrima sapientissimaque consilia pertingendi compendiose et expedite ad illam, imo et ad altum ac gloriosum gradum, chorum seu locum in ea. Quamvis enim observatio præceptorum sufficiat ad salutem, tamen quia in sæculo isto occurrunt homini multa et quasi innumerabilia impedimenta servandi præcepta, et occasiones peccandi, tentationesque dæmonum, carnis ac mundi; ideo Christus, æterna et infinita Sapientia Dei Patris, dedit hominibus saluberrima quædam consilia, per quæ omnia illa vitantur, et expedita ac libera mente soli Deo intenditur, adhæretur, servitur. Certum est namque, quod cor humanum tanto perfectius potest alicui uni vacare, quanto plus ab occupatione, affectione et distractione circa multa retrahitur. Idcirco communiter dicitur: Pluribus intentus, minor est ad singula sensus; et quod virtus unita est fortior quam dispersa. Hinc Dominus Jesus Christus consuluit cunctas terrenas divitias, (Luc. XIV, 26.) pecunias, carnales quoque delicias et sensuales affectiones, uxorem, parentes, propinquos, imo et propriæ voluntatis libertatem relinquere, quatenus omnibus illis relictis, homo in spontanea paupertate, perpetua castitate et stabili obedientia Deo ministret, atque per hoc, in Dei amore, in cordis munditia, in omni virtute et gratia quotidie proficiat copiose. Ecce ista est Christi doctrina, et ista sunt ejus consilia, quæ boni religiosi observant, ac per hoc, maximum sibi præmium ditissimumque thesaurum in cœlo accumulant et acquirunt. Consuluit etiam Christus patientiam summam, in tantum ut percutienti (Luc. VI, 29.) unam nostram maxillam, præbeamus mox alteram, saltem secundum animi præparationem, ne per iram et impatientiam ac vindictæ expetitionem et illationem, impediamur a Dei adhæsione, et ne caritas fraterna lædatur seu minuatur in nobis.

Insuper Christus, sapientissimus consul, supergloriosissimæ Trinitatis consilium super salvatione generis humani manifestavit hominibus. Docuit namque quemadmodum Deus Trinitas per suam incarnationem ac passionem decrevit mundum salvare, hoc est, homines ab originali et actuali peccato, ab inferni supplicio liberare, atque ad veram salutem reducere. Hinc enim dixit: Sicut Moyses exaltavit (Joann. III, 14, 15.) serpentem in deserto, ita exaltari (id est in cruce levari) oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam; et rursus, Ego (Ibid. XII, 32.) si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum. De hoc summæ et adorandæ Trinitatis sapientissimo piissimoque consilio multa scribit Apostolus, potissimum in epistola ad Corinthios et ad Ephesios, et etiam ad Romanos atque Hebræos. Siquidem ad Corinthios testatur: Sicut in (I Cor. XV, 22.) Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur; itemque ad Romanos, Reconciliati sumus Deo per mortem (Rom. V, 10.) Filii ejus; et ad Ephesios, Deus prædestinavit (Ephes. I, 5, 6.) nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum, secundum propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo. Præterea istud sapientiale ac profundissimum consilium Dei ignorant excæcati et obstinati Judæi, qui Christum putant

ac præstolantur venturum, ut liberet eos A de hac eorum temporali captivitate, et omnia mundi regna eis subjiciat : ideo manent in suis miseriis, nec scripturas intelligunt Prophetarum, ex quarum tamen consideratione multi eorum etiam in lege doctissimi sunt conversi.

Itaque hunc sapientissimum consiliarium Dominum nostrum Jesum Christum, nobis hac nocte ex mundissima Virgine natum sequamur; ejus consiliis, cui tanta desuper gratia datur, fideliter acquiescamus; et qui ejus consiliis acquiescere non B apponit, eos qui acquiescunt aut acquiescere volunt, non avertat nec a salute impediat, ut (proh dolor !) faciunt multi, etiam carnales parentes, qui prolem suam carnaliter non spiritualiter diligentes, a religionis retrahunt impediuntque ingressu: quod est enorme peccatum, et divinæ ac fraternæ caritati valde contrarium. Idcirco qui tales sunt, se emendent.

Tertio consideremus, quod Dominus Jesus Christus, « Deus » vere vocatur. Idcirco *Is.* IX, 6. afficiamur ad eum, non solum sicut ad C parvulum nobis nocte hac natum, sed timeamus, amemus ac veneremur eum ut verum Deum, eum in omnibus et super omnia diligentes, adspicientes ac adorantes, ut sic ejus præcepta observemus in omnibus, atque in sancta dilectione, humilitate, patientia, pietate ac sinceritate mutuo conversemur.

Quarto consideremus, quod puer hic nobis natus, vocatur « Fortis » atque Omnipotens. *Ibidem.* Ideo semper confidamus in eo, et ejus auxilium jugiter imploremus, et sic D salvi erimus ac securi, quemadmodum Propheta fatetur : In Domino sperans, non *Ps.* XXV, 1. infirmabor; et denuo, Sperent (inquit) in *Ps.* IX, 11. te, qui noverunt nomen tuum, quoniam non dereliquisti quærentes te, Domine. Unde et Jeremias propheta affirmat : Benedictus vir qui confidit in Domino, et *Jer.* XVII, 7. erit Dominus fiducia ejus.

Quinto pensemus, quod puer iste vocatus est « Pater futuri sæculi ». *Is.* IX, 6. Ideo si Christi discipuli esse optamus ac filii, futura bona regni cœlestis toto corde concupiscamus, quæramus, et adipisci perseveranter conemur : sicque transeamus per bona temporalia, ut non amittamus æterna. Attendamus quod in sæculo isto non diu manebimus, et quod in futuro sæculo sumus æternaliter permansuri in summa gloria, aut in miseria maxima. Ideo quantum æternum excedit modicum tempus vitæ præsentis, tanto ardentius appetamus et studiosius obtinere nitamur cœlestis patriæ gloriosissima dona, quam vitæ præsentis transitoria bona. Sed væ miseris peccatoribus oppositum hujus agentibus, qui tam ferventer cupiunt hæc terrena, et tam remisse bona cœlestia, quasi hic per multa annorum millia sint mansuri, ibi vero annis perpaucis. Quanta est horum excæcatio atque perversitas !

Sexto pensemus, quod puer iste, Dominus Jesus, dictus est « Princeps pacis ». *Is.* IX, 6. Si ergo ad eum volumus pertinere, simus semper pacifici, quum dicat Salvator : Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. *Matth.* V, 9. Non ergo sit aliquis contentiosus, impatiens, turbulentus, sed unus defectum alterius pie et caritative supportet, prout se ipsum a Deo appetit supportari. Ideo ait Apostolus : Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi. *Galat.* VI, 2. Hinc iterum exhortatur : Pacem sequimini cum omnibus et sanctimoniam, sine *Hebr.* XII, 14. qua nemo Deum videbit; et rursus, Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus *Rom.* XII, 18. hominibus pacem habete. Porro si aliquis ex sua malignitate nobiscum pacem habere non vult, nos tamen pacem pectoris habeamus in Deo, et caritative oremus pro illo, ut nostra patientia, pietate et benevolentia illum vincamus atque lucremur. Propter quod ait Apostolus : Noli *Ibid.* 21. vinci a malo, sed vince in bono malum. Quemadmodum enim pacifici sunt filii Dei, ita rixosi ac turbatores, filii exsistunt diaboli. Itaque pax Christi, nobis hodie nati, custodiat semper corda nostra. *Philipp.* IV, 7.

ENARRATIO IN EPISTOLAM

APPARUIT GRATIA DEI SALVATORIS NOSTRI OMNIBUS HOMINIBUS, ETC. Tit. II, 11-15.

HÆC epistola ad litteram tractat de A Christi nativitate, pietate et gratia. Ait ergo ad Titum Apostolus :

Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri, id est gratiosa instructio, pia largitio, benigna præsentia Christi, qui verus est Deus, Patri consubstantialis. Sic autem apparuit gratia ejus in sua nativitate, in qua suæ humilitatis ac paupertatis exemplo nos docuit, suam nobis caritatem monstravit, et se ipsum per assumptam humanitatem præbuit corporaliter vere visibilem, qui in sua divinitate incom- B prehensibilis creditur. In sua quoque nativitate cœpit cordibus hominum gratiam suæ illustrationis copiose infundere; deinde proprio ore docuit homines, et proprii oris insufflatione Spiritum Sanctum dedit Apostolis. (*Joann.* xx, 22.) Sic ergo apparuit gratia Christi, Salvatoris et Dei nostri, *omnibus hominibus,* id est quibusdam de omni hominum genere, seu cunctis credentibus, quibus per gloriosos Apostolos et eorum coadjutores prædicata est fides et gratia Christi : de quibus a Daniele est prædi- C ctum, Omnes populi, tribus et linguæ servient ei. (*Dan.* VII, 14.)

Erudiens nos verbo et exemplo, *ut abnegantes impietatem,* id est peccata quæ sunt directe contra Deum, ut quæ sunt contra tria prima præcepta, *et sæcularia desideria,* id est inordinatas affectiones ad divitias, delicias et honores sæculi hujus, *sobrie* quoad nos ipsos, *et juste* quantum ad proximos, *et pie,* id est devote et religiose quantum ad Deum, *vivamus in hoc sæculo, exspectantes bea-* D *tam spem,* id est felicem remunerationem felicitatis æternæ speratam (unde sumitur spes hic pro bono sperato, sicut in Psalmo, Tu es, Domine, spes mea), (*Ps.* XC, 9.) *et adventum gloriæ magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi,* id est gloriosum adventum Christi, qui est Deus incircumscriptibilis et immensus : cujus primus adventus fuit in humilitate et paupertate, ut judicaretur; secundus vero ipsius adventus erit in majestate et gloria, ut judicet. Cujus præstolamur adventum, quatenus in die judicii suscitemur, et corpus glorificatum adipiscamur.

Qui dedit semetipsum pro nobis, id est, sponte pro nostra salute se obtulit Deo Patri in ara crucis, juxta illud Apostoli : Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis. (*Ephes.* V, 2.) Hinc Isaias dicit : Oblatus est quia voluit. (*Is.* LIII, 7.) Et ipsemet protestatur : Ego sum pastor bonus, et animam meam pono pro ovibus meis. (*Joann.* X, 14, 15.) *Ut nos redimeret* pretio sanguinis sui *ab omni iniquitate,* id est tam originali quam actuali peccato, *et mundaret sibi,* id est, ad laudem et gloriam suam mundum faceret, *populum,* quem in Baptismo purgat ab omni culpa, *acceptabilem,* id est sibi placentem et gratum, *sectatorem bonorum operum,* id est, opera bona assidue assequentem ac prosequentem.

Hæc documenta *loquere,* id est, populo prædica, *et exhortare* eum ut Christo sit gratus atque obediens, *in Christo Jesu Domino nostro,* id est secundum voluntatem ipsius, atque in virtute et gratia ejus.

SERMO SECUNDUS

DE INENARRABILI BONITATE DEI ; ET QUOD EA JAM COGNITA, JUSTE, SOBRIE ET PIE VIVENDI FORTIOR RATIO NOS INCITARE DEBET.

APPARUIT *gratia Dei Salvatoris nostri.* Tit. II, 11. A

In totius mundi creatione apparuit omnipotentia Dei, in gubernatione mundi apparuit sapientia Dei, in conservatione mundi indesinenter apparet bonitas seu pietas Dei, quia nec ipse mundus, nec aliquid in eo contentum, posset per momentum subsistere aut durare, nisi omnipotens bonitas Creatoris illud continuo conservaret in esse, sicut nec dies absque solis præsentia et influxu. Porro in incarnatione nativitateque Christi, Filii Dei, apparuit infinita misericordia Dei et caritas ejus ad homines, quoniam tam benignissime subvenit eisdem, tamque immediate ac dignantissime humanam naturam suæ conjunxit divinitati. Denique Judæis in veteri Testamento apparuit justitia Dei et rigor divini judicii, quia lex Moysis præcepit transgressoribus suis mortem hic corporalem infligi. Sæpe namque in lege illa habetur : Qui fecerit hoc aut illud, morte moriatur. (*Exod.* XIX, 12; XXI, 12, 16 et seq.; etc.) Propter quod ad Hebræos ait Apostolus : Irritam quis faciens legem Moysis, absque ulla miseratione duobus aut tribus testibus moritur. (*Hebr.* X, 28.) Christianis vero in novo Testamento apparet, monstratur, patescit misericordia Dei et dulcedo sui judicii. Non enim iniqui in novo Testamento occidi jubentur, sed ad pœnitentiam invitantur; et tam misericordissime eis frequenter parcit Altissimus, ut impleatur in eis illud Apostoli : Ubi abundavit delictum, abundat et gratia. (*Rom.* V, 20.) Hinc evangelicus ille Zacharias : Per viscera (inquit) misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto. (*Luc.* I, 78.) Propterea lex Moysis appellatur lex timoris, et lex Christi dicitur lex amoris, juxta illud ad Romanos : Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba (Pater). (*Rom.* VIII, 15.) In novo etenim Testamento inducuntur homines ad bene agendum amore boni, potius quam mali timore ; et ex Dei dilectione magis quam temporalis aut infernalis mortis formidine ; ex consideratione quoque multiplicium et abundantissimorum beneficiorum Filii Dei, plus quam ex comminatione pœnarum. Hinc B ad Timotheum Apostolus loquitur : Non dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, et dilectionis, et sobrietatis. (II *Tim.* I, 7.) Itaque perpendamus quæ et quanta pro nostra salute Unigenitus Dei fecit ac pertulit, quanta nobis præstitit bona, et quam gloriosa præmia nobis spopondit : sicque accendamur amore ipsius, gratias ei agentes, atque pro posse ei obedientes et ministrantes fideliter et constanter in omnibus.

Præterea, quoniam omnis Christi actio est nostra instructio, ideo juxta doctrinam C Apostoli, Christi gratia seu apparitio gratiosa in humilitate et paupertate, erudit nos, ut abnegantes, detestantes, vitantes impietatem et sæcularia desideria, sobrie et juste et pie vivamus. (*Tit.* II, 12.) In quibus verbis plurima includuntur. Primo, ut abhorreamus « impietatem », id est transgressionem præceptorum tabulæ primæ Decalogi, quæ sunt tria. Primum est, ut Deum unum colamus, amemus et veneremur : cujus oppositum agunt omnes idololatræ, et qui creaturis magis serviunt et inhærent quam D Creatori; (*Rom.* I, 25.) item qui propter adversa ex impatientia murmurant contra Deum sive blasphemant, præsertim qui odiunt Deum,

ita quod mallent Deum non esse, quam A peccata sua relinquere. — Secundum mandatum est, ne vane juremus per Deum, aut per Sanctos, sive per creaturas. Hinc
Matth. v, 34, 35, 37. etenim ait Salvator : Ego dico vobis, non jurare omnino, neque per cœlum, quia thronus Dei est, neque per terram, nec aliud quodcumque juramentum. Sit autem sermo vester, Est, est; Non, non. Unde
Eccli. xxiii, 9, 12. in Ecclesiastico quoque legitur : Jurationi non assuescat os tuum, multi enim casus in ea; vir multum jurans replebitur iniquitate, et non deficiet de domo illius pla- B ga. Sed contra hoc Dei præceptum jam pene omnes enormiter peccant, pessimam sibi jurandi consuetudinem facientes et continuantes : imo nonnulli ad tantam excæcationem labuntur, ut vix aliquid dicant sine juratione. Quod revera valde periculosum est atque damnabile, quum sit contra divinum præceptum : idcirco ex suo genere est mortale peccatum. Imo secundum doctores, usus irrefrenatus venialium peccatorum, mortale peccatum est : quanto magis consuetudo jurandi, quæ C est contra Dei præceptum ? Talis etenim consuetudo jurandi, est contra divinæ majestatis honorem : nam in irreverentiam Dei cedit, ipsum sine necessitate et reverentia in testem assumere. Ex consuetudine quoque jurandi incidit homo de facili in crimen perjurii, quod est peccatum gravissimum. Abjiciatur ergo consuetudo hæc pessima, et impietatem hanc abneget unusquisque, cor suum custodiens, linguam refrenans, nec sine ratione quid loquens. — Tertium præceptum est, ut dies cele- D bremus festivos, quatenus tunc Deo et devotioni specialiter simus intenti, divinum visitantes Officium, et aliorum dierum vitia negligentiasque recuperantes. Sed contra istud agunt homines infelices, diebus solennibus abutentes, quia tunc gravius ac frequentius Deum offendunt quam aliis in diebus : tunc enim præ solito vacant loquacitati, vanitati, gulæ, choreis, ludis,
**Cf.* Cangii *Glossarium.* jocis et trufis *. Heu, quanta est miseria perversitasque humana, quam intimorati sunt homines, quam negligentes suæ salutis ! quia certe, ut ait Propheta, Corrupti *Ps.* xiii, 1, 3; lii, 2.
sunt, et abominabiles facti sunt in iniquitatibus, nec est timor Dei ante oculos eorum. Emendemus ergo istam impietatem, idque agamus diebus festivis propter quod instituti consistunt, orationibus ac devotis meditationibus insistentes, de divini districtione judicii, de infernalis acerbitate supplicii, de vitæ præsentis brevitate et mortis angustia, de æternæ beatitudinis gloria, de infinita perfectione et excellentia Creatoris, et de beneficiis ejus sollicite cogitantes ; Matutinas, Missam et Vesperas audiat omnis qui potest.

Secundo, in præinductis Apostoli verbis includitur, ut « sæcularia » quoque « de- *Tit.* ii, 12.
sideria » respuamus : quatenus (juxta doctrinam Apostoli) habentes victum et qui- 1 *Tim.* vi, 8.
bus tegamur, his contenti simus. Hinc ad Romanos dicitur : Nolite conformari huic *Rom.* xii, 2.
sæculo, sed reformamini in novitate sensus vestri. Nullus ergo alium imitetur in malo; nemo superbis, curiosis, vanis et vitiosis hominibus se conformet; nullus ad ea quæ mundi sunt, ad honores, ad voluptates et opes inordinate afficiatur : sed quidquid appetimus, hoc in Deo et secundum Deum appetamus, hoc est, in quantum nobis proficuum aut necessarium est ad salutem. Nam ut ait Apostolus, Qui volunt divites fieri, inci- 1 *Tim.* vi, 9.
dunt in tentationem et laqueum diaboli. Christus quoque in Evangelio contestatur : Possibilius est camelum per foramen acus *Matth.* xix, 24.
transire, quam divitem intrare in regnum cœlorum. Sed hujus rursus oppositum agunt homines vani, qui quidquid curiositatis, pompositatis et vanitatis vident in aliis, mox sequuntur aut sequi nituntur, similes bestiis, quarum una se præcipitante in aquam, ignem aut foveam, aliæ illam sequuntur.

Tertio, in verbis illis Apostoli tangitur, ut « sobrie » jam « vivamus ». Propter *Tit.* ii, 12.
quod ait Salvator : Videte ne graventur *Luc.* xxi, 34.
corda vestra crapula vel ebrietate, aut curis hujus sæculi. Unde in Ecclesiastico

Eccli. xxxi, 37. scriptum est : Sanitas animæ et corporis est sobrius potus. Imo sobrietas sensum facit pervigilem et acutum, corpusque validum, et cor jucundum et ad omne bonum bene dispositum, vitam quoque prolongat. Gulositas vero bestiale est vitium, suntque vitæ vilissimæ qui ebrietati et gulositati intenti sunt; quibus in Isaia ait
Is. v, 11. sermo divinus : Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, et potandum usque ad vesperam. Istud enim valde damnabile est. Etenim si quis improvise et ex inexperientia ac ignorantia virtutis quæ B est in potu, ruat in ebrietatem, non est mortale peccatum; sed dum quis propriam infirmitatem expertus est, scitque potum quem bibit esse inebriativum, et nihilo minus immoderanter se replet, ita quod inebriatur, non a mortali vitio excusatur, prout hoc S. Thomas in secunda secundæ declarat. Denique quum hoc ita se habeat, quam gravissime peccant qui A ebriosam aut gulosam potationem ducunt in usum, quotidie visitantes tabernas, loquacitati, cachinnationi, vanitati vacantes, et tempus suum eis ad bene agendum a Deo concessum, tam miserabiliter expendentes ? Quid isti responsuri sunt Christo in die judicii ? Emendent se ergo.

Insuper, juxta Apostoli documenta, etiam « juste vivamus », unicuique quod suum Tit. ii, 12.
est tribuentes, et aliis facientes prout ab ipsis fieri volumus nobis. Nec differenda est persolutio debiti, si adsit solvendi B facultas, ne ex dilatione alter damnum aliquod patiatur, quia forsan cum suis pecuniis faceret lucrum. « Pie » quoque, devote et religiose habeamus nos circa Deum, ipsum adorando, laudando, glorificando ac venerando. Sicque cœlestem beatitudinem æquanimiter præstolemur, bonis operibus cum perseverantia, fervore atque profectu insistentes usque in finem.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

EXIIT EDICTUM A CÆSARE AUGUSTO, ETC. LUC. II, 1-14.

GLORIOSUS evangelista Lucas in præ- C senti evangelio nativitatem Christi ex Virgine matre describit, dicens :

Exiit edictum a Cæsare Augusto, id est, Octavianus imperator præcepit. Iste Octavianus in tantum auxit rempublicam et Romanum imperium, omnesque opes Romanorum, quod appellatus fuit Augustus. Dicitur quoque Cæsar a suo prædecessore, videlicet Julio, cujus filia fuit uxor Octaviani. Porro Julius vocatus est Cæsar, vel quia ex mortuæ matris suæ utero per scissionem aperto extractus est, D secundum Isidorum, vel quia cum cæsarie natus est, vel quia hostium cæsor fuit victoriosus. Unde nomen hoc, Cæsar, successores ejus sibi retinuerunt : quemadmodum etiam Octaviano succedentes, nomen Augusti ab illo sibi tenuisse leguntur. *Ut describeretur universus orbis,* id est, nomina omnium regionum et civitatum, et villarum atque vicorum, et habitatorum omnium horum, redigerentur in scriptis, et deferrentur ad Romam, sibique insinuarentur. Voluit namque hic imperator scire magnitudinem suæ potestatis ac dominationis ex multitudine subditorum. Ideo voluit scire, quot sub Romano imperio essent provinciæ, et quot urbes et villæ ac vici in provincia qualibet essent, imo etiam et quot homines. Istud etiam idcirco voluit scire, ut agnosceret magnitudinem et valorem tributi quod sibi in singulis suæ ditionis pro-

vinciis solvebatur, et qualiter provincias melius conservaret in pace, providendo singulis de aptis judicibus atque præsidibus. Imperator iste victoriosissimus ac fortunatissimus fuit. Unde tempore Trajani imperatoris clamatum est in senatu : Nullus felicior Octaviano, nullus melior Trajano.

Præterea quinquaginta septem annis ac medio Octavianus legitur imperasse, et quadragesimo secundo sui imperii anno edictum seu præceptum istud constituisse : ita quod sub ejus imperio inaudita pax fuit in mundo, omnibus uni subjectis, ad præfigurandum quod Christus tunc veniens, veram pectoris æternitatisque pacem, omnibus in se credentibus esset daturus, eosque in æternæ felicitatis patria collocaturus. Sicque tunc litteraliter fuit impletum quod in primo Christi adventu esse implendum prædictum erat in Isaia

Is. II, 4; *Mich.* IV, 3. atque Michæa : Conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces; non levabit gens contra gentem gladium.

Hæc descriptio prima facta est a præside Syriæ Cyrino. Ante hanc generalem mundi descriptionem, præcesserant aliquæ particulares certarum regionum descripti-

II *Reg.* XXIV, 2. ones, quemadmodum secundo Regum legitur David jussisse Joab ut populum sui regni describeret; sed ista quam Octavianus fieri jussit, fuit prima, loquendo de generali orbis descriptione. Est itaque sensus : « Hæc descriptio prima », scilicet universalis, quam alia talis non præcessit, « facta est a præside Syriæ » nomine « Cyrino ». Vel, « hæc descriptio » ab Augusto fieri jussa, « facta est prima », id est primo exsecutioni mandata, « a Cyrino », quem Octavianus præfecit Syriæ ac Judææ, secundum Græcum expositorem. Cyrinus autem primo exsequi cœpit imperatoris edictum in Syria, quæ umbilicus seu medium terræ habitabilis dicitur; et in medio Syriæ dicunt fuisse Judæam.

Et ibant omnes, videlicet principales de qualibet domo, vel etiam ceteri qui poterant ire, *ut profiterentur,* id est, verbo et facto protestarentur se esse Romano subjectos imperio, *singuli in civitatem suam,* id est in urbem de qua nati fuerunt, vel ad quam amplius pertinebant. *Ascendit autem et Joseph a Galilæa de civitate Nazareth,* in qua Christus fuit conceptus; et ibidem Virgo beatissima cum Joseph suo ministro ac sponso habitavit. Et quoniam Nazareth est situ inferior quam Bethlehem, recte dicitur Joseph ascendisse *in Judæam civitatem,* id est in urbem ad tribum Judæ spectantem : civitatem, inquam, *David* regis, puta in Bethlehem, de qua David exstitit oriundus; *eo quod esset de domo, et,* pro id est, *familia David,* id est de semine David regis. Et per hoc innuit Evangelista, Mariam quoque de semine David fuisse, quia lex jussit virum et conjugem de eadem exsistere tribu : de quo tamen præcepto tribus Levitica ac sacerdotalis fuit excepta. *Ut profiteretur* se subjectum imperatori, *cum Maria desponsata sibi,* antequam ipsa Christum concepit, *uxore prægnante,* id est partui propinqua. Fuit enim vere conjux ipsius, ut in præcedenti evangelio magis expositum est.

I *Reg.* XVI, 1, 11, 12; XVII, 12. — *Num.* XXXVI, 6-9; cf. *Tob.* VII, 14. — *Matth.* I, 20. *Cf.* p. 97 A et s.

Porro professio ista fiebat verbo et facto : quoniam profitens dixit se Romano imperio subditum, atque in signum veritatis, posuit denarium imperatoris imagine insignitum super proprium caput, statimque porrexit denarium imperatoris ministro, qui nomen profitentis mox scripsit. Est autem secundum quosdam ambiguum, an solus vir profitebatur. Quod si dicatur, tunc quod ait Evangelista, « cum Maria », refertur ad verbum « ascendit », non ad verbum « profiteretur ».

Factum est autem, quum essent ibi, puta in Bethlehem, *impleti sunt dies ut pareret* Virgo purissima : quæ revelante Spiritu Sancto noverat se in Bethlehem parituram, prout a Michæa prædictum erat : Et tu, Bethlehem Ephrata, ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel. *Mich.* V, 2.

Et peperit filium suum primogenitum, scilicet Jesum Christum, qui dicitur primo-

genitus, non quia post eum habuit alium, sed quia ante eum habuit nullum. Sic quippe in lege accipitur primogenitus, dum omne primogenitum Deo offerri jubetur. *Exod.* XIII, 2. Certum est enim, quod multi tunc unigeniti erant in populo Judæorum, qui tamen Deo offerebantur propter illud præceptum. Dicitur quoque Christus primogenitus, quoniam dignior universis, seu inter genitos tenens primatum.

Itaque peperit suum ac Dei Patris unicum Filium. Quem sicut sine carnali delectatione, cum ingenti spirituali lætitia, in alta exsistens contemplatione concepit, sic absque corporali dolore, cum gaudio spirituali, in sublimi exsistens contemplatione, et (ut aliqui dicunt) genibus flexis, quasi in ictu oculi peperit, natumque et ante se jacentem, protinus adoravit ut verum Deum; *et pannis eum involvit* propriis manibus, non utens nec indigens obsequio obstetricum, dicente B. Hieronymo : Nulla ibi obstetrix, nulla muliercularum sedulitas fuit; ipsa pannis involvit infantem, ipsa mater et obstetrix. *Et reclinavit eum,* puerum pannis involutum, *in præsepio* juxta se posito : *quia non erat ei locus in diversorio,* id est, aptiorem locum quo puerum poneret, ibi Virgo sancta non reperit.

Porro diversorium, secundum Isidorum, dicitur, quia diversi ibi conveniunt ; atque ut asserit Beda, fuit spatium inter duos vicos, ex utroque latere habens murum, et ex parte utraque portam, et ob aeris intemperiem desuper coopertum : quo festis diebus cives convenire ad colloquendum et solatiandum solebant, in quo etiam urbem ingredientes animalia sua ad horam ponebant : sicque a divertendo diversorium nuncupatur. Alii dicunt, quod fuit hospitalaria, ad quam ab extra venientes divertebant ad hospitandum, potissimum pauperes. Et quia tunc Bethlehem plena fuit hominibus, ditioresque hospitia occupaverant meliora, Joseph tanquam verecundus, pauper et simplex, divertit cum Virgine ad locum præfatum. Quod utique Deo præordinante ac moderante peractum est, ut in Christi nativitate in Bethlehem impleretur prætacta prophetia Michææ. *Mich.* V, 2. Præterea aliqui dicunt, quod Joseph secum adduxit bovem et asinam : bovem, ad vendendum pro necessariis in tam longo itinere; asinam, pro subvectione gloriosæ Mariæ. Aliqui quoque affirmant, quod præfatum diversorium fuit intra Bethlehem et juxta unam portarum, sub concava rupe, non habens desuper tectum nisi rupem ex monte pendentem.

Consequenter docet Evangelista, quomodo Christi nativitas cœpit hominibus manifestari. Nam subditur : *Et pastores erant in regione eadem,* scilicet in Judæa, *vigilantes et custodientes vigilias noctis super gregem suum,* id est, consuetas vigilationes sollicite custodiebant circa pecora sua, quæ alebant in rure et custodiebant etiam tempore noctis, prout in illis locis fieri consuevit. *Et ecce angelus Domini stetit juxta illos :* in corpore enim assumpto visibiliter eis apparuit, et corpus illud habuit formam sive effigiem corporis humani; *et claritas Dei circumfulsit illos,* id est, lux quædam divinitus missa, aerem prope pastores sic clarificavit, quod et ipsi luce illa undique perfundebantur, secundum quod paulo post interius spirituali luce perfusi sunt ad cognoscendum veritatem de Christo : quemadmodum in Actibus habetur de Paulo apostolo, Subito circumfulsit eum lux de *Act.* IX, 3. cœlo. Et forsan angelus in corpore tam luminoso apparuit, quod ab ipso lux tanta diffundebatur; vel præter claritatem ab ipso diffusam, etiam lux a Deo diffundebatur : per quam copiosam lucis diffusionem figurabatur, quod Christus sol sapientiæ atque justitiæ, esset in mundo hoc natus. Unde in veteri Testamento non leguntur angeli cum tanta claritate apparuisse. *Et timuerunt timore magno,* propter tam grandem inconsuetamque visionem, et ne forte esset illusio, et quid prætenderet illa apparitio ignorantes.

Et dixit illis angelus, qui ex sua visio-

ne territos consolari solet ac confortare. A
Unde et sanctus abbas Antonius docuit : Per hoc discernitur apparitio angeli boni ab apparitione angeli mali : nam quamvis ex utraque visione incutiatur homini prima facie timor, tamen si angelus sanctus appareat, territum protinus consolatur et roborat, ita quod timor recedit; si vero appareat angelus malus, remanet timor incussus, etiam si verba exterius consolatoria proferat. *Nolite timere,* timore immoderato ac dejiciente, qui usum impedit rationis et opus virtutis, quum sit passio B
inordinata quæ per rationem ac fortitudinem est frenanda ac moderanda. *Ecce enim evangelizo,* id est, prædico et denuntio, *vobis gaudium magnum,* id est causam atque materiam gaudii spiritualis præcipui, *quod erit omni populo,* id est, tam Judæis quam gentilibus in Christum credituris communicabitur et inerit gaudium istud. Unde distributio ista accommoda est pro generibus singulorum, quia de omni genere natione que hominum aliqui crediderunt, et de isto gavisi C
sunt.

Quia natus est vobis, id est ad vestram salutem, *hodie,* id est die hac naturali, videlicet in hac nocte (quæ est pars diei naturalis, continentis viginti quatuor horas), *Salvator,* utpote unigenitus Dei Filius, qui secundum suam divinam naturam est salvator per auctoritatem et efficientiam principalem, tanquam creator et dator gratiæ ac salutis prima ac omnipotenti virtute.
Is. XIV. 21. Qui per Isaiam testatur : Deus justus et salvans non est præter me ; atque per D
Osee XIII, 4. Osee, Ego Dominus Deus tuus, et salvator non est præter me. Porro secundum humanitatem assumptam, ipse salvator est per efficientiam instrumentalem, et tanquam meritoria causa totius gratiæ ac salutis. Sicque in Actibus ait de Christo
Act. XX, 28. Apostolus : Acquisivit Ecclesiam sanguine suo. De quo per Isaiam prædictum est :
Is. XXXV. 4. Ecce Deus vester, ipse veniet et salvabit vos. Sua etenim passione, nostra delevit peccata, gratiam ac salutem nobis promeruit : quod etiam suæ sanctissimæ conversationis meritis fecit.

Qui est Christus. Christus Græce, Latine dicitur unctus. Christus autem unctus est non oleo corporali et unctione humana, sicut olim in lege ungebantur reges atque pontifices, sed unctus est unctione spirituali, divina, secundum suam humanitatem, hoc est plenitudine gratiæ ac virtutum, imo et lumine gloriæ et beatifica fruitione a primo suæ incarnationis instanti, juxta illud in Psalmo : Unxit te *Ps.* XLIV, 8.
Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Et in Isaia loquitur Christus : Spiritus Domini super me, eo quod unxe- *Is.* LXI, 1.
rit me. Et facta est unctio ista a tota superbeatissima Trinitate, cujus opera ad extra sunt indivisa. Unde sacratissimus ait princeps Apostolorum : Jesum unxit *Act.* X, 38.
Deus Spiritu Sancto et virtute. Denique Christus, in novo Testamento, prout communiter utimur nomine isto, significat et supponit increatam personam in duplici natura, videlicet divina et humana, subsistentem. *Dominus.* Christus secundum utramque naturam dicitur Dominus, sed diversimode : quia ut Deus, est Dominus per independentem auctoritatem, primamque potestatem, et universalem præsidentiam prorsus perfectam; secundum naturam vero humanam, est Dominus etiam omnium creaturarum per potestatem et gratiam temporaliter datam, creatam, instrumentalem, finitam : propter quod contestatur : Data est mihi omnis potestas in *Matth.*
cœlo et in terra. *In civitate David,* scili- XXVIII, 18.
cet Bethlehem.

Et hoc vobis signum. Juxta Apostolum, Judæi signa quærunt : idcirco pastoribus I *Cor.* I, 22.
tanquam Judæis, dat angelus signum, non utique propter illorum incredulitatem, sed propter illorum et omnium nostrum saluberrimam instructionem. Nam subditur : *Invenietis infantem pannis involutum, et positum in præsepio.* Tanquam dicat : Quamvis puer iste sit omnium princeps ac dominus, tamen, quod admirabilissimum est, in maxima paupertate et humi-

litate, non in temporali opulentia et regio A apparatu, nasci et vivere in hoc mundo elegit. Hoc itaque signo docuit angelus idcirco Christum venisse, ut omnium terrenorum verbo et exemplo doceret contemptum, et ad divinorum amorem corda transferret fidelium. Hoc etiam signo pauperes illos pastores et omnes egenos angelus valde consolabatur.

Et subito, id est præfato angelo cum pastoribus adhuc loquente, secundum Origenem, vel statim post hoc, *facta,* id est exhibita, *est* a Deo, et in aere apparuit, B *cum angelo* pastores docente (quem aliqui putant Gabrielem fuisse), *multitudo militiæ cœlestis,* id est copiosum agmen angelicorum spirituum : qui milites summi Regis sunt, quoniam contra adversarios ejus, puta aerias potestates, victorialiter dimicant, eosque vincunt et arcent, et ad omne divinæ majestatis prosequendum imperium promptissime obsequuntur. Insuper, Christo duci, qui ad superandum malignos spiritus venit, humiliter servierunt. Itaque ad veritatis certificationem, C atque ad insinuandum nati pueri dignitatem, tam multi, imo secundum Origenem, tam innumerabiles angeli apparuerunt. *Laudantium Deum* ardentissima, devotissima et jucundissima mente, *et dicentium* consona voce ac suavissima melodia :

Gloria, id est summa excellentia, seu clara cum laude notitia, vel beatitudo atque lætitia (nam omnibus modis accipitur gloria hic), proprie vero « gloria », id est glorificatio divinæ majestatis in cordibus intellectualium creaturarum cum debita lau- D de, sit *in altissimis Deo,* id est Deo qui in cœlis, præsertim in cœlo empyreo, esse et habitare asseritur, in quantum ibi evidentius ac magnificentius operatur clariusque conspicitur, quamvis secundum se sit penitus supersimplicissimus, incircumscriptus, immensus, nullam ad locum habitudinem habens. Vel, « gloria », id est clarificatio Dei præfata, sit « in altissimis », id est in mentibus Beatorum, « Deo », ut ipsi in omnibus Deo gloriam et honorem exhibeant : quod utique incessabiliter faciunt. Unde secundum hoc, verbum istud est verbum congratulationis magis quam exhortationis, quemadmodum illud : Laudate Deum, omnes angeli ejus. *Ps. cxlviii, 2.*

Et in terra sit *pax* interna et spiritualis : quæ est tranquillitas mentis in Deo, seu gaudium imperturbatum in actibus virtuosis; *hominibus bonæ voluntatis :* loquendo de bona voluntate non optativa tantum, quæ est velleitas imperfecta, de qua Salomon loquitur in Proverbiis, Vult et non vult piger; *Prov. xiii, 4.* sed de voluntate imperativa et efficaci, quæ tempore opportuno procedit in opus bonum, si adsit facultas. Porro qui voluntatem taliter bonam habent, sunt in statu salutis, hoc est in caritate et gratia : quoniam talis voluntas reputatur a Deo pro opere, et efficit quod in se est. Sumitur autem nunc voluntas pro interiori actu voluntatis qui volitio dicitur, non pro potentia tantum; vel sumitur pro potentia tali actu formata. Et quoniam radix merendi ac demerendi præsertim in voluntate consistit, quia libertas primo atque directe competit voluntati (propter quod, Augustino testante, peccatum in tantum est voluntarium, quod si non esset voluntarium, non esset peccatum; similiter actus virtutis in tantum est voluntarius, quod si non esset voluntarius, non esset actus veraciter virtuosus); hinc bonum et malum dicuntur esse in voluntate, quemadmodum verum et falsum in intellectu. Idcirco hominibus bonæ voluntatis pax recte annuntiatur, convenit et confertur : nam et voluntas per caritatem animæ vires movet ad opera bona.

Postremo, residuum hymni et cantici hujus angelici, aliqui dicunt editum a Symmacho Papa; alii credibilius asserunt illud a B. Hilario præsule factum. Legitur namque in gestis Romanorum Pontificum, quod Telesphorus Papa instituit ut solis episcopis liceret canticum istud incipere. Postea vero Symmachus Papa ordinavit ut etiam ceteri sacerdotes possent illud

incipere diebus festivis, quia de sacerdote A scriptum est : Angelus Domini exercituum est. (Malach. II, 7.) Et certe canticum istud angelicum ac præclarum, cum præcipua devotione et advertentia cantandum est et legendum.

SERMO TERTIUS

DE GRATITUDINE CHRISTO OFFERENDA PRO SUÆ INCARNATIONIS NATIVITATISQUE BENEFICIIS NOBIS EXHIBITIS, ET DE GAUDIO EX TANTA DEI MUNIFICENTIA ASSUMENDO.

A*NNUNTIO vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David.* Luc. II, 10, 11. B

Ista fuerunt verba angeli ad pastores in hac nocte : quæ verba unusquisque pastor ac prædicator dicere potest et debet ad populum suum, eum hortando ad spiritualem lætitiam gratiarumque actionem de isto tam summo et ineffabili beneficio Dei, videlicet quod natus est nobis hodie Salvator, Christus Filius Dei, Dominus omnis entis creati. Sed nunc consideremus C diligentius, quam magna et multiplex sit nobis ratio exsultandi in hac sacratissima solennitate de Christi nativitate.

Itaque prima causa seu ratio gloriandi in hoc festo de Christi ortu, est dignificatio magna et exaltatio admiranda naturæ humanæ per Christi nativitatem. Quanto enim unigenitus Filius Dei, verus exsistens Deus, plus humiliavit se, naturam assumendo humanam et Virginis faciendo se prolem, tanto præclarius per suam incarnationem et nativitatem maternam, dignificavit D genus humanum et nostram exaltavit naturam : ita quod ejus ad ima descensio, est nostra ad summa provectio; et per hoc quod ipse factus est frater noster nascendo ex Virgine, nos facti sumus filii Dei. Propter quod Joannes asserit : Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. (Joann. I, 12.) Hinc, secundum Gregorium, angeli sancti videntes naturam humanam a Deo in unitate personæ assumptam, renuerunt tempore novi Testamenti ab hominibus adorari, qui tamen tempore veteris Testamenti non renuerunt hoc ipsum.

Præterea, quum unigenitus Filius Dei sit dignitatis et excellentiæ penitus infinitæ, et unio personalis humanitatis cum Verbo æterno, sit propinquissima ac intima unio, ita quod Creatori creatura propinquius copulari non valet; certum est quod per hoc quod unigenitus Filius Dei natus est homo, genus humanum inæstimabiliter dignificatum ac sublimatum exsistat. Idcirco homines deberent se invicem honorare in Deo, sicut ait Apostolus : Honore invicem prævenientes. (Rom. XII, 10.) Si etenim angeli sancti venerantur homines eo quod Deus factus est homo : quanto magis homo hominem ista de causa honorare deberet? Imo et se ipsum debet unusquisque ex hac consideratione honorabiliter ac divine habere, virtuose ac spiritualiter conversando, vitiorum vilitatem spernendo, inquinamenta corporis et animæ devitando, præcipue gulam atque luxuriam, quæ sunt bestialia peccata, in quibus est maxima turpitudo, indecentia, brutalitas. Sed, heu! sicut ait Propheta, Homo quum in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis. (Ps. XLVIII, 13, 21.) Imo quicumque huic maximo beneficio incarnationis nativitatisque Christi Filii Dei ingratus est, nec virtuose se habet, omni bruto incomparabiliter vilior est et pejor.

Impleamus ergo quod ait Apostolus : A Imitatores Dei estote, sicut filii carissimi. *Ephes.* v, 1. Imitemur caritatem, misericordiam, bonitatem et munificentiam Dei, quæ in Christi incarnatione ac nativitate præsertim declarantur ac exhibentur hominibus. Simus itaque caritativi, misericordes, liberales, et in affectum bonitatis corda nostra mutentur. Insuper, cernimus in hoc mundo, quod si aliquis magnus princeps desponset sibi aliquam puellam egenam, tota parentela puellæ gaudet, et exaltatam se arbitratur per tale connu- B bium, agitque gratias principi illi, et libenter ei deservit, ac cordialiter diligit ipsum : quanto magis quilibet nostrum, sponsum illum cœlestem Unigenitum Dei tenetur diligere, venerari, ei quoque regratiari, obsequi, et gaudere in ipso, quoniam nostram naturam hypostatice sibi univit, intime et inseparabiliter junxit, atque ut sponsam carissimam, caritate et pietate amplexus est, omnique gratia, virtute, lumine gloriæ et fructu copiosissimo fecundavit? C

Secunda ratio exsultandi de Christi nativitate est, quia per Christum sumus ab omni purgati peccato. Nam suæ sanctissimæ conversationis passionisque merito sacramenta Ecclesiæ operantur, et nobis proficiunt ad salutem; et per ea meritum Christi applicatur hominibus. Unde merito Christi purgati sumus ab originali peccato, primo in fonte Baptismi, deinde ab actualibus culpis in Pœnitentiæ sacramento, quod est secunda post naufragium tabula. Hinc ad Ephesios ait Apostolus : D Christus dilexit Ecclesiam, et tradidit semetipsum pro ea, mundans illam lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam neque rugam. *Ibid.* 25-27. Ecce quantum gaudent infirmi, vulnerati, ægroti, dum venit ad eos aliquis pius ac sapiens medicus, et quantum diligunt illum a quo corporaliter ac gratis curantur. Quam præcordialiter ergo gaudere debemus de adventu et nativitate Filii Dei Jesu Christi, qui est cœlestis, sapientissimus, potentissimus, piissimus medicus animarum, et gratis earum vulnera et infirmitates curavit, et curat quotidie, puta peccata, quemadmodum Isaias dicit : Vere languores nostros ipse tulit, et peccata nostra ipse portavit; *Is.* LIII, 4. atque in Psalmo Justus : Benedic, anima mea, Domino, et noli oblivisci omnes retributiones ejus; *Ps.* CII, 2, 3. qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas. Porro, septem vasa medicinalia quæ detulit secum Christus, sunt septem sacramenta Ecclesiæ, quibus vulnera animarum curantur. Quotidie ergo petamus curari a medico isto, dicentes : Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris, etc.; *Matth.* VI, 12. et rursus cum Jeremia : Sana me, Domine, et sanabor; salvum me fac, et salvus ero. *Jer.* XVII, 14. Hinc oravit Psalmista : Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum; salvum me fac propter misericordiam tuam. *Ps.* VI, 3, 5. Hæc quippe infirmitas non est nisi pronitas ad peccandum, et debilitas resistendi tentationibus ac peccatis. Idcirco Apostolus : Optimum (inquit) est gratia stabiliri cor. *Hebr.* XIII, 9. Quemadmodum enim columna sustentat domum ne ruat, sic gratia Dei roborat mentem ne tentatione aut vitiis superetur.

Tertia causa hinc exsultandi est, quia per Christum sumus redempti a pœnis inferni. Nam et originali peccato debetur pœna damni, puta divinæ visionis carentia, quæ est miseria maxima; actuali vero peccato mortali debentur pœna damni et pœna sensus, quæ est punitio incendii infernalis. Per hoc igitur quod ab originali et actuali peccato nos Christus purgavit, etiam de inferni nos liberavit suppliciis. Si diligitur qui a temporali eruit morte, cur Christum non intense diligimus, per quem a tanta calamitate, ab æterno interitu liberamur?

Quarta ratio exsultandi est, quia per Christum Deo et angelis sumus reconciliati, atque ad sempiternam reducti salutem. Hinc ad Romanos habetur : Si, quum adhuc inimici essemus, reconciliati sumus *Rom.* v, 10.

Deo per mortem Filii ejus; multo magis A nunc reconciliati, salvi erimus in vita ipsius. Sed et gloriosus apostolici ordinis princeps, Petrus sanctissimus, in sua prima I Petr. III, 18, 22. ait Canonica : Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo; deglutiens mortem, ut vitæ æternæ efficeremur heredes. O quam ineffabile bonum, quam incomparabile donum est istud, quam magnum et beatum est Deo frui, eum per speciem intueri, in ipso inavertibiliter felicitari! Gratias ergo agamus Deo Patri omnipotenti, per uni- B cum Filium ejus Jesum Christum, de cujus nativitate hodie spiritualiter gloriemur in Domino.

Insuper aliæ multæ utilitates profluxerunt et profluunt nobis a Christo : quia per ejus evangelica documenta instruimur, per ejus gratiam vivificamur, per ejus legem a peccatis retrahimur, ejus adjutorio dæmonibus prævalemus. Nam et virtute ac merito passionis Christi malitia dæmonum valde restringitur, et eorum potestas non parum debilitatur. Hinc ait C S. Bernardus : Venit medicus ad ægrotos, redemptor ad venditos, ad errantes via, ad mortuos vita. Denique ad miseros venit ipsa misericordia sempiterna, ad ignaros sapientia summa, ad infirmos potestas immensa, ad perditos et damnandos beatitudo suprema. Cur utique, nisi ad succurrendum, ad instruendum, ad roborandum, et adjuvandum atque salvandum?

Porro, ex evangelio isto docemur quam I Cor. I, 27, 28. vere dixit Apostolus : Infirma et abjecta mundi elegit Deus, hoc est simplices, pau- D peres et despectos. Ecce enim in hora illa qua natus est Christus, quam multi fuerunt in Judæa eruditi in lege, magni in sacerdotio, divites, nobiles, potentes, famosi; et tamen nulli eorum apparuit angelus, nec quisquam illorum audivit cœlestem exercitum angelorum Deum laudantium. O quam multi tunc in mollibus lectis jacebant, et nulli eorum revelabatur Salvatoris nativitas, sed pastoribus pecorum, viris idiotis, humilibus et egenis. Per quod etiam designatur, quod corporalis labor qui recta fit intentione, multum complacet Deo, quum scriptum sit : Labores ma- Ps. CXXVII, 2. nuum tuarum quia manducabis, beatus es, et bene tibi erit; atque de reprobis alia dicat scriptura : In labore hominum non Ps. LXXII, 5. sunt, et cum hominibus non flagellabuntur.

Amplius ex evangelio hoc pensemus, qualiter Christus, Sapientia Dei Patris, in I Cor. I, 24. omnibus præelegit quod corpori erat molestius, et quod humilitatem magis commendat. Natus est enim tempore hiemali, in tenebris noctis, in oppido parvulo, in stabulo vili, et positus in præsepi. Et cur hoc, nisi ut suo exemplo doceret nos corpus per opera pœnitentiæ castigare, car- Galat. V, 24. nem cum vitiis et concupiscentiis crucifigere, per arctam incedere viam, aspernari Matth. VII, 14. honores, humilitatem in omnibus semper amplecti?

Postremo, communiter dici solet, quod Virgo beata Jesum infantulum vilibus veteribusque involvit panniculis. Verumtamen in Revelationibus B. Brigittæ viduæ legitur, quod Virgo Christifera præscivit se in Bethlehem parituram, ut impleretur Scriptura : ideo mundissimos paravit panniculos lineos, quibus involvit infantem. Legitur quoque ibi, quod virgo Maria parituram se sentiens, genua sua devotissime flexit, et mente ad Deum erecta, velut in momento puerum est enixa, viditque eum ante se super terram jacentem, ac paulo post præ frigore palpitantem. Cui ipsa tenerrime condolens, levavit eum, et amplexatum deosculabatur, stringens eum ad pectus suum, sicque calefaciens eum. Deinde mundissimis eum involvit cum reverentia summa panniculis.

Itaque, cum beatis angelis Deum in hac nocte devotissimis laudibus honoremus, ejus bonitatem, caritatem et misericordiam, ac beneficia ejus considerando, glorificando, et grates ei referendo humillimas. Et quoniam hominibus bonæ voluntatis Luc. II, 14. annuntiata est pax, simus semper boni et sancti propositi, omnem peccandi abjici-

entes affectum, et quotidie Deo perfectius A obsequi cupientes. Bonam quoque voluntatem congruo loco ac tempore extendamus in opus, omnem otiositatem acediamque vitantes, et ita impleamus quod ad Corinthios hortatur Apostolus : Stabiles estote, abundantes in opere Domini semper; scientes quod labor vester non est inanis in Domino. Cui sit honor et gloria in æternum. Amen.

I Cor. xv, 58.

AD SECUNDAM MISSAM

NATIVITATIS DOMINI

IN ORTU DIEI

ENARRATIO IN LECTIONEM PROPHETICAM

SPIRITUS DOMINI SUPER ME, EO QUOD UNXERIT ME, ETC. Is. LXI, 1-3.

QUANTA fuerit excellentia atque perfectio gratiæ Spiritus Sancti in anima Christi, beatissimus Isaias propheta in præsenti lectione testatur. Loquens enim in Christi persona, fatetur : *Spiritus Domini super me.* Denique Lucas describit
Luc. IV, 16-21. quemadmodum Domino Jesu Christo synagogam urbis Nazareth ingresso, datus est liber Isaiæ prophetæ : in quo quum legisset verba lectionis istius, adjecit, Quia hodie impleta est scriptura hæc. Idcirco scriptura ista ad litteram de Christo exponitur. Christus ergo secundum quod homo, ait : « Spiritus Domini super me », id est, Spiritus Dei Patris, videlicet Spiritus Sanctus, desuper venit in me, et habitavit in anima mea. Hinc in Luca scriptum est :
Ibid. III, 22. Descendit Spiritus Sanctus corporali specie sicut columba in ipsum. Ait quoque
Joann. I, 32. gloriosus Christi Baptista : Vidi Spiritum Sanctum descendentem et manentem super ipsum. Non quod tunc Spiritus Sanctus cœpit esse in anima Christi, imo a primo suæ creationis instanti plenissima fuit Spiritu Sancto et omni gratia ejus; sed quia tunc innotuit quod Spiritus Sanctus tam copiose esset in Christo. Deinde subditur ratio ob quam Spiritus Sanctus dicitur fuisse et esse in Christo homine : A *eo quod unxerit me* spirituali unctione, videlicet plenitudine gratiæ et virtutum, ut dictum est plenius paulo ante. Unde in Psalmo dicitur Christo : Unxit te Deus oleo Ps. XLIV, 8.
lætitiæ. Et Joannes ait : Non ad mensuram Joann. III, 34.
dat Deus Spiritum, scilicet homini Christo.

Ad annuntiandum mansuetis misit me, id est ad prædicandum mitibus regnum cœlorum : quibus et dixit, Beati mites, Matth. V, 4.
quoniam ipsi possidebunt terram. Porro per mansuetos intelligendi sunt omnes dociles, verbum Dei benevole ac dirigibili- B ter audientes, juxta illud in Ecclesiastico : Esto mansuetus ad audiendum verbum Eccli. V, 13.
Dei. Verumtamen non solum mansuetis prædicavit et prædicare missus est Christus, sed duris quoque reprobisque Judæis, ne excusationem haberent. Sed idcirco ad prædicandum mansuetis missum se perhibet, quoniam illi prædicationem salubriter audierunt, et quoniam principaliter missus est ad eos et propter eos, quum dicat Apostolus : Omnia propter electos. II Tim. II, 10.
Translatio autem Septuaginta interpretum C habet sic : Evangelizare pauperibus misit me. Sicque allegat scripturam hanc Lucas. Luc. IV, 18.

Ut mederer contritos corde, hoc est, veraciter pœnitentes spiritualiter curarem a peccatorum reliquiis et a reatu pœnarum,

gratiam et virtutes donaque Spiritus Sancti augendo in eis. Reliquiæ autem peccatorum sunt pronitas ad peccandum, et difficultas bene agendi, atque infirmitas resistendi peccatis : quæ manent in anima peccatis dimissis. *Et prædicarem captivis,* hoc est a diabolo captis, scilicet peccatoribus, vitiorum vinculis irretitis, *indulgentiam,* id est remissionem culparum, dummodo vere pœniteant. Hoc fecit Christus dicendo : Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. (*Matth.* IV, 17.) De taliter captis ait Apostolus : Resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur. (II *Tim.* II, 26.) Unde in Proverbiis habetur : Iniquitates suæ capient impium, et funibus peccatorum suorum constringetur. (*Prov.* V, 22.) *Et clausis,* hoc est vitiosa consuetudine victis et pressis, super quos clausit puteus, id est profundum vitiorum, os suum, (*Ps.* LXVIII, 16.) *apertionem,* id est ereptionem a tali clausura. Christus enim omni peccatori quantumlibet vitioso prohibuit desperationem, veniamque spopondit, si pœnitentiam egerit. (*Ezech.* XVIII, 21 et seq.) Potest quoque exponi de patribus clausis in limbo inferni, quibus Christus ad eos descendens liberationem annuntiavit, eosque inde eduxit, quemadmodum a Zacharia prædictum est : Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua. (*Zach.* IX, 11.)

Ut prædicarem annum placabilem Domino, hoc est tempus gratiæ, in quo Deus facilius placatur quam olim, propter abundantiam meritorum Christi, et propter virtutem sacramentorum ipsius. De hoc anno dicit Apostolus : Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. (II *Cor.* VI, 2.) *Et diem ultionis,* id est extremi judicii, restantem *Deo nostro,* ut in eo det unicuique quod meretur. Vel, « diem ultionis » annuntiarem « Deo nostro », hoc est ad gloriam ejus. De quo die Deus ait ad Moysen in Exodo : Ego autem in die ultionis visitabo et hoc peccatum eorum, videlicet adorationem conflatilis vituli. (*Exod.* XXXII, 34.) De hoc die extremi judicii sæpe loquitur in Evangelio Christus. (*Matth.* XIII, 41 et seq. ; XVI, 27 ; XXIV, 4 et seq. ; XXV, 31 et seq. ; XXV, 64 ; etc.) Potest quoque exponi de tempore punitionis Judæorum a Romanis, in ultionem sanguinis Christi. Unde apud Lucam Dominus ait : Venient dies in te, et circumdabunt te inimici tui undique. (*Luc.* XIX, 43.)

Ut consolarer omnes lugentes, hoc est, sua vel proximorum peccata deflentes, aut desiderio cœlestis patriæ ejulantes, seu alias virtuose plorantes. Hoc fecit Christus, dicendo : Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. (*Matth.* V, 5.) Talibus æternam felicitatem promisit. *Ut ponerem consolationem,* id est, spirituale solatium darem omnibus *lugentibus Sion,* id est Judæorum ruinam et excæcationem deflentibus. Quos utique sancti defleverunt Apostoli, quemadmodum ad Romanos scribit apostolus Paulus : Tristitia mihi magna est, et dolor continuus cordi meo pro fratribus meis Judæis. (*Rom.* IX, 2, 3.) Consolatus est autem Christus Apostolos, quoniam ad prædicationem eorum multa convertit millia Judæorum, ut patet in Actibus. (*Act.* II, 41 ; IV, 4 ; XXI, 20.)

Et darem eis coronam pro cinere, id est exaltationem in cœlo pro humiliatione in terra ; *oleum gaudii,* hoc est unctionem seu internam perfusionem lætitiæ, *pro luctu* eorum laudabili ; *pallium laudis,* id est decorem gratiarum actionis, vel ornatum laudis, qua eos in judicio meo laudabo, *pro spiritu mœroris,* hoc est pro virtuosa tristitia spiritus seu animæ vel mentis eorum, ita quod laude et gratiarum actione spiritualiter induentur, dicendo : Lætati sumus, o Domine, pro diebus quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala. (*Ps.* LXXXIX, 15.)

Et vocabuntur in ea, id est, præfati virtuosi lugentes, appellabuntur in Sion, seu in militanti Ecclesia, *fortes justitiæ,* hoc est in æquitate roborati ac stabiles : imo Apostoli in die Pentecostes confirmati fuerunt in gratia atque justitia. (*Act.* II, 1 et seq.) Vocabuntur etiam *plantatio Domini,* id est a Deo gratiose plantati, et in virtutibus radicati, *ad glorificandum* Dominum Deum, ut ejus honorem quærant, et non gloriam privatam ac propriam laudem, dicendo : Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. (*Ps.* CXIII, 1, sec. Hebr.) Unde et Paulus : Soli (inquit) Deo honor et gloria. (I *Tim.* I, 17.)

ENARRATIO IN EPISTOLAM

APPARUIT BENIGNITAS ET HUMANITAS SALVATORIS NOSTRI DEI, ETC. Tit. III, 4-7.

APOSTOLUS in præsenti epistola docet nos, quam magna nobis bona per Christum et a Christo collata sint. Ait enim :

Apparuit benignitas, hoc est misericordia, *et humanitas Salvatoris nostri Dei,* id est humanitas quam Christus Dei Filius verusque Deus pro nobis assumpsit. Hanc enim suam benignitatem et humanitatem cœpit in sua nativitate declarare visibiliterque monstrare hominibus : sicut pastoribus, ac aliis multis quibus pastores dixerunt qualiter angelus eis apparuisset, et Christum esse natum dixisset, qualiter etiam exercitum angelorum audissent cantantem, et natum puerum invenissent, prout in fine sequentis evangelii legitur. Hoc autem infinita misericordia fuit Christi Verbi æterni, quod nostram assumpsit naturam, atque ex Virgine nasci dignatus est, qui de Patre Deo natus est ab æterno. Deinde Christus inter homines conversando, omnesque a diabolo oppressos curando, benignitatem et humanitatem suam demonstravit hominibus. Et hæc fecit *non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos,* hoc est, non propter merita nostra, quia iniqui eramus ac perditi; *sed secundum suam misericordiam,* id est ex sua pietate, caritate, et gratia, *salvos nos fecit,* id est, a jugo diaboli et servitute peccati nos liberavit, beatitudinem quoque promeruit nobis. Itaque « salvos nos fecit » merito suæ conversationis ac passionis, *per lavacrum regenerationis,* hoc est per Baptismum, qui est lotio qua ex aqua et Spiritu Sancto renascimur, esse gratiæ ac virtutum adipiscendo, *et renovationis Spiritus Sancti,* id est per præfatum lavacrum seu Baptismum, quo intus in anima renovamur per infusionem gratiæ Spiritus Sancti, juxta illud Apostoli : Renovamini spiritu mentis vestræ; atque in Psalmo, Renovabitur ut aquilæ juventus tua. Hæc dicit Apostolus, quoniam virtus et meritum passionis Christi applicatur hominibus per Baptismum : nam meritum passionis Christi est causa universalis humanæ salutis. Porro, universalem causam oportet ad determinatos effectus per aliqua applicari. Unde qui sine Baptismo moriuntur, participes non exsistunt salvationis ac meriti Christi, nisi forte Baptismum optaverint consequi nec potuerint.

Quem Spiritum Sanctum *effudit* Deus *in nobis abunde,* id est, gratiam et dona Spiritus Sancti Deus Pater copiose infudit cordibus Christifidelium, præsertim Apostolorum, *per Jesum Christum Salvatorem nostrum,* id est virtute et merito Christi, cujus tota conversatio et passio in hoc mundo fuit meritoria nobis, et ab ipso tanquam a capite derivantur charismata gratiarum in ejus fideles, tanquam in membra ipsius, juxta illud : De plenitudine ejus nos omnes accepimus. *Ut justificati,* id est a peccatis purgati et justi effecti, *gratia ipsius,* id est merito Christi, et per infusionem gratiæ suæ, sine qua non fit deletio culpæ, *heredes simus* Dei, coheredesque Christi, id est, adoptivi filii Creatoris : et hoc, nunc *secundum spem vitæ æternæ,* hoc est æternam felicitatem sperando, nondum habendo. Vel, « heredes simus vitæ æternæ secundum spem », id est nunc in spe, adepturi eam in re, *in Christo Jesu Domino nostro,* id est ejus auxilio, vel in ipso tanquam in objecto beatitudinis nostræ, secundum quod Deus est.

Luc. II, 8 et seq. — Joann. III, 5. — Ephes. IV, 23. — Ps. CII, 5. — Joann. I, 16. — Rom. VIII, 17.

SERMO QUARTUS

DE IMMENSA DEI ERGA GENUS HUMANUM MISERICORDIA, IN SEPTEM BENEFICIIS POTISSIMUM OSTENSA.

APPARUIT *benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei.* Tit. III, 4.

In omnibus vetus et novum Testamentum concordant, in omnibus sancti Prophetæ et gloriosi Apostoli ac Evangelistæ inveniuntur concordes. Nam quod de Christo, de ejus mysteriis, gratia et excellentia, prædixerunt Prophetæ, hoc docuerunt Evangelistæ et prædicaverunt Apostoli : quod etiam ex duabus lectionibus jam expositis comprobatur. Nempe in hoc quod Christus in mundo isto inter homines vivens, mansuetis prædicavit, pœnitentibus medelam (hoc est vitiorum curationem) adhibuit, tempus gratiæ annuntiavit, et
Is. LXI, 1-3. cetera quæ in præinducta Isaiæ lectione sunt tacta, est operatus, « benignitas » atque « humanitas » evidenter ac gratiosissime innotuerunt hominibus. Præterea, sicut
Prov. XVI, 4. Salomon contestatur, Universa propter se ipsum operatus est Dominus. Ipse enim est summum bonum universorum, et omnium ultimus finis; et idcirco cuncta creavit ut sua in eis resplendeat ac pandatur perfectio : quatenus ex consideratione creaturarum, homines inducantur ad sui Creatoris reverentiam et amorem, ad ejus obsequium, admirationem atque timorem, ad ipsius quoque, quantum possibile est, contemplationem. Hinc iterum Salomon ait :
Eccle. III, 14. Cuncta fecit Deus ut timeatur. Ideo namque tam magnum et præclarum condidit universum, ut illud conspiciendo, Creatoris omnipotentiam, majestatem incomparabilemque excellentiam intelligamus ac formidemus et veneremur. Unde obtenebratis hominibus qui ita non faciunt, loquitur Deus : Audi, popule stulte qui non
Jer. V, 21, 22. habes cor, Me non timebitis ? qui posui A arenam terminum mari, præceptum sempiternum, quod non præteribit; intumescent fluctus ejus, et non transibunt illud. Quasi dicat : Ex tam admiranda ac præpotenti rerum dispositione et elementorum coordinatione, merito adverteretis qualis et quantus sum ego, quam sapiens atque omnipotens, sicque merito me formidaretis : quod quia non facitis, stulti estis et insensati. Denique sic et in Christi incarnatione, nativitate, et in ceteris ejus operibus, gratiis ac mysteriis, Deus omnipotens B bonitatem, sapientiam, omnipotentiam, caritatem, justitiam et misericordiam suam præclarissime demonstravit.

Sed inter hæc advertendum, quod triplex assignatur opus Dei, videlicet : opus creationis, opus recreationis seu redemptionis, et opus glorificationis. Primum est opus naturæ ; secundum, opus gratiæ ; tertium, opus gloriæ. Quamvis autem in opere creationis, videlicet in effectibus sex dierum quos Deus in exordio mundi produxit, ut in principio Genesis legitur, *Gen.* I, 1 et seq. C gloriose appareant bonitas, sapientia, omnipotentia Dei, et alia quædam attributa ipsius; tamen hæc omnia multo gloriosius ineffabiliterque præclarius apparent in opere recreationis, hoc est : in effectibus gratiæ, in supernaturalibus mysteriis Christi, in mirabilibus ejus operibus, in ipsius incarnatione, nativitate ex Virgine; ex ejus inter homines conversatione, ex sacramenti Eucharistiæ institutione ; in mundi salvatione per ipsum, in Spiritus Sancti missione ad homines ; ex donis gratiarum D collatis ab ipso hominibus. Nequaquam enim tam admiranda, præclara ac præpotens fuit mundi creatio, sicut Verbi æterni

incarnatio, seu hypostatica unio deitatis A ac humanitatis in Christo. Excellentius quoque refulget sapientia Dei in salvatione generis humani per Filium Dei et passionem ipsius, quam in mundi gubernatione, aut quocumque naturali effectu. Porro de misericordia Dei planissimum est, quod in hoc evidentissime ac eminentissime declaretur, quod ipsemet Deus creator pro reparatione et salute suæ creaturæ dignatus est fieri homo. Optime ergo ait Apo-
Tit. III, 4, 5. stolus in hodierna epistola, « Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri B Dei », videlicet, quoniam Deus noster factus et natus est frater noster; quibus verbis adjecit : Non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit. Insuper alibi adscribit Apostolus hanc nostram salvationem caritati Dei ad nos, nunquam tamen
Ephes. II, 4, 5. meritis nostris. Nam locutus est : Deus, qui dives est in misericordia, propter nimiam caritatem suam qua dilexit nos, quum essemus mortui peccatis, convivificavit nos Christo, cujus gratia estis salva- C
Ibid. 8, 9. ti. Et addidit ibidem : Gratia enim salvati estis per fidem, et hoc non ex vobis, Dei enim donum est; non ex operibus, ne quis glorietur.

Præterea, ex præsenti lectione Isaiæ prophetæ et ex epistola ista Pauli docemur, quanta nobis a Christo beneficia misericorditer sunt impensa, et quanta ex peccatis incurrimus mala.

Primum est, quod a Christo sumus saluberrime informati, videlicet evangelica
Is. LXI, 1, 2. doctrina instructi : ideo Christus ait, « Ad D annuntiandum mansuetis misit me », secundum expositionem præhabitam. Quocirca pensemus, quam præclara et amabilis virtus sit mansuetudo, eo quod Christus perhibeat se specialiter missum ad prædicandum mansuetis. Unde et in Evangelio
Matth. XI, 29. loquitur : Discite a me quia mitis sum et humilis corde. Mansuetudo autem est virtus moralis per quam homo iram refrenat. Unde quemadmodum ira impedit hominem a susceptione informationis salubris, sic mansuetudo aptat hominem ad salutaris instructionis susceptionem. Qui ergo vult informari, non sit iracundus, indignabundus, turbulentus aut inquietus, sed mitis, patiens, humilis et quietus. Hinc scriptum habetur : In mansuetudine susci- *Jacob.* I, 21. pite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras. Verumtamen, sicut præhabitum est, per mansuetos hoc loco intelliguntur omnes dociles ac dirigibiles, verbum Dei benevole ac cupide audientes, juxta illud : Auris bona cum omni *Eccli.* III, 31. concupiscentia audiet sapientiam.

Denique, prima pars prudentiæ est docilitas, per quam homo exhibet se informabilem, dirigibilem et sapientiæ susceptivum, ut rationabilibus verbis faciliter acquiescat. Contra quod agunt homines immansueti, pertinaces, irrationabiles, indiscreti, passionibus suis subjecti et cavillatores, qui quidquid eis dicatur, semper ad suas redeunt apprehensiones, phantasmata, passiones atque errores. Quum itaque docilitas sit pars prima prudentiæ, quicumque se præbet indocilem, ostendit se veræ prudentiæ esse expertem : quumque virtutes connexæ dicantur, sicut se ostendit carere prudentia, ita et omni virtute et gratia. Timeant ergo servi proprii sensus, et homines sui capitis, præsertim qui superioribus et sapientioribus non acquiescunt. Quod quam perversum sit, docet propheta Samuel : Melius (inquiens) *I Reg.* XV, 22, 23. est auscultare, quam offerre adipem arietum, quoniam quasi scelus idololatriæ est nolle acquiescere. Ecce quam vitiosa ac detestabilis est indocilitas ista, per quam homo omni sapientiæ atque prudentiæ viam in suo præcludit corde. Simus itaque semper mansueti ac dociles, ut instruamur a Christo. Non tamen indiscrete credendum est omni verbo aut omni spiritui, *I Joann.* IV, 1. quia credendi facilitas decipit multos, et innocentes persequitur, errorumque mater est, et multa ex ea mala sequuntur.

Secundum beneficium Christi est, quod ipse « contritos* corde » medetur, pœnitentium corda sanando, tanquam piissimus

* contritis

medicus animarum. Propter quod in Evan- A
Luc. xix, 10. gelio protestatur : Venit Filius hominis quærere et salvum facere quod perierat. Nullus ergo desperet, quoniam medicus iste est infinitæ potentiæ, infinitæ sapientiæ, et pietatis immensæ. Eum igitur invocemus, ut ab omni nos curet superbia, gratiam humilitatis nobis præstando; ab omni nos avaritia et luxuria sanet, liberalitatem ac continentiam nostris cordibus imprimendo : sicque a ceterorum vulneribus vitiorum nos curare dignetur, virtutes vitiis illis oppositas infundendo. Verumta- B
men contritum corde Christus non curat, nisi tempore opportuno confiteri proponat.

Tertium beneficium Christi est, quod ipse prædicat « captivis », puta iniquis a diabolo captis, « indulgentiam », id est remissionem culparum, dummodo vere pœniteant, confiteri, satisfacere, et omne peccatum deinceps vitare firme proponant. In quo patet immensitas pietatis divinæ, quod quantumcumque et quotiescumque offenderimus Deum, semper paratus est pœnitentiam nostram durante hac vita susci- C
pere. Nihilo minus periculosum est pœni-
Matth. xxv, 13. tentiam ipsam differre, quum ignoremus diem et horam, nec minor sit Dei justitia quam misericordia ejus, et quia post vitam præsentem implacabilis inflexibilisque consistit eis qui in mortali decesse-
Eccli. v, 5-7. runt peccato. Hinc salubriter dicitur : Non adjicias peccatum super peccatum, et ne dicas, Miseratio Dei magna est : misericordia enim et ira ab illo cito proximant, et in peccatores respicit ira illius. Et iterum
Ibid. 8, 9. dicitur ibi : Non tardes converti ad Domi- D
num, et ne differas de die in diem : subito enim veniet ira illius.

Quartum beneficium Christi est, quod « clausis », id est vitiorum gravitate oppressis, et vitiosa consuetudine victis, prædicat « apertionem », quia promittit eis egressum a consuetudine prava, dummodo divinæ pietatis implorent auxilium. Quamvis etenim tales sint per naturam valde difficulter curabiles, tamen per divinæ pietatis respectum et gratiæ Dei subsidium, subito aliquando compunguntur, repente convertuntur ferventesque fiunt, et omnia pristina vitia detestantur, ita quod nec afficiuntur ad ea; aliqui vero post conversionem graviter de pristinis tentantur peccatis, sed Deo auxiliante resistunt ac prævalent.

Quintum beneficium Christi est, quod ipse « annum placabilem », id est tempus gratiæ, prædicavit, in quo homines, si pure sancteque vixerint, ab ore* ingrediuntur regnum cœleste : quod ante Salvatoris adventum nulli fuit possibile. Unde et Deo omnipotenti multum regratiari debemus, quod hoc tempore nati sumus.

* Cf. p. 143 C'.

Sextum beneficium Christi est, quod etiam de futuro die judicii nos instruxit atque perterruit, ut si amore Dei mala vitare bonaque agere recusamus, saltem pavore divini judicii id agamus. Nam ut ait Salvator, impiis ipse dicturus est : Ite, maledicti, in ignem æternum. Quid hoc verbo cogitari terribilius potest? Matth. xxv, 41.

Septimum beneficium Christi est, quod ipse consolatur « omnes » pie « lugentes ». Nam in præsenti vita eos dulciter consolatur, deinde in cœlis æternam eis delectationem largitur, quemadmodum loquitur : Tristitia vestra vertetur in gaudium, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis. Insuper multæ sunt causæ pii virtuosique luctus. Prima est, propria culpa. Secunda est, culpa proximi. Tertia, consideratio propriæ imperfectionis ac defectuositatis. Quarta est, ruina Ecclesiæ. Quinta est, oppressio sive afflictio proximorum, potissime pauperum. Sexta est, consideratio passionis Christi, et compassionis suæ dignissimæ Genitricis. Septima est, dilatio gloriæ, seu desiderium felicitatis futuræ. Octava est, vehemens ac suavissima quædam complacentia Dei. Et beati qui istis de causis lugent. Joann. xvi, 20, 22.

De ista demum materia possent dici quamplurima, nisi prolixitas esset vitanda.

Postremo, ex præhabitis trahitur, quanta homini mala inferat culpa. Nam vulnerat animam, et diabolo facit eam captivam at-

que subjectam, tandem quoque per malam A consuetudinem claudit, demergit et opprimit eam. Vitemus ergo peccata, et virtutibus insistamus, beneficiis quoque Christi grati esse nitamur, atque in omnipotentis Dei præsentia timorate ac custodite jugiter conversemur, ad laudem et gloriam ejus. Amen.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

PASTORES LOQUEBANTUR AD INVICEM, ETC. Luc. II, 15-20.

In præcedenti evangelio scriptum est, B qualiter pastores audierunt ab angelo Christum Dominum esse natum in Bethlehem, et qualiter multitudinem cœlestis exercitus angelorum sanctorum audierunt Deum laudantem atque dicentem : Gloria in altissimis Deo. In præsenti autem evangelio Lucas evangelista describit, qualiter pastores Christum natum invenerunt. Itaque ait :

Pastores loquebantur ad invicem. Statim enim quum angeli discesserunt ab eis in cœlum, dixerunt : *Transeamus usque* C *Bethlehem:* quæ, ut fertur, per unum milliare distabat a loco in quo pastoribus locutus est angelus; *et videamus* corporalibus oculis, quod nunc oculo fidei contemplamur ac credimus, *hoc verbum quod factum est,* id est rem per verba nobis dicta significatam, videlicet puerum natum, qui est Christus Filius Dei, *quod* verbum *Dominus ostendit nobis,* id est, locutus est ad nos; vel « quod Dominus ostendit nobis », id est, quem puerum manifestavit nobis esse natum. Potest quoque de increato D Verbo exponi, ut sit sensus : « Videamus hoc Verbum », id est Dei Unigenitum, de *Joann. I, 1.* quo scriptum est, In principio erat Verbum; « quod factum est », id est incarna- *Ibid. 14.* tum, juxta illud, Verbum caro factum est; « quod Dominus ostendit nobis » per angelum, esse in Bethlehem natum.

Et venerunt festinantes : quia ferventes erant, valdeque inflammati amore Dei et pueri nati, et desiderabant videre tam magnum novum, scilicet Christum regem altissimum natum, cujus majestatem ac dignitatem pensabant ex verbis angeli, ex apparitione quoque, congratulatione et laude ac cantu cœlestis exercitus tam innumerabilium angelorum. Gaudebant quoque de totius generis humani salvatione per Christum cito futura. Ad greges etiam suos, quos sine custode reliquerant, redire velociter cupiebant. *Et invenerunt Mariam et Joseph, et infantem positum in præsepio,* utpote Christum pannis involutum et in præsepio reclinatum. Quamvis autem Christus more aliorum parvulorum dictus sit infans, quasi non fans, seu loqui non valens; tamen a prima suæ nativitatis hora, non solum Hebræorum, sed et omnium gentium linguis disertissime ac sapientissime potuit loqui, et locutus fuisset, si voluisset, quoniam donis gratiæ gratis datæ, videlicet generibus linguarum, gratia prophetiæ, scientia interpretationis sermonum, a primo suæ incarnationis instanti fuit plenissimus. *Videntes autem* pastores Mariam et Joseph et infantem, *cognoverunt de verbo quod dictum erat illis de puero hoc,* id est, verbum angeli quod eis dixit de puero hoc consideraverunt esse verum.

Et omnes qui audierant, mirati sunt. Hoc aliqui sic exponunt : Omnes qui audierunt ab angelo, vel angelis, Christum sic natum, mirati sunt quod Christus Dominus voluit in tanta paupertate nasci, atque in præsepio reclinari, qui tamen ab

angelorum exercitu taliter laudabatur. Ex A quo sequeretur, quod non solum pastores angelum et angelicum cantum audierunt. Verumtamen, quantum ex textu perpenditur, videtur quod solis pastoribus apparuit angelus angelicusque exercitus. Est igitur sensus : Omnes qui audierunt a pastoribus, quod Christus natus sic esset, mirati sunt. Unde expositorie subditur : *et,* pro id est, *de his quæ dicta erant a pastoribus ad ipsos* de puero isto. Pastores equidem aliis retulerunt quod audierunt de puero isto, et qualiter exercitum B angelorum audierunt cantantem. De his, inquam, « mirati sunt », quia valde fuit mirabile quod tanta majestas et tanta humilitas, tanta dominatio et tanta paupertas, in una pueri hujus convenissent persona; quod Rex cœlorum natus esset in terra, et
Agg. II, 8. Desideratus cunctis gentibus advenisset, cujus adventum Patriarchæ ac Prophetæ tam ineffabiliter optaverunt. Mirati sunt etiam de tam constanti, certa ac fervida protestatione pastorum, qui inaudita fingere nescierunt, sed simplici sermone, quod verum fuit annuntiaverunt.

Maria autem : cujus tanta est, secundum Bernardum, suavitas, ut nunquam piæ memoriæ portas ingrediatur absque insitæ sibi dulcedinis adspersione ; *conservabat omnia verba hæc,* quæ de Christo jam scripta sunt, et quæ audivit ab istis pastoribus, *conferens in corde suo,* id est, in mente sua frequenter ea revolvens et memoriter tenens, tanquam prudentissima Sapientiæ æternæ discipula, atque evangelicæ veritatis amatrix.

Et reversi sunt pastores ad oves et pecora sua, *glorificantes,* id est, gloriosum protestantes et magnifice honorantes, *et laudantes Deum in omnibus* beneficiis ac magnalibus, seu præclaris et gratiosis ejus operibus, *quæ audierant* ab angelo exercituque angelico, *et viderant* propriis oculis, inveniendo puerum taliter natum, prout angelus eis annuntiavit : ideo subditur, *sicut dictum est ad illos,* puta pastores, ab angelo.

SERMO QUINTUS

DE GRATITUDINE ; ET QUOMODO IN BETHLEHEM FESTINARE SPIRITUALITER DEBEAMUS, ET QUID IBI NOBIS AGENDUM INCUMBAT.

T*RANSEAMUS usque Bethlehem, et* C *videamus hoc verbum quod factum est, quod Dominus ostendit nobis.* Luc. II, 15.

Ingratitudo est peccatum valde enorme, per quod homo meretur cetera Dei dona amittere, et iis quæ fuerat percepturus privari. Gratitudo autem est virtus præclara, per quam homo meretur conservari a Deo in donis gratiæ quæ suscepit, et donis repleri majoribus. Hinc enim in Evan-
Matth. XXV, 29. gelio ait Salvator : Habenti dabitur ; ei autem qui non habet, et quod videtur ha- D bere, auferetur ab eo. In quibus verbis, per Habentem intelligitur homo gratus, cui a fonte totius gratiæ, Deo ditissimo ac liberalissimo, plus confertur; per Non habentem vero intelligitur homo ingratus, qui et id quod videtur habere, amittit.

Denique ad gratitudinem pertinent tria. Primum est, beneficium sibi collatum recognoscere et pensare. Secundum est, pro eo gratias agere. Tertium est, tempore opportuno benefactori pro posse vicem rependere. Hoc enim requirit debitum condecentiæ, quod vocatur debitum morale. Similiter ad ingratitudinem pertinent tria, istis tribus opposita, utpote : beneficium

tradere oblivioni, non regratiari, nec vicem rependere. A

Itaque, si innumerabilibus incomparabilibusque beneficiis Domini Dei nostri Jesu Christi grati esse pro posse desideramus, oportet ut in primis ea recognoscamus, pensemus, nec obliviscamur; deinde pro universis et singulis grates ei pro posse reddamus; et tertio, vicem rependamus eidem, ipsum honorando per adimpletionem præceptorum suorum, ipsis quoque pauperibus, qui sunt membra Christi, pie ac liberaliter succurrendo: nam quidquid illis negatur, Christus sibi arbitratur negatum; et quidquid illis fit ac præstatur, ipse sibi factum datumque arbitratur. *Matth.* xxv, 34 et seq.

Itaque primo oportet nos beneficia Christi Salvatoris nostri attendere. Porro quidquid pro salute nostra assumpsit, fecit ac pertulit, hoc beneficium est ipsius. Unde inter beneficia ejus ista sunt præcipua: quod propter nos incarnari, et ex paupere humilique puella nasci dignatus est; quod in sua nativitate tantam passus est paupertatem. Ut ergo grati simus ei de beneficiis istis, necesse est ut et nos cum pauperibus « transeamus » spiritualiter « usque Bethlehem, et videamus hoc verbum quod factum est, quod Dominus » per Lucam evangelistam « nobis » in evangelio hodierno « ostendit ». Spiritualiter autem usque in Bethlehem ire, est oculum mentis illuc convertere, et omnia quæ ibi facta credimus considerare, mente percurrere, diligenter revolvere. C

Consideremus ergo, qualiter die hesterna pudicissima Virgo prægnans, cum suo ministro simplice Joseph, cum verecundia ingressa est Bethlehem, et qualiter cunctis hospitiis a divitibus occupatis, ipsa paupercula cum Joseph declinavit in diversorium, intravitque stabulum, in quo (ut creditur) nec lumen invenit nec ignem, et certum est quod nec lectum. O quam patienter atque humiliter pertulit omnem illam inopiam! Deinde parituram se sentiens, ad devotissimam orationem et altam contemplationem se dedit, et subito in *Luc.* II, 4 et seq.

momento peperit, clausa et integra manens, Christum, quem protinus adoravit ut Deum; nec ex partu aliquam passa est corporis debilitatem. Deinde pensemus, qualiter pastores diversorium sunt ingressi, cum quanta admiratione ac reverentia puerum illum in præsepio positum adspexerunt et adoraverunt, quam ferventer etiam et jucunde retulerunt Virgini gloriosæ ac Joseph, qualiter angelus Dei visibiliter eis adstitit, et qualiter claritas eos maxima circumfulsit, et omnia verba quæ audierunt ab angelo, et quomodo angelorum exercitum audierunt Deum magnifice collaudare. O quantum piissima Virgo gavisa fuit in Domino his auditis! B

Præterea, non solum ista consideremus ad sciendum et recordandum, sed ea etiam ad nostram trahamus informationem, ad imitandum, ut discamus mundi vanitates, divitiarum jactantiam aspernari, humilitatem et paupertatem amplecti, et Christum pro posse in omnibus sequi. Eia, vos pauperes, consolamini in his verbis, imo in istis Christi exemplis. O vos mendici, vos pannosi, et in hoc mundo contempti, hanc Christi paupertatem et humilitatem indesinenter pensate, et ejus exemplo, ejus intuitu et amore, in vestra paupertate gaudete; in omni dejectione et tribulatione patientes estote, ut animæ vestræ spiritualibus impleantur divitiis gratiæ ac virtutum, et post hujus brevissimæ vitæ curriculum, cœlestem felicitatem, quæ est status omnium bonorum aggregatione perfectus, adipiscamini pro mercede. Christus etenim dixit: Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei. Insuper, vos divites et avari, hæc audientes, de vestra cupiditate, elatione et superfluitate erubescite et dolete, occulta Dei judicia formidate, ne forte in hac vita pro bonis quæ forsitan agitis, accipiatis mercedem a Deo, et in futuro patiamini repulsam ab eo. Christus enim protestatur: Væ vobis divitibus, qui habetis consolationem vestram; væ vobis qui saturati estis, quia esurietis. Quod si Væ imminet saturatis, quale Væ D *Luc.* VI, 20. *Ibid.* 24, 25.

erit gulosis, qui tota die, et sæpe profunda A nocte, replent se potibus, et in cœnis suis sedent, se ingurgitando per plures horas? Attendite quid in die judicii dicturi sint divites, animosi et cupidi. Dicturi sunt utique illud in libro Sapientiæ : Erravimus a via veritatis, et justitiæ lumen non luxit nobis, et Sol intelligentiæ non est ortus nobis. Quid nobis profuit superbia? aut quid divitiarum jactantia contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra. Hinc scriptum est apud Job : Dives quum dormierit, nihil secum auferet; ap- B prehendet eum quasi aqua inopia. Et in Ecclesiastico ait Scriptura : Avaro nihil est scelestius; nihil est iniquius quam amare pecuniam. Avarus quippe animam suam habet venalem, quam pro nummo tradit diabolo. Qui enim propter temporalia peccat, peccando se ipsum diabolo præstat : quod præcipue agunt avari. Itaque pœnitentiam agite, vitam corrigite, bonum illud incomparabile et immensum in quo est omnium pulchrorum ac desiderabilium interminabilis plenitudo, super C omnia præamate; et si terrena omnia propter Deum non vultis relinquere, superfluum eorum usum, inordinatum affectum, vitiosam retentionem abjicite, atque de eo quod superfluit vobis, pauperibus liberaliter subvenite.

Sap. v, 6, 8, 9. — *Job* XXVII, 19, 20. — *Eccli.* X, 9, 10.

Deinceps, sicut pastores « venerunt » ad Bethlehem « festinantes », ita et nos cum festinatione, id est cum diligentia ac fervore, Christum quæramus, et adipisci eum per beatificam fruitionem conemur. Non enim dormientibus, non pigris, acediosis D ac negligentibus provenit regnum cœlorum, sed timoratis ac fervidis, qui omne tempus sibi concessum fructuose expendunt. Attendamus ac formidemus quod in Apocalypsi loquitur Deus : Quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo. Consideremus quam ferventer ac fortiter laborent conducti pro temporali mercede, pro duobus aut tribus denariis. Cur ergo pigri sumus ad Dei obsequium? Cur illud negligenter solvimus vel audimus, quibus non præmium temporale, non pauci denarii, sed beatitudo æterna, ineffabile gaudium, imo et summum bonum ab ipso summo bono Deo vero promittitur? O quanta est excæcatio nostra, quanta est insipientia ac tarditas nostra, quia ad ista terrena atque carnalia magis quam ad bona cœlestia et æterna afficimur! Rogemus igitur Deum ut corda nostra illuminare ac inflammare dignetur, quatenus terrenis et temporalibus rebus despectis, totis ad Deum præcordiis afficiamur, et per opera virtuosa thesaurum nobis congregemus in cœlis, quemadmodum ait Salvator : Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi ærugo et tinea demolitur; thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo. Et causam tam saluberrimi documenti adjecit, subdendo : Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum. Quo patet, quod avarus cor habet in cista sua, non in summa beatitudinis patria. Porro ad Deum festinare et currere, est ardenter eum diligere, et ex spirituali amore, quæ bona sunt, alacriter agere; et quo Deum amamus ferventius, eo properamus currimusque celerius.

Luc. II, 16. — *Apoc.* III, 16. — *Matth.* VI, 19, 20. — *Ibid.* 21.

Præterea, quemadmodum homines qui a pastoribus audierunt, ea quæ dicta sunt mirabantur; ita et nos pie miremur quod Dominus Deus noster omnipotens, Unigenitus Dei, tanta pro nostra salute assumpsit, fecit ac pertulit, quod tanti nos æstimavit, quod tam supernaturaliter, tam magnifice ac gratiosissime egit nobiscum. Hinc enim sanctus rex David locutus est : Domine, quid est homo, quia innotuisti ei? aut filius hominis, quoniam reputas eum? Homo vanitati similis factus est, dies ejus sicut umbra prætereunt. Hinc quoque beatus Job loquitur Deo : Quid est homo, quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum? Recognoscamus ergo providentiam, dignationem et gratiam Dei nostri circa nos, et grati diligentesque simus.

Luc. II, 18. — *Ps.* CXLIII, 3, 4. — *Job* VII, 17.

Amplius, attendamus quod de beatissima Virgine scribit Evangelista : Maria

Luc. II, 19.

conservabat omnia verba hæc, conferens A in corde suo. Ita et nos ejus exemplo, universa beneficia Dei, mysteria Christi, documenta et præcepta ipsius, et quidquid salubriter dicitur nobis, imprimamus memoriæ, revolvamus in corde, sapienter pensemus, ut sic vitiis reluctemur, virtutibus immoremur, et juxta illa totam nostram conversationem quotidie regulemus. Hinc *Ps.* CXVIII, 11. quippe Psalmista locutus est Deo : In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi. Sed quidam vani ac stolidi, verba Scripturarum scire cupiunt et attendunt B ad ostentationem, ut docti putentur sapientioresque aliis, aut lucri aliquid seu commodum sortiantur carnale. Isti abutuntur eloquiis Dei.

Luc. II, 20. Postremo, sicut pastores Christo invento ac contemplato, reversi sunt, Deum laudantes et glorificantes; ita et nos, postquam omnia jam præfata fideliter contemplati fuerimus, Deum laudemus verbis devotis, et glorificemus ac veneremur eumdem virtuosis operibus. Sicque ad exteriora agenda tempore congruo revertamur, quia non possumus semper contemplationi ac spiritualibus exercitiis occupari, sed circa corporis necessaria crebro occupari compellimur. Quas occupationes ad Dei honorem et animarum nostrarum salutem ordinare debemus, quia tunc etiam ipsæ sunt meritoriæ nobis, et Deo placentes, quemadmodum ei placuit corporalis labor istorum pastorum, circa pecora sua occupatorum. Et quoniam Filius Dei factus *Joann.* I, 14, 12; *Galat.* III, 26. est filius hominis, ut nos efficiamur filii Dei, studeamus Deo in puritate servire, omnia carnalia vitia, verba lasciva, amplexus et oscula libidinosa omnino vitantes, quoniam talia omnia Christus, fons totius munditiæ, vehementer abhorret, reprobat, æternaliterque condemnat. Ipse quoque testatur : Beati mundo corde, quo- *Matth.* V, 8. niam ipsi Deum videbunt. Ad cujus beatam visionem Dominus noster Jesus Christus, nobis ex mundissima Virgine natus, perducere nos dignetur, qui cum Patre et Spiritu Sancto, etc.

AD SUMMAM MISSAM

NATIVITATIS DOMINI

ENARRATIO IN LECTIONEM PROPHETICAM

PROPTER HOC SCIET POPULUS MEUS NOMEN MEUM IN DIE ILLA, ETC. IS. LII, 6-10.

QUEMADMODUM sanctus ait Hieronymus, beatissimus Isaias non tam propheta quam evangelista dicendus est, quoniam omnia Christi atque Ecclesiæ mysteria tam diffuse ac evidenter descripsit, ut videatur potius de præterito recitare historiam, quam de futuro inducere prophetiam. Ipse itaque de Christi incarnatione, nativitate, prædicatione, lege, miraculis, passione et ascensione, Apostolorum prædicationibus, gentilium conversione, copiosissime scripsit ac prophetavit. Unde in lectione nunc exponenda, ait per eum Deus :

Propter hoc quod subditur, *sciet populus meus nomen meum,* id est, electi Judæi, puta Apostoli ac ceteri ex Judaismo conversi, cognoscent me, et quod unigenitus Dei Filius sim, scient per fidem, *in die il-*
Hebr. I, 1. *la ; quia ego ipse qui loquebar,* id est, qui olim multifarie multisque modis per Prophetas de meo adventu locutus sum, *ecce adsum,* id est, in propria persona per assumptam humanitatem appareo, juxta il-
Joann. I, 14. lud : Verbum caro factum est, et habitavit
Zach. II, 10. in nobis. Hinc denuo scriptum est : Lauda et lætare, filia Sion, quia ecce ego venio, et habitabo in medio tui, ait Dominus.

Quam pulchri super montes pedes annuntiantis et prædicantis pacem ! Hanc
Rom. X, 15. scripturam allegat Apostolus ad Romanos, de prædicatione evangelicæ legis per san- A ctos Apostolos. Est igitur sensus : « Quam pulchri », id est, valde pulchri sunt, « super montes », id est super particulares Ecclesias, conversatione, sapientia, potestate sublimes, « pedes », id est affectus, processus et gressus, « annuntiantis et prædicantis pacem », id est chori Apostolorum, qui prædicaverunt genus humanum per Christi passionem esse Deo Patri reconciliatum. Qui etiam « pacem » spiritualem docuerunt esse servandam, et futuræ beatitudinis « pacem » promise- B runt fidelibus. Hinc Paulus : Reconciliati Rom. V, 10.
(inquit) sumus Deo per mortem Filii ejus. Ponitur itaque in hoc loco singulare pro plurali. Nam ita allegat Apostolus : Quam Ibid. X, 15.
speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona ! Unde nunc subditur : *annuntiantis bonum,* id est Christi Evangelium, quod est optimum nuntium ; *prædicantis salutem,* id est, veram beatitudinem esse in Christum credentibus dandam, quam Christus sua passione eis recuperavit ; *dicentis Sion,* id est militanti C Ecclesiæ seu Israeliticæ plebi, cui primo prædicaverunt Apostoli. Porro Sion interpretatur speculatio : idcirco per « Sion » intelliguntur fideles Deum humiliter contemplantes ac cœlestia speculantes. Vel, « dicentis, Sion », id est, o tu Sion : *Regna-* I Joann. V,
vit Deus tuus, videlicet Christus, qui est 20.

verus Deus et vita æterna, ut Joannes di- A
cit. Ipse enim post suam resurrectionem,
in militanti Ecclesia cœpit regnare per
fidem et gratiam in corde fidelium; in
triumphanti quoque Ecclesia jugiter re-
Matth. xxviii, 18. gnat. Hinc enim loquitur : Data est mihi
omnis potestas in cœlo et in terra.

Vox speculatorum tuorum, o Sion, id
est prædicatio sive laudatio Apostolorum,
quos Deus dedit speculatores domui Israel,
qui etiam fuerunt viri maxime speculati-
vi. Horum ergo vox sonuit inter Judæ-
os. Nam subditur : *levaverunt vocem,* id B
Luc. ix, 6, 52; x, 1-17; *Act.* ii, etc. est, Christi Evangelium fortiter prædica-
verunt, præsertim in die Pentecostes et
postea, Spiritu Sancto recepto; *simul lau-
dabunt* Deum, quemadmodum in Actibus
Act. ii, 44, 47. Apostolorum habetur : Omnes qui crede-
bant, erant pariter; et collaudabant Deum,
habentes gratiam ad omnem plebem. *Quia
oculo ad oculum videbunt.* Nam Dei Fi-
lium incarnatum corporaliter conspexe-
runt, eumque oculo interiori valde illu-
minato contemplabantur, dicente Paulo :
II *Cor.* iii, 18. Nos autem revelata facie gloriam Domini C
Joann. i, 14. speculantes; et Joanne, Vidimus gloriam
ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre. Qui-
Luc. x, 23. bus in Evangelio loquitur Christus : Beati
oculi qui vident quæ vos videtis. Præterea
huic verbo, « oculo ad oculum », simile
I *Cor.* xiii, 12. est illud Apostoli : Facie ad faciem. Sic
ergo videbunt, *quum converterit Domi-
nus Sion,* id est, Ecclesiam ad se gratiose
reduxerit, electorum corda illuminando,
electas quoque reliquias Judæorum con-
vertendo, secundum illud ad Romanos
Rom. xi, 5. undecimo : Reliquiæ secundum electio- D
nem gratiæ Dei salvæ factæ sunt.

Gaudete in Domino, *et laudate* eum
simul, deserta Jerusalem, id est, ruinæ
Ecclesiæ per Jerusalem designatæ, quas
instauraverunt Apostoli, ædificando Eccle-
siam Dei ex peccatoribus quos converte-
runt. Hæ autem ruinæ sunt peccatores, qui
post suam conversionem ad Christum, in-
vitantur ad gratiarum actionem et gau-
dium. Unde in prima Petri epistola indu-
citur : Virtutes annuntietis ejus qui vos I *Petr.* ii, 9.
de tenebris vocavit in admirabile lumen
suum. Ad Colossenses quoque Apostolus :
Gratias (inquit) agimus Deo Patri, qui nos *Coloss.* i, 12, 13.
transtulit in regnum Filii dilectionis suæ.
*Quia consolatus est Dominus populum su-
um,* juxta id Actuum : Discipuli repleban- *Act.* xiii, 52.
tur gaudio et Spiritu Sancto; et rursus,
Ecclesia per totam Judæam et Galilæam *Ibid.* ix, 31.
et Samariam habebat pacem, et ædifica-
batur, ambulans in timore Domini, et con-
solatione Spiritus Sancti replebatur. *Et
videbunt omnes fines terræ Salutare Dei
nostri,* id est, habitatores omnium finium
mundi convertentur ad Christum, et eum
oculo fidei intuebuntur, quemadmodum
Matthæi vicesimo quarto Christus prædi-
xit : Prædicabitur hoc Evangelium regni in *Matth.* xxiv, 14.
universo mundo. Quod per Apostolos et
eorum coadjutores pro maxima parte im-
pletum est, juxta illud : In omnem terram *Ps.* xviii, 5.
exivit sonus eorum. Hinc Psalmista præ-
dixit : Reminiscentur et convertentur ad *Ps.* xxi, 28.
Dominum universi fines terræ; itemque,
Viderunt omnes termini terræ Salutare *Ps.* xcvii, 3.
Dei nostri. Unde et Christus ascensurus in
cœlum, dixit discipulis : Eritis mihi testes *Act.* i, 8.
in Jerusalem et in omni Judæa et Samaria,
et usque ad ultimum terræ.

ENARRATIO IN EPISTOLAM

MULTIFARIE MULTISQUE MODIS OLIM DEUS LOQUENS PATRIBUS IN PROPHETIS, ETC. Hebr. I, 1-12.

Cf. p. 107 B. SICUT prædictum est, triplex est Christi nativitas : una æternalis ex Deo Patre, alia temporalis ex Virgine matre, tertia spiritualis in credentium ac pœnitentium corde. In hac ergo epistola, aliqua scribit sanctus Apostolus de Christo quæ ei conveniunt ratione suæ temporalis nativitatis, aliqua quoque quæ ei conveniunt ratione suæ generationis æternæ. Nam ait Hebræorum primo :

Multifarie, id est valde frequenter, *multisque modis,* hoc est distinctis visionum generibus ac variis modis loquendi, *olim* in veteri Testamento, et etiam tempore legis naturæ, *Deus loquens patribus,* hoc est antiquis prædecessoribus nostris Patriarchis ac bonis hominibus, *in Prophetis,* id est per Prophetas, qui de Christi adventu prænuntiaverunt hominibus, *Luc.* I, 68, 70. juxta illud : Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit et fecit redemptionem plebis suæ, sicut locutus est per os sanctorum, qui a sæculo sunt, Prophetarum ejus. Unde et gloriosissimus princeps Apostolorum profatur, Actuum tertio : *Act.* III, 18. Deus prænuntiavit per os omnium Prophetarum suorum, pati Christum. Porro Prophetis locutus est Deus per angelos : quia ut divinus Dionysius loquitur, *De Cœlest. hier.* c. IV. propheticæ revelationes ministerio angelorum sunt factæ. Interdum autem Deus est locutus Prophetis per visionem imaginariam, quemadmodum Isaias vidit Dominum sedentem *Is.* VI, 1. super solium elevatum; interdum per visionem exteriorem, sicut Daniel vidit Gabrielem archangelum; *Dan.* VIII, 16. 17; IX, 21. interdum per visionem anagogicam pure intellectualem, quales fuerunt visiones David prophetæ; *II Reg.* XXIII, 2, 3. quandoque in vigilia, quandoque in somno.

Novissime, hoc est in hac ultima mundi ætate, *diebus istis,* videlicet tempore gratiæ, et in principio ætatis ultimæ, quæ a Christo incepit, *locutus est nobis in Filio,* id est per unigenitum suum Filium incarnatum, qui in Evangelio ait : Verba quæ ego loquor, a me ipso non loquor. *Joann.* XIV, 10. *Quem constituit* Deus Pater *heredem universorum,* id est possessorem ac Dominum omnium rerum creatarum, loquendo de Christo secundum naturam assumptam : sic enim constitutus est omnium Dominus. *Act.* X, 36. Siquidem eo ipso quo Christi humanitas ad increatum et personale esse Verbi æterni assumpta est, datum est Christo homini præesse, præferri ac dominari omni creato. Unde ait : Pater diligit Filium, et omnia dedit in manu ejus. *Joann.* III, 35. Et Paulus Hebræorum secundo : Omnia (inquit) subjecit sub pedibus ejus. *Hebr.* II, 8. *Per quem fecit et sæcula,* id est temporalia cuncta et tempora, juxta illud Joannis primo : Omnia per ipsum facta sunt. *Joann.* I, 3. Quod convenit Christo secundum naturam divinam. Non enim per ipsum facta sunt omnia tanquam per ministrum aut instrumentum, sed sicut per principalem agentem, qui cum Patre et Spiritu Sancto unus est factor, unus creator, quoniam superbeatissimæ Trinitatis operatio ad extra est indivisa, quum ipsius sit una natura et una potestas. Propter quod asserit Christus : Quæcumque facit Pater, hæc et similiter facit Filius. *Ibid.* V, 19. Similiter, inquam, id est æque principaliter. Verumtamen quod dicitur, Per ipsum, proprie competit Filio, cui appropriatur causalitas causæ exemplaris, quum sit omnium rerum exemplar et ars rationibus plena.

Qui quum sit splendor gloriæ, hoc est radius plenus sapientiæ Patris et excel- *Sap.* VII, 26.

lentiæ ejus, candor lucis æternæ, et fulgor perfectus majestatis paternæ, in quo plene resplendet tota perfectio Dei Patris. Est etenim Filius verbum mentis paternæ, et *Joann.* x, 30; xvi, 15. dicitur « splendor gloriæ », quoniam quidquid Patris est, splendet in ipso plenissime. Et in hoc insinuatur coæternitas Filii cum Patre. Splendor namque est igni et soli coævus; et si sol ab æterno fuisset, splendor fuisset ei consempiternus. *Et figura*, id est imago sive character, *substantiæ ejus*, videlicet Patris. Quamvis autem figura proprie locum non habeat nisi in corporalibus, Apostolus tamen Filium vocat figuram Dei Patris, quia per figuram res maxime cognoscitur, et in ea similitudo attenditur unius cum alio. Filius autem Patri per omnia est similis, imo simillimus; non distinctus ab eo, nisi quia est ab eo; et Patrem perfecte omnino repræsentat: idcirco « figura substantiæ » Patris vocatur. Est autem Filius Patris imago naturalis et essentialis, non imitativa aut artificialis, quemadmodum filius regis est imago patris regnantis : idcirco consubstantialis est Patri. In tali enim imagine est natura ejus cujus est imago. *Portansque* ipse Filius, id est sustentans, conservans ac moderans, *omnia* creata, visibilia et invisibilia, *verbo virtutis suæ*, id est potestatis suæ imperio ac influxu. Quemadmodum *Ibid.* i, 3. enim omnia per ipsum facta sunt, sic ejus conservatione incessabiliter egent, sine qua nec ad momentum possent subsistere, sed sicut ex nihilo facta sunt, ita in nihilum relaberentur. Sicque in verbis istis notatur æqualitas Filii cum Patre in potestate, quæ in tribus superbenedictis personis una eademque consistit. — Sed quum Filius Dei sit verbum Patris, si Filius portat omnia verbo virtutis suæ, videtur quod Verbi sit Verbum. Et respondendum, quod *verbum* non univoce sumitur quum Filius dicitur verbum et in loco præsenti. Hic enim sumitur verbum *Ps.* lxvIII, 8. pro imperio, sicut in Psalmo : Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus. Qualiter autem Filius Dei Verbum dicatur, in sequentis expositione evangelii elucescet.

A

Purgationem peccatorum faciens, id est, peccatores a suis peccatis emundans : quod fecit in sua passione, atque quotidie efficit in Baptismo et Pœnitentiæ sacramento. Christus quoque secundum quod Deus, est principalis peccatorum purgator, et gratiæ dator, imo creator. *Sedet ad dexteram majestatis*, id est Patris altissimi seu dignitatis Patris æterni, *in excelsis*, id est in cœlo empyreo et gloriæ throno, quemadmodum ait ipse : Ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus. *Apoc.* iii, 21. Denique Christus dicitur ad Dei Patris dexteram, id est æqualitatem, residere, quia ut Deus, est Patri æqualis. Secundum assumptam vero humanitatem sedet ad dexteram Patris, id est in potioribus bonis ejus, quibus in Deo copiosissime fruitur.

B

Tanto melior angelis effectus. Christus secundum quod Deus, incomparabiliter et infinite melior est omni creatura; sed sic non dicitur proprie « melior angelis effectus », quia ex generatione æterna hoc habet : attamen quantum ad manifestationem et innotescentiam posset hoc dici, quum et in Psalmo dicatur, Domine, refugium factus es nobis. *Ps.* lxxxix, 1. Porro, secundum humanitatem assumptam, melior angelis effectus est per gratiam unionis et hypostaticam ejus unionem cum Verbo æterno, et quoniam non ad mensuram accepit gratiam. *Joann.* iii, 34. Sicque a primo incarnationis instanti prælatus ac melior factus est angelis, *quanto differentius*, id est excellentius, *præ illis nomen hereditavit*, id est, jure divino per generationem æternam a Patre accepit, firmiterque possedit. De quo nomine alibi dicit Apostolus : Dedit illi Pater nomen quod est super omne nomen, *Philipp.* ii, 9. ut scilicet homo ille vocetur unigenitus Filius Dei, verusque Deus. Quod competit homini Christo ex generatione æterna, per quam plenitudinem deitatis accepit a Patre. Verumtamen, quantum ad corporis passibilitatem, mortem et sepul-

C

D

Ps. VIII, 6; Hebr. II, 7. turam, fuit Christus paulo minus ab angelis minoratus, ut dicitur in Psalmo et ad Hebræos. Hanc autem excellentiam Christi consequenter probat Apostolus :

Cui enim dixit Deus Pater *aliquando* Ps. II, 7. *angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te?* quasi dicat : Nulli angelorum unquam hoc dixit, sed soli Unigenito suo locutus est istud in Psalmo : « Filius meus es tu, ego hodie », id est in die æternitatis, in qua semper est hodie, id est instans seu nunc invariabile, non habens præteritum nec futurum, « genui te ». Quamvis autem angeli appellentur filii Dei, per adoptionem gratiæ consummatæ Job XXXVIII, 4, 7. seu gloriæ (juxta illud Job, Ubi eras quum me laudarent angeli, et jubilarent omnes filii Dei?), non tamen in æternitate sunt geniti, nec proprie geniti, sed creati, quia non ejusdem naturæ cum Patre. *Et rursus* loquitur Pater : *Ego ero illi,* scilicet Christo, *in patrem,* per generationem naturalem ac sempiternam. Æternitas autem omne tempus includit : idcirco per quamlibet temporis differentiam designatur; quemadmodum in Evangelio ait Christus de Joann. XVI, 14. Spiritu Sancto : Ille de meo accipiet. *Et ipse erit mihi in filium* naturalem ac unicum. Testimonium istud, secundum Chrysostomum, sumptum est ex Isaia propheta : quod tamen nostra translatio non habet, quantum ad formam verborum. Probabilius I Par. XXII, 10. tamen fertur, quod sumptum sit ex primo libro Paralipomenon, ubi verba hæc habentur in propria forma. Sed tunc quæstio oritur, qualiter valeat allegatio ista atque probatio, quum verba illa ad litteram de Salomone dicantur ibidem. Et respondendum, quod verba ista dicta sunt de Salomone in quantum figura exstitit Christi : idcirco de Christo principaliter intelliguntur.

Et quum iterum introducit, id est, introducendum sive venturum prænuntiat Pater in Psalmo, *primogenitum suum,* id est Filium suum ante omnia genitum (qui Prov. VIII, 22. in Proverbiis testatur, Dominus possedit me initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio), *in orbem terræ,* id est in hunc mundum per Incarnationis mysterium, *dicit* per Prophetam in psalmo præallegato : *Et adorent eum,* scilicet Unigenitum Patris, *omnes angeli Dei.* Ps. XCVI, 7. Adoratio autem soli Deo debetur. Porro littera nostra sic habet : Adorate eum, omnes angeli ejus. *Et ad angelos quidem dicit,* id est, de conditione, proprietate et exsistentia angelorum Dominus loquitur per Prophetam in Psalmo : *Qui* Deus Pater, Ps. CIII, 4. seu Filius secundum quod Deus, *facit angelos suos spiritus.* Ordo constructionis est : « Qui facit spiritus », id est spirituales et intellectuales substantias, esse « angelos », id est legatos, « suos », dum eos ad aliqua nuntianda vel operanda emittit. Angelus enim est nomen officii, spiritus nomen naturæ : quemadmodum miles est nomen officii, homo nomen naturæ. Sicut igitur homo fit miles, non econverso; sic Deus spirituales illas substantias, quæ ex creatione sunt spiritus, efficit angelos, id est nuntios, injungendo eis obsequium. *Et ministros suos flammam ignis.* Ordo verborum est : Deus « facit flammam ignis », id est angelos de ordine Seraphim, qui ob divini amoris fervorem præcipuum, flamma ignis ignisque urens vocantur, « ministros suos ». Possunt quoque per « flammam ignis » omnes angelici spiritus designari, ob divinæ dilectionis ardorem, et propter naturæ suæ agilitatem, suique motus et operationis velocitatem.

Ad Filium autem Dominus ait per Prophetam in Psalmo : *Thronus tuus,* id est Ps. XLIV, 7. regia dignitas judiciariaque potestas, et solium gloriæ quo resides ad dexteram Patris, o *Deus* Unigenite, *in sæculum sæculi,* id est, in perpetuum manet. Hoc de Christo secundum utramque naturam intelligi potest. Nam Pater omne judicium Joann. V, 22, 27. dedit Filio, deditque ei potestatem et judicium facere, quia Filius hominis est, ut patet Joannis quinto; et omnia ei subjecit, secundum Apostolum. Secundum deitatem vero, competit Christo judiciaria I Cor. XV, 26; Hebr. II, 8.

potestas et regia dignitas per principalem A auctoritatem, quamvis eas a Patre acceperit : imo una numero est potestas dignitasque amborum. *Virga æquitatis,* id est lex seu regula justa, est *virga regni tui,* hoc est lex evangelica, gubernatio, disciplina qua Ecclesiam regis ac instruis, impios corrigis, bonos exaltas. De qua virga
Ps. II, 9. fertur in Psalmo : Reges eos in virga fer-
Is. XI, 4. rea ; et Isaias, Percutiet (inquit) terram virga oris sui.

Ps. XLIV, 8. *Dilexisti justitiam,* hoc est omnem virtutem et omne bonum : justitia enim uno B modo communis est virtus; *et odisti iniquitatem. Propterea,* id est merito horum, videlicet quoniam sic fecisti, *unxit te,* o Deus Christe, *Deus* omnium, sed specialiter *Deus tuus* secundum quod homo es, quia hunc perfectissime coluisti ac dilexisti, et ipse tibi summam largitus est gratiam. Verumtamen, secundum Augustinum, in Græco est manifesta distinctio casuum, hoc modo : διὰ τοῦ ἔχρισέ σε, ὦ Θεὸς, ὁ Θεός σου. Ut scilicet nomen hoc, Deus, primo expressum, vocativi sit casus, C et idem nomen secundo positum, sit casus nominativi, ut sit sensus : Unxit te, o Deus Fili, Deus tuus, id est Deus Pater, *oleo exsultationis,* hoc est præmio accidentali, videlicet corporis accelerata resurrectione, ascensione, glorificatione, et plena lætitia partis sensitivæ, quæ usque ad mortem fuit passibilis, *præ participibus tuis,* id est præ cunctis electis, qui tua
Joann. I, 16. sunt membra, et de plenitudine tua accipiunt, unaque tecum ut homo es, a supersancta Trinitate gratiam et gloriam sor- D tiuntur. Vel sic : « propterea », id est, ut justitiam diligeres et iniquitatem odires, « unxit te oleo exsultationis », id est suavitate ac plenitudine gratiæ animam exhilarantis, in sacerdotem, pontificem, regem, pugilem ac prophetam. De qua unctione Cf. p. 120 A'.
paulo ante dicta sunt plura.

Consequenter probat Apostolus Filium Patri coæternum. *Et : Tu in principio,* Ps. CI, 26-28.
Domine, terram fundasti. Hoc primo exponitur ita : « Tu, Domine », Unigenite Dei, « in principio » temporis, hoc est simul cum tempore, « terram fundasti », id est, creasti et firmiter collocasti in medio universi. Vel, « Tu, Domine » Pater, « in principio », id est in unigenito Filio tuo, per quem cuncta fecisti (qui ait, Ego prin- Joann. VIII, 25.
cipium, qui et loquor vobis), « terram fundasti ». *Et opera manuum tuarum sunt cœli,* id est, omnes cœlos creasti. Manus autem Dei, sunt ejus omnipotentia ac voluntas intellectusque practicus, quibus omnia producuntur. *Ipsi,* scilicet cœli, *peribunt,* non quantum ad substantiam, sed quantum ad accidentalem suam dispositionem, quoniam cœlorum motus, situs, influentia desinent. *Tu autem permanebis* incommutabilis et æternus, in Jacob. I, 17.
quo non est permutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Qui per Malachiam asserit : Ego Dominus, et non mutor. *Et omnes* Malach. III, 6.
cœli *ut vestimentum veterascent,* quantum ad modum essendi quem nunc habent, et tandem amittent; *et velut amictum,* id est vestem, *mutabis eos,* hoc est, a solito cursu atque influxu cessare præcipies, *et mutabuntur* a pristina qualitate, atque in melius commutabuntur. Unde in Apocalypsi habetur : Vidi cœlum novum et terram Apoc. XXI, 1.
novam. *Tu autem idem ipse es,* id est, prorsus invariabilis permanes, in quem nec accidens cadere potest, *et anni tui non deficient,* id est, æternitas tua, omne tempus includens et tuum esse mensurans, non finietur.

SERMO SEXTUS

QUAM HILARES AC LÆTOS NOS ESSE DECEAT QUOD TEMPORE GRATIÆ AC LEGIS EVANGELICÆ NATI SUMUS, ET IN CHRISTIANORUM NUMERO CONSTITUTI ; QUAMQUE ENORME MALUM SIT, INGRATUM NUNC ET NEGLIGENTEM EXSISTERE.

S*CIET populus meus nomen meum in die illa, quia ego ipse qui loquebar, ecce adsum.* Is. LII, 6.

Merito tempus adventus Christi et deinceps, videlicet tempus evangelicæ legis, tempus gratiæ appellatur, quia in eo copiosior ac multiplicior gratia data est hominibus, etiam in toto orbe terrarum, quam ante. Nam ante adventum Christi pene ubique in mundo idololatria, perfidia, ignorantia Dei, et alia innumerabilia regnaverunt peccata; et in solo quasi populo Judæorum, cultus et cognitio veri Dei vigebant. Propter quod dixit Psalmista :
Ps. LXXV, 2. Notus in Judæa Deus, in Israel magnum nomen ejus. Sed post Christi incarnationem ac nativitatem, per ipsius prædica-
Act. II, 41; IV, 4, 32; V, 14; etc. tionem et gratiam cœperunt non solum multa millia Judæorum, sed et copiosa multitudo gentium illustrari, converti, et Deum veraciter colere. Fama etenim sapientiæ, sanctitatis miraculorumque Christi, eo adhuc in mundo hoc conversante,
Matth. IV, 24. in totam Syriam diffundebatur, ut patet in evangelio Matthæi. Deinde per beatos Apostolos et alios Christi discipulos, in universo mundo prædicata est evangelica lex et recepta, omnibusque Dei cognitio est concessa. Idcirco in Isaia scriptum est:
Is. XI, 9. Repleta est terra scientia Domini, quasi aquæ maris operientes ; et per Jeremiam
Jer. XXXI, 34. quoque prædictum est : Omnes cognoscent me, a minimo eorum usque ad maximum, dicit Dominus.

Denique tempore novi Testamenti ac gratiæ, non solum concessa est hominibus cognitio Dei secundum quod unus est, sed etiam quod sit trinus : quod ante Salvatoris adventum, non nisi majoribus fideli- A bus, utpote Patriarchis atque Prophetis, et aliis quibusdam sapientibus specialiter illuminatis, innotuit. Et hoc est quod in hodiernæ solennitatis epistola scribit Apostolus, quod scilicet Deus olim variis mo- *Hebr.* I, 1 et seq.
dis loquens hominibus per Prophetas, novissime his diebus, hoc est in exordio evangelicæ prædicationis, locutus est nobis per unigenitum Filium suum hominem factum, Deum esse non desinentem. Ecce quanta est gratia, quanta prærogativa, excellentia, temporis Christi ac evangelicæ
B legis, in quo ipse omnium Dominus Pro- *Act.* X, 36.
phetarum, fons sapientiæ, Deus altissimus, *Eccli.* I, 5.
personaliter venit in mundum, legem dedit hominibus, evangelicam prædicavit doctrinam, cordaque hominum gratia adimplevit præcipua. Unde ab Isaia fuerat prophetatum : Dominus judex noster, Dominus *Is.* XXXIII, 22.
legifer noster, Dominus rex noster, ipse veniet et salvabit nos. Et rursus, secundum aliam translationem, loquitur Isaias : Non angelus, non legatus, sed ipse veniet. Ista ergo ex causa, tempus Christi, tempus
C gratiæ dicitur.

Insuper, ideo tempus gratiæ appellatur, quia in tempore isto per Christi passionem satisfactum est pro originali peccato, ita quod homines virtuosi dum moriuntur, ab ore* ingrediuntur regnum cœleste, * *Cf.* p. 131 A'.
dummodo per propriæ culpæ non differantur reatum. Hoc autem impossibile fuit ante Christi passionem, quia tunc propter originalis peccati debitum seu reatum, homines differebantur a gloria.

Denique, legitur quod Alexandro Magno
D nato, Philippus rex Macedonum, pater illius putativus, scripsit Aristoteli, dicens : Natus est mihi filius, et plus regratior

diis quia natus est tempore tuo, quam A quoniam natus est : nam spero quod erudietur a te. Quanto magis nos Christiani Deo omnipotenti regratiari tenemur, non tam quoniam nati sumus, quam quod tempore legis evangelicæ nati sumus? Nos quippe ex gentilibus sumus progeniti : et si illorum fuissemus temporibus, quid aliud quam quod ipsi egerunt, fecissemus? Sicque cum illis æternaliter condemnati essemus. Gaudeamus itaque, et intimo cordis affectu regratiemur Altissimo, quod nati sumus tempore isto, in quo B non Aristotelis, sed Christi Filii Dei, qui est Sapientia æterna, increata, immensa, saluberrimis instruimur documentis.

Præterea jugiter advertamus, quod quanto tempore isto evangelicæ legis majora et gratiosiora a Deo nobis beneficia sunt impensa, quanto copiosior gratia nobis a Spiritu Sancto Deo vero et vivo offertur, tanto graviora sunt nostra peccata, et tanto damnabilior est conversatio nostra, si Deo ingrati ac negligentes fuerimus. Ubi etenim major beneficentia, major quoque C gratiarum actio esse debet. Iterum, quo major est dignitas Domini nostri Jesu Christi legislatoris ac regis nostri, eo enormioris est culpæ eum offendere, ejus legem prævaricari, ejus doctrinam non sequi. Propter
Hebr. x, 28. 29. quod ad Hebræos ait Apostolus : Irritam quis faciens legem Moysis, sine ulla contradictione duobus aut tribus testibus moritur : quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, id est, contempserit? Contemnit autem, qui præcepta ipsius observare non curat. D

Deinceps, in hoc mundo secundum leges civiles, crimen læsæ majestatis, videlicet injuriatio regis aut principis, reputatur gravissimum, atque dirissime vindicatur : imo pro illo non solum principalis transgressor, sed et filii ejus perpetuo damnantur exsilio, et paterna hereditate privantur. Si ergo tam grave est, terrenum lædere principem et offendere regem : quam ineffabiliter grave, impium atque damnabile est, summum legislatorem, unigenitum Filium Dei offendere, et ejus præcepta negligere, aut ipsum in suis lædere membris, de cujus excellentia tam multa scribit Apostolus in hodierna epistola? Ipse *Hebr.* I, 1 et seq. namque universorum est Dominus, conditor angelorum, *Act.* x, 36. et Deus verus, cunctis creatis in infinitum præstantior, qui ex sua incomprehensibili caritate, pietate et gratia dignatus est inter homines tam sua- *Baruch* III, 38. viter tamque humiliter conversari, et hodie ex Virgine illibata natus est nobis, ut ejus caritatem, pietatem, dignationem pro posse semper et ubique sectemur, inter proximos nostros caritative, benigne, humiliter, juste exemplariterque vivendo : sicque cum Christo diligamus justitiam, *Ps.* XLIV, 8. et odio habeamus iniquitatem, vitando peccata, potius quia in se fœda et odibilia sunt ac displicentia Deo inhonorativaque ejus, quam timore supplicii.

Postremo, istud agendo et ita vivendo, ad divinæ invariabilitatis participationem aliqualem accedimus, rectæ rationi atque virtutum vigori jugiter inhærendo : quod est sapientiæ signum et opus. Qui autem instabiles sunt, et omni impulsu passionum subduntur, sapientia atque virtutibus destitutos se esse ostendunt. Idcirco in Ecclesiastico scriptum est : Homo sanctus *Eccli.* XXVII, 12. in sapientia manet sicut sol; nam stultus sicut luna mutatur. Hinc hortatur Apostolus : Stabiles estote et immobiles, abun- I *Cor.* XV, 58. dantes in opere Domini semper. Nam ut Salomon protestatur, Justus est quasi fun- *Prov.* x. 25. damentum æternum, impius quasi tempestas pertransiens. Passionibus ergo et vitiis dominemur, non subjiciamur, et mentes nostras stabiliamus in Deo, eum ubertim intuentes, atque cum sancto Job asserentes : Nonne Deus scit vias meas, et *Job* XXXI, 4. omnes gressus meos dinumerat? Qui Judicem summum, cœlestem, metuendissimum, sic sibi esse intentum perpendit, custodite se habet ac timorate, implens quod Propheta loquitur Deo : Servavi man- *Ps.* CXVIII, 168. data tua et testimonia tua, quia omnes viæ meæ in conspectu tuo. Sic ergo agamus, ad laudem Omnipotentis. Amen.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

IN PRINCIPIO ERAT VERBUM, ET VERBUM ERAT APUD DEUM, ETC. Joann. I, 1-14.

THEOLOGIA seu sacra Scriptura increatæ Veritati immediate innititur, et per lumen gratiæ revelatur : idcirco a summo sumit exordium ; philosophia vero, quæ humanæ rationi innititur, et ex rebus creatis ad Creatoris surgit notitiam, ab inferioribus inchoat, et paulatim ad suprema pertingit. Sicque in exordio evangelii sui, beatissimus evangelista Joannes a Christi divinitate et ejus cum Deo Patre consempiternitate exorsus est. Quod et ideo fecit, quia quorumdam hæresiarcharum perfidias voluit reprobare. Quum etenim fuisset in Patmos insulam relegatus, surrexerunt in Asia Ebion et Cerinthus hæretici, impiissime affirmantes Christum esse hominem purum. Hinc Joannem a Patmos reversum rogaverunt episcopi, ut de Christi deitate plenius scriberet, et hæreticorum confutaret insanias. Quod facere volens, sic orsus est :

In principio erat Verbum. Quod tripliciter explanatur. Primo sic : « In principio », id est in exordio temporis, quo facta sunt omnia, juxta quod scribitur, Qui vivit in æternum, creavit omnia simul, « erat Verbum », hoc est unigenitus Filius a Patre intellectualiter genitus. Quasi dicat : Verbum non est creatum aut factum, sed aliis per creationem incipientibus, ipsum veraciter erat et invariabiliter subsistebat. Secundo sic : « In principio », id est ante omnia sæcula, in ipso æternitatis nunc atque momento, « erat Verbum », de quo scriptum habetur : Fons sapientiæ Verbum Dei in excelsis. Tertio sic : « In principio », id est in Deo Patre, qui est principium sine principio, « erat Verbum », quia in mente Patris æternaliter manet. Procedit enim a Patre per emanationem

Eccli. XVIII, 1.

Ibid. I, 5.

A immanentem, quæ non terminatur in aliquid aliud, neque in quidquam ad extra : sicque Filius per substantialem identitatem manet in Patre, a quo personaliter est distinctus. Quælibet quoque divina persona per circumincessionem est in alia, quum et unaquæque sit infinita.

Hic quæritur, cur evangelista Joannes, volens Christi deitatem ostendere, potius usus est nomine Verbi quam Filii. Dicendum, quod hujus duplex est ratio. Prima, ut innuat generationem in divinis non es- B se carnalem, materialem, mutabilem, sed intellectualem, invariabilem, immanentem ac simplicem : quoniam verbum proprie sumptum, est conceptus mentis interior, intelligibilis dictio, ac prolata intus notitia. Alia ratio est, quoniam nomen Verbi magis ad propositum pertinet quam Filii nomen. Filius namque comparationem importat dumtaxat ad patrem ; verbum autem respectum dicit, non tantum ad proferentem, sed etiam ad rem verbo significatam, ad vocem quoque quam in- C duit, et ad instructionem quæ per ipsum fit. Quum ergo Evangelista jam tractet de Filio Dei, non dumtaxat per respectum ad Patrem, sed insuper per comparationem ad creata quæ fecit et regit, præsertim ad homines quos redemit, ad carnem etiam quam assumpsit, et ad documenta quæ dedit : constat quod convenientissime nomine Verbi exprimitur, nec aptius neque subtilius nomen ad insinuandum hæc omnia invenitur.

Præterea, Deus se ipsum intuendo ac D intelligendo, sui ipsius conceptum ac verbum intra se profert ac gignit. Quod enim de se apprehendit ac concipit sive agnoscit, hoc in se exprimit, gignit, producit ;

et verbum illud mentis paternæ intus expressum, est unigenitus Filius Patris. Et quoniam Pater uno simplicissimo actu se ipsum et alia cuncta intelligit, ideo unico actu intelligendi profert ac gignit perfectissimum verbum, in quo universa resplendent, repræsentantur et continentur quæ a Patre noscuntur. Hinc unicum verbum illud est imago naturalis et perfecta Patris, et character substantiæ ejus, tanquam ad similitudinem ejus productum, eumque plenissime repræsentans. Est quoque exemplar, idea, species et ratio omnium creaturarum, quoniam omnes relucent in Verbo tanquam in exemplari et causali principio, ad cujus imitationem productæ sunt. Quoniam ergo tota perfectio et natura Patris perfecte relucet in Filio, quod esse non posset, nisi Filius esset vere immensus æqualisque Patri, et per consequens verus Deus (finitum enim a plena repræsentatione infiniti distat in infinitum); ideo Filius appellatur emanatio claritatis omnipotentis Dei sincera, candor lucis æternæ, et speculum sine macula majestatis paternæ, atque imago bonitatis illius, quemadmodum de Filio sub nomine Sapientiæ scriptum est. (*Sap.* VII, 25, 26.) Quæ etiam increata, æterna ac genita Sapientia in Ecclesiastico ait : Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam. (*Eccli.* XXIV, 5.) Et alibi testatur : Ab æterno ordinata sum ; nondum erant abyssi, et ego jam concepta eram ; ante colles ego parturiebar. (*Prov.* VIII, 23-25.)

Ostenso quando erat hoc Verbum, docet Evangelista ubi erat. *Et Verbum erat apud Deum,* hoc est juxta et intra Patrem, tanquam inseparabile individuumque a Patre. Non enim distant divinæ supergloriosæ personæ loco, duratione, natura aut dignitate ; sed ubi et quando Pater, ibi et tunc Filius. Quum autem dicitur, « Verbum erat apud Deum », accipitur Deus relative aut personaliter, non absolute et essentialiter. Quemadmodum enim Pater immensus, illocalis incircumscriptibilisque consistit, ita et Filius. Unde quum Verbum dicitur esse apud Patrem, non est ruditer imaginandum, quasi unus sit extra et prope alium : imo totus Pater in Filio, et econtra. Sed ad designandum personalem distinctionem inter Patrem et Filium, ait Evangelista : « Verbum erat apud Deum ».

Deinceps declarat quid erat hoc Verbum. *Et Deus erat Verbum,* hoc est, Filius Dei fuit et invariabiliter est verus Deus, tanquam unius cum Patre essentiæ. Per quod docet Evangelista Filium Patri esse consubstantialem.

Hoc Verbum *erat in principio,* id est ab æterno, in ipso æternitatis momento, vel in mundi exordio, *apud Deum* Patrem, tanquam coæternum eidem, sicut si sol ab æterno fuisset, vel pes in pulvere ab æterno stetisset, splendor atque vestigium æternaliter exstitissent. In his namque quæ naturali emanatione procedunt, procedens sive causatum coævum est suo fontali principio, quemadmodum splendor luci. Filius autem naturali emanatione procedit a Patre.

Declarato ubi, quando, quid et quomodo erat Verbum, nunc pandit quid operabatur. *Omnia per ipsum facta sunt,* hoc est, omne creatum, et quidquid citra Deum est, per Verbum et a Verbo productum est et creatum mediate aut immediate. Quo patet quod Verbum non sit factum nec creatum, sed genitum. Porro quum aliquid dicitur fieri per aliud, præpositio *per* designat aliquod genus causæ in causali. Dicitur autem aliquid fieri per aliud multis modis. Primo, sicut per causam instrumentalem : sicut domus fit per securim et terebellum. Secundo, sicut per causam principalem : quemadmodum regnum gubernatur per eum quem rex fecit sibi comparem et consortem. Tertio, sicut per causam extrinsecam : ut homo cæditur per baculum. Quarto, sicut per causam intrinsecam aut conjunctam : ut homo vivit per animam, et scribit per manum suam. Rursus, quum aliquid dicitur fieri per aliud, intelligi potest dupliciter. Primo, ut insinuetur mediatio quædam seu medium causans inter primum agens et effectum.

Secundo, ut solum importetur processio unius ab aliquo : sicque fieri per aliquid, est fieri seu produci ab illo. Juxta quem modum ait apostolus Paulus : Paulus apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, hoc est a divina voluntate constitutus apostolus.

II *Cor.* I, 1; *Ephes.* I, 1; *Coloss.* I, 1; II *Tim.* I, 1.

Dum itaque omnia facta dicuntur per Verbum, utroque horum modorum potest intelligi, quia immediate a Verbo æterno, tanquam ab omnipotente Creatore, sunt facta. Sic etenim omnia facta sunt a supergloriosissima Trinitate, et a qualibet divina persona. Item, omnia facta sunt per Verbum tanquam per id quod inter Patrem et creaturas est medium : non tamen quasi per causam instrumentalem separatam a Patre aut ei extrinsecam, sed sicut per causam principalem, conjunctam ac parem. Quod rursus intelligendum non est, quasi creaturæ non sint immediate factæ a Patre, præsertim quum Pater et Filius sint una omnium causa, unum principium; sed quia Filius procedit a Patre, habens virtutem creativam ab ipso, atque secundum ordinem originis mediat inter Patrem et creaturas, et quoniam Pater nil operatur ad extra sine Filio, et quoniam Verbo appropriatur efficientia causæ exemplaris. Quum enim natura sit operationis principium, quemadmodum trium Personarum est una natura, ita et una indivisaque actio ad extra.

Et sine ipso Verbo *factum est nihil,* hoc est, nulla prorsus res est citra Deum, quæ non sit facta per Verbum. Peccatum quoque, quia formaliter nihil est, sed solum aversio, obliquitas et defectus a summo ente, idcirco per Verbum et a Verbo non est, quantum ad istud formale, sed solum a voluntate creata, perversa ac defectiva.

Quod factum est, id est omne creatum, *in ipso* Verbo *vita erat,* hoc est, in Verbo vitaliter, intellectualiter ac idealiter exstitit ab æterno. Ut enim præhabitum est, Verbum non solum est Patris imago, sed omnis etiam creaturæ exemplar, idea ac ratio, estque ars increata, rationibus rerum

A plena. Porro, quod est in alio, est in illo secundum modum illius. Quum ergo Verbum sit actualissima vita, sapientia summa, veritas prima, omnia sunt in ipso vitaliter, sapientialiter ac idealiter. Verumtamen non sic omnia vita sunt in Verbo, quasi non sint vita in Patre et Spiritu Sancto. Tota enim supersanctissima Trinitas est unum omnium rerum fontale, intellectuale ac ideale principium; et ipsa divina essentia, ut imitabilis a divino intellectu apprehensa, est omnium rerum idea : nam
B in quantum Deus intelligit suam essentiam ut imitabilem a creaturis, essentia habet rationem ideæ.

Præterea Evangelista dicendo, « Quod factum est, in ipso vita erat », designat quod a Verbo invariabili ac æterno absque sua mutatione processit temporalis ac recens rerum productio : quoniam quidquid de novo creavit, ab æterno per rationem idealem præconcepit, atque præordinavit quando et qualiter illud produceret. Unde in illo instanti condidit mundum, in quo
C se id facturum ab æterno decrevit invariabiliterque præscivit.

De ideis autem ait Augustinus in libro LXXXIII Quæstionum : Ideæ sunt principales formæ vel rationes rerum stabiles atque incommutabiles, quæ ipsæ formatæ non sunt, ac per hoc æternæ sunt, semper eodem modo sese habentes, quæ divina intelligentia continentur. Et quum ipsæ nec oriantur neque intereant, secundum eas tamen formatur omne quod oriri et interire potest. Has autem rationes ubi esse arbi-
D trandum est, nisi in mente Creatoris? Non enim extra se aliquid intuebatur, ut secundum illud constitueret quod constituebat.

Itaque, quod factum est, et quidquid fit aut fiet, fuit et invariabiliter est vita in Verbo, quia secundum esse exemplare, ideale, intellectuale, præexsistit in Verbo : quod esse est realiter idem quod Verbum. Ideo subditur : *Et vita,* hoc est Verbum istud æternale, vitale, ac simplicissimum, utpote Unigenitus Dei, *erat lux hominum,* id est dator omnis lucis quæ in homini-

bus exstat. Ab ipso enim est lux naturæ, A lux gratiæ, et lux gloriæ, naturale ingenium, omnis scientia, et omnis perfectio. Hoc etenim Verbum est summa Veritas et Sapientia increata : quod ante suam incarnationem, per invisibilem infusionem ac missionem corda hominum illustravit; post incarnationem vero, inter homines conversando corporaliterque prædicando edocuit homines. *Et lux in tenebris lucet,* hoc est, Verbum seu Filius Dei inter excæcatos Judæos conversans, prædicationis suæ sapientia splenduit, et radios virtutis emisit tanquam Sol sapientiæ. Vel, « in tenebris lucet », quia iniquis gratiam suæ pietatis infundit, lucem fidei ac virtutum largitur, dum convertuntur. *Et tenebræ eam non comprehenderunt,* id est, obtenebrati, perversi perfidique Judæi, Verbum hoc incarnatum vere non cognoverunt, nec ei credere voluerunt. Quibus in Evan-
Joann. VIII, 19. gelio dixit : Neque me scitis, neque Patrem meum. Non enim ejus divinitatem noverunt per fidem. Per tenebras quoque intelligi possunt omnes iniqui ac infide- C les, qui per fidem et caritatem Verbo æterno non uniuntur, propter quod illud non comprehendere asseruntur.

Sed advertendum, quod multiplex est comprehensio. Prima est comprehensio terminativa, qua res secundum se totam capitur, videtur sive cognoscitur, tam perfecte sicut ex sua natura cognoscibilis est. Sicque infinitum a finito comprehendi non valet. Unde hoc modo Deus est tam incomprehensibilis omni creaturæ, etiam Sanctis in patria, quam vere immensus : D idcirco hoc modo solus comprehendit se ipsum. Quemadmodum enim Deus gloriosus ac benedictus, est infinitæ actualitatis, ita est et infinitæ cognoscibilitatis : ideo omnem intellectum creatum transcendit in infinitum. Secunda est comprehensio claræ visionis, qua essentia rei vere conspicitur seu intelligitur. Sicque Beati in cœlo Deum comprehendere perhibentur,
I Cor. XIII, 12. quem facie ad faciem contemplantur. Nam clare per speciem vident eum : propter quod comprehensores vocantur. Tertia est comprehensio certæ adhærentiæ per fidem, aut sinceræ adhæsionis per caritatem. Sicque viatores Deum comprehendunt : de qua comprehensione Evangelista nunc loquitur. Est etiam comprehensio corporalis, qua iniqui Verbum incarnatum materialiter ac violenter comprehenderunt, prout scribitur in Evangelio : Co- Joann. XVIII, 12.
hors et tribunus et ministri Judæorum comprehenderunt Jesum.

Insuper, quia post pauca locuturus est B Evangelista de Verbi incarnatione, ideo nunc de ejus præcursore testatur : *Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes :* qui a Deo in hunc mundum directus Luc. III, 2 et seq.
est, et Deo jubente exivit de eremo ad ripam Jordanis, ad prædicandum ac baptizandum, ut Christo viam pararet, annuntiando Judæis Christum esse jam natum ac protinus prædicaturum, hortandoque eos ad fidem Christi. Hinc in Evangelio legitur : Anno quintodecimo imperii Ti- Ibid. I, 2.
berii Cæsaris, factum est verbum Domini super Joannem Zachariæ filium, in deserto. Unde et Deus prædixit per Malachiam : Ecce ego mitto angelum meum, et præpa- Malach. III, 1.
rabit viam ante faciem meam. Dicitur quippe Joannes angelus, id est nuntius, ratione officii, non naturæ, et quia conversationis fuit angelicæ. Porro Joannes interpretatur gratia Dei, vel in quo gratia Dei est. Idcirco hoc nomen valde congruebat Joanni, in quo tam excellens exstitit gratia, quod de ipso Christus testatus est : Inter natos mulierum non surrexit major Matth. XI, 11.
Joanne Baptista. Gabriel quoque archangelus dixit ad Zachariam : Vocabis nomen Luc. I, 13.
ejus Joannem. Quum autem alicui divinitus nomen imponitur, designatur quod proprietas significata per nomen competit illi : sicut in Genesi Abram vocatus est Gen. XVII, 5.
Abraham, et Jacob dictus est Israel. Ibid. XXXII, 28.

Hic venit in testimonium, hoc est, Joannes ex abditis eremi venit in publicum, non ad salvandum genus humanum, sed ad testificandum de Christo omnium salvatore, sicut subjungitur : *ut testimonium*

perhiberet de lumine, id est, veritatem de A Christo prædicaret, *ut omnes* homines *crederent* in Christum, tanquam in verum Deum, *per illum,* id est mediante testificatione ac prædicatione Joannis, qua hominum corda ad credendum in Christum disposuit. *Non erat ille lux,* id est, Joannes Baptista non fuit lux principalis et prima, quæ essentialiter lux est, utpote Christus. Verumtamen Joannes fuit lux quædam participata, instrumentalis et secundaria, quemadmodum et Apostolis ait
Matth. v, 14. Salvator : Vos estis lux mundi. At vero, ut B
Cf. t. XVI, p. 543 A. divinus Dionysius docet, triplex est lux. Est enim lux illuminans non illuminata, ut Deus. Et est lux tantum illuminata, ut hi qui modicam gratiam sortiuntur, nec illuminant alios. Et est lux medio modo se habens, scilicet lux illuminans et illuminata, ut hi qui de gratia sibi communicata aliorum illuminant corda, de quibus
Dan. xii, 3. legitur in Daniele : Qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ fulgebunt in perpetuas æternitates. Inter hos beatissimus iste Joannes fuit unus de summis, de C
Joann. v, 35. quo in Evangelio loquitur Christus, Ille erat lucerna lucens et ardens : lucens per sapientiam, ardens per caritatem. *Sed ut testimonium perhiberet de lumine,* hoc est de Christo. Quod fecit, dicendo Judæis
Marc. i, 7. id quod scriptum est in Marco : Venit fortior me post me, cujus non sum dignus procumbens solvere corrigiam calceamentorum ejus.

Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, hoc est, Christus salvator mundi, erat et D est lux plena, non participata aut defectiva : quia ut Deus, est lux prima, superessentialis, superclarissima et immensa. Imo Pater et Filius et Spiritus Sanctus sunt una lux, sicut sunt una essentia, una sapientia, una potestas : quidquid enim absolute de Deo dicitur, tribus personis commune est. Nihilo minus lux Filio appropriatur, quia lux spiritualis præcipue pertinet ad intellectum ac sapientiam. Quum ergo Verbum seu Filius sit emanatio intellectus, sic ei appropriatur lux, quemadmodum sapientia, veritas, ars, splendor, et species. Hæc lux « illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum », hoc est, qui per nativitatem ingreditur mundum istum, lumine naturalis ingenii, juxta illud in Psalmo : Signatum est super *Ps.* iv, 7.
nos lumen vultus tui, Domine; dedisti lætitiam in corde meo. « Illuminat » quoque lumen gratiæ « omnem hominem » qui lumine illo illuminatur. Vel, « illuminat omnem hominem », id est quosdam de omni genere hominum. Juxta quem sensum in Psalmo prædictum est : Benedicentur in *Ps.* lxxi, 17.
ipso omnes tribus terræ, omnes gentes magnificabunt eum. Deinde Christus post suam passionem per Apostolorum prædicationem totum mundum illuminavit, secundum quod Paulus testatur : Nos, inquiens, *Coloss.* i, 28.
docentes omnem hominem. « Illuminat » etiam « omnem hominem », dando unicuique homini custodem angelum sanctum, *Hebr.* i, 14.
qui a diversis erroribus et peccatis retrahit hominem sibi commissum, et bona suggerit ei.

In mundo erat. Nam Christus secundum quod Deus, incircumscriptibilis est et immensus : ideo omnia implet ac penetrat, et essentiis rerum illabitur; estque ubique per essentiam, præsentiam atque potentiam. Propter quod loquitur : Numquid *Jer.* xxiii, 24.
non cœlum et terram ego impleo? Porro Christus secundum quod homo, inter homines ambulavit. *Et mundus per ipsum factus est,* eo sensu quo dictum est, Omnia per ipsum facta sunt. *Et mundus eum non cognovit.* Mundus in evangelio S. Joannis diversis accipitur modis. Primo, pro tota creatura, sicut in verbo præhabito. Secundo, pro cunctis hominibus in terra degentibus, tam bonis quam malis. Tertio, pro electis, ut quum dicitur : Sic Deus di- *Joann.* iii, 16.
lexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret. Quarto, pro perversis ac perfidis, et ita nunc ait Evangelista, « mundus eum non cognovit » : quoniam obtenebrati et impii Christum non cognoverunt per fidem ac sapientiæ donum.

In propria venit, id est, per incarnationem descendit in mundum istum quem condidit, specialiter in Judæam et Israeliticam plebem sibi olim peculiarem; *et sui eum non receperunt,* hoc est, Judæi (qui fuerunt tunc populus Dei, per legem Mosaicam ad unius veri Dei cultum specialiter deputati) non receperunt Christum per fidem, sed pro majori parte manserunt increduli. *Quotquot autem receperunt eum* per fidem formatam, *dedit eis potestatem,* id est idoneitatem ac gratiam efficacem, *filios Dei fieri,* hoc est per quam efficiuntur Dei filii adoptivi. Hæc etenim gratia gratum faciens, datur simul cum fide et caritate : quæ gratia ponit hominem in esse supernaturali, deiformi, atque ad promerendum idoneo; et ita per gratiam hanc fit homo Dei filius adoptivus. Porro, omnibus Christum per fidem recipientibus datur potestas filios Dei fieri, filiatione gloriæ consummata in patria. Per fidem namque venitur ad speciem. Filiatio quoque gratiæ adoptionis ordinatur ad filiationem gloriæ beatificæ fruitionis : filiatio equidem in assimilatione fundatur. *His qui credunt in nomine ejus* nominato, hoc est in ipso Christo, fide formata, id est per caritatem ornata. Quum itaque Verbum sit Dei Filius naturalis, homines qui ei per fidem junguntur atque per caritatem incorporantur, efficiuntur Dei filii adoptivi, quoniam filiatio adoptiva, est participatio quædam filiationis naturalis.

Consequenter Evangelista distinguit generationem spiritualem, per quam filiatio adoptiva acquiritur, a generatione carnali. *Qui* credentes adoptivique filii, *non ex sanguinibus,* id est non ex semine viri, in quo est virtus formativa, et semine mulieris, quod est materia prolis. Semen autem vocatur sanguis coagulatus. *Neque ex voluntate carnis,* hoc est concupiscentia sensualitatis, vel feminæ, quæ nomine carnis exprimitur, quoniam viro est mollior atque in ratione debilior; *neque ex voluntate,* id est concupiscentia, *viri; sed ex* *Deo nati sunt,* hoc est, divina virtute, miseratione ac gratia spiritualiter regenerati sunt, et esse divinum sortiti. Nam loquendo de esse naturæ, certum est quod sicut infideles ac reprobi, ita et fideles et electi ex commixtione viri et feminæ nati sint : sed loquendo de esse gratiæ, electi et boni ex Deo renati sunt; quod communiter fit in Baptismo, juxta illud : Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest intrare in regnum Dei. (*Joann.* III, 5.) Unde Jacobus asserit : Voluntarie genuit nos verbo veritatis. (*Jacob.* I, 18.) Potest demum in verbis expositis, per voluntatem carnis et viri superior appetitus intelligi, in quantum actum generationis imperat aut ei consentit.

Supra docuit Evangelista quod Verbum Dei fuit ab æterno. Nunc pandit quod factum est in tempore, dicens : *Et Verbum caro factum est,* hoc est, Unigenitus Dei verus exsistens Deus, veraciter factus est homo, assumendo naturam humanam ad suam propriam et increatam personalitatem : ita quod in eodem esse personali increato in quo Verbum subsistit ab æterno, subsistit et Christi humanitas. Sicque in Christo sunt duæ naturæ, et una persona. Deinceps in eodem momento est corpus Christi a Spiritu Sancto formatum et organizatum, ejusque anima creata et corpori illi conjuncta, atque utrumque simul a Verbo assumptum. Itaque caro hic sumitur pro homine, utpote pars pro toto, sicut in Psalmo : Ad te omnis caro veniet. (*Ps.* LXIV, 3.) Et potius dixit Spiritus Sanctus per Evangelistam, Verbum caro factum est, quam, Verbum homo factum est : primo, ut magnitudo divinæ inclinationis ac exinanitionis evidentius demonstretur; secundo, ut veritas incarnationis clarius designetur, et hæresis Manichæorum evidentissime confundatur.

Et habitavit in nobis, quia inter homines vixit et ambulavit, præsertim inter Apostolos. Humanitas quoque assumpta, fuit templum et habitaculum Deitatis in eo latentis. Unde dixit Judæis, Solvite templum hoc : quod dixit de templo corporis (*Joann.* II, 19, 21.)

sui, secundum Evangelistam. *Et vidimus* A *gloriam ejus,* hoc est excellentiam Christi in verbis et factis, in omni sapientia et miraculorum eminentia, in potestate et
Matth xvii, 1, 2. omni perfectione. Claritatem quoque quam habuit in transfiguratione, viderunt Joannes iste evangelista, ejusque frater Jacobus, et gloriosus apostolici agminis princeps Petrus; glorificationem etiam ejus in
Act. i, 9. ascensione viderunt Apostoli; subinde deitatem ipsius oculo interiori viderunt per fidem. *Gloriam quasi Unigeniti a Patre,* hoc est, talem ejus vidimus gloriam, qua- B lem decuit esse et conspici in Filio Dei. Et ita hæc dictio, «quasi», notat veritatem, non similitudinem tantum. Ac si de aliquo rege cum magno apparatu intrante, diceremus : Ipse intravit quasi rex, id est tam præclare ut spectat ad regem.

Vidimus etiam eum *plenum gratiæ et veritatis.* Tota enim capacitas animæ Christi gratia fuit impleta; nec capax est mens creata gratiæ amplioris. Hæc gratia gratum faciens habitualis in Christo, vocatur etiam in eodem gratia capitis, in quantum est tam superabundans, quod ipse de ejus plenitudine influit suis membris, puta fidelibus, quorum caput ipse est. Christus Ephes. i, 22.
etiam dicitur plenus veritate, hoc est deitate, secundum Augustinum, quia in ipso Coloss. ii, 9.
habitat totius divinitatis plenitudo. Anima insuper Christi plena fuit veritate doctrinæ, veritate vitæ, et veritate justitiæ. Si autem per veritatem sapientia intelligatur, dicendum quod Christus homo ab incarnationis exordio plenus fuit sapientia Beatorum, quia vidit Deum clare per speciem, imo eminenter præ omnibus Sanctis, et tam clare ut modo. Fuit demum in Christo sapientia indita seu infusa, qua res creatas cognovit in propriis naturis, ordinibus ac generibus, per species suæ animæ concreatas; sed et sapientia illa quæ donum est, perfectissima fuit in Christo, sicut et cetera dona.

De expositione evangelii hujus hoc loco tam breviter transeo, quia super Joannem illud diffusius elucidavi.

SERMO SEPTIMUS

DE CHRISTI AMABILISSIMA INCARNATIONE, ET QUAS GRATIAS ILLI AGERE DEBEANT PRO TANTA DIGNATIONE CHRISTIANI ; ET DE MIRACULIS NONNULLIS IN NOCTE NATIVITATIS CHRISTI FACTIS.

V*ERBUM caro factum est.* Joann. i, 14. C Quamvis singuli articuli fidei christianæ seorsum accepti, sint admirabiles, supernaturales et incomprehensibiles valde; tamen dum omnes comparantur ad invicem, et ordo credibilium et argumenta seu rationes credendorum simul considerantur, nihil invenitur credibilius ac rationabilius eis. Omnia namque sibi mutuo pulcherrime consonant et concordant, et unum ex altero credibilius redditur ; dumque omnia comportantur, fide nil certius re-
Ps. xcii, 5. peritur. Ideo dixit Psalmista : Domine, te- D stimonia tua credibilia facta sunt nimis.

Porro inter cetera quæ credi jubentur, unum est non mediocriter magnum, quod omnipotens ac sapientissimus Deus creavit genus humanum ad supernaturalem beatitudinem, scilicet ad sui ipsius claram per speciem fruitivamque visionem, qua divina essentia in se ipsa clare conspicitur, et quid sit Deus, videtur. Hinc enim ait Filius Dei ad Patrem æternum : Hæc Joann. xvii, 3.
est vita æterna, ut cognoscant te verum Deum, et quem misisti Jesum Christum. Et Joannes apostolus in prima sua Cano-

I *Joann.* III, 2. nica : Carissimi, inquit, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus; scimus quoniam quum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est. I *Cor.* XIII, 12. Unde secundum Apostolum, videbimus Deum facie ad faciem, hoc est clare et immediate, sicuti est in se ipso. Præterea, visio ista est ineffabilis dignitatis, quum sit immediata ac fruitiva contemplatio beatificaque possessio boni summi ac infiniti, videlicet Dei. Est etiam beata visio ista incomprehensibilis jucunditatis atque dulcedinis, quoniam Deus est ens immensæ pulchritudinis, infinitæ convenientiæ, atque incircumscriptibilis serenitatis ac deliciositatis. Certumque est quod quanto aliquid in se ipso est pulchrius, suavius ac convenientius, tanto delectabilius est eo frui et ipsum inspicere.

Hanc autem beatitudinem perdidit primus homo sibi ipsi ac toti suæ posteritati, transgrediendo Dei præceptum. Et quoniam beatitudo ista est tam ineffabilis dignitatis ac jucunditatis, ut tactum est, ideo nulla pura creatura, nec angelus, neque homo, digna aut idonea fuit beatitudinem istam toti humano generi recuperare. Idcirco ipse Deus creator omnipotens, unigenitus Filius Dei, dignatus est fieri homo, quia in sua deitate sibi non competebat promereri, propter excellentiam suam ; sed naturam assumpsit humanam, quatenus in ea et per eam satisfaceret pro peccato originali primi parentis, ob cujus peccati reatum homines a præfata impediebantur felicitate. Sicque satisfaciendo pro illo peccato aliisque peccatis, recuperavit atque promeruit generi humano *Rom.* v, 10. amissam beatitudinem illam, et reconciliavit Deo Patri genus humanum. Hac ergo de causa fatemur, quod Verbum Dei factum sit caro, id est, quod Dei Filius factus sit homo, ut homines faceret divinos atque beatos. Ecce quanta est ista solennitas, in qua Deus noster natus est frater noster, in *Luc.* II, 11. qua natus est nobis Salvator, qui ab æterna nos damnatione eripuit, gratiam nobis promeruit, et gloriam recuperavit æternam.

A Gratias ergo ex totis præcordiis Deo nostro agamus, ei subjiciamur, ei in omnibus fideliter obsequamur. Non despiciamus nos ipsos, id est, animarum nostrarum salutem non negligamus propter carnales delicias, temporales divitias, humanos honores; sed consideremus, quanti nos æstimavit Deus altissimus, quanta Unigenitus Dei pro nostra salute assumpsit, fecit ac pertulit. Idcirco et nos ipsi pro nostra salute laborare ac pati non recusemus. Habeamus Deum omni hora præ oculis, stu- B deamusque semper parati esse ad mortem, vivendo absque omni mortali peccato.

Insuper, quia communiter, imo verissime dicitur, Felix quem faciunt aliena damna peritum, efficiamur et nos sapientes ex consideratione damni eorum qui æternaliter sunt damnati, et irrecuperabiliter perierunt. Inspiciamus diligentissime, quam magna et indicibilis sit nunc eorum calamitas, pœna, desolatio et pressura, qui in inferno sepulti sunt, eo quod tempus vitæ præsentis negligenter et car- C naliter expenderunt, et Christi beneficiis fuerunt ingrati, atque hæc temporalia et terrena magis quam Deum et spiritualia ac bona cœlestia dilexerunt. Inæstimabilis certe eorum est pœna, et tristissima exspectatione torquentur, quia nil aliud præstolantur nisi suppliciorum augmenta. Nam qui nunc solum puniuntur in anima, post diem judicii simul in corpore punientur, jacentes in igne gehennæ. Verum ut istam evadamus damnationem, nunc ambulemus quotidie per arctam viam salutis, in conti- *Matth.* VII, 14. D nua cordis custodia, in Dei timore, in sobrietate, humilitate, patientia, pietate et dilectione, in fructuosa temporis deductione, et omnia ad Dei honorem ac gloriam I *Cor.* x, 31. referamus.

Amplius, hodie Christus Dominus noster multa mirabilia fecit in mundo, per quæ suam declaravit nativitatem. Siquidem in nocte nativitatis Christi, pulcherrimum atque fortissimum templum æternitatis corruit Romæ. Nam, ut testatur Papa Innocentius III, in Roma per duodecim an-

nos magna pax fuit : idcirco Romani pul- A cherrimum construxerunt templum in Roma, quod Pacis templum nominaverunt. Consuluerunt quoque Apollinem, quamdiu duraret hoc templum. Et respondit Apollo : Quousque pariet virgo. Tunc dixerunt Romani : Ergo in æternum durabit. Nam virginem parere reputabant impossibile. Hinc in foribus templi scripserunt hunc titulum : Templum Pacis æternum. Sed in nocte qua peperit virgo Maria Christum, templum illud funditus cecidit ; et ibi nunc est ecclesia S. Mariæ nova. Tunc B etiam cecidit statua Romuli, quem pro deo colebant Romani : quam statuam in templo æternitatis Romani posuerant. Iterum ait Papa Innocentius III, et idem testatur Orosius, quod in nocte nativitatis Christi, fons aquæ versus est Romæ in oleum, qui erumpens usque in Tiberim fluxit, totoque die illo largissime emanavit ; et ibi nunc est S. Maria trans Tiberim. Prophetaverat quippe Sibylla, quod quando erumperet fons olei, nasceretur Salvator. Per hoc autem significatum est, quod C per Christi adventum fons pietatis divinæ misericordiam suam cunctis hominibus præ solito copiosissime exhiberet, quia per oleum misericordia designatur.

Insuper legitur, quod sanctus Jeremias propheta, post mortem Godoliæ in Ægyptum descendens, prædixit Ægyptiis, quod virgine pariente, eorum corruerent idola. Quod (ut legitur) accidit ita.

Recitat rursus Innocentius Papa, quod quum Octavianus imperator Romanum maxime dilatasset imperium, et rempublicam valde auxisset, in tantum Romanis placuit, quod voluerunt eum pro deo adorare et colere. Prudens vero imperator se esse mortalem considerans, recusavit adorari et coli ut deus. Romanis vero importune instantibus, imperator advocavit Sibyllam, interrogans eam an unquam nasciturus esset in mundo rex major eo. Quumque in die nativitatis Christi Sibylla instaret oraculis, quærendo de hoc certificationem a Deo in camera imperatoris, ecce medio die vidit circa solem aureum circulum, atque in medio circuli virginem speciosissimam, puerum in sinu gestantem. Quam visionem imperatori ostendens, dixit : Hic puer major te erit, ideo ipsum adora. Imperator autem valde admirans, puerum adoravit, et deus vocari penitus recusavit.

Multa alia mirabilia die hoc facta leguntur : per quæ omnia declaratur, quam admiranda ac gratiosa fuit nativitas Christi Filii Dei ex Virgine. Ideo tempus istud cum maxima devotione est expendendum.

AD RELIGIOSOS

SERMO OCTAVUS

QUIS, QUALIS, ET QUANTUS SIT, QUI HODIE SERVI FORMAM MISERAM ACCEPIT ; QUODQUE OB HOC PLENE LÆTABITUR NEMO, QUI NON OMNI ABJECTO TORPORE DESIDIAQUE, NOVUM CUM CHRISTO HOMINEM INDUERIT.

EVANGELIZO vobis gaudium ma- D *gnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator.* Luc. II, **10, 11.**

Vere hæc est solennitas solennitatum gaudiosa nimis, in qua natus est nobis Salvator, qui non corruptibilibus auro vel I Petr. I, argento, sed pretiosissimo sanguine suo 18, 19.

nos liberavit, non de morte corporali et brevi, sed infernali atque perpetua; et insuper nostra delevit peccata, et gratiam nobis promeruit, ac cœlestem felicitatem recuperavit. Nunquam tale quid mundus audivit, nunquam tam felices percepit rumores.

Denique in hac Christi nativitate multa sunt consideranda, de quibus modo per ordinem in sermonibus, quod Dominus dederit referetur. Primo, quis, qualis, et quantus sit iste qui nobis hodie natus denuntiatur. Ad quod sanctus archangelus
Luc. I, 32, 33. Gabriel respondet: Hic (inquiens) erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur; et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis. Verumtamen Isaias propheta Spiritu Sancto repletus, clarius pleniusque locutus videtur,
Is. IX, 6. dicendo: Puer natus est nobis, et filius datus est nobis, et vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis. In quibus angelicis atque propheticis verbis, duplex in Christo natura et una personalitas designantur. Est enim in eo vera, æterna ac plena deitas, vera quoque humanitas. Et in gemina hac natura, una persona est Christus, qui per generationem æternam, intellectualem, divinam, accepit a Patre deitatis naturam; per generationem vero temporalem, corporalem, humanam, accepit a Virgine matre naturam humanam. Ecce quis, qualis, et quantus est, qui hodie natus est nobis: quis, quia verus Deus, Dei Patris unigenitus Filius; qualis, quia omnipotens; quantus, quia immensus. Et ista ipsi conveniunt secundum deitatis naturam, secundum quam est Patri consubstantialis, æqualis et coæternus. Secundum naturam vero assumptam, est homo penitus innocens, tanta gratia, sanctitate et gloria adimpletus, quod natura creata majoris capax esse non potest, sed tota suæ humanitatis capacitas fuit in eo repleta.

Gaudeamus ergo in Domino, et totis præcordiis regratiemur Deo uni ac trino, quod is, talis ac tantus, hodie nobis est natus. Siquidem Deus et Creator noster, factus est frater et salvator noster: non angelorum, sed hominum assumpsit naturam; factus est homo, non angelus. Ecce *Joann.* I, 14.
quam incomprehensibiliter magnifice egit nobiscum; quantum sublevavit et honoravit naturam humanam, eam potissimum quam assumpsit, quam hypostatica unione sibi univit, et per eam totum redemit genus humanum. Vident omnes angelici spiritus in Domino Deo suo humanam naturam deitati immediate suppositali conjunctione unitam, omni creaturæ incomparabiliter ineffabiliterque prælatam. Et super hoc vehementissime admirantur, infinitam Dei dignationem, pietatem, bonitatem, caritatem, munificentiam, comprehendere non valentes, nec genus humanum parvi pendendum jam arbitrantes.

Quum ergo Dominus Deus noster propter nos tantum se exinanivit, debemus *Philipp.* II, 7.
cum omni diligentia ejus circa nos caritatem, pietatem, dignationem, liberalitatem advertere, atque pro viribus grates ac vicem rependere. Nempe in ultima mundi ætate, quum totum pene mundum idololatria et alia horribilia innumerabilia vitia occupassent, non obstantibus tantis generis humani sceleribus, Unigenitus Dei, Deus verus, essentialiter sanctus, in hunc mundum venire, humanam naturam assumere, ex Virgine nasci, inter homines conversari, eosque visitare, docere, curare, salvare dignatus est. Quis hanc Dei bonitatem, misericordiam, caritatem, patientiam concipere, admirari, effari, collaudare, venerari sufficiat? Verumtamen laudemus, regratiemur, veneremur pro posse, et eum qui in tantum nos prior dilexit, ferventer *I Joann.* IV, 10.
rediligamus, vicissitudinem prout possumus ei exhibeamus. Hoc quippe requirit a nobis, hoc pro summa gratiarum suscipit actione, hoc pro vicissitudinis redditione acceptat, ut præmemoratam ipsius bonitatem, caritatem, misericordiam, dignationem, munificentiam non solum men-

te recognoscamus et verbis laudemus, sed A operibus quoque pro posse sectemur : ut simus et nos cunctis benevoli, et alios quamvis adversarios caritate præveniamus ; ut viscera misericordiæ geramus et demonstremus ad eos, dignanter et pie ad omnes nos habeamus, atque universis et singulis quantum valet possibilitas nostra, benefacere non cessemus, quidquid boni nobis desuper concessum est, aliis liberaliter communicantes.

Nec ab hac Dei incarnati et hodie nobis nati imitatione, quorumcumque improbi- B tate, ingratitudine, malitia retrahamur, ne *Rom.* xii, 21. vincamur a malo, sed mala proximorum vincamus in bono, quemadmodum Christus Deus noster hodie nobis natus, sua bonitate, sapientia, pietate, nostras vicit malitias. Pensemus quid dicat Propheta : *Ps* vii, 5, 6. Si reddidi (inquit) retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis ; persequatur inimicus animam meam et comprehendat, et conculcet in terra vitam meam, et gloriam meam in pulverem deducat. Ecce quanta mala sibi impreca- C tur vir sanctus, si injuriantibus sibi, mala retribuit, si ultus est semetipsum. Ubi ergo nos religiosi manebimus ? Quid fiet de nobis ? Ubi latebimus, si nobis mala inferentibus, mala retribuamus ? si vindicare nos volumus, qui jam Christi præcepta, consilia, documenta, exempla suscepimus et habemus ; quum et Salomon in veteri *Prov.* xx, 22. dixerit Testamento : Ne dicas, Reddam malum pro malo ; exspecta Dominum, et li- *Job* xxxi, 29. berabit te. Job quoque in lege naturæ, Si gavisus sum (inquit) ad ruinam ejus qui D me oderat, et exsultavi quod invenisset eum malum. Præsertim quum nostra a nobis requirat professio, subjectione et abjectione gaudere.

Præterea, quoniam Dominus majestatis tantum se inclinavit, quod nostræ propaginis sibi assumpsit naturam, debemus nos semper humillime inclinare, et fra- *Galat.* v, 13. tribus nostris pie nos ac affabiliter appli- *Philipp.* ii, 3. care, atque per caritatem servire in invicem, imo per humilitatem superiores

invicem æstimare ; nec quemquam quasi vilem, imperitum aut defectuosum ita despicere, ut quasi dedignemur eum affari, assidere, sociumque habere. Imo recordemur frequenter quod per Isaiam loquitur Spiritus Sanctus : Væ qui spernis, nonne *Is.* xxxiii, 1. et ipse sperneris ? Quum fatigatus desieris contemnere, tunc et ipse contemneris. Idcirco consideret unusquisque proprias defectuositates, culpas, ærumnas, et aliorum virtutes seu bona : sicque contemnet se ipsum, non alios.

O quanta incidunt vitia, qui sibi ipsis inaniter placent, et in propriis oculis magni sunt ! De quibus princeps ait Apostolorum, Audaces, sibi placentes. *II Petr.* ii, 10. Isti in hac præclarissima solennitate spiritualiter nequeunt exsultare. Nos vero præfatas abjicientes insanias, attento quod angelus sanctus evangelizaverit nobis hoc die gaudium magnum, gloriemur hoc die et deinceps in Domino. Lætetur cor nostrum, ut *Ps.* lxxxv, 11. timeat Deum. Exsultent labia nostra quum *Ps.* lxx, 23. cantaverimus ei, et quidquid spirituali gaudio contrariatur, vitemus. Spirituale etenim gaudium virtuosæ est actioni annexum, et procedit ex ea. Propterea volens in Domino spiritualiter gloriari, necesse habet virtuosis actibus inhærere, otiositates, loquacitates, dissolutiones, contentiones rejicere, et ea quæ agit, ad Dei honorem humiliter ordinare, ne et de ipsis bonis inaniter extollatur ac fatue glorietur. Faciat sibi religiosus vim utilem, violentiam salutarem, custodiens semetipsum *Deut.* iv, 9. et animam suam sollicite, quousque ad consuetudinem perveniat bonam : qua adepta, erit sibi perfacile et jucundum passiones reprimere, solitudini silentioque vacare, orationibus, meditationibus, psalmodiis, vigiliis occupari, in colloquio quoque et cum visitantibus moderamen servare in verbis condecentiamque in moribus.

Hos ergo celeberrimos dies cum ingenti alacritate et devotione præcipua fructuose ac saluberrime expendamus. Nec vigiliæ molestent quempiam, sed delectent. Laudibus Dei Officiisque divinis non tædium,

non somnolentia, sed fervor ac diligentia A misceantur, et puero Deo propter nos nato, benedictionem, gratiarum actionem, honorem, cultum, subjectionem, amorose ac devotissime jugiter offeramus. Ad laudem et gloriam Omnipotentis.

SERMO NONUS

CUR DEI FILIUS INCARNATUS SIT ET HOMO NATUS, ET PER HÆC QUID MISERO HOMINI COLLATUM.

HOMO *natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus.* Ps. LXXXVI, 5. B

Secundum sacræ Scripturæ doctrinam, in uno omnes peccavimus, cecidimus, perditi fuimus ; et eramus natura filii iræ, (*Ephes.* II, 3.) propter primi transgressionem parentis. Per unum quoque, hoc est per Christi incarnationem, obedientiam, passionem, sumus recuperati, redempti et Deo reconciliati. Propter quod loquitur Paulus : Sicut (I *Cor.* XV, 22.) in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur. Et rursus : Per (*Rom.* V, 12, 19.) unum (inquit) hominem peccatum in hunc C mundum intravit, et per peccatum mors ; et sicut per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita per unius obedientiam justi constituuntur multi.

Oportet igitur scire, quid boni per primi parentis prævaricationem amisimus, et quid mali per eam incurrimus ; quid item boni per Christum sumus adepti et adepturi, et quid mali per eum evasimus. Ad quod declarandum, necesse est tangere qualiter primi parentes fuerant instituti. Et quamvis inter doctores inveniatur dis- D sensio, an creati fuerant in caritate et gratia gratum faciente, concorditer tamen dicunt, quod creati erant in originali justitia, et magna ordinatione interiorum suorum ac tranquillitate, atque scientia naturalium rerum : quæ scientia magis abundavit in Adam quam Eva. Habuerunt item alias quasdam infusas divinorum ac mysticorum notitias, potissimum Adam. Porro per originalem seu naturalem justitiam fuerunt in primis parentibus caro subjecta animæ, sensualitas rationi ac voluntati, ratio ac voluntas Deo. Et quamdiu ratio et voluntas manserunt Deo obedientes, obedivit sensitiva pars rationi, et caro spiritui. Mox vero ut ratio et voluntas divinæ inobedientes factæ sunt jussioni, cœpit sensualitas rationi esse rebellis, corpusque animæ. Denique Adam, Dei transgrediendo præceptum, non sibi dumtaxat, sed et omni suæ posteritati meruit originalis justitiæ amissionem, deinde carnis passibilitatem, mortalitatem, imo et moriendi necessitatem, variasque ærumnas, angustias, et labores quibus in hac vita subjicimur atque deprimimur. Promerendo demum sibi ac posteris suis originalis destitutionem justitiæ, promeruit sibi et eis regni cœlestis clausuram seu pœnam damni. Hinc omnes in originali nascimur culpa, et parvuli sine Baptismo decedentes, gloria privantur cœlesti. Ad hoc igitur Dei Filius humanam assumpsit naturam, ut ab omnibus illis incommodis nos salvaret quæ per primordialem Adæ transgressionem incurrimus : ut scilicet ad originalis justitiæ conformitatem nos reducat, gratiam et virtutes nobis recuperet, et regnum restituat sempiternum ; sicque in futura resurrectione ab omni passibilitate, mortalitate atque miseria redimat suos electos. Ad originalis autem justitiæ conformitatem in Baptismo reducit, in quo etiam gratia gratum faciens, et virtutes donaque Spiritus Sancti, baptizatis infun-

duntur, ac janua regni aperitur cœlestis. A

Sed sciscitari quis posset, anne alius quam unigenitus Dei Filius, poterat hominem sic salvare. Ad quod respondetur, quod nulla pura creatura ad hoc fuit idonea, tum propter gravitatem peccati, tum propter communicabilitatem naturæ in infinitum, tum propter gratiæ dignitatem, tum propter æternæ beatitudinis eminentiam, prout hæc alibi diffusius sunt ostensa, et nunc breviter repeti possunt. (*Cf.* t. XXIII, p. 36 B et s.) Primo itaque, propter gravitatem peccati hoc fieri non valebat : quia quum Deus sit di- B gnitatis ac sanctitatis penitus infinitæ, peccatum mortale quo ipse contemnitur et offenditur, est enormitatis quodammodo infinitæ : ideo ad expiationem ipsius necessarius fuit reconciliator, satisfactor, mediator et salvator dignitatis et efficaciæ infinitæ ; in cujus etiam fide et virtute, pro aliis peccatis satisfit a peccatoribus. Secundo, propter humanæ naturæ communicabilitatem immensam : propter quam pro totius humani generis peccatis satisfacere, et totam in omnibus recupe- C rare naturam, non fuit idoneus nisi infinitæ dignitatis salvator ; quum majus sit satisfacere pro pluribus quam pro uno. Tertio, propter gratiæ gratum facientis dignitatem : quæ gratia quum sit divinæ essentiæ similitudo supernaturalis, hominem in supernaturali deiformique esse constituens, est quodammodo dignitatis immensæ, ita quod eam toti humano generi promereri nulla pura creatura fuit condigna. Quarto, propter æternæ beatitudinis eminentiam : quæ beatitudo quum D sit summi, increati et infiniti boni immediata, beatifica ac plena fruitio, est dignitatis magis infinitæ quam gratia.

Præterea, cur Filio magis quam Patri aut Spiritui Sancto competebat incarnari, rationabiles causæ traduntur. Filio namque specialiter competit Patrem placare, atque pro Patris honore zelari. Rursus, quoniam Filio proprie competit similitudo cum Patre ; angelus autem et homo, Dei similitudinem inordinate cupierant, et sibi, quod Filii est, quodammodo usurpaverant, (*Is.* xiv, 14 ; *Gen.* iii, 5, 6.) sicque in Filium specialiter peccaverant : propter quod Pater pro Filio zelans, utrumque damnavit ; Filius vero conspiciens Patrem ita pro se zelatum, et rationales creaturas damnasse, volens Patri recuperare quod sui occasione perdiderat, servi induit formam, et angelicam reparavit ruinam per humani generis salvationem. Insuper, homini cum Verbo æterno est specialis assimilatio : quoniam homo a rationali seu intellectuali perfectione sortitus est speciem (unde et animal rationale mortale esse definitur) ; Verbum autem æternum emanatio est intellectus Patris æterni, exemplarisque ratio omnium rerum. Amplius, Filio in divinis magis quam alteri personæ congruebat esse Filium hominis. Rursus, si Pater aut Spiritus Sanctus esset incarnatus, essent duo Filii in divinis, et videretur ibi esse quasi quædam filiationis confusio. Adhuc autem, sicut omnia per Filium sunt creata, sic per eum omnia decuit reformari.

Ex præhabitis innotescit, cur sancti Doctores affirment, quod Filii Dei ad infima descensio sit nostra ad summa provectio, quod Verbi incarnatio sit nostra deificatio, quod ejus exinanitio atque dignatio sit nostra sublimatio ac dignificatio, utpote : quoniam Unigenitus Dei ita se propter nos inclinando, exinaniendo, humanæ naturæ applicando, promeruit sive obtinuit nobis gratiarum charismata in præsenti et dona gloriæ in futuro, per quæ deificamur, dignificamur ac sublimamur.

Quum igitur istis ex causis sit Dei Filius incarnatus, studeamus indesinenter ab omni corruptione vitiorum passionumque abstinere, ut simus integri mente, in nullo deficientes, et toto corde Domino jugiter adhærentes, juxta quod scriptum est : Adhæsit anima mea post te ; (*Ps.* lxii, 9.) et, Mihi adhærere Deo bonum est. (*Ps.* lxxii, 28.) Conemur quotidie deificari, hoc est, Deo per dona gratiæ ac virtutum earumque actus, et spirituales profectus, præsertim per contemplationis splendorem ac sanctæ dilectionis fervo-

rem, magis ac supernaturalius assimilari. A Quum enim Deo sit proprium misereri ac parcere, per pietatem internam et misericordiæ viscera, pia, copiosa viscerosaque opera, Deo valde salubriter conformamur : quatenus, sicut ipsemet Dominus Deus a nobis miserrimis toties et tam dire offen- *Job* xxxv, 15. sus, non protinus infert iram, nec ulciscitur scelus valde, sed condolet, longanimiter præstolatur ; imo per se et angelos sanctos ac homines bonos, per beneficia et miracula ac flagella, ad reconciliationem et emendationem nos exhortatur B *II Cor.* v, 20. (propter quod asserit Paulus : Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos ; obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo) : ita nos injuriatoribus nostris condoleamus, non irascamur, ignoscamus, non ulciscamur, eosque pie præveniamus, et omni quo possumus modo, ad caritatem, pacem et emendationem eos trahamus.

Denique, quum tam justus sit Deus ut nullum peccatum deserat impunitum, tunc *Job* xxiv, 12. justo Deo salubriter assimilamur, quum nullum in nobis ipsis peccatum dimittimus impunitum, indiscussum, indijudicatum. Verum sunt aliqui ad vindictam culpæ proximorum suorum pronissimi, hortanturque præsidentem ut illos corripiat acriter et castiget ; proprias vero vitiositates dissimulant, nec tangi, corripi corrigique permittunt. Qui si vera caritate atque justitia essent ornati, inciperent a se ipsis.

Postremo, quum unumquodque illi potissimum conformetur cujus actionibus magis insistit, et ipsi Deo omnipotenti ac adorando sit proprium, se ipsum æternaliter contemplari ac summe diligere ; certum est quod quanto ipsius contemplationi atque ferventi dilectioni frequentius, purius stabiliusque vacamus, tanto deiformiores efficimur.

SERMO DECIMUS

DE FRUCTU INCARNATIONIS NATIVITATISQUE CHRISTI ; ET QUOMODO SE ILLO DIGNIFICARE DEBEANT RELIGIOSI.

N*OTUM fecit Dominus Salutare suum,* C *in conspectu gentium revelavit justitiam suam.* Ps. XCVII, 2.

Quum finis incarnationis, nativitatis et passionis Filii Dei, sit salus mundi et honorificentia ac gloria supergloriosissimæ Trinitatis ; ideo sicut ab exordio sæculi cœpit summe pius ac sapientissimus Deus Christi adventum, nativitatem, passionem, ac cetera ejus mysteria prænuntiare, sic Christo nato, mox cœpit ejus nativitatem ac liberationem per eum fiendam, tam Judæis quam gentibus revelare, ut universi D ad Dei cognitionem majorem perduci inciperent, et beneficia Dei agnoscere, grati esse ac suæ saluti providere satagerent. Hinc eadem qua natus est Christus hora, angelus sanctus apparuit dixitque pastoribus : Evangelizo vobis gaudium magnum, *Luc.* II, 10, 11. quia natus est vobis hodie Salvator. Tunc quoque (ut creditur) stella in oriente ap- *Matth.* II, 2. paruit tribus Magis, et eos ad Christum ducere cœpit. Pastores vero quæ viderant et audierant, ceteris retulerunt Judæis, similiter Magi gentilibus. Atque, ut asserit Leo Papa, non tunc latuit Christi nativitas Romanum imperium, quia tunc Romæ *Cf.* p. 152 in fine et 153. fons olei erupisse, et templum æternitatis corruisse, unaque Sibyllarum Octaviano imperatori de Christo locuta, leguntur. Per alia quoque multa tunc fuerat declarata, sicut in Aurea fertur legenda. Hinc

Is. LII, 10. per Isaiam prædictum est : Paravit Domi- A
nus brachium sanctum suum in oculis
omnium gentium ; et videbunt omnes fi-
nes terræ Salutare Dei nostri. Hoc est quod
justus Simeon cecinit, quum puerum Je-
sum in ulnis tenens, gratulabundus inter
Luc. II, 30, 31. cetera sic deprompsit : Viderunt oculi mei
Salutare tuum, Domine, quod parasti ante
faciem omnium populorum, etc.

Porro Christus secundum naturam hu-
manam assumptam, Salutare Dei vocatur,
quoniam Deus Pater, seu Trinitas tota, per
ipsum salvavit genus humanum, quemad- B
Ps. LXXIII, 12. modum scriptum est : Deus autem rex no-
ster ante sæcula, operatus est salutem in
medio terræ. Unde per Isaiam loquitur
Is. XLIX, 6. Pater ad Christum : Dedi te in lucem gen-
tium, ut sis salus mea usque ad extremum
Joann. VIII, 28 ; XIV, 10. terræ. Idcirco asserit Dominus Jesus : A
me ipso facio nihil ; Pater vero in me ma-
nens, ipse facit opera.

Præterea, quamvis ab exordio mundi
Deus naturaliter bonus, pius et liberalis,
diversa et magna beneficia gratiarumque
dona hominibus sit largitus, postquam ta- C
men assumpsit de nobis quod nostrum
est, hoc est, postquam ex Virgine glo-
riosa, proxima, domina et sorore nostra,
humanam assumpsit naturam, cœpit præ
solito quæ sua sunt, copiosissime imperti-
ri et communicare hominibus, electorum-
que corda gratiosissime visitare, mentes
Ps. L, 8. illuminare, incerta et occulta sapientiæ
suæ manifestare eisdem. Et quod ante
paucis Prophetis revelavit ac Patriarchis,
jam undique universis orsus est publi-
care. Propter quod per Jeremiam præ- D
Jer. XXXI, 34. dixit : Omnes cognoscent me a minimo
eorum usque ad maximum ; et in Isaia
Is. XI, 9. scriptum est, Repleta est terra scientia Do-
* aquæ mini, sicut guttæ* maris operientes. Hinc
Christo nondum nato, beatissimus Joannes
Luc. I, 15. Baptista in utero matris Spiritu Sancto re-
pletus est, et parentes ejus copiosa gratia
Ibid. II, 8 et seq. sunt perfusi ; natoque Christo, pastores,
Simeon, Anna, et alii multi. Nihilo minus
verum est quod ait Joannes evangelista :
Joann. VII, 39. Spiritus nondum erat datus, quia Jesus

nondum erat glorificatus. Quamvis enim
quæ dicta sunt, ante Christi glorificatio-
nem (quæ in ejus resurrectione et ascen-
sione peracta est) cœperint fieri, non ta-
men in tanta plenitudine datus est Spiritus
Sanctus ante Christi ascensionem ut post-
ea. Non quod Virgo sacratissima et Joan-
nes Baptista ante diem illum Pentecostes
non acceperint Spiritum Sanctum tam co-
piose sicut in die Pentecostes Apostoli :
imo de Virgine benedicta nullum est du-
bium quin copiosius valde ; sed quod ante
in paucis fiebat electis, in die Pentecostes
et postmodum usque in præsens, in multis
millibus factum est ubique terrarum.

Itaque, quum idcirco venerit Christus ut
in Dei cognitione crescamus, et ad beatifi-
cam ejus perveniamus notitiam, studea-
mus in Dei cognitione proficere, quemad-
modum Paulus hortatur : Pater gloriæ det *Ephes.* I, 17, 18.
vobis spiritum sapientiæ in agnitione ejus,
illuminatos oculos cordis vestri ; et alibi,
Postulamus (inquit) ut impleamini agni- *Coloss.* I, 9, 10.
tione voluntatis Dei, in omni sapientia et
intellectu spirituali, ut ambuletis digne
Deo, per omnia crescentes in scientia Dei.
Quæ omnia præsertim intelligi possunt de
sapientia, intellectu et scientia, prout sunt
dona Spiritus Sancti, non prout sunt habi-
tus acquisiti ; quanquam etiam possunt in-
telligi de sapientia, intellectu, scientia, in
quantum acquisiti habitus appellantur. Sa-
pientia autem et intellectus atque scien-
tia, ut sunt inter septem dona Spiritus *Is.* XI, 2.
Sancti, omnibus et solis in caritate et gra-
tia exsistentibus insunt. Idcirco, sicut per
actus meritorios ac devotos, cum diligen-
tia tota factos, proficimus in caritate, ita
et in sapientia, intellectu et scientia jam
præfatis. Sapientia vero et intellectus ac
scientia, prout sunt habitus acquisiti, hu-
mano studio addiscuntur, legendo, audien-
do, seu inveniendo. Sicque ad intelligen-
dum sacram Scripturam, ad agnoscendum
varios intellectus ipsius, ad sciendum quæ
de creaturis in Scripturis traduntur, stu-
diosi esse debemus, quum ipsa Scriptura
sit quasi epistola nobis a Spiritu Sancto

missa : ad quam intelligendam non labo- A
rare, est Spiritus Sancti verba parvi pen-
dere, et ejus excellentiæ derogare.

Verumtamen ad proficiendum in sapi-
entia, intellectu et scientia, prout sunt
dona Spiritus Sancti, præcipue debemus
invigilare, cordis puritati studendo, et om-
Sap. I, 4. ni malitiæ resistendo. In malevolam enim
animam non introibit sapientia ista quæ
donum est, nec habitabit in corpore sub-
Matth. V, 8. dito peccatis. Mundi vero corde, illuminan-
tur a Deo, a cujus gratiosa ac affluentis-
sima illuminatione nihil nos impedit nisi B
propria culpa, remissio seu negligentia,
Jer. V, 25. quemadmodum loquitur Jeremias : Peccata
vestra prohibuerunt bonum a vobis ; et
Is. LIX, 2. Isaias, Iniquitates (inquit) vestræ divise-
runt inter Deum vestrum et vos. Ideo Sa-
I *Reg.* VII, 3. muel primo Regum hortatur : Præparate
corda vestra Domino. Debet etenim homo
facere quod in se est, se disponendo ad
gratiarum charismata, ad sapientiæ salu-
taris suscipiendä fluenta et incrementa.
Ps. XXXIII, 6. Propter quod ait Psalmista : Accedite ad
eum, et illuminamini. In Proverbiis quoque C
Prov. XVI, 1. fertur : Hominis est animam præparare.
Imo quanto plus ad ea nos præparamus,
desiderando, orando, vitia declinando, pas-
sionem dominicam intime recolendo, vir-
tuosis exercitiis inhærendo, tanto abun-
dantius eis implebimur, quum apud Job
Job XXXIV, 14. dicatur : Si direxerit homo ad Deum cor
suum, spiritum illius et flatum ad se tra-
het. Insuper carnalia oblectamenta gustus,
tactus, necesse est devitare : quia ut in
Ibid. XXVIII, 13. Job asseritur, sapientia ista non invenitur
in terra suaviter viventium. Propter quod D
Is. XXVIII, 9. per Isaiam inducitur : Quem docebit Do-
minus scientiam ? et quem intelligere fa-
ciet auditum ? Ablactatos a lacte, avulsos
ab ubere. Et breviter, quum universa pec-
cata non sint nisi quædam stultitiæ, opor-
tet non solum ab omni abstinere peccato
mortali, sed etiam a venialibus, quantum
humana permittit fragilitas, et præser-
tim ab incustodia oris : quia ut Salomon
protestatur, Qui inconsideratus est ad lo- *Prov.* XIII, 3.
quendum, sentiet mala. Et iterum ait :
Vidisti aliquem velocem ad loquendum ? *Ibid.* XXIX, 20.
stultitia magis speranda est quam illius
correctio.

Præterea sic agentes, præparamus et ex-
hibemus puero Jesu Deo æterno propter
nos hodie nato, speciosissimum intra nos
thalamum, cunabula mollia, repausatori-
um placitum ac suave, utpote propriam
mentem sanctarum cogitationum varietate
ornatam, ardentium affectionum sinceri-
tate fragrantem, virtutum ac donorum de-
pictam habitibus, bonorumque operum di-
vitem meritis, virtuosis actibus jugiter
occupatam. O quam libenter in hujusmodi
mente Christus quiescit ! Quod ut fiat in
nobis, indefesse conemur ne inutilium co-
gitationum pulveribus, ne verborum ina-
nium maculis, ne illicitarum appetitionum
inquinamentis, ne negligentiarum et pigri-
tiarum cineribus domicilium nostræ ani-
mæ respergamus, mentem dehonestemus,
locum diabolo præparemus. Sed nec ebrie- *Luc.* XXI, 34.
tate aut crapula cor nostrum gravetur,
quoniam optimum est gratia stabiliri cor, *Hebr.* XIII, 9.
non escis. Beatus est plane, cui quotidie
zelus inest ardentior Deo placendi, proxi-
mis succurrendi, in sapientia salutari cre-
scendi.

SERMO UNDECIMUS

DE TRIPLICI CHRISTI NATIVITATE SIVE GENERATIONE.

D*OMINUS dixit ad me : Filius meus* A *es tu, ego hodie genui te.* Ps. II, 7.

Triplex assignatur generatio Christi, tam admiranda ut de unaquaque earum verificetur illud Isaiæ : Generationem ejus quis enarrabit? (Is. LIII, 8.)

Prima, quæ et incomparabiliter admirabilis, ineffabilis incomprehensibilisque consistit, est generatio illa æterna, divina et intellectualis, qua a Patre æterno æternaliter, immaterialiter atque invariabiliter genitus est. Nam Deus Pater, quum sit mens actualissima, simplicissima, fecun- B dissima et supersapientissima, se ipsum incessabiliter ac æternaliter intuens et intelligens, sui ipsius conceptum et verbum internum intra se profert ac gignit. Quod enim in se et de se intuetur ac conspicit, hoc intra se exprimit. Et hæc ipsa expressio seu interna locutio Dei Patris, est activa generatio ejus; ipsa vero Verbi prolatio, est passiva ipsius generatio. Porro Verbum ita a Patre prolatum, recte appellatur Filius ejus, quum sit emanatio intellectus paterni secundum rationem simili- C tudinis ab ipso procedens. Hinc quoque vocatur imago Patris, imago utique naturalis, plena, perfecta, consubstantialis, in qua quidquid Patris est, plenissime splendet. Simili ratione dicitur splendor lucis æternæ, et speculum sine macula majestatis Dei Patris, atque figura seu character substantiæ ejus, quemadmodum ad Hebræos et apud Sapientem patet. (Hebr. I, 3; Sap. VII, 26.) — Insuper, quoniam Deus Pater uno et eodem actu intelligendi cognoscit se ipsum et cuncta creata, ideo unico actu generat Ver- D bum suum æternum, perfectum, quod est sui ipsius imago, et omnium rerum creatarum exemplar, idea et archetypa ratio.

De hac generatione sua æterna loquitur Filius Dei, sub nomine Sapientiæ : Nondum erant abyssi, et ego jam concepta eram; ante colles ego parturiebar; quando præparabat cœlos, aderam, et eram cum eo cuncta componens. (Prov. VIII, 24, 25, 27, 30.) Et rursus : Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam. (Eccli. XXIV, 5.) Unde et per Isaiam loquitur Pater : Numquid ego qui alios parere facio, ipse non pariam? Si ego qui generationem aliis tribuo, sterilis remanebo? (Is. LXVI, 9.)

Denique generatio ista æterna, quamvis tantumdem exprimatur et capiatur a nobis, nihilo minus incomprehensibilis et ineffabilis fertur : quoniam qualis sit et qualiter actu consistat sive agatur generatio illa, nequaquam plene ut est, comprehendere possumus aut effari. Et multa circa eam creduntur quæ omnem naturalem rationem transcendunt, et omnem capacitatem mentis humanæ excedunt : ut quod in Patre sunt idem realiter persona generans, essentia ejus, et generatio sua activa; Filius quoque eamdem numero cum Patre essentiam habet, et quamvis vere generetur a Patre, non tamen in eo est indigentia, dependentia, potentialitas, aut imperfectio ulla. Et breviter, quam incomprehensibilis et ineffabilis est Deus Pater, tam incomprehensibilis et indicibilis est generatio ejus. Et idem sentiendum de Filio. Ad quod insinuandum loquitur Salomon, dicens : Quod nomen ejus, et quod nomen Filii ejus, si nosti? (Prov. XXX, 4.)

Præterea, alia est generatio Christi, humana, corporalis ac temporalis, qua hodierna die processit ex Virgine matre : quæ item ineffabilis incomprehensibilisque est, quum nec hoc valeat comprehendi quali-

ter verus homo ex clauso prodierit Virginis utero; nec hoc, qualiter persona æterna verusque Deus de novo sit veraciter generatus; nec illud, qualiter Christo hinc inde realiter atque localiter moto, nequaquam, hoc est nec per se neque per accidens, mota sint omnia quæ erant et sunt in eo : nam divinitas ejus semper mansit prorsus immobilis.

Præterea generatio ista Christi humana ponitur duplex : una in utero, et alia ex utero. De quarum prima habetur in Mat-
Matth. I, 20. thæo : Quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est. Hæc generatio facta est in Annuntiatione dominica, quando ad verba archangeli Gabrielis respondit divinissima
Luc. I, 38. Virgo : Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Tunc enim omnipotente et infinita Dei agente virtute, præstantissima Virgo in instanti Filium Dei concepit : ita quod tunc in momento formatum et organizatum est corpus Christi, et anima ejus creata corporique unita; atque utrumque simul formaliter junctum, est a Verbo æterno assumptum, et suæ divinitati immediata personalique unione conjunctum, ita quod in increato esse hypostatico Verbi supposita est humanitas Christi, et sic tunc generatus et natus est Christus in utero. Nam et in ceteris generabilibus generatio in utero nuncupatur, quando anima corpori copulatur. Generatio autem ex utero, est quasi manifestatio seu proditio generationis factæ in utero, seu geniti nati in eo.

Tertia generatio Christi est spiritualis, qua ipse spiritualiter nascitur seu esse incipit in cordibus credentium, et eorum qui convertuntur ad ipsum, seu regenerantur in eo. Quæ generatio valde exstat mirabilis. Quis enim satis valeat admirari, qualiter totus pene mundus ad eum conversus est, eumque credidit esse verum Deum qui homo est, et in tanta humilitate, paupertate ac persecutionibus vixit in mundo, ac tandem amarissimam atque tur-
Ibid. XXIII, 33. pissimam mortem toleravit in ipso latronum patibulo? Luce clarius constat, istud nunquam fieri potuisse nisi omnipotente Deo agente, qui per tot et tanta sibi soli possibilia miracula, mundum convertit ad Christum : imo potius per interiores instinctus divinos, per illuminationes supernas, per inspirationes secretas id egit; nec exteriora miracula per se fuissent ad hoc sufficientia, propter tarditatem, fragilitatem, imo et perversitatem cordis humani. Hanc quoque tam admirabilem fidem conservavit et prævalere fecit Deus omnipotens, inter tot fidei impugnationes a tyrannis, ab hæreticis, a philosophis, a Judæis, et ab invisibilibus hostibus ejus : quam et nunc usque conservat, et usque in finem mundi Omnipotens conservabit, quanquam tempore Antichristi ad tempus modicum videbitur ex magna parte occumbere; sed tunc paulo post, plus quam unquam ante, vigebit. Unde ad insinuandum causam ineffabilitatis generationis istius spiritualis Christi, quum Isaias propheta dixisset, Generationem ejus quis *Is.* LIII, 8.
enarrabit? subtilissime addidit : Quia ab- *Ibidem.*
scissus est de terra viventium. Pro quo Septuaginta transtulerunt : Quia tolletur de terra vita illius, id est, per occisionem auferetur de sæculo isto. Itaque enitamur ad hoc, ut Christus semper spiritualiter generetur in nobis per gratiæ incrementa et virtutum profectus. Ipse enim in Evangelio protestatur : Quicumque fecerit *Matth.* XII, 50.
voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater et soror et mater est.

Denique ad hoc Filius Dei de Virgine matre corporaliter natus est, ut spiritualiter in omnibus nobis nascatur, et renascamur in eo. Nascitur quippe in nobis, quando per fidem et caritatem incipit esse in nobis, aut certe per caritatis et ceterarum incrementa virtutum, splendidius ac perfectius demoratur et regnat in nobis quam ante. Utraque vero generatio ista Christi ordinatur ad hoc, ut ad claram et beatificam contemplationem primæ et æternæ generationis Christi perveniamus : quia in hoc plena consistit electorum felicitas, ut superbeatissimæ Trinitatis essentiam, con-

sistentiam, emanationem et communicationem ad intra, mutuam quoque intuitionem, dilectionem, complacentiam et fruitionem clare per speciem contemplentur. O quam inæstimabiliter gaudent omnes cœlestis Jerusalem cives, limpidissime intuendo quemadmodum unigenitus Filius a Patre æterno invariabiliter generatur; quemadmodum etiam Spiritus Sanctus a Patre et Filio tanquam ab uno principio æternaliter profluit et spiratur; quemadmodum Pater se totum communicat Filio, Pater quoque et Filius Spiritui Sancto; qualiter item hæ tres superbenedictæ personæ se invicem intuentur superclarissime cum infinita delectatione, ac superardentissime diligunt cum immensa suavitate! Hoc et nunc per fidem ac sapientiæ donum pie ac humiliter contemplemur cum intima congratulatione.

Postremo, ut ad hujuscemodi contemplationem simus idonei, per exercitia virtutum moralium oportet nos præparari, purgari ac reformari. Quomodo enim in tam supersplendidissimum increatumque lumen mens poterit figi, si motibus subjacet vitiorum, inquietudinibus passionum, atque facile hinc inde instar arundinis agitatur? Necesse est ergo, ut suo quisque animo dominetur, ut animositatem suppeditet, iram impatientiamque conculcet, timoratus, custoditus, sollicitus semper in Deo exsistat. Quod si ita habuerimus nos, erimus certe Deo carissimi; affluentissime aderit nobis, stillicidia gratiæ suæ, sapientiæ rivos, caritatis ardores, lucem miserationum suarum multiplicabit, perficiet et conservabit in cordibus nostris. Ubique itaque et indefesse adspiremus ad Deum et suspiremus ad eum, et intra nos ipsum alloquamur, invocemus, laudemus ac veneremur, ne ad momentum recedat a nobis, ne gratia ejus minuatur in nobis, ne caritas unquam tepescat aut spirituale studium remittatur; imo quotidie virtuosiores, ferventiores efficacioresque simus in omni ejus obsequio, ad laudem et gloriam ejus.

SERMO DUODECIMUS

DE NUDO AC MISERO PUERI JESU IN HUNC MUNDUM INGRESSU, QUO RELIGIOSI AD TOLERANTIAM PAUPERTATEMQUE PROVOCANTUR.

INVENIETIS *infantem pannis involutum, et positum in præsepio.* Luc. II, 12.

Quemadmodum in Christo est duplex natura, utpote divina altissima, et humana declivis; sic in omnibus quæ de ipso leguntur, est considerare quædam valde sublimia, et quædam valde declivia. Quod etiam in iis quæ de sua nativitate leguntur, perpenditur. Quod enim natus est de muliere egena, declive esse videtur. Sed
Luc. I, 35. quod de Virgine pura a Spiritu Sancto supernaturaliter fecundata, est genitus, quis satis miretur? Hoc ergo sublime est atque
Ibid. II, 7. deificum. Rursus, quod in stabulo natus, panniculis involutus, atque in præsepio reclinatus est, bassum asserimus. Quod vero ejus nativitatem angelus nuntiavit *Luc.* II, 9-14.
pastoribus, quod puerulum illum appellavit Salvatorem et Dominum Christum, quod etiam cœlestis exercitus Deum laudans apparuit et cantavit, Gloria in altissimis Deo, ad sublimia pertinet. Similiter, quod templum æternitatis corruit Romæ et olei fons erupit, stellaque Magis ostensa est, et alia mirabilia quæ in illa hora contigerunt, majestati nati infantuli attestantur.

Insuper, omni consideratione dignissi-

mum est, quod angelus paupertatem Christi sic commendavit pastoribus, eam illis pro signo agnoscendi infantem assignans : *Luc.* II, 12. Hoc (inquiens) vobis signum, « Invenietis infantem pannis involutum, et positum in præsepio ». Quo monstravit, quam specialiter nobis consideranda sit Christi paupertas, imo et imitanda. Quam utique paupertatem Christus non solum in sua nativitate elegit, atque in suo sacratissimo corpusculo consecravit, sed in tota vita sua usque crucis martyrium continuavit, et verbis edocuit et exemplis, in tantum ut dixerit : *Matth.* VIII, 20. Volucres cœli nidos habent, et vulpes terræ foveas ; Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet. Hinc de ipso vaticinatus est cum ingenti admiratione *Jer.* XIV, 8, 9. sanctificatus in utero Jeremias : Quare quasi colonus venturus es in terra, et quasi viator declinans ad manendum ? Quare venturus es velut vir vagus ? Unde et Christus *Ps.* LXXXVII, 16. in Psalmo fatetur : Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea ; exaltatus autem, humiliatus sum et conturbatus. Hinc *Luc.* XIV, 33. in Evangelio protestatur : Qui non renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Quo constat quam indecens et injustum sit Christianum terrenis insistere congregandis, cupiditati vacare, et thesaurizare in terris. Quod ex Evangelio aliisque scripturis copiosissime posset ostendi ; in aliis quoque sermonibus ubertim probatum est.

Quæ quum ita se habeant, quam vitiosum est etiam religiosos mammonæ deservire, avaritiæ locum dare, augendis opibus indesinenter ac miserabiliter inhiare (quasi non sit vita alia post præsentem, et quasi Deus religiosorum specialem non habeat curam), atque per hæc scandalizare graviter sæculares ? Nonne natura paucis minimisque contenta est ? Et per quid adeo periit monastica omnis sacra religio, sicut per temporalium affluentiam rerum, ex qua, immoderantia et exquisitio ciborum ac potuum, multaque alia vitia gulam consequentia oriuntur ? Verum sunt multi religiosi paupertatem professi, sic paupe- A res esse volentes, ut eorum quæ ad corpus pertinent, eis nil desit. Et quid dico, desit, quum nec his contententur quibus honesti sæculares contentarentur seque abundare arbitrarentur ?

Consideremus, o fratres, vocationem professionemque nostram. Quid Deo voverimus, jugiter recordemur. Quam metuenda et districta sint Dei judicia, quam terri- *Ps.* LXV, 5. bilis sit ipse in consiliis suis super filios hominum, profunde pensemus. Nonne ex nostra professione tenemur ad perfectio- B nem quotidie tendere, in gratia ac virtutibus assidue et condigne proficere ? Quid ergo est, quod post tanta tempora quibus in Ordine fuimus, adhuc tam remissi, imperfecti ac passionabiles invenimur, nec superponimus omnibus actibus nostris Dei timorem ? Idcirco in manducando, bibendo, loquendo, repausando, atque nos ipsos in multis palpando, quotidie valde peccamus, et sæpe non minus bona omittendo quam mala agendo.

Porro, si omnes Christiani ad arctam *Matth.* VII, 14. C viam pœnitentialemque vitam tenentur : quanto magis nos religiosi, quorum non est circa communia languere, sed antonomastice devotioni intendere, stricte ac strenue conversari, et carnem cum vitiis et *Galat.* V, 24. concupiscentiis crucifigere, omnia tamen discrete agendo ? Si igitur aliquid victualium aut indumentorum seu combustibilium sæpe nobis deficiat, non faciliter murmuremus, non contristemur ; sed Christi paupertatem et afflictiones reminiscendo, gloriemur in Domino quod eum saltem D permodice possumus imitari, quemadmodum princeps hortatur Apostolorum : Com- *I Petr.* IV, 13. municantes Christi passionibus gaudete, ut in revelatione gloriæ ejus gaudeatis. Ecce Christus, virtus et sapientia Dei Pa- *I Cor.* I, 24. tris, sapientia plane attingens a fine in *Sap.* VIII, 1. finem fortiter, et disponens cuncta suaviter, qui in se ipso et per se ipsum nihil omnino sine rationabilissimis, specialissimis ac præstantissimis causis assumpsit, fecit ac pertulit : hic, inquam, Dominus Jesus Christus in frigore hiemali intenso,

in stabulo tetro ac sordido nasci, pannis A involvi, in præsepi locari elegit, atque in cunctis quæ duriora sunt corpori præacceptavit, ut non verbis dumtaxat, sed suis sanctissimis nos informaret exemplis, corpus affligere, concupiscentias edomare, prospera mundi despicere, cœlestia totis præcordiis affectare. Flevit, non risit, ut doceret nos vacare compunctioni, non dissolutioni; lacrimis, non risibus; maturitati, non levitati. Nihilo minus nos ingrati, miseri et cæcati, adhuc quærimus suavia carni, alimenta lauta atque superflua, cu- B riosas pretiosasque vestes, stratum molle. Nedum ad risus, sed etiam ad cachinnos sumus proclives : illud Ecclesiastæ non *Eccle.* VII, 7. pensantes, Sicut sonitus spinarum ardentium sub olla, sic risus stulti; et rursus, *Ibid.* 5. Cor sapientium ubi tristitia, et cor stultorum ubi lætitia; imo quod ipsemet Christus *Luc.* VI, 25. locutus est, Væ (inquiens) vobis qui ridetis, quia plorabitis et flebitis. Nonne in valle lacrimarum, in loco exsilii, in carcere et corpore mortis sumus? Cur millia miserorum quotidie pereuntium non de- C flemus? Cur proximorum peccata non deploramus, si tamen eos sicut nos ipsos diligimus? Cur super injuriis et inhonorationibus ac offensionibus Domini Dei nostri quotidianis, innumerabilibus ac gravissimis, non contabescit cor nostrum, nec zelo zelamur pro eo, si tamen eum super omnia et plus quam nos ipsos diligimus, qui de propriis injuriis etiam modicissimis tam dire tabescimus? Ideo sanctus ait Bernardus : Ludamne amplius et illudam lacrimas ejus? D

Defleamus, o fratres, nos ipsos; deploremus ruinam Ecclesiæ in omni statu, gradu ac ordine ejus. Et quo minus prædicando, eo plus deprecando, exemplariter conversando, et bonæ famæ dulcedine redolendo, aliis succurramus, Ecclesiam adjuvemus. Insuper, si sæpe hiemalium noctium affligamur frigoribus, non feramus moleste, sed rememoremur quid Christus Dei Filius pro nobis in frigida illa qua natus est nocte, et deinde diu ac sæpe pervessus sit. Cum pastoribus eum spiritualiter visitemus, et eum sequi non pigritemur. Compatiamur tenerrimo puero tanta propter nos passo, in tam duro præsepio reclinato, tantis penuriis sic affecto. Pelliceas nostras supponamus infantili ejus mollissimoque corpusculo, et vestibus nostris eum operiamus.

Postremo, per hoc quod pastoribus vigi- *Luc.* II, 8. lantibus angelus sanctus apparuit, constat quod gratæ ac placitæ sint angelis sanctis nocturnæ vigiliæ quibus veri religiosi Deo intenti sunt, ejus præconiis occupati, ejus contemplationibus inhærentes, suas quoque conscientias perscrutantes, suamque vitam discutientes, veniam suorum deprecantes peccaminum, supernorum quærentes influxum charismatum, emendationem fervidam proponentes in omnibus. Hinc quippe dixit Propheta : Deum exquisivi *Ps.* LXXVI, 3, 5-7. manibus meis nocte contra eum, et non sum deceptus; anticipaverunt vigilias oculi mei; cogitavi dies antiquos, et annos æternos in mente habui; et meditatus sum nocte cum corde meo, et exercitabar, et scopebam spiritum meum. Itaque et nos omnia ista singulis noctibus, imo et frequenter in die peragamus devote, atque cum omni diligentia studeamus puritati internæ, in qua maxime complacet Deo. In psalmis et orationibus cordialiter delectemur, ubique et maxime in divinis Deo stabiliter intendamus, ut exsultent labia *Ps.* LXX, 23. nostra quum cantaverimus ei.

Ad hæc agenda, ad matutinale Officium, ad Creatoris nostri obsequium surgamus alacriter : exsiliamus de lectulo, et pigre quid agere erubescamus coram Deo et angelis sanctis custodibus nostris, quibus ubique reverentiam tenemur, et exhibere debemus. O quam vile ac miserum est, hora illa divini Officii, somnolentia opprimi, pigritiæ non reniti, carnalem repausationem amplecti! Excutiat ergo se somnolentus, et Dei præsentiam cogitet piger. In *Ps.* CXXXVII, 1. conspectu angelorum psallamus ferventer, et omne opus Dei diligenter agamus. Sacram quoque Christi infantiam dulciter

contemplemur, et natum infantulum tam A speciosum ac superdulcissimum, caritatis brachiis constringamus, et nostris pectoribus affectuosissime applicemus, atque ad christianæ infantiæ innocentiam, ad columbinam simplicitatem redeamus ac pertingamus. Ad laudem et gloriam pueri nobis nati, qui cum Patre et Spiritu Sancto unus est Deus æternaliter benedictus. Amen.

IN FESTO

S. STEPHANI PROTOMARTYRIS

ENARRATIO IN LECTIONEM LOCO EPISTOLÆ

STEPHANUS PLENUS GRATIA ET FORTITUDINE, ETC. Act. VI, 8-10; VII, 54-60.

PERFECTIONEM, dignitatem, actus atque martyrium gloriosissimi martyris Stephani, felix evangelista Lucas compendiose describit, dicendo :

Stephanus plenus gratia et fortitudine. Porro paulo ante, hæc verba habentur :
Act. VI, 5. Elegerunt Stephanum plenum fide et Spiritu Sancto, videlicet in unum et primum septem diaconorum. Nunc vero asseritur
Ibid. 8. « Stephanus plenus gratia » gratum faciente, quæ est habitus supernaturalis, mentem in esse deiformi et ad promerendum idoneo ponens ; « et fortitudine » quæ est virtus moralis et cardinalis, ardua strenue aggrediens, per quam homo bene et constanter se habet in periculis mortis. Fuit etiam « plenus fortitudine » quæ est unum
Is. XI, 2. de septem donis, per quam homo perfectionis operibus insistit stabiliter. Per quæ verba insinuatur, quod Stephanus fuit vir apostolicæ perfectionis, et valde heroicus. *Faciebat signa,* quoad minora miracula, *et prodigia,* quantum ad majora, *magna in populo* Judæorum, quibus in Jerusalem statim post Spiritus Sancti missionem prædicavit.

Surrexerunt autem quidam de synagoga quæ appellatur Libertinorum, hoc est de congregatione ac numero Judæorum qui dicti sunt Libertini, a regione de qua fuerunt ; vel quia manu missi, hoc est, libertate donati fuerunt, quum prius fuerint servi, seu servilis conditionis ; *et Cyrenensium,* sic dictorum a Cyrene civitate Libyæ, secundum Bedam ; *et Alexandrinorum,* hoc est de Alexandria urbe Ægypti ; *et eorum qui erant a Cilicia et Asia,* quæ sunt regiones vicinæ ad invicem ; *disputantes cum Stephano,* id est, contra eum probare conantes quod Jesus Nazarenus non fuerit Christus. *Et non poterant resistere sapientiæ* Stephani, *et Spiritui,* id est Spiritui Sancto, *qui loquebatur* per Stephanum, prout ait Salvator : Non enim *Matth.* X,
vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris 20.
vestri qui loquitur in vobis. Impleta est ergo in Stephano illa Christi promissio : Ego dabo vobis os, et sapientiam cui non *Luc.* XXI, 15.
poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri. *Audientes autem hæc* *Act.* VII, 54.
verba B. Stephani, quæ in Actibus scripta sunt, et in lectione hac omittuntur (quibus verbis Stephanus dure atque justissime redarguebat præfatos Judæos, Dura *Ibid.* 51, 52.
(inquiens) cervice et incircumcisi corde et auribus, vos semper restitistis Spiritui Sancto, et nunc proditores et homicidæ Christi fuistis) ; *dissecabantur cordibus suis,* hoc est, præ vehementia iræ et impatientiæ variis modis intra se quodammodo rumpebantur. Quemadmodum enim caritas et concordia faciunt unionem indi-

visionemque cordium, sic odium, discordia, ira et impatientia disgregationem ac dissecationem faciunt animorum. *Et stridebant dentibus in eum,* tanquam rabidi canes, mentis furorem forinsecus ostendentes. Itaque, « dissecabantur » quemadmodum mala olla posita in camino crepit et exsilit : quia superbi, impatientes, incorrigibiles erant. Quorum perversitatem atque insaniam multi sequuntur, qui dura cervice redarguunt increpantem ; et quo rationabilius convincuntur, eo plus indignantur et irascuntur, non attendentes illud Proverbiorum, Viro qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus superveniet interitus. (*Prov.* xxix, 1.)

Quum autem Stephanus esset plenus Spiritu Sancto, quo pleni dicuntur qui ejus gratia et caritate implentur, *intendens in cœlum* oculis mentis et corporis, tanquam ad desideratissimam patriam, quam fuit mox ingressurus, *vidit,* hoc est, contemplatus est per donum sapientiæ, *gloriam Dei* (sicque beatitudinem et mercedem sibi paratam Deus ei ostendit, prægustareque fecit), *et Jesum stantem a dextris virtutis Dei.* Verba ista pensando, videor mihi audire tonitruum. Quis enim hujus beatissimi martyris excellentiam digne miretur? Quis visionis hujus magnificæ exprimat qualitatem? Quis demum in istis divinæ pietatis immensitatem satis collaudet? Itaque, « vidit gloriam Dei », hoc est Deum gloriosum, seu majestatem et excellentiam ac beatitudinem ejus.

Sed quomodo vidit? Per fidem, an per speciem? Et dicunt nonnulli, quod pro morula illa vidit divinam essentiam seu Deum clare per speciem, sicut Beati in patria : quemadmodum datum est Moysi et Paulo in hac vita Deum videre, secundum Augustinum libro de Videndo Deum. (*Num.* xii, 8; II *Cor.* xii, 2-4.) Sed contra istud objicitur, quod Moysi loquebatur Deus : Non videbit me homo, et vivet. (*Exod.* xxxiii, 20.) Circa quod dicunt doctores communiter, quod nemo in vita præsenti vivens vita humana, utpote sensibus utens corporeis, possit Deum videre per speciem, sed ab omnium organicarum sensitivarumque virium operatione suspenditur qui Deum taliter contemplatur. Stephanus vero in visione hac sensibus actualiter utebatur, loquens Judæis. Hinc alii dicunt, quod gloriam Dei vidit imaginaria visione, quemadmodum Isaias, Ezechiel, Daniel, Joannes quoque in Apocalypsi : in quorum virtute imaginativa, fuit ministerio angelorum similitudo sive effigies quædam formata, divinæ majestatis repræsentativa. (*Is.* vi, 1; *Ezech.* i, 1; *Dan.* vii, 9, 10; *Apoc.* i, 13-16; iv, 2 et seq.) Alii dicunt, quod effigies hujusmodi corporalibus S. Stephani oculis fuit objecta. Ceteris videtur, quod visio ista fuit anagogica, pure intellectualis, quales et sancti David visiones fuisse creduntur. Sicque visio ista medio modo se habuit inter visionem Dei per fidem, et visionem ejus per speciem.

Insuper, qualiter Jesum vidit in forma humana? Dicunt nonnulli, quod visus Stephani divina virtute fuit sic confortatus, quod sua acie penetrans cœlos, vidit Jesum in cœlo empyreo. Sed quum visio fiat intus suscipiendo magis quam extra mittendo, alii dicunt quod corpus Christi visum Stephani immutavit. In potestate etenim Christi est ut corpus suum faciat a remoto videri sicut de prope. Imo quum corpus glorificatum sit animæ suæ plene subjectum, in potestate animæ gloriosæ est ut ad ejus libitum corpus suum aliorum visum immutet, aut non immutet. Visus est autem Jesus stare, quoniam stare pugnantis est atque juvantis. (*Act.* vii, 55.) Sed et Marcus dicit Jesum sedentem a dextris Dei, quia sedere imperantis est et regnantis. (*Marc.* xvi, 19.) Stephanus vero vidit Jesum tanquam paratum ad suum auxilium, imo et actualiter adjuvantem : ideo vidit eum stantem.

Et ait : Ecce video cœlos apertos. Non quod in cœlestibus illis incorruptibilibusque corporibus fuerit realis apertio, fractio sive divisio, sed quoniam B. Stephani visum ab adspectu Christi habitantis in cœlo summo non impediebant. Et forte Stephano videbantur aperti ob oculis cujusdam corporeæ lucis emicationem desu-

per a Christo radiantem ac fusam, sicut in A magnis coruscationibus cœli aperiri videntur. *Et Filium hominis stantem a dextris virtutis Dei.* Qualiter Christus dicatur Cf. p. 141 D'. esse, stare, sedere a dextris Dei, expositum est supra in epistola tertiæ Missæ Natalis Christi.

Exclamantes autem voce magna, continuerunt aures suas, veritati eas obstruentes, quam reputabant blasphemiam, *et impetum fecerunt unanimiter in eum,* concordes facti in persecutione martyris sancti. *Et ejicientes eum extra civitatem* B Jerusalem, *lapidabant* eum tanquam blas- Lev. XXIV, 14, 16. phemum, quia secundum Moysis legem, blasphemantes fuerunt extra castra lapidandi. *Et testes deposuerunt vestimenta sua secus pedes adolescentis qui vocabatur Saulus.* Isti fuerunt testes mendosi, qui Stephanum de blasphemia accusaverunt, et primi in eum lapides jactaverunt : quia Deut. XVII, 7. per Moysen fuit præceptum ut manus testium prima esset super lapidandum. Exueruntque se ut expeditiores essent ad projiciendum. Adolescens vero iste postea C Act. XXII, 20. dictus est Paulus, quando ex superbo persecutore humilis apostolus est effectus : qui aliorum vestes custodiendo, quasi omnium illorum manibus lapidavit.

Et lapidabant Stephanum invocantem et dicentem : Domine Jesu, suscipe spiritum meum in gloria tua. *Positis autem,* id est flexis, *genibus, clamavit voce magna,* quia ex intimo et ardenti caritatis affectu, *dicens : Domine, ne statuas,* id est, non imponas, sed ignosce, *illis hoc peccatum* quod me occidendo committunt. Ecce pro se stans, pro interfectoribus vero suis, imo interfectoribus tam crudelibus, genua flectens, oravit. In quo mira ipsius patientia perfectaque caritas declarantur. Et secutus est gloriosissimus martyr iste Christum tam sublimiter quam conformiter. Nam et Christus in cruce dixit : Pater, ignosce il- Luc. XXIII, 34. lis. Qui etiam docuit : Orate pro perse- Matth. V, 44. quentibus et calumniantibus vos. *Et quum hoc dixisset, obdormivit in Domino,* hoc est, feliciter quievit in Deo, qui eum in brachiis suæ caritatis ac pietatis assumpsit, et de corporalis occisionis acerbitate transtulit ad quietem dulcissimam felicitatis æternæ.

SERMO PRIMUS

QUOMODO PERFECTUS IN GRATIA DEI CRESCAT ; IN QUIBUS GRATIA DEI CONSISTAT ; ET QUANTA MALA AFFERAT OTIOSITAS.

STEPHANUS *plenus gratia et fortitudine.* Act. VI, 8. D

Viri electi ac virtuosi, gratia pleni vocantur in sæculo isto, non quia plus gratiæ recipere nequeunt, sed quia in gratia Dei et donis Spiritus Sancti abundant. Verumtamen quotidie crescunt in gratia : imo quo ampliorem gratiam sunt adepti, eo copiosius promerentur in gratia perfici, id est plus repleri ; et quo magis replentur, eo ad gratiæ incrementum aptiores Matth. XXV, 29. redduntur. Propter quod ait Salvator : Habenti dabitur, et abundabit. Eusebius quoque : Gratia, inquit, de gratia nascitur, et profectus profectibus serviunt. Porro, sicut unum peccatum pondere atque demerito suo trahit ad aliud et hominem gratia indigniorem constituit (ideo scriptum est, Peccator adjiciet ad peccandum), sic unum Eccli. III, 29. opus bonum disponit ad aliud. Etenim certum est, quod quanto quis fuerit in caritate perfectior sive ferventior, tanto ferventiores, sinceriores, promptiores ac frequentiores habet affectiones ad Deum, et

A ceterarum actiones virtutum loco et tempore opportuno perfectius frequentiusque exsequitur : caritas namque ceteris jubet virtutibus. Hinc homines in gratia et caritate ac virtutibus bene fundati, exercitati, locupletes et pleni, opera virtuosa exsequuntur multo delectabilius quam homines imperfecti; et nihilo minus multo plus promerentur etiam eisdem operibus tam de gratiæ incremento quam de gloriæ præmio. Ex quo patet, quod labori sive difficultati exercitii virtuosi non correspondet in cœlo præmium essentiale, sed acciden- B tale; caritatis vero perfectioni, fervori, seu majoritati, essentiale præmium, quod est beatifica ac fruitiva visio Dei, est correspondens. Unde et absolute loquendo, ille est melior qui in caritate Dei exstat perfectior. Propter quod loquitur Augustinus : Non numerositas operum, non diuturnitas temporum, sed major caritas auget meritum. Studeamus itaque semper in Dei amore proficere, Deum quotidie plus amando, magis desiderando, et ejus intuitu quidquid ei displicet caritatemque minuit C aut tollit, vitando.

Præterea jam pensandum, quid sit gratia Dei, loquendo de gratia gratum faciente. Ubi sciendum, quod juxta divini Dionysii documenta (*Cf.* t. XV, p. 380 D.), sicut res naturalis per formam substantialem ponitur in esse naturali specifico, per quod ad operationes suæ naturæ convenientes efficitur potens et apta; ita per gratiam gratum facientem ponitur rationalis creatura in esse supernaturali divino, per quod ipsa fit Deo grata, id est accepta ac placens, quoniam D ei per hoc esse supernaturaliter assimilatur. Per idem quoque esse gratiæ, fit ad actiones æternæ vitæ meritorias, Deo placentes, idonea. Neque enim potest actio creaturæ rationalis Deo placere, nisi et ipsa creatura rationalis primo in se complaceat Deo. Ad quod insinuandum scriptum est (*Gen.* IV, 4.), Respexit Dominus ad Abel et ad munera ejus : ita quod primo per approbationem respexit ad Abel, deinde ad munera ejus. Hinc gratia ista dicitur immediate esse in essentia animæ, et eam directe perficere.

Amplius, quoniam homo ad supernaturalem finem seu felicitatem creatus est, idcirco non nisi per supernaturalia media, utpote per gratiam, fidem, spem, caritatem, ceterasque virtutes infusas, ad beatitudinem illam valet pertingere : media quippe oportet suo fini proportionari.

Ecce quam necessaria est nobis hæc gratia Dei : in qua tanto plus proficit homo, quanto diligentius omni hora se occupat in opere bono. Nam qui remisse et negligenter se habet, gratiam Dei perdit. Otiosi vero sunt vitiosi, quemadmodum in Ecclesiastico scriptum est : Multa mala docuit otiositas (*Eccli.* XXXIII, 29.). Hoc certe videmus ad oculum in divitibus atque nobilibus sæculi hujus, qui otiis vacant, et innumerabilia incidunt vitia, puta loquacitates, carnalitates; in gula, luxuria, jocis, ludis, risibus ceterisque vanitatibus insistentes, et divina negligentes præcepta. De quibus ait Propheta : In labore hominum non sunt, ideo tenuit eos superbia; operti sunt iniquitate et impietate sua; prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum, transierunt in affectum cordis; cogitaverunt et locuti sunt nequitiam, iniquitatem in excelso locuti sunt (*Ps.* LXXII, 5-8.). Hinc ait Judex cœlestis : Væ vobis divitibus, qui habetis consolationem vestram; væ vobis qui saturati estis, quia esurietis; væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis et flebitis (*Luc.* VI, 24, 25.). Itaque pauperes divitibus feliciores, ceteris paribus, sunt censendi, quum Christus affirmet : Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei (*Ibid.* 20.). De divitibus vero scriptum est : Nunc, divites, plorate, ululantes in miseriis quæ advenient vobis; risus vester convertetur in luctum, et gaudium in mœrorem (*Jacob.* V, 1; IV, 9.). Nolite ergo, o divites, nolite superbire, nolite egenos despicere; sed eos vobis corde præponite, eorum suffragia postulate, et ut orent pro vobis, eis liberaliter subvenite. Ideo namque ait Dominus Jesus : Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut quum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula (*Luc.* XVI, 9.).

Præterea advertendum, quod diversi sunt gradus plenitudinis gratiæ Dei. Unus et infimus, est plenitudo sufficientiæ ad salutem. Hæc est plenitudo necessitatis, videlicet gratia observandi præcepta Dei atque Ecclesiæ, sine quorum observatione nemo potest salvari, Christo dicente: Si vis intrare ad vitam, serva mandata. Secundus gradus plenitudinis gratiæ, est plenitudo supererogationis, per quam gratiæ plenitudinem observantur evangelica Christi consilia : qui gradus plenitudinis pertinet ad religiosos. Tertius gradus est excellentiæ specialis, pertinens ad viros heroicos et perfectos. Quartus est gradus eminentiæ singularis, conveniens Christo, qui secundum naturam assumptam, gratiam non ad mensuram accepit, ut Joannes tangit.

Matth. XIX, 17. — *Joann.* III, 34.

Porro in B. Stephano fuit plenitudo gratiæ, non solum quantum ad gradum supererogationis, sed etiam quantum ad gradum excellentiæ specialis. Nam erat vir valde heroicus, imo vir apostolicæ perfectionis, quemadmodum ex lectione præhabita, et aliis quæ Actuum sexto ac septimo de ipso sunt scripta, probatur : de quibus in sermonibus subsequentibus mentio fiet diffusior. Itaque et nos in virtutibus quas de B. Stephano in lectione ista audivimus, gloriosum martyrem Stephanum imitemur; et primo in gratia, quatenus quanto anima nostra corpore suo exstat nobilior diutiusque victura, tanto ardentius cupiamus, infatigabilius quoque conemur gratia Dei repleri virtutibusque ditari, quam abundare in rebus temporalibus. — Et quia secundum B. Bernardum, gratia Dei in tribus consistit, videlicet, in odio præteritarum culparum, in contemptu bonorum præsentium, et in desiderio bonorum futurorum cœlestium; debemus in primis quotidie culpas nostras præteritas detestari, deflere, odire, et ultra id quod in confessione nobis pro pœnitentia est injunctum, aliqua opera bona ac pœnitentialia facere, orando, eleemosynas dando, et propria corpora castigando. Secundo debemus præsentia bona, id est terrena et sensibilia ac temporalia ista, contemnere, non quantum ad id quod essentialiter sunt, quod utique bonum est et ab optimo Creatore eis collatum est, sed in quantum in via salutis impediunt nos; quatenus victum et vestitum habentes, simus contenti. Hinc sollicitudo immoderata, anxietas formidolosa, superfluus amor, avara tenacitas, nimia occupatio circa temporalia, prohibentur et condemnantur a Christo, quia in se ipsis sunt vitiosa, et per ea cor impeditur a Dei memoria et contemplatione, a spirituali amore, ab occupatione circa opera virtuosa. Tertio debemus felicitatem et gaudia cœlestis patriæ ferventer appetere : quæ (ut sanctus ait Gregorius) nullus digne desiderat qui non cum lacrimis pro illorum adeptione quotidie deprecatur. Imo tam affectuose debemus ea et etiam gratiam ac virtutes in hac vita optare, ut comparatione eorum omnia vilipendamus terrena, atque quotidie suspiremus ad paradisum cœlestem, ad consortia angelorum, ad intuitum omnium Beatorum, et incomparabiliter ad beatificam visionem, ad sempiternam fruitionem Dei omnipotentis.

Act. VI, VII. — *I Tim.* VI, 8. — *Matth.* VI, 25 et seq.

Refert S. Augustinus, quod apud Cæsaream Cappadociæ fuit quædam nobilis femina vidua, septem filios et tres filias habens : a quibus quum quadam vice esset offensa, omnibus maledixit. Cujus maledictionem statim ultio Dei secuta est : mox enim omnes filii illi ac filiæ horribili membrorum tremore percussi sunt. Idcirco præ verecundia a suis fugientes concivibus, per totum mundum vagari cœperunt, et undique inspiciebantur ab universis. Tandem unus illorum filiorum et una filiarum ad urbem S. Augustini venerunt, et B. Augustino, quod eis contigerat, retulerunt. Post hoc in die sacratissimo Paschæ, filius ille, nomine Paulus, ante altare S. Stephani se prostravit, et pro sua curatione Deum ac S. Stephanum devotissime precabatur. Adstantibus vero rei exitum præstolantibus, surrexit subito sanus et plene curatus. Quum autem die

sequenti Augustinus sermocinaretur ad A populum, filia illa præfata, nomine Palladia, adsistens, omnibus membris tremens, ad altare S. Stephani ivit, et orationi se dans, ac repente quasi obdormiens, mox curata surrexit. De quorum curatione Deo ac S. Stephano, tam ab ipsis quam a populo, infinitæ grates referebantur. Ex quo item exemplo ostenditur, quam horrendum peccatum sit, parentes offendere.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

ECCE EGO MITTO AD VOS PROPHETAS, ETC. Matth. XXIII, 34-39.

CHRISTUS in evangelio hodierno declarat, quanta bona fecit Judæis, et quanta fuit illorum ingratitudo, induratio atque crudelitas. Itaque a Matthæo dicitur :

Ecce ego mitto ad vos Prophetas. Hæc verba dixit Christus Judæis, parum ante suam passionem, videlicet feria tertia post Ramos palmarum, prout ex evangelio S. Matthæi demonstratur. Est igitur sensus : « Ecce ego mitto », id est, statim post resurrectionem meam et Spiritus Sancti missionem mittam « ad vos Prophetas », qui futurorum pure contingentium, Deo revelante, habuerunt notitiam : quales fuerunt omnes sancti Apostoli, qui spiritu prophetiæ pollebant ; *et sapientes* in contemplationibus divinorum : quales item fuerunt gloriosi Apostoli, in quorum persona Paulus, Nos (inquit) revelata facie gloriam Domini speculantes ; (II Cor. III, 18.) *et Scribas,* id est legis doctores, ut fuerunt Nathanael, Stephanus, Zenas, Apollo, imo et Paulus apostolus, ante suam conversionem a Gamaliele instructus. (Act. XXII 3.) Hos Christus misit ad prædicandum Judæis, quibus loquitur Paulus in Actibus Apostolorum : Oportebat vobis primum loqui verbum Dei. (Ibid. XIII, 46.) Sed Judæi pro majori parte increduli, missos ad se persequebantur, sicut subjungitur. *Et ex illis,* id est quosdam illorum, *occidetis et crucifigetis, et ex illis flagellabitis* quosdam *in synagogis vestris.* Hoc in Actibus Apostolorum legitur adimpletum. Nam Stephanum occiderunt, Apostolos flagellaverunt. (Ibid. VII, 58-60; V, 40.) *Et persequemini de civitate in civitatem.* Unde in Actibus legitur, quod in eodem die quo beatus lapidatus est Stephanus, facta est persecutio magna in Ecclesia quæ erat Jerosolymis, et omnes dispersi sunt, præter Apostolos. (Act. VIII, 1.)

Ut veniat super vos, id est, vobis imputetur, *omnis sanguis justus qui effusus est super terram,* id est crudelis effusio sanguinis omnium innocentium atque justorum, *a sanguine Abel justi* inclusive, quem Cain occidit, (Gen. IV, 8.) *usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ.* Per hunc Zachariam intelligit S. Hieronymus Zachariam filium Joiadæ pontificis Judæorum, quem Joas rex Juda jussit occidi in templo, ut legitur in libris Paralipomenon. (II Par. XXIV, 21, 22.) Sed tunc quæstio oritur, cur dicatur hic Zacharias filius Barachiæ, et non potius Joiadæ. Respondet Hieronymus, quod hoc factum est ad commendandam patris sui sanctitatem. Barachias namque interpretatur, benedictus Domini, et ipse Joiada pontifex, fuit vir valde electus a Deo ac virtuosus, ut quarto Regum et secundo Paralipomenon edocetur. (IV Reg. XII, 2 et seq.; II Par. XXIV, 2 et seq.) Rursus circa hæc nascitur quæstio, cur horum sanguis super Judæos quibus Christus loquebatur hæc, venit, quum nullum horum occiderint neque tetigerint. Respondet Hieronymus, quod Scriptura ponit duas generationes, unam justorum, aliamque pravorum. De prima ait Psalmista : Hæc est generatio quærentium Dominum ; (Ps. XXIII, 6. Ps. LXXVII, 8.) de secunda, Ge-

neratio (inquit) prava et exasperans. Sic ergo Salvator per istos impios quos affatur, designat generationem malorum, in qua continentur qui Zachariam interfecerunt. Unde subjungitur : *quem occidistis,* id est, quem Zachariam generatio vestra iniqua, cum qua unum corpus perditionis consistitis, interfecit, *inter templum et altare* holocaustorum, quod fuit extra templum in atrio ejus. Exod. xl, 27. *Amen dico vobis, venient hæc omnia* peccata, et mala pœnalia pro peccatis infligenda, *super generationem istam* pravorum. Omnes etenim reprobi sunt socii in tormentis. Reprobi autem in inferis sibi invicem suas augent miserias, sicut Sancti in cœlo mutuo sibi accumulant gaudia sua.

Jerusalem, Jerusalem, id est, tu plebs Judaica urbem inhabitans. Bis ait, Jerusalem, ad insinuandum suæ dilectionis et compassionis affectum, atque ad provocandum audientium advertentiam. *Quæ occidis Prophetas, et lapidas,* id est, lapidum projectionibus necas, *eos qui ad te* instruendam et convertendam *missi sunt: quoties,* id est valde frequenter, videlicet primo per Prophetas, secundo per me ipsum, tertio per Apostolos, *volui* quantum in me fuit, et voluntate antecedente, *congregare,* hoc est spiritualiter adunare per fidem, caritatem obsequiumque divinum, *filios tuos,* hoc est habitatores et particulares quasque personas, totamque plebem Judaicam tibi quasi matri ac metropoli subditam, *quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas,* id est multum affectuose atque sollicite? Nam inter pennata animalia videtur gallina præcipuam habere affectionem et curam ad suorum nutritionem ac defensionem pullorum. Ideo quoque similitudinem ponit gallinæ, quia gallina est avis fructuosa, quieta, et domestica : sic Christus nobis

A fructuosissimus, quietus, socialisque fuit, inter homines conversando, atque pro eis moriendo. Baruch iii, 38. *Et noluisti* taliter congregari, sed mihi et legatis meis quos misi ad te, fuisti rebellis.

Ecce relinquetur vobis, id est ad vestram punitionem ac confusionem pro tantis peccatis, *domus vestra deserta,* id est, templum ac habitacula vestra penitus destruentur. Quod per Titum et Romanorum exercitum quadragesimo secundo anno post Christi passionem impletum est, Cf. t. XII, p. 165 A, 188 B. B quemadmodum antea fuit prophetatum : Civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, et usque in finem perseverabit desolatio; Dan. ix, 26, 27. et in Psalmo, Fiat habitatio eorum deserta. Ps. lxviii, 26. *Dico enim vobis, non me videbitis amodo,* id est ab hora hac, excepto tempore passionis. Juxta quem sensum alibi scriptum est, Nemo ausus fuit eum amplius interrogare : Matth. xxii, 46. quum certum sit quod paulo post, tempore passionis, eum interrogaverunt. Vel, « amodo », id est tempore hujus hebdomadæ. *Donec* C *dicatis* vel inviti, propter evidentiam rei : *Benedictus* est Christus, *qui venit in nomine Domini.* Quod erit in die judicii, quando videbunt in quem compunxerunt, Zach. xii, 10; Joann. xix, 37; Apoc. i, 7. et confitebuntur quod ipse sit Christus, salvator et judex mundi. Unde in passione dixit Judæis : Amodo videbitis Filium hominis venientem in nubibus cœli. Matth. xxvi, 64. Porro, si exponatur de spirituali visu per fidem, tunc aliqui Judæorum post Christi resurrectionem conversi, contemplati sunt Jesum, dicentes : Benedictus qui venit in D nomine Domini. In fine quoque sæculi omnes convertentur, et dicent hoc ipsum. Venit quippe Christus in mundum per Incarnationis mysterium ; venit in corda fidelium per gratiæ infusionem, et spiritualem ac invisibilem missionem ; venit etiam omni die in Sacramento altaris.

SERMO SECUNDUS

QUOD ECCLESIÆ, UT OLIM SYNAGOGÆ, VIRI SANCTITATE PRÆSTANTES MISSI SUNT ; ET DE S. STEPHANI VIRTUTIBUS.

ECCE ego mitto ad vos Prophetas et A *sapientes et Scribas.* Matth. XXIII, 34.

Per Jerusalem, quæ interpretatur visio pacis, designatur allegorice Ecclesia militans, quæ modo per fidem et sapientiæ donum, supernæ Jerusalem, hoc est triumphantis Ecclesiæ, suavissimam pacem pro posse suo dulciter contemplatur. Itaque, sicut in veteri Testamento Deus altissimus misit ad Synagogam Judæorum Prophetas et sapientes ac Scribas, ita in novo Testamento ad Ecclesiam Christianorum Prophetas ac sapientes Scribasque misit. Et B utique multo frequentius multoque abundantius fecit istud in novo Testamento quam veteri. Nam tempus novi Testamenti seu evangelicæ legis, tempus gratiæ appellatur, quia in eo Deus singularem gratiam et maximam misericordiam hominibus impertitur. Etenim postquam Deus factus est homo, ipse præcipue cœpit homines facere deos, id est divinos, per supernorum infusionem charismatum, hoc est per gratiam, virtutes ac dona Spiritus
II Petr. I, 4. Sancti. Propter quod scriptum est : Maxi- C ma et pretiosa nobis dona donavit, ut per hæc efficiamur divinæ consortes naturæ.

Misit igitur Deus omnipotens ad Ecclesiam Prophetas et sapientes ac Scribas. Primo, quoniam sanctos Apostolos, qui omnes gratiam prophetiæ excellenter habebant, et sapientissimi exstiterunt, utpote profundissimi contemplatores Dei ac supernorum, in lege quoque tam Mosaica quam evangelica fuerunt doctissimi : hos, inquam, quos primo misit ad Synagogam,
Matth. x, 5. dicens, In viam gentium ne abieritis (quod D ante passionem suam locutus est); quibus et post resurrectionem suam fatus est in Actibus, Eritis mihi testes in Jerusalem et Act. I, 8.
in omni Judæa et Galilæa et Samaria : hos post resurrectionem suam misit in mundum universum ad convertendum gentilitatem, dicens, Euntes docete omnes gen- Matth. xxviii, 19.
tes. Hinc Paulus et Barnabas leguntur dixisse Judæis : Vobis oportebat primum Act. xiii, 46, 47.
loqui verbum Dei; sed quoniam repulistis illud, ecce convertimur ad gentes, sic enim præcepit nobis Dominus. Nec solos Apostolos, sed et alios multos ex Judaismo conversos, et prophetiæ spiritu decoratos, sapientia quoque multiplici desuper illustratos, misit ad Ecclesiam Deus : inter quos fuerunt S. Silas, Marcus ac Lucas evangelistæ, multique alii, quorum aliquos in suis epistolis exprimit Paulus; et quidam ex septuaginta duobus discipulis ad gentiles missi fuerunt. De quibus omnibus loquitur Deus æternus : Mittam ex Is. LXVI, 19.
eis qui salvati fuerint, ad gentes, in mare, in Africam et Lydiam, in Italiam et Græciam, ad insulas longe, et annuntiabunt gloriam meam gentibus.

Secundo misit Deus ad Ecclesiam Prophetas et sapientes ac Scribas, quoniam multos ex gentilitate conversos, multiplici atque mirabili gratia adimplevit, dando eis non solum gratiam gratum facientem, virtutes infusas, et septem dona Spiri- Ibid. XI, 2, 3.
tus Sancti, sed etiam copiosa dona gratiæ gratis datæ, videlicet gratiam prophetiæ, I Cor. XII, 8-10.
sermonem sapientiæ, sermonem scientiæ, genera linguarum, operationem miraculorum, discretionem spirituum : inter quos inclyte splenduerunt beatissimi viri Dionysius, Ignatius, Polycarpus. Imo in libro de Divinis nominibus refert divinus Dionysius, quod B. Hierotheo ex gentilitate cap. II.

A converso, tam copiosam gratiam tamque profundam sapientiam præstitit Deus, quod etiam gloriosi ac summi Apostoli inde fuerint admirati. Hos itaque ad Ecclesiam misit Christus, quia fecit eos Christianorum multorum magistros ac præsules.

Deinde post istos, qui in primitiva fuerunt Ecclesia, misit Ecclesiæ suæ alios viros sanctissimos sapientesque valde, et in lege nova doctores, puta Martinum, Nicolaum, Antonium, Hieronymum, Ambrosium, Augustinum. Et deinde usque in B præsens frequenter, imo sæpissime, secundum ordinem sapientiæ suæ, misit Deus Ecclesiæ suæ viros prophetico spiritu, sapientia ac doctrina præclaros, ut S. Germanum, B. Bernardum, electum Franciscum, S. Dominicum, multosque tales. Sed, heu! infidelium Judæorum pravitatem secuti sunt, imo quotidie adhuc sequuntur multi nomine christiani, qui superiores suos et viros bonos, a quibus reprehenduntur, gravant et persequuntur, odiunt et diffamant. De talibus scriptum est : C
Amos v, 10. Odio habuerunt corripientem, et loquentem perfecte abominati sunt. Isti sunt similes canibus furibundis qui a dominis suis nequeunt refrenari, sed mordent in eos.

Matth. xx, 16. Denique, quia etiam in Ecclesia multi sunt vocati, pauci electi, Christus condo-
Ibid. xxiii, 37. lens Ecclesiæ, ait ad eam : Jerusalem, Jerusalem, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti? Alæ equidem Christi, sunt potentia et misericordia ejus, D sub quibus protegit suos electos. Unde
Ps. xvi, 8. oravit Propheta : Sub umbra alarum tuarum protege me. Sub iis alis protegi congregarique renuunt multi nomine christiani, homines prava consuetudine victi, duri et obstinati, Deo uniri nolentes, sed vitiis inhærentes, superbi, libidinosi, avari, leves et dissoluti. His ergo domus eorum deserta relinquitur, quia eorum corda Spiritus Sancti inhabitatione privantur. Ab horum nos abstrahamus consortio, et beatissimi protomartyris Stephani sequamur virtutes : quatenus sicut ipse Christo firmissime ac fidelissime prorsus adhæsit, et sub ejus confugit alas, non de viribus aut meritis suis præsumens, sed totam spem suam ponens in Deo, jugiterque auxilium et processum virtutum deposcens ab eo; ita et nos Christo Dei Filio, a quo christiani vocamur, stabiliter adhæreamus, ab eo protegi, adjuvari ac perfici incessabiliter deprecemur; ejus observemus præcepta, vitantes peccata mortalia, imo et pro posse venialia, quæ nisi diligenter vitentur, ad mortalia trahunt peccata.

Præterea, quam gratiosus, virtuosus, eminens ac perfectus fuit B. Stephanus, Lucas evangelista Actuum sexto septimoque capitulis compendiose describit. Primo etenim ibi laudatur a plenitudine gratiæ : *Act.* vi, 8.
et de hoc in præcedenti sermone tractatum est, et nunc modicum quid addendum. Nempe, ut Aristoteles docet, in omni genere seu ordine aut multitudine rerum, primum est maximum, hoc est in ordine suo perfectissimum : sicut in ordine corporum lucidorum sol est maxime lucidus, et in ordine calidorum ignis potissimum calidus est. Quoniam ergo benignissimus Deus elegit B. Stephanum in primicerium martyrum, ita quod in evangelica lege primus est qui pro Christo sanguinem fudisse ac mortem legitur pertulisse; hinc constat, quod valde speciali eminentique gratia perfectionis a Deo sit decoratus.

Secundo laudatur a plenitudine fortitu- *Ibidem.*
dinis spiritualis, quam in suo martyrio mirabiliter declaravit. Comprehensus enim a Judæis, non expalluit, non expavit, non tacuit, implens quod docuit Christus, No- *Matth.* x, 28.
lite (inquiens) timere eos qui corpus occidunt; sed testimonium perhibuit veritati constantissima mente, sceleratissimosque Judæos increpavit justissime atque acerrime, liberrima voce. Exivit ad mortem animo imperturbato; et quum undique vulneraretur, non est lapsus a mentis constantia : imo plus doluit de lapidantium se culpa, quam de propria morte. Hæc est

vera fortitudo justorum, sic stabilitum es-
se in Deo, ut nulla prosperitas, nulla ad-
versitas mentem avertere possit ab eo.
Propterea sanctus ait Gregorius : Justorum
fortitudo est, carnem domare, propriis vo-
luntatibus repugnare, delectationem vitæ
præsentis exstinguere, hujus mundi aspe-
ra pro præmiis æternis diligere, prosperi-
tatis blandimenta contemnere, adversitatis
metum in anima superare. Porro impio-
rum fortitudo est, transitoria incessanter
diligere, contra Creatoris flagella insensi-
biliter perdurare, ad inanem gloriam et
temporalem honorem jugiter adspirare,
bonos persequi, propriis viribus inniti, at-
que illatas injurias pro posse ulcisci. Hanc
pravam fortitudinem aspernemur, et ele-
ctorum fortitudinem amplectamur, supe-
Matth. xi, 12. rando nos ipsos. Nam ut ait Salvator : Re-
gnum cœlorum vim patitur, et violenti
Prov. xvi, 32. rapiunt illud. Salomon quoque : Melior
(inquit) est patiens viro forti; et qui domi-
natur animo suo, expugnatore urbium.

Tertio B. Stephanus commendatur ab
excellenti virtute et gratia miraculorum.
Act. vi, 8. Fecit enim prodigia et signa magna in po-
pulo. Unde et sanctus recitat Augustinus,
quod flores super altare S. Stephani pone-
bantur, et inde sublati, super infirmos sunt
positi; et protinus sanabantur infirmi. Pan-
A ni quoque de ejus altari accepti, et super
ægros positi, multis infirmis contulerunt
medelam. Insuper Augustinus testatur, et
B. Bernardus hoc ipsum allegat, quod glo-
riosissimus Stephanus protomartyr post su-
am passionem sex mortuos suscitavit.

Tantum ergo martyrem diligamus, ve-
neremur, et invocemus; ejus caritatem,
fortitudinem, pietatem aliasque virtutes
jugiter imitemur. Discamus etiam cum eo-
dem spiritualiter miracula operari, cæcos
illuminando, surdos curando, claudos sa-
B nando, mortuos suscitando. Sic namque
cæcum illuminat, qui errantem et vitiis
obnubilatum ad viam veritatis ac salutis
reducit; et qui eum qui verba Dei audire
auribus mentis non curat, inducit ad hoc
quod libenter audit verba Dei, is curat
surdum; sanat quoque et claudum, qui
injustum et pigrum, verbo, exemplo, ora-
tione, aut alio modo, ad amorem inducit
justitiæ atque divini alacritatem obsequii;
qui vero quempiam in mortali culpa fœ-
tentem ad pœnitentiam revocat, mortuum
C suscitat. Hæc itaque faciamus, gratiam
nobis collatam proximis communicando,
quia ut dicit Jacobus, Qui converti fecerit *Jacob.* v, 20.
peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit
animam ejus a morte, et operit multitudi-
nem peccatorum.

SERMO TERTIUS

DE SAPIENTIA ET CORREPTIONIS UTILITATE, DE INIMICORUM DILECTIONE, PRÆCONIISQUE S. STEPHANI.

O*MNES qui sedebant in concilio, vide-
bant faciem Stephani tanquam fa-
ciem angeli.* Act. vi, 15.

Sicut in Actibus Apostolorum recitat
B. Lucas evangelista, quum post Christi
ascensionem et Spiritus Sancti missionem
Act. vi, 1, 7. quotidie cresceret numerus Christianorum
in sancta civitate Jerusalem (quia per præ-
D dicationem atque miracula Apostolorum
plures quotidie convertebantur ad Chri-
stum), etiam de consilio beatissimorum
Apostolorum ordinati sunt septem primi *Act.* vi, 5, 6.
diaconi, inter quos præcipuus fuit B. Ste-
phanus. Propter quod Lucas de ejus san-
ctitate, sapientia, passione, specialiter scri-
bit in Actibus: ubi, sicut in præcedentibus

est tactum sermonibus, de multis ipsum A
commendat, videlicet de plenitudine fidei et gratiæ ac fortitudinis, et de excellentia miraculorum, quia signa et prodigia magna fecit in populo. De quibus B. Stephani laudibus et virtutibus in præinductis sermonibus dictum est. Nunc restat de ceteris ejus præconiis atque virtutibus a Luca evangelista descriptis, quod Deus concesserit loqui.

Itaque post prædicta, primo laudat eum Lucas ab excellentia sapientiæ ipsi collatæ. Nam quod Christus in Evangelio suis
Luc xxi, 15. promisit discipulis, Ego (inquiens) dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri, in sacro Levita Stephano copiose fuit impletum : quoniam infideles Judæi sapientiæ ejus resistere non valebant.

Porro sapientia est cognitio Creatoris Dei altissimi. Loquitur autem sacra Scriptura de multiplici sapientia. Primo, de Sapientia æterna et increata, quæ est Deus omnipotens. Secundo, de sapientia creata, quæ est multiplex valde. Est enim sapientia naturalis et acquisita, quam habuerunt excellentiores philosophi : quæ est cognitio primæ causæ divinarumque rerum, videlicet Dei ac divinorum. De qua sapientia Aristoteles in Metaphysica sua tractat, et de qua in libro de Causis, in Timæo Platonis, in Elementatione theologica Procli Platonici agitur. Hæc sapientia est cognitio Dei ad quam ratio naturalis ex consideratione creaturarum potest pertingere. Nam sicut causa ex suis effectibus, sic Creator ex creaturis potest cognosci. Propterea
Sap. xiii, 1, 5. dicitur : Vani sunt omnes homines quibus non subest scientia Dei, et de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est : a magnitudine enim speciei creaturæ poterit Creator cognoscibiliter videri. Quibus verbis concordat il-
Rom. i, 20. lud Apostoli : Invisibilia Dei a creatura mundi (id est ab homine) per ea quæ facta sunt, conspiciuntur; sempiterna quoque virtus ejus et divinitas.

Alia est sapientia creata supernaturalis : quæ iterum duplex est. Una infusa, quæ etiam haberi non potest nisi per infusionem Spiritus Sancti. Et ista proprie appellatur unum et primum donum inter sep- Is. xi, 2.
tem dona Spiritus Sancti. Estque sapientia ista, amorosa cognitio Dei per quam de ipso bene sentimus ac judicamus, per gustum suæ bonitatis, et per connaturalitatem nostri affectus ad ipsum. Alia sapientia creata supernaturalis, est unum de donis gratiæ gratis datæ : quæ sapientia haberi potest a bonis et malis, et item per
B infusionem a Deo, per acquisitionem quoque studio exercitioque humano. Hæc est sapientia quæ in libris sacræ Scripturæ continetur ac discitur. Estque cognitio Scripturarum, per quam scit homo ea quæ sunt fidei christianæ defendere, persuadere ac declarare : de qua ait Apostolus, Alii per Spiritum datur sermo sapien- I Cor. xii, 8.
tiæ, alii sermo scientiæ. Hæc sapientia, quamvis ex Scripturis nunc addiscatur, tamen originaliter non nisi a Deo per revelationem et infusionem est habita.

C Subinde S. Stephanus in utraque hac sapientia fuit valde excellens. Sapientia namque quæ est unum septem donorum Spiritus Sancti, habetur ab omnibus in caritate et gratia exsistentibus, secundum aliquem gradum : et quanto quis in divino plus crescit amore, tanto in sapientiæ dono plus proficit. Quemadmodum ergo primicerius martyrum Stephanus in Dei ac proximorum caritate fuit valde excellens, ita in dono sapientiæ fuit præfulgens. Quam excellentem vero habuerit sapien-
D tiam alteram, utpote divinarum notitiam Scripturarum, constat ex his quæ Actuum Act. vii, 2 et seq.
septimo continentur. Nempe, ut ibi describitur, quum vitiosi Judæi sapientiæ Stephani resistere non valerent per rationem ac sapientiam, studuerunt ei resistere per violentiam ac humanam astutiam. Nam submiserunt viros testes mendaces, qui Ibid. vi, 11-13.
dixerunt : Nos audivimus Stephanum istum proferre verba blasphemiæ contra Deum ac Moysen. Commoverunt itaque plebem et seniores; sicque concurrentes,

rapuerunt Stephanum, et adduxerunt eum in suum concilium, statueruntque falsos testes dicentes : Homo iste, scilicet Stephanus, non cessat loqui adversus locum hunc sanctum et legem. Tunc B. Stephanus se rationabiliter excusavit, et longas veteris Testamenti historias ac Scripturas compendiosissime allegavit. In quo declaratur quam doctissimus fuerit in Scripturis. Et forsitan ante susceptionem Spiritus Sancti doctus fuit in lege, quemadmodum Paulus.

Deinde secundo laudatur S. Stephanus ab excellentia angelici apparatus, atque splendoris in ejus tunc facie apparentis. Quum enim tam false accusatus fuisset, non est vultu aut corde turbatus, non ira aut impatientia motus, non pallore aut timore perfusus, sed mente constantissimus fuit, securus, imperterritus et jucundus in Deo, tranquillissimo ac splendente vultu ornatus : ita quod omnes in concilio illo malignantium exsistentes, viderunt vultum ejus esse angelicum ; nec tamen ex hoc conversi aut compuncti fuerunt, sed invidiæ magnitudo excæcavit corda eorum, fecitque eos pessime judicare de illo. Denique ex tanta claritate in vultu S. Stephani sensibiliter apparente, perpenditur quam præclara ac mira fuerit mentis suæ interior puritas gratiosaque claritas, innocentia, sapientia atque perfectio. Ex qua etiam re eminentia Stephani demonstratur, quia in tota Scriptura canonica non legitur homo talem habuisse vultum in terra coram hominibus, nisi Christus in transfiguratione, Moyses quoque ac Stephanus. Verumtamen in aliis scripturis satis authenticis tale quid de multis legitur Sanctis : sicut de beatissimo principe Apostolorum Petro, de divino Dionysio, de sacratissimis Catharina ac Barbara, et aliis valde multis.

Act. VI, 15. *Matth.* XVII, 2 ; *Exod.* XXXIV, 29 et seq.

Tertio S. Stephanus commendatur a strenua adimpletione præcepti de fraterna correptione. Cujus impletionem negligunt multi ex humano timore : imo pauci, proh dolor ! præceptum hoc implent veraciter, ideoque innumerabiles condemnantur. Sed talis non exstitit Stephanus. Siquidem in medio hostium stans, et ab eis se mox occidendum perpendens, constantissime eos redarguit, dicens, Dura cervice et incircumcisi corde et auribus, vos semper restitistis Spiritui Sancto, etc. : sicut in expositione lectionis innotuit. Hanc itaque S. Stephani justitiam constantiamque sequamur, nec proximorum palpemus defectus, sed caritative ac juste reprehendamus, quum sanctus asserat Augustinus : Si corripere neglexeris, pejor eo qui peccavit efficeris. Verumtamen in primis reprehendat, castiget, emendet unusquisque se ipsum, ut alios increpare sit idoneus : quia ut sancti Patres testantur, qui in eisdem aut majoribus sunt peccatis, alios reprehendere sunt indigni. Nam et caritas incipit a se ipsa. Præterea qui corripitur, patienter, gratanter et caritative debet accipere, seque omnino ad emendationem exponere. Quod utique veræ prudentiæ signum est : sicut et stoliditatis indicium est et arrogantiæ opus, corripienti irasci, indignari, detrahere, correptionem abjicere. Hinc Salomon loquitur : Qui diligit disciplinam, id est correctionem et informationem, diligit scientiam ; qui autem odit increpationes, insipiens est. Et alibi protestatur : Qui abjicit disciplinam, despicit animam suam ; qui autem acquiescit increpationibus, possessor est cordis. Et scriptum est : Quam bonum est correptum manifestare pœnitentiam ! sic enim effugiet peccatum. Væ igitur iis qui nec a parentibus, nec a superioribus, nec a sapientioribus corripi volunt, sed impunite ac libere transgredi, imitantes diabolum, qui ab initio recusavit subesse.

Act. VII, 51. *Prov.* XII, 1. *Ibid.* XV, 32. *Eccli.* XX, 4.

Quarto signifer martyrum Stephanus commendatur a sublimi atque insolita visione, qua inter impios stans, vidit cœlos apertos et gloriam Dei ac Jesum stantem a dextris Patris æterni. O quanta fuit puritas, quanta dilectio, quanta perfectio animæ hujus invictissimi martyris, qui adhuc vivens in carne mortali, ad tam altam ac

Act. VII, 55.

cœliformem perductus est visionem, atque A in sæculo isto sic meruit certificari de felicitate futura, sic prægustare, sic intueri eamdem, imo et ejus objectum beatificum et æternum !

Quinto laudatur a sua caritate perfecta, a patientia summa, ab oratione præfervi-
Act. VII, 60. da. Pro suis etenim crudelissimis interfectoribus, flexis genibus exoravit, stans pro se ipso : in quo patet, quam spiritualiter ac ferventer illos dilexit, quam patienter mortis supplicium ab eis sustinuit. Sed væ nobis, væ perversitatibus, aversio- B nibus et impatientiis nostris, qui nec propter Deum, nec pro nostra salute, nec propter peccata nostra aliquid volumus pati : imo pro uno verbo turbamur, indignamur, irascimur, atque nos ipsos ulciscimur, etsi non opere, tamen affectu ; pro modica quoque offensa, magnam si possumus vindictam inferimus. Ubi est timor Dei ? ubi consideratio futuri judicii ? ubi quod quotidie in Oratione dominica dici-
Matth. VI, 12. mus, Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris ? Unde C
Marc. XI, 25, 26. ait Salvator : Quum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis adversus aliquem ; quod si non dimiseritis, nec Pater vester cœlestis dimittet vobis peccata vestra. Nec sufficit coram Deo injuriam illatam dimittere, sed oportet et injuriantes diligere, et benefacere ipsis, atque ex corde orare pro eis, quemadmodum præcipit
Matth. V, 44. Christus : Diligite inimicos vestros, benefacite iis qui oderunt vos, et orate pro persequentibus ac calumniantibus vos. Semper enim remittenda est injuria seu offensa quantum ad culpam ; emendatio tamen seu satisfactio exigi potest secundum processum ac ordinem juris : quamvis virtuosius et Deo placentius sit, ipsam quoque satisfactionem amore Christi dimittere, nisi forsitan ex tali remissione injuriator fiat ad injuriandum audacior, aut bono reipublicæ inde immineat damnum, aut ipsa justitia patiatur jacturam ac suppeditetur. Nam ut sanctus ait Bernardus, sicut condolendum est fratri peccanti, ita est compatiendum justitiæ, quæ tam impudenter ac impie conculcatur.

Postremo, patientia est virtus moralis qua in adversis passionem tristitiæ refrenamus. Non ergo propter adversa inordinate tristemur : imo potius gloriemur in eis, in quantum adversa sunt nobis tam multipliciter ineffabiliterque salubria, dummodo ea intuitu et amore Dei æquanimiter toleremus. Nam per ea purgamur a vitiis, præparamur ad gratiam et crescimus in eadem, Christo propter nos passo assimilamur, a futuris pœnis eripimur, atque ad sempiternæ beatitudinis bravium compendiosius pervenimus.

Itaque in prætactis virtutibus beatissimum primicerium martyrum imitemur, præsertim in caritate et patientia, et orationibus pro inimicis. Imo, ut hoc agere valeamus, beatum protomartyrem Stephanum invocemus, ut nobis gratiam hoc agendi impetrare dignetur.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUARTUS

DE SCANDALO NON PRÆSTANDO ; ET QUID SIT PLENUM ESSE SPIRITU SANCTO ET FORTITUDINE.

STEPHANUS plenus gratia et fortitudine, faciebat prodigia et signa magna in populo. Act. VI, 8.

D In omni genere primum dicitur esse maximum sive potissimum : idcirco B. Stephanum primicerium martyrum seu pro-

tomartyrem, hoc est primum eorum qui in A
evangelica lege pro Christo propria sponte martyrium passi sunt, Deus tanta divinorum charismatum excellentia decoravit, ut ei æqualis vix videatur inter martyres solum. Denique quod ejus sanctissima vita sapientissimaque doctrina, virtutum eminentia, victoriosa passio, in Scriptura canonica ab uno Evangelistarum tam lucide describuntur, nonne cœlesti præconio plenum est? Quid ergo ait de eo Evan-
Act. VI, 5. gelista ? Elegerunt (inquit) Stephanum
plenum fide et Spiritu Sancto; et paulo B
Ibid. 8. post, Stephanus plenus gratia et fortitudine, etc., multaque alia, ut novit caritas vestra. Et quoniam plenus fuit fide et gratia, fecit copiosa miracula; fuit et boni testimonii, et inter septem primos diaconos fuit primus. Et recte « plenus gratia et fortitudine » fuisse describitur, quoniam tam ad bona agenda quam ad mala perferenda desuper erat aptatus.

In iis itaque quæ de eo scribuntur, ipsum quantum ad nostram spectat vocationem
sequamur. Sit quilibet nostrum boni testi- C
monii, utpote exemplaris, ne conventum aut aliquem de conventu seu alium quempiam scandalizet. Nempe qui in aliorum præsentia male agit, tantos quantum in se est, occidit aut lædit, a quantis male agere cernitur. Hinc qui in congregatione versatur, aut cum magno sui ac aliorum periculo male se habet, aut cum grandi sui et aliorum profectu bene se regit. Sit igitur unusquisque in cunctis quæ agit, circumspectus, diligens, timoratus, quatenus et
Deum honoret, et sibi ipsi operetur salu- D
Matth. XVIII, 6, 7. tem, et proximos suos ædificet. Et præsertim pusillorum scandalum est vitandum.
Rom. XIV, 15. Noli illum perdere pro quo Christus mor-
II *Cor.* VI, 3. tuus est. Nemini demus ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum.
I *Cor.* VIII, 12. Pensemus quod ait Apostolus : Peccantes in fratres, et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. Chri-
Matth XXV, 40. stus etenim protestatur : Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Qui
Ibid. XVIII, 6. rursus terribiliter comminatur : Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris. Benedictus est Deo, fructuosus congregationi, et felix in spe, cujus virtutes aliorum vitia demoliuntur, cujus maturitas aliorum levitates et dissolutiones restringit, cujus silentium aliorum loquacitatem evellit, qui tanquam angelus pacis in medio fratrum pacifice ambulat, estque sollicitus ut de domo Dei scandala tollat, discordantes concordet, caritatem et pacem in omnibus foveat; ut de eo vere dicatur :
Hic est fratrum amator, hic est qui mul- II *Mach.* XV, 14.
tum orat pro plebe.

Præterea erubescat quisque semper esse pusillus. Qui enim scandalizatur, teste Hieronymo, pusillus est : majores namque scandala non recipiunt. Sunt autem pusilli spiritualiter infirmi, nondum in virtutibus stabiliti : qui non ex malitia, sed ex infirmitate aut ignorantia scandalizantur. Religiosorum vero est in sapientia et virtutibus semper proficere, aliorumque facta, quantum fieri potest, in melius interpretari, pie excusare et alleviare, atque peccantibus condolere, ex aliorum quoque ruina fieri cautiores. Sunt demum nonnulli malitiosi potius quam pusilli, ad judicandum de aliis temerarii : qui quidquid boni in aliis viderint, parum aut nihil inde ædificantur, sed potius obscurare atque in pejus id trahere moliuntur. Si vero mali quid in proximis deprehendunt, statim dijudicare, deridere, contemnere, accusare, obloqui proni sunt; similes Phari-
sæis de quibus ait Salvator : Sinite illos, *Matth.* XV, 14.
cæci sunt, duces cæcorum. Hi, ne pereant, juxta evangelica se emendent ac dirigant documenta, advertentes quod ait Salvator :
Bonus homo de bono cordis sui thesauro *Ibid.* XII, 35.
profert bona, et malus similiter mala. Im-
pleantque quod præcipit idem : Nolite ju- *Luc.* VI, 37.
dicare, nolite condemnare ; quæcumque *Matth.* VII, 12.
vultis ut faciant vobis homines, hæc eadem facite illis.

Insuper cum beatissimo Stephano simus pleni fide. Nam teste Gregorio, jam qui

credamus tot non sumus, quot veritatis A testes habemus. Et quid testibus indigemus, qui in nobis ipsis quotidie veritatem fidei experimur? Sentit utique in se ipso omnis diligens Dei servitor, omnis fervens religiosus, omnis interiorum suorum providus cultor, qui in virtutibus exercet se ipsum, quam vera sint omnia Christi documenta; quam nihil boni possit et habeat a se ipso, quam gratiose et evidenter adjuvetur a Deo, quam infirmus, durus et tardus sit ex se, quam fortis, fervens et promptus ex Deo; quantum et quam mul- B tipliciter conetur eum diabolus a spirituali impedire profectu, ab exercitiis retrahere virtuosis. Experitur qui talis est, quam magna et vera sit in evangelica lege et in perfecto Christiano sinceritas, quam pura, irreflexa et integra ad Deum conversio, quam mera privati amoris evulsio, quam perfecta omnium terrenorum et carnalium aspernatio, et quam plena spiritualium ac divinorum affectio. Quumque ad istam perfectionem quis venerit, et heroicus ac divinus exstiterit, jam abundan- C tissime experietur in se divinorum influxum charismatum, operationem Spiritus Sancti, illustrationes divinas, inflammationes supernas, libertatem et familiaritatem atque assiduam unionem et deambulationem suæ mentis cum Deo. Quum ergo tam certi simus de fidei veritate, de vitæ præsentis brevitate, de divini rigore judicii, de perpetuitate et acerbitate infernalis supplicii, imo de magnitudine tormentorum purgatorii, de æternitate quoque et plenitudine cœlestium gaudiorum, quare D negligimus? Cur torpemus pigritiis? Cur ullum temporis hujus momentum infructuose expendimus, et non potius cum omni mentis vigilantia ac fervore Deo obsequimur, et ea quæ Ordinis sunt custodimus?

Amplius, studeamus cum gloriosissimo martyre Stephano esse pleni Spiritu Sancto. Siquidem Spiritus Sanctus, quum verus sit Deus, est in omnibus per essentiam, præsentiam et potentiam, in bonis vero per gratiam; et quanto quis gratia ac virtutibus plenior est, tanto est plenior Spiritu Sancto. Plenus est Spiritu Sancto, in quo nihil sui habet diabolus, qui ejus suggestionibus in nullo consentit; et si in aliquo venialiter peccet, de hoc quotidie pœnitet seque expurgat, et fortius proficit, copiosiusque ditatur muneribus Spiritus Sancti. Quicumque ergo a passionum immoderantia est reformatus, exercitatosque habet sensus ad discretionem boni et mali, a privato purgatus amore, et Dei dilectione repletus, hic plenus est Spiritu Sancto. *Hebr.* v, 14.

Præterea, cum inclyto et victoriosissimo Stephano simus gratia pleni, ut natura gratiæ in omnibus subjiciatur, et naturales affectiones ac operationes Dei gratia condiantur, spirituali amore formentur, et juxta evangelicæ perfectionis tenorem ad Dei gloriam referantur, ne ad aliquem sensualiter afficiamur, ne aliquid in se et propter se, et non potius in Deo et propter Deum, appetamus, quæramus aut operemur: sicque in nobis omnis amor naturalis et socialis spirituali subdatur amori, et ejus additione ac directione meritorius fiat.

Postremo simus et fortitudine pleni, ea videlicet fortitudine quæ est virtus cardinalis, ut nec mortis timeamus pericula propter justitiam (sicut ait, imo et jubet Salvator, Nolite timere eos qui corpus occidunt); ea quoque fortitudine quæ est donum Spiritus Sancti. Imo omni virtute pleni esse conemur, ut universis tentationibus et peccatis viriliter reluctemur ac prævaleamus. Simus pleni humilitate, ne aliquo motu superbiæ superemur; pleni mansuetudine, ne vincamur ab ira; pleni patientia, ne propter adversa inordinate tristemur; pleni sobrietate et temperantia, ut in cibo et potu moderamen servemus; pleni justitia, ne adulatione, munusculo, favore emolliatur cor nostrum, et a medio ruat in obliquitatem peccati. Plenum sit cor nostrum filiali timore Dei; cum ingenti reverentia caveat omnem Deitatis of- *Matth.* x, 28; *Is.* xi, 2.

A fensam, et omnem ipsius custodiat voluntatem. Plena sit nostra voluntas divino amore, ut quidquid ad complacendum Deo, ad obtinendum beatificam visionem ipsius nobis accommodum est, hilariter amplectamur; et accendamur in Domino, ei jugiter propter se adhærentes, propter ipsius honorabilitatem eum colentes ac venerantes, atque ex puro amore, non pœnarum formidine aut præmiorum intuitu, ei in omnibus semper obedientes, et supererogatorie servientes.

SERMO QUINTUS

DE SERVANDA PATIENTIA AC MANSUETUDINE ; ET QUOD SUAS QUISQUE, NON ALTERIUS, INFIRMITATES CONSIDERET.

B VIDERUNT *faciem ejus tanquam faciem angeli.* Act. VI, 15.

Gloriosa dicta sunt de te, o præclarissime protomartyr Altissimi. Et quis poterit singula satis mirari aut digne laudare? Ecce quum staret hic Sanctus Dei in medio hostium suorum letalium, sitientium sanguinem ipsius, nequaquam expavit, nequaquam expalluit; vultus ejus non tristi colore perfusus est, sed angelico splendore vestitus, supernaturali jucunditate ornatus. Et quantus fuerit fulgor C mentis, quanta abundantia internæ illustrationis, quanta alacritas, tranquillitas, constantia et libertas cordis, in corporali ipsius apparuit vultu. Nihilo minus, sicut tangit Bernardus, magnitudo invidiæ hostium ejus sic eorum corda cæcavit, quod ex tanto miraculo non sunt compuncti, nec tantam gratiam attenderunt. Quid ad hæc nos pusilli dicemus, qui ex sonitu folii formidamus, et illic trepidamus timore (*Ps.* XIII, 5.) ubi non est timor? Si in capitulo nos reprehendendos putamus, timemus. Ita diligimus nos in nobis, quod propriæ saluti D metuimus, quod ea quæ nobis saluberrima sunt refutamus, quod in hac vita modice inhonorari, confundi, aspernabiles apparere veremur; quum tamen si vere sapientes, vere timorati humilesque essemus, cuperemus utique pro nostris defectibus atque excessibus quotidie acriter ac publice increpari, debite castigari : imo et quamvis non essemus culpabiles, tamen desiderio aliquantulæ conformationis dominicæ passionis, omnem adversitatem, persecutionem, accusationem, tribulationem, correptionem et correctionem, æquanimiter pateremur, Deo regratiantes quod calice electorum suorum nos potet. Siquidem omnes qui Deo placuerunt, per multas tribulationes transierunt fideles; (*Judith* VIII, 23.) et multæ tribulationes justorum. (*Ps.* XXXIII, 20.)

Denique quidam adeo sunt perversi, et suis aversionibus ac passionibus sic obtenebrantur, quod instar illorum obstinatissimorum Judæorum, quidquid devotionis, probitatis ac bonitatis in iis contra quos tentantur, conspexerint, totum dissimulant et pervertunt, atque in pejus interpretantur. Sic malitia, invidentia, ira, impatientia, miserum obtenebrant hominem, quum Chrysostomus dicat : Si perfecte oderis aliquem, quidquid agit displicet tibi; et si bona sunt quæ agit, tamen tibi mala videntur. Videant sibi isti qui de proximo judicant tam perverse, ne coram Deo inveniantur veræ caritatis expertes atque invidia tabescentes. Hæc autem perversitas hinc contingit, quod proprias defectuositates, culpas, ærumnas, vitiositates, pericula non advertunt, non ponderant nec deplorant.

Religiosus ergo, secundum quod conde-

cet monachum, consideret, discutiat, dijudicet, accuset, contemnat corrigatque se ipsum : et sic tantam in se ipso displicentiam ac mœrorem habebit, tantum habebit agere cum se ipso, tot in se miserias, periculositates, excessus inveniet, quod alios non turbabit, non observabit, neque despiciet, imo comparatione sui omnes arbitrabitur justos.

Præterea quantus fuerit in sacratissimo Stephano zelus justitiæ, quam fervens dilectio proximorum, quam ingens detestatio pravitatum, innotescit ex reprehensione illa liberrima qua adversarios Christi increpavit, dicendo : Dura cervice et incircumcisi cordibus et auribus, vos semper restitistis Spiritui Sancto, sicut et patres vestri. Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri ? Et occiderunt eos qui prænuntiaverunt de adventu Justi, cujus vos nunc proditores et homicidæ fuistis. (*Act.* VII, 51, 52.)

Ecce quam imperterrita mens, quam ardentissimus Deitatis affectus, quam plenissimus Christi amor, ex quibus profluxerunt hæc verba, quæ ardebant ut facula. Noverat quippe gloriosus iste athleta, duros et obstinatos atque incredulos esse acriter reprehendendos. Et maxime quando fidei requirit defensio, utendum est hujusmodi increpatione. Sic justi et virtuosi prælati inverecundos et rebelles reprehendere debent, et rigore compescere quos pietate lucrari non possunt. — Ex isto quoque docemur, sicut et sanctus tangit Fulgentius in sermone, quod quamvis interdum asperis responsionibus increpemur, non tamen æstimare debemus talem reprehensionem ex mala radice procedere, nec eam aspernanter sed patienter atque grataner suscipere. Quemadmodum enim graviora corporis vulnera acrioribus medelis, utpote adustione, incisione aut sectione, curantur ; sic et majora peccata duriorem exigunt correptionem. Verumtamen quidam vera sapientia destituti, vera patientia et humilitate privati, nec de suis excessibus efficaciter pœnitentes, impiissimorum illorum sequuntur insaniam Judæorum, de quibus Lucas ait : Audientes hæc (utpote increpationem præfatam), dissecabantur cordibus suis, et stridebant dentibus in eum. (*Act.* VII, 54.) Sic quidam religiosi a suis Patribus justissime reprehensi, protinus conturbantur : ira, indignatione, amaritudine, non compunctione, humiliatione, gratiarum actione, replentur. Isti de remedio fiunt pejores, et more phrenetici insurgunt in medicum. Imo nonnulli tantis perversitatibus offuscantur, ut nec mediocrem, dulcem et levem correptionem, seu etiam admonitionem, æquanimiter ferant. Qui utinam vocationem suam adverterent !

Quid autem post introducta refert de invictissimo ac ardentissimo Stephano veritatis Scriptura ? Quum (inquit) esset Stephanus plenus Spiritu Sancto, intendens in cœlum, vidit gloriam Dei, et Jesum stantem a dextris virtutis Dei ; et ait : Ecce video cœlos apertos, et Filium hominis stantem a dextris virtutis Dei. (*Ibid.* 55, 56.) De intelligentia verborum istorum, de excellentia visionis istius, de perfectione tantæ contemplationis plurima dici possent : de quibus super Actus Apostolorum, quod Dominus dedit scripsi. (*Cf.* t. XIV, p. 131 B' et s.) Nunc vero non est talibus immorandum. Sed ex iis verissime innotescit beatissimi hujus martyris eminentia.

Insuper, quam perfecta et summa fuerit patientia ejus, constat ex eo quod dum lapidaretur ab impiis, nequaquam contristatus aut motus est contra eos, sed plenissime ad eos ostendit dilectionem. Et quod reprehensionem illam acutam, non ex aversione, sed ferventissima caritate protulerit, declaravit in facto. Nempe dum ictibus lapidum undique vulneraretur, et morti jam proximus esset, stans pro se ipso oravit, flexisque genibus pro lapidatoribus deprecatus est, dicens : Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Quo dicto, obdormivit in Domino. (*Act.* VII, 59, 60.) Vere sicut sanctus ait Bernardus, quis audivit unquam talem, et quis vidit huic consimilem ? Ferventius

atque humilius orat pro tam crudelissimis A et injustissimis interfectoribus suis quam pro se ipso. O quam excellenter et propinquissime imitatus est iste discipulus suum magistrum! Ille etenim diris clavis affixus patibulo, in dolore constitutus gravissimo, Patrem pro crucifixoribus exoravit, dicen-
Luc. xxiii, 34. do : Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Ita et martyr iste fortissimus, ex-
Act. vii, 59, 60. emplo sui regis ac magistri, quum stans orasset pro se, positis genibus non solum oravit, sed et voce magna exclamans, dixit : Domine, ne statuas illis hoc pecca- B tum. Voce magna clamavit, voce utique devotissima, affectuosissima atque piissima, quoniam de illorum peccato magis quam de proprio supplicio doluit. Et hoc erat mirabile, quod tam gravissime sauciatus, alta potuit voce clamare quum inciperet exspirare : hoc namque verbo prolato, mox spiritum exhalavit. Et in hoc quoque imitatus est suum magistrum, qui magna
Luc. xxiii, 46 ; *Joann.* xix, 30. voce clamans, dixit : Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Quod quum dixisset, inclinato capite tradidit spiritum. C

Postremo, ex horum consideratione redeamus denuo ad nos ipsos, quatenus opposita juxta se posita, evidentius innotescant. Ecce caritatem, patientiam, perfectionem protomartyris summi audivimus; jam propriam perversitatem, impatientiam, defectuositatem consideremus, defleamus et emendemus. Si quis modice forefecerit nobis, aut durius quid contra nos loqui ausus fuerit, non jam flexis genibus pro ipso orabimus, sed complosis potius manibus, ei minabimur, ad præsidentem festinabimus quasi furentes ad conquerendum ut tantæ injuriæ retributio fiat; et non intelligimus miseri insaniam nostram, vehementiam passionum, impudentiam actionum, immensitatem imperfectionum nostrarum. Redeamus ergo prævaricatores *Is.* xlvi, 8.
ad cor, et tanti Sancti exemplo patientiam, mansuetudinem, caritatem discamus, atque in omni virtute quotidie crescere enitamur. Ad laudem et gloriam Domini nostri Jesu Christi, qui cum Patre et Spiritu Sancto unus est Deus omnipotens et æternus. Amen.

IN FESTO

S. JOANNIS APOSTOLI

ET EVANGELISTÆ

ENARRATIO IN LECTIONEM LOCO EPISTOLÆ

QUI TIMET DEUM, FACIET BONA, ETC. Eccli. XV, 1-6.

IN lectione hac, quæ hodie loco epistolæ A
legitur, edocentur virtutes, proprieta-
tes et opera viri sapientis ac justi. Et quia
hæc in beatissimo Joanne excellenter fu-
erunt, merito lectio ista in ejus solennita-
te in officio legitur Missæ. Itaque in Ec-
clesiastico dicitur :

Qui timet Deum filiali timore, *faciet
bona,* id est opera virtuosa ac meritoria.
Talis etenim timor ex caritate procedit, et
facit vitare culpam, ne Deus offendatur.
Item retrahit ab omissione et negligentia.
Eccle. VII, 19. Propter quod loquitur Salomon : Qui ti- B
met Deum, nihil negligit. *Et qui continens
est justitiæ,* id est tenax ipsius, seu tena-
citer eam conservans, *apprehendet illam,*
id est, eam plenius obtinebit, et dulciter
amplectetur eamdem. Hinc ait Salvator :
Matth. V, 6. Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quo-
niam ipsi saturabuntur. Virtutes namque
augentur et perficiuntur. *Et obviabit illi,*
id est, promptam se offeret suo amatori.
Quod ideo dicitur, quoniam omni ad vir-
tutes se disponenti, et quod in se est
peragenti, Deus liberalissime ac piissime C
offert infusionem virtutum, imo et eas in-
fundit. Itaque, « obviabit illi » *quasi mater
honorificata,* id est, tanquam venerabi-
lis mater caritative offert se suo amatori
eam continenter quærenti, juxta illud quod
scriptum est : Præoccupat eos qui se con- *Sap.* VI, 14.
cupiscunt, ut illis prior se ostendat.

Cibabit illum pane vitæ, id est, Deus
amatorem justitiæ spiritualiter nutriet ver-
bo sacræ Scripturæ : non enim in solo pa- *Matth.* IV,
ne vivit homo, sed in omni verbo quod 4; *Deut.* VIII,
procedit de ore Dei, ut ait Christus ; *et in-* 3.
tellectus, quia sacra Scriptura optime refi-
cit intellectum. *Et aqua sapientiæ salu-
taris potabit illum,* id est, mentem ejus
reficiet gratia et consolatione Spiritus San-
cti. Unde ait Salvator : Qui biberit ex aqua *Joann.* IV,
quam ego dabo ei, non sitiet in æternum ; 13, 14.
sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons
aquæ salientis in vitam æternam. *Et fir-
mabitur in illo,* id est, qui taliter timet
Deum, in Deo roborabitur per virtutes, fir-
miter adhærendo eidem ; *et non flectetur,*
id est, a rectitudine justitiæ non divertet,
sed perseverabit usque in finem, si de nu-
mero fuerit electorum : etiam si ad tempus
erraverit, finaliter pœnitebit. *Et contine-
bit illum,* id est, Deus conservabit eum in
bonis, *et non confundetur,* quem Deus ita
conservat, sed salvabitur cum electis ; *et
exaltabit illum apud proximos suos,* id

est. Deus honorabilem faciet eum et sublimem coram hominibus. Unde primo I Reg. II, 30. Regum loquitur Deus : Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. De Apo- Ps. XLIV, 17. stolis quoque Psalmista loquitur Deo : Constitues eos principes super omnem terram.

Et in medio Ecclesiæ aperiet os ejus, id est, Deus homini taliter timorato, sapienti et justo, dabit gratiam alios instruendi, et diriget eum in illuminatione seu informatione hominum; *et implebit eum spiritu sapientiæ et intellectus,* id est Spiritu Sancto et donis ipsius, videlicet : dono sapientiæ, per quod contemplabitur Deum et ejus suavitatem gustabit; dono etiam intellectus, per quod ea quæ fidei sunt et rationes credendorum perspiciet. *Et stola gloriæ,* id est veste immortalitatis, seu felicitate æterna, *induet eum* post vitam Ps. XX, 6. præsentem, juxta illud Psalmistæ : Gloriam et magnum decorem impones super eum; Is. LXI, 10. et illud Isaiæ, Induit me Dominus vestimento salutis. Vel, « stola gloriæ induet eum », id est sacerdotali ornatu ac dignitate in vita hac.

Jucunditatem mentis, *et exsultationem* corporis sensitivæque partis (quæ exsultatio ex interioris lætitiæ redundantia oritur : unde in Psalmo, Cor meum et caro Ps. LXXXIII, 3. mea exsultaverunt in Deum vivum), *thesaurizabit,* id est, copiose augebit, *super eum,* id est in eo : quia copiosam ei dabit mercedem, et de eorum quos converterit gaudebit conversione, gratia et salute. Hinc ait Salvator : Thesaurizate vobis thesauros Matth. VI, 20. in cœlo. Paulus quoque apostolus his quos converterat scribens : Carissimi (inquit), Philipp. IV, 1. gaudium meum et corona mea. *Et nomine æterno hereditabit eum,* id est, famam præclaram dabit ei perpetuo in sancta Ecclesia : nam et in vita præsenti, faciet eum famosum ac venerandum, in regno quoque cœlesti hoc plenius faciet. Vel, « nomine æterno hereditabit eum », quia faciet eum suum filium adoptivum in sempiternum. Hinc Salomon loquitur : Memoria justi Prov. X, 7. cum laudibus; et iterum, Corpora Sancto- Eccli. XLIV, 14. rum in pace sepulta sunt, et vivent nomina eorum in sæculum sæculi. Et in Apocalypsi loquitur Christus : Vincenti dabo Apoc. II, 17. manna absconditum, et dabo illi calculum candidum, et in calculo nomen novum scriptum, quod nemo scit nisi qui accipit.

SERMO PRIMUS

DE MULTIPLICI TIMORE; ET QUOMODO TIMENDUS DEUS, QUOMODOVE REDUCENDI SINT PECCATORES.

QUI *timet Deum, faciet bona.* Eccli. XV, 1.

Timorem Dei sacra Scriptura valde commendat, quoniam in Ecclesiastico scri- Eccli. XL, 28. ptum est : Timor Dei, sicut paradisus be- Ibid. I, 20. nedictionis; et iterum, Plenitudo sapientiæ, Ibid. XXV, 14. timere Deum ; itemque, Timor Domini Ibid. I, 22. super omnia se posuit; et rursus, Timor Dei, corona justitiæ. Et horum ratio est, quia timor Dei abstrahit hominem a peccato, et conservat eum in bono, facitque eum diligentem in exsecutione exercitiorum virtuosorum. Sed his obviare videtur, quod in prima sua epistola ait Joannes apostolus : Timor non est in caritate; sed I Joann. IV, 18. perfecta caritas foras mittit timorem : quoniam timor pœnam habet; qui autem timet, non est perfectus in caritate.

Est itaque agnoscendum, quod est multiplex timor Dei. Primus et infimus, est timor servilis, qui non est virtuosus nec meritorius vitæ æternæ; et tamen aliquo

modo disponit hominem ad virtutes, in A quantum retrahit eum a culpa : timor quippe aliud non videtur, nisi fuga seu abominatio mali quod potest accidere. Timor ergo servilis, secundum quod timor, disponit ad gratiam, quia facit vitare culpam. Sed in quantum servilis, vituperatur potius quam laudatur : quia ut sic, vitat malum non intuitu aut amore Dei nec zelo justitiæ, sed solum ne patiatur supplicium. Unde qui Deum timet non nisi servili timore, est in mortali peccato damnationisque statu : quoniam quantum in B se est, habet affectum plenum ad vitia, nec amat Deum atque justitiam, sed iniquitatem; et quod eam non facit, sed vitat, est ex timore incommodi proprii : quemadmodum mulier adultera cupiens amatorem suum admittere, non tamen hoc faciens ne a proprio deprehendatur marito. Hinc ait Gregorius : Quum quis timore adhuc bonum agit, a malo penitus non recessit. Quoniam eo ipso peccat, quo peccare vellet si impunite posset. Augustinus quoque : Quum quis timore pœnæ facit C bonum, nondum bene efficit bonum. Verumtamen quidam sunt ita intimorati, quod nec amore Dei, nec zelo justitiæ, nec pœnarum formidine vitant peccata. Istis consulendum est, ut saltem servili timore paveant Deum fugiantque peccata. Ideo dicit Hugo de S. Victore hortando : Si amor Dei te tenere non potest, saltem te teneat et terreat timor judicii, metus gehennæ, laquei mortis, dolores inferni, ignis urens, vermis corrodens, sulfur fœtens, flamma tartarea, et omnia mala. D

Alius, est timor humanus, quo quis timet hominem ne eum offendat, aut ei displiceat, aut aliquid patiatur ab eo, aut coram eo confusibilis contemptibilisve appareat. Et hic timor etiam imperfectus est, non virtuosus, nec retrahit hominem a peccati amore seu peccandi affectu : imo nec ab opere malo ubique, sed in præsentia hominum, aut ubi latere non potest. Hinc ait Salomon : Qui timet hominem, cito corruet. Chrysostomus quoque : Facile, inquit, deviat a justitia, qui in causis non Deum, sed homines pertimescit. Hic timor, peccandi facultatem differre potest, voluntatem peccandi auferre non potest. Solus est Christi timor, qui mentes corrigit, fugat crimina, innocentiam servat. Imo timor iste humanus, quamvis ad tempus retrahat hominem ab excessu, tamen plus incitat ad peccandi affectum, ubi opportunitatem invenerit. Qui taliter timet, festinat ad mala. Idcirco dicit Hieronymus : Timor Dei corrigit; timor hominum differt actionem, sed voluntatem non aufert, et avidiores reddit ad crimen quos aliquando suspendit a crimine. Verumtamen, si quis timeat homines in quantum sunt Dei vicarii, et ne eos offendendo, Deum offendat, vel ne eos contristet, affligat aut tribulet, laudabilis timor est.

Prov. xxix, 25.

Est etiam timor carnalis, quo quis immoderanter timet propriæ pelli, videlicet aspera carni : qui timor est vitiosus.

Rursus, est timor naturalis, quo quis adversa formidat. Et timor iste non est in se bonus aut malus, virtuosus aut vitiosus, sed indifferens, sicut et ceteræ passiones, in quantum sunt affectiones seu motus pure naturales. Porro, si ratione regatur, bonus fit; sin autem, vitiosus efficitur.

Amplius, est timor filialis, qui est timor perfectus et summus, ex caritate procedens, quo Deum timemus ne separemur ab eo, et ejus cavemus offensam, videlicet culpam, non pœnarum formidine, sed ex ejus dilectione ac zelo justitiæ : quemadmodum bonus filius metuit suum patrem, quem intime diligit, et fidelis pudicaque uxor suum maritum carissimum. Iste est timor reverentialis, castus et sanctus, caritati semper conjunctus, de quo intelliguntur præinductæ Ecclesiastici auctoritates. — Alius vero, est timor initialis, qui inter timorem servilem et filialem est medius, habens aliquid de utroque, quia per talem timorem vitat homo peccata, partim pœnarum horrore, partim zelo justitiæ et ex dilectione. Et quanto plus proficit homo in caritate, tanto timor iste

initialis plus abjicit de servilitate plusque A accedit ad filialitatem.

Studeamus ergo Deum filialiter formidare, ne ejus benignissimum vultum paternum in aliquo offendamus, ne ejus præstantissimam majestatem ac sanctitatem inhonoremus, ne abjiciamur ab eo : sicque *Eccli.* XXI, 2. tanquam a basilisco, fugiamus ab omni peccato, imo et multo plus. Basiliscus namque venenosissimus serpens, suo veneno perimit corpus, et temporalem dumtaxat infligit mortem; peccatum autem interimit animam, et infernalem ac æternalem B inducit interitum. Insuper absit ut homines magis vereamur quam Deum. Absit a nobis ut Deum in tantum parvi pendamus, sed summum Judicem omnia intuentem cogitemus ubique esse præsentem, et quidquid cogitamus, appetimus, loquimur, operamur, adspicientem ac judicantem: sicque ob ejus reverentiam, vitemus ipsius offensam; fugiamus peccata, quia peccata, et quia sunt turpia Deique inhonorativa.

Præterea diligamus justitiam, reddentes unicuique quod est suum, nulli injuriantes, C nullum lædentes. Neminem, in quantum in nobis est, offendentes : quemadmo- II *Cor.* VI, 3. dum ait Apostolus, Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum. Imo, prout fraterna requirit dilectio, unusquisque ad alterum gratiose, exemplariter, pie et caritative se habeat. Propter quod monet Apostolus : *Galat.* v, 13. Per caritatem servite in invicem; itemque, *Rom.* XII, 10. Honore (inquit) invicem prævenientes; et denuo, Unusquisque proximo suo placeat *Ibid.* XV, 2. in bonum ad ædificationem. D

Amplius, si ita timuerimus Deum, et justitiam observaverimus, tunc Deus piissi- *Eccli.* XV, 3. mus animas nostras cibabit nobilissimo, delicatissimo atque multiplici cibo, videlicet pane vitæ et intellectus, id est documentis Scripturarum sanctarum, pane etiam salutarium lacrimarum, pane sacramentali, pane gratiæ ac virtutum, operumque bonorum ; consolatione quoque Spiritus Sancti reficiet corda nostra. De pane ope- *Joann.* IV, 34. rum bonorum loquitur Christus : Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ut perficiam opera ejus. De pane etiam sacramentali sic dicit : Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. *Joann.* VI, 56. O quam salubriter cibantur devoti his panibus; quantum confortantur ex eis ad resistendum dæmonibus ac peccatis, et item ad bene agendum, ad proficiendum ac perseverandum in bonis ! Væ miseris vilissimisque peccatoribus qui in mortalibus jacent culpis, propter quod nullo istorum aluntur panum, sed infirmi sunt ad omne bonum, et indesinenter superantur a vitiis, a dæmonibus, a concupiscentiis propriis ; quorum quilibet potest dicere lugubriter : Percussus sum ut fœnum, et *Ps.* CI, 5. aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum. Tales namque a dæmonibus percutiuntur, quia spiritualiter occiduntur, tentationibus dæmonum consentiendo. Nec tamen advertunt, sed læ- *Prov.* II, 14. tantur quum excesserint. De quibus Jeremias asserit : Percussisti eos, et non *Jer.* v, 3. doluerunt; induraverunt faciem suam supra petram, et noluerunt reverti, id est ad Deum converti, recedendo a viis iniquitatis ac perditionis.

Insuper, quum ita a Deo illuminati fuerimus, nutriti et confortati, tunc ipse in medio Ecclesiæ, hoc est in populo chri- *Eccli.* XV, 5. stiano, os nostrum aperiet, ut verba salutis aliis proferamus, eos hortando, docendo, corripiendo ac dirigendo, ut impleamus quod ait beatissimus princeps Apostolorum : Unusquisque sicut accepit gratiam, I *Petr.* IV, 10. in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei. Unde in Proverbiis scriptum est : Vena vi- *Prov.* X, 11. tæ, os justi; et rursus, Labia justi eru- *Ibid.* 21. diunt plurimos. Nam sicut in Ecclesiastico legitur : Sapientia abscondita et thesaurus *Eccli.* XX, 32. invisus, quæ utilitas in utroque ? Quam fructuosa sit ista instructio aliorum, pandit apostolus Jacobus in fine suæ epistolæ, dicens : Qui converti fecerit peccato- *Jacob.* v, 20. rem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operit multitudinem peccatorum. Unde et in Daniele fertur : Qui *Dan.* XII, 3.

ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ fulgebunt in perpetuas æternitates. Itaque unusquisque proximum suum hortetur ad bonum, alliciat ad salutem, corripiat delinquentem, erigat lapsum. Hinc demum vitare debet unusquisque prava consortia, ne cum perversis et impiis pervertatur ac pereat; et bonis, virtuosis ac sapientibus se debet conjungere, quorum informatione atque exemplo proficiat et salvetur. Hinc in Ecclesiastico scriptum est : Cum viro sancto assiduus esto, et quemcumque cognoveris observantem timorem Domini. Et iterum in eodem scriptum est libro : Quum videris sensatum, statim evigila ad illum.

Ps. XVII, 27. *Eccli.* XXXVII, 15. *Ibid.* VI, 36.

Postremo, in omnibus bonis prætactis gloriosissimus evangelista Joannes fuit præclarus. Quemadmodum enim in divino amore ardentissimus fuit, sic et filiali Dei timore fuit repletus. Fuit et omni justitia plenus, cui copiosissimam sapientiam præstitit Deus, atque in medio Ecclesiæ os ejus aperuit. Nec solum Asiam sua informavit doctrina, sed et totum mundum per evangelium quod scripsit, illuminavit. Gratiam etiam prophetiæ præcipuam habuit, et statum ac cursum Ecclesiæ in Apocalypsi prophetice comprehendit. Et quamvis omni fuerit virtute sublimiter decoratus, atque in divini amoris ardore eximius, in fraternæ tamen dilectionis fervore erat et valde excellens.

Unde in ejus fertur Legenda, quod quadam vice convertit juvenem quemdam speciosum et ferocem, quem cuidam episcopo commisit custodiendum. Post modicum tempus juvenis ille relinquens episcopum, abiit ad latrones, et eorum factus est princeps. Post hæc beatissimus evangelista Joannes suum ab episcopo requisivit depositum, scilicet juvenem illum. Quum ab episcopo intellexisset quod princeps factus esset latronum, sanctus Apostolus præ tristitia vestem propriam scindens, et caput pugnis feriens : Bonum, inquit, custodem te animæ fratris reliqui. Confestim ergo Apostolus equum sibi jussit parari, et ad montem in quo juvenis ille cum latronibus erat, equitavit. Juvenis autem viso Apostolo, præ verecundia maxima equum ascendens, aufugit. Apostolus vero ætatis suæ oblitus, urgebat calcaribus equum, atque post fugientis tergum cœpit clamare : Cur, fili carissime, fugis tuum patrem et senem inermem? Ne timeas, fili, quia pro te Christo reddam rationem. Et certe pro te libenter morerer, sicut pro nobis mortuus est Christus. Revertere, quia Deus me misit pro te. Quod audiens juvenis, Deo adspirante, compunctus est corde, et rediit amarissime plorans. Apostolus autem ad ipsius cecidit pedes, et manum ipsius tanquam per pœnitentiam jam purgatam, cœpit deosculari. Deinde jejunans et orans pro juvene illo, veniam impetravit eidem. Postea quoque fecit eum episcopum.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

DIXIT JESUS SIMONI PETRO : SEQUERE ME, ETC. Joann. XXI, 19-24.

EVANGELIUM præsens in solennitate S. Joannis apostoli legitur, quia in eo S. Joannes aliqua de se ipso conscripsit. Itaque :

Dixit Jesus Simoni Petro, videlicet principi Apostolorum, qui in circumcisione sua vocatus est Simon, postmodum autem a Christo vocatus est Petrus, *Sequere me.* Istud contigit post Christi resurrectionem, quando juxta mare Tiberiadis Chri- *Joann.* I, 42. *Ibid.* XXI, 1 et seq.

stus apparuit septem discipulis, utpote A beatissimo Petro, Thomæ, et Nathanaeli fratri Philippi apostoli, sancto quoque evangelistæ Joanni, et Jacobo ejus fratri, et aliis ex discipulis ejus duobus quorum nomina reticentur. Quumque inter cetera Christus prænuntiasset Petro, quale pro fidei veritate passurus esset martyrium, Joann. xxi, 19. dixit ad eum : « Sequere me ». Quumque Petrus nesciret de quali sequela Christus ei dixisset, « Sequere me », cœpit corporaliter ire post Christum, qui tunc de loco convivii quo cum discipulis illis comederat, B surgens, corporaliter abiit. Et tunc *conversus Petrus,* id est retro adspiciens, *vidit illum discipulum quem diligebat Jesus, sequentem,* puta Joannem. Nam Petro corporaliter Christum sequente, cœpit Joannes corporaliter sequi Petrum. Petrus vero audiens quemdam se sequentem, retrospexit ut videret quis esset. Nempe, ut innuit Augustinus, nec Petrus neque Joannes agnovit quo sensu Christus dixerat Petro : « Sequere me ». *Qui* Joannes *et recubuit,* id est, quievit seu appodiavit se, *in Cœna* C *super pectus ejus,* videlicet Christi, *et dixit : Domine, quis est qui tradet te?* Qualiter Ibid. xiii, 23, 25. contigit hoc, alio loco plenius habetur. Denique per hanc circumlocutionem designat S. Joannes se ipsum, non jactanter, sed gratanter, insinuans se a Christo specialiter prædilectum, tamque ei familiarem fuisse ut in Cœna super ipsius recubuerit pectus.

Hunc ergo Joannem *quum vidisset Petrus* sequentem, *dixit Jesu : Domine, hic autem quid?* id est, quid aget aut patietur D pro te? quid ei committis? Petrus apostolus et Joannes iste, præ ceteris inter se familiares fuerunt et prædilecti : unde et Luc. xxii, 8; Act. iii, 1; iv, 13, 19; viii, 14; etc. communiter combinati leguntur ac sociati, ut patet præcipue in Actibus Apostolorum. Idcirco pro Joanne fuit Petrus sollicitus, dicens : « Hic autem quid? » *Dicit ei,* scilicet Petro, *Jesus : Sic eum volo manere,* id est, Joannem volo in corpore permanere, et exspectare in pace, absque martyrio, *donec veniam* ad eum in hora obitus sui, vocaturus eum et educturus de præsenti exsilio ad regnum cœleste. *Quid ad te* interrogare de tali secreto futuro? Quamvis namque, sicut in Ecclesiastico scribitur, unicuique Deus mandavit de Eccli. xvii, 12. proximo suo, et juxta Pauli doctrinam, debemus singuli quærere, non quæ nostra I Cor. x, 24. sunt, sed quæ aliorum; non tamen debemus curiose scrutari quid Deus præordinaverit de proximis nostris, quantum ad genus mortis eorum, et quoad futura occulta. Unde et Apostolis de negotio tali quærentibus, Christus respondit : Non est Act. i, 7. vestrum nosse tempora vel momenta quæ Pater posuit in sua potestate.

Præterea quidam præinductam Christi responsionem ita intellexerunt, quasi Joannem dixerit Christus non moriturum ante secundum suum adventum. Unde nonnulli dixerunt Joannem translatum in paradisum terrestrem, et in fine cum Elia et Enoch venturum ad prædicandum contra Antichristum : quatenus sicut Enoch ante Gen. v, 24. legem, et Elias sub lege; sic et Joannes IV Reg. ii, 11. post legem sub Evangelio credatur in paradisum translatus, et inde venturus atque ab Antichristo necandus. Quibus contrariari videtur, quod in Apocalypsi non fit mentio nisi de duobus contra Antichri- Apoc. xi, 3. stum venturis. Alii dixerunt Joannem in sepulcro dormientem jacere, quia et scaturitio quædam ibi percipitur ac ebullitio terræ, quod ejus anhelitu fieri sunt testati; quod item in fine mundi solvet debitum mortis, moriendo pro Christo. Has opiniones non approbat Augustinus. Communiter ergo tenetur, quod vere obierit, quum se ipsum in sepulcro posuerat, et ad regnum cœleste perductus sit, prout in ejus continetur Legenda, et in sermone dicetur.

Exivit ergo sermo iste inter fratres, id est discipulos ibi præsentes, ac alios quosdam hæc percipientes, *quod discipulus ille,* puta Joannes, *non moritur,* id est, moriturus non esset : quia sic intellexerunt verba Christi præhabita. Quem intellectum excludit Joannes, subdendo : *Et non dixit, Non moritur,* id est, per verba illa non

designavit quod non fuerat moriturus, completa sua periodo. *Sed* dixit : *Sic eum volo manere donec veniam* (juxta sensum præhabitum) ; *quid ad te?*

Hic est discipulus ille qui testimonium perhibet de his, et scripsit hæc, id est, verbo et scripto testatur vera hæc esse. *Et scimus* per fidem certissimam, *quia verum est testimonium ejus.* Nam ipse glo- A riosus evangelista Joannes scivit per experientiam et alia plurima argumenta, se Deo inspirante ipsa scripsisse. Per magna quoque, solique Deo possibilia miracula, demonstravit veritatem evangelii sui. Quæ item miracula nos recognoscentes, scimus quod Deus testimonium perhibuit veritati evangelii S. Joannis, nec aliter potuisset Asiam convertisse.

SERMO SECUNDUS

QUID NOS DEO FACIAT FAMILIARES STABILESQUE ; ET DE OCTO DAMNATORUM POENIS.

H*IC est discipulus ille quem diligebat Jesus.* Joann. xxi, 20, 24.

Dominus noster Jesus Christus multiplici excellentia decoravit beatum evangelistam Joannem. Prima est, quod inter Apostolos ipsum magis dilexit, et singularem familiaritatem ei monstravit. Et hoc ipsemet S. Joannes frequenter in evangelio suo testatur : quia per hanc circumlocutionem, « discipulus quem diligebat Jesus », exprimit semetipsum. (*Joann.* xiii, 23 ; xix, 26 ; xxi, 7, 20.) Non enim dubium quin Jesus cunctos Apostolos præelectos valde dilexerit : idcirco per verba ista evangelista Joannes designat se specialiter a Christo dilectum. Verumtamen qualiter intelligendum sit hoc, infra magis discutietur. Porro inter Apostolos, isti tres, scilicet Petrus, Joannes, et frater ejus, Christo familiariores fuisse ex Evangelio comprobantur. Nam Christus ad sua secreta præ ceteris eos assumpsit : unde transfigurationi suæ et suscitationi filiæ archisynagogi interfuerunt. (*Matth.* xvii, 1 ; *Marc.* v, 37.) Similiter tempore passionis assumpsit hos tres, dixitque eis : Tristis est anima mea usque ad mortem. (*Matth.* xxvi, 37, 38 ; *Marc.* xiv, 33, 34.)

Studeamus ergo et nos amari a Christo, et familiares esse eidem. Et certum est quod quanto virtuosiores et Christo similiores effecti fuerimus, tanto ei amabiliores exsistemus. Ideo Christi humilitatem, B mansuetudinem, patientiam, pietatem, justitiam, caritatem, sequamur, et in eis quotidie crescere nitamur. Omnis malitia, fraus, vanitas, immunditia, contemnantur et abjiciantur a nobis. At vero tanto familiariores efficimur Christo, quanto ei cordialius adhæremus, et quanto mentem nostram in ipso magis colligimus ; quanto etiam magis interne occupamur in ipso, vacando ei per orationes ferventes, per meditationes sanctas, per contemplationes sinceras, per affectiones ardentes. Per hæc C efficitur homo quasi secretarius ac consiliarius Dei. Oportet ergo eum qui taliter cupit Deo uniri familiarisque fieri, occupationes inutiles, distractiones cordis, curas superfluas evitare, et semper ad Altissimum adspirare, ut queat dicere cum Psalmista : Oculi mei semper ad Dominum ; (*Ps.* xxiv, 15.) et rursus, Adhæsit anima mea post te. (*Ps.* lxii, 9.) O quam beatus qui ita se habet, qui taliter occupatur, cujus tota affectio atque intentio est ad Deum!

Secunda excellentia est, quod et ipse D S. Joannes apostolus tam ante Christi passionem quam in passione, et item post passionem, valde constanter Christo adhæsit. Nam quamvis hora comprehensionis Domini Jesu cum ceteris Apostolis fugerit, mox tamen resumpta fiducia, secutus est (*Matth.* xxvi, 56. *Joann.* xviii, 15 ; xix, 26, 27, 35.)

Christum usque in domum pontificis; et usque ad exspirationem Christi in cruce, adstitit ei, nec ab illo abiit loco, nisi corpore Christi sepulto. Legitur quoque in Actibus, quemadmodum post Christi resurrectionem et Spiritus Sancti missionem, quum principes sacerdotum prohiberent Apostolis prædicare fidem et evangelium Christi, Petrus et Joannes cum ingenti responderunt constantia : *Act.* IV, 19; V, 29. Obedire oportet Deo magis quam hominibus. Unde et principes illi mirabantur tam imperterritam eorum constantiam. *Ibid.* IV, 13.

Hanc ergo beatissimi Joannis constantiam imitemur : *Ephes.* IV, 14. non circumferamur omni vento doctrinæ, non passionum impetu moveamur, nec concupiscentiis superemur; non extollamur in prosperis, nec dejiciamur adversis, non inani resolvamur lætitia, nec inordinata deprimamur tristitia, sed in omni eventu habeamus cor timoratum ac stabilitum in Deo. Nam ut ait Apostolus, *Hebr.* XIII, 9. Optimum est gratia stabiliri cor. Quemadmodum autem passiones et vitia reddunt mentem instabilem, sic sapientia et virtutes stabiliunt eam in Deo. Et quanto in vera sapientia atque virtutibus proficit homo, tanto stabilior fit in Deo. Propterea Salomon exhortatur : *Prov.* IV, 23. Omni custodia custodi cor tuum; ne scilicet per distractiones et vitia fiat instabile, et elongetur a Deo. Pro hac virtuosa constantia obtinenda et conservanda, Deum jugiter invocemus. Verumtamen omnem pertinaciam atque duritiam animi fugiamus. Nam qui mentis est duræ, incidet in mala; *Ibid.* XXVIII, 14. et qui in proprio sensu est pertinax, vera caret prudentia, fatuusque consistit, putans se solum bene sentire. O quam longe a præfata constantia virtuosa distant iniqui, qui vitiis sunt subjecti, et concupiscentiis propriis agitantur, passionibusque subduntur! Propter quod de uno peccato labuntur in aliud, nunc inaniter læti, nunc inordinate mœrentes; nunc carnaliter formidantes, nunc stolide præsumentes; nunc concupiscentiis inflammati, nunc cupiditate nunc ambitione succensi : ideo (teste

A Propheta) sunt tanquam pulvis quem projicit ventus a facie terræ. *Ps.* I, 4. Unde denuo ait de eis : In circuitu impii ambulant. *Ps.* XI, 9. Non enim per rectam viam salutis tendunt ad Deum, sed per vitiorum obliquitates properant ad infernum, et undique in rebus caducis atque inanibus distrahuntur, non figentes cor suum in Deo tanquam in ultimo fine, nec alia omnia ad Dei honorem et gloriam ordinantes.

Tertia sancti evangelistæ Joannis excellentia est, quod Filius Dei suam dilectis-

B simam Matrem singularemque sponsam, mundissimam virginem Mariam ei commisit. Pendens namque in cruce, dixit Joanni : Ecce mater tua, *Joann.* XIX, 27. hoc est, hanc quæ mea vera est mater, tibi assigno in matrem, quatenus ei ut filius fideliter obsequaris, ejus sis consolator et custos. O beatissime Evangelista, quam magna est ista excellentia tua! Utique tanto est major, quanto major est bonitas atque sublimior dignitas hujus virgineæ Genitricis. Nonne ipsa est Mater veri Dei, comparen-

C talis Deo Patri, utpote eumdem numero cum illo Filium habens, illiusque genitrix vera a quo Spiritus Sanctus vere procedit? Ob hoc beatissima virgo Maria omni puræ creaturæ mirabiliter est prælata, ita quod ipsa est domina angelorum, regina cœlorum, domina mundi, imperatrix, advocata ac mater populi christiani : a qua, ut divinus Dionysius protestatur, etiam summi angelici spiritus purgantur, illuminantur ac perficiuntur. *Cf.* t. XV, p. 112A, 551A. Ecce qualis et quanta est, quæ B. Joanni commissa est et ei

D assignata in matrem; cui et ipse Joannes assignatus est filius, Christo dicente ad eam de S. Joanne : Mulier, ecce filius tuus. *Joann.* XIX, 26. Et nos ergo cum omni humilitate ac fiducia committamus nos Virgini gloriosæ et S. Joanni, ut orent pro nobis.

Quarta excellentia S. Joannis est, quod non solum apostolus, sed etiam evangelista, et evangelista tam eximius fuit : quia de superbeatissima Trinitate, de Christi deitate, de Sacramento altaris, et de quibusdam altissimis Christi doctrinis, præ

ceteris Evangelistis atque Apostolis, profundius diffusiusque in evangelio suo conscripsit. Ut enim in ejus habetur Legenda, quum ab insula Patmos, in qua in exsilio fuit, Ephesum redisset, invenit quosdam hæresibus Ebionis ac Cerinthi corruptos. Idcirco ab episcopis atque presbyteris Asiæ rogatus ut evangelium scriberet, in quo illorum confutaret errores, acquievit, et evangelium scripsit : in quo pauca de Christi humanitate et ejus scripsit miraculis, quia de his alios noverat Evangelistas scripsisse. Et quoniam illi de Christi deitate ac summa Trinitate et sacramento Eucharistiæ scripserunt perpauca, idcirco de his evangelista Joannes plenius scripsit. Aliqua quoque Christi miracula ab Evangelistis aliis prætermissa, describit. *Ezech.* I, 5 et seq. Hinc in visione prophetica quatuor animalium, quatuor Evangelistas designantium, S. Joannes designatur per aquilam, quæ in vertice quatuor animalium apparebat. Aquila namque ceteris avibus volare altius perhibetur, atque (ut fertur) solem in suo splendore irreverberatis oculis intuetur : ita B. Joannes per contemplationem et conscriptionem volavit sublimius, et Solem justitiæ, Deum supersplendidissimum et excelsum, adspexit sincerius. Hinc alii tres Evangelistæ cum Christo quasi super terram ambulasse feruntur ; Joannes autem cum ipso quasi in alta cœlorum ascendisse asseritur. Idcirco et nos pauperculi pro modulo nostro sanctum sectantes Joannem, carnalia et terrena despicere, spiritualia atque cœlestia desiderare discamus ; Deum quoque contemplari ac super omnia diligere studeamus, et ea ipsa quæ de Deo et pertinentibus ad salutem agnoscimus, proximis evangelizare, id est annuntiare, non negligamus.

Quinta excellentia S. Joannis est, quod non solum sublimis apostolus evangelistaque summus, sed etiam maximus fuit propheta. Nam totus processus et status, ordo, gradus, eventus, persecutio et consummatio militantis Ecclesiæ, sibi in Patmos insula revelata et ab ipso in Apocalypsi descripta creduntur. Unde de ipso cantatur : Numquid vidit tot secreta purus homo purius ? Ita et nos nobis ipsis ac aliis quodammodo prophetemus, id est, futura denuntiemus, utpote districtionem futuri judicii, amarissima illa tormenta inferni, cœlestis quoque ineffabilia gaudia paradisi : quatenus ex profunda ac diligenti horum consideratione, deploremus nostra ac proximorum peccata, divina observemus præcepta ; et temporalia vilipendendo, sollicite ac timorate conversemur coram Altissimo, ne Deum et creatorem ac summum judicem nostrum offendamus in aliquo.

Unde in Legenda S. Joannis narratur, quod quodam die in Epheso quemdam juvenem suscitavit a mortuis, qui ante triginta dies acceperat uxorem. Resuscitatus autem, multa recitavit de gaudiis Beatorum pœnisque impiorum, et de suppliciis reproborum expressit octo species tormentorum. Prima est, corrosio infernalium vermium : unde in Isaia legitur, Vermis eorum non morietur. *Is.* LXVI, 24. Secunda est, tenebræ infernales : hinc apud Job, infernus vocatur terra tenebrosa et operta mortis caligine. *Job* X, 21. In cujus rei figura scriptum est in Exodo, quod in Ægypto factæ sunt tenebræ horribiles atque palpabiles. *Exod.* X, 21, 22. Tertia est, flagellatio damnatorum a dæmonibus, qui cum ignitis ac ferreis virgis, flagellis et scorpionibus, flagellant damnatos. Quarta est, vehementissimum frigus : nam infernus in medio terræ, ubi summum est frigus, consistit. Idcirco Job dicit de iniquo : Ab aquis nivium transiet ad calorem nimium. *Job* XXIV, 19. Quinta pœna est, tartarei ignis incendium : quæ pœna gravissima est, quia et ignis ille calidissimus est. De quo in die judicii dicturus est Christus ad impios : Ite, maledicti, in ignem æternum. *Matth.* XXV, 41. Ipsa quoque alternatio seu vicissitudo pœnarum infernalis frigoris ac caloris, inæstimabiliter torquet damnatos, præsertim quoniam transeunt de extremo in extremum, hoc est de maximo calore ad inten-

sissimum frigus, sine reductione ad temperamentum seu medium. Sexta pœna est, dæmonum adspectus : quæ pœna ineffabiliter gravis est, ita quod (sicut in multis narratur exemplis) homo mallet in ardenti fornace jacere, quam unum dæmonem in sua horribili forma conspicere. Qualis ergo et quanta est, innumerabilem dæmonum multitudinem æternaliter intueri? Septima pœna est, confusio scelerum, qua damnati de suorum scelerum enormitate ac turpitudine confunduntur, et inordinatio ac perturbatio maxima cordis eorum. Animus autem inordinatus sibi ipsi pœnalis est, quemadmodum animus ordinatus sibi ipsi suavis est. Octava pœna est, luctus perpetuus : unde in Evangelio loquitur Christus, Ibi erit fletus et stridor dentium. (*Matth.* VIII, 12; XIII, 42; etc.)

Præter ista supplicia, sunt in inferno A alia multa tormenta. Unum est, intolerabilis fœtor; secundum est, mœstissima illa societas; tertium, tædiosissimus clamor; quartum, propriæ deformitatis intuitus; quintum est, improperatio dæmonum ; sextum, divinæ visionis carentia; septimum, desperatio sempiterna, quia de suis perpetuis pœnis sunt certi. Nec tantum affligentur exterius ab igne gehennæ quantum torquebuntur in mente, cogitando quod in illis suppliciis sint æternaliter permansuri. Et breviter, sicut gaudia Bea- B torum in particulari nequeunt numerari, ita nec damnatorum supplicia.

Si ergo Dei amore, felicitatis affectu, zelo justitiæ non trahimur ad vitandum peccata, saltem tantorum formidine tormentorum cessemus a vitiis, ut sic paulatim ex Dei amore et virtutum affectu vitemus peccata faciamusque bona.

SERMO TERTIUS

DE CONTEMPLATIONE, DE CARITATE CETERISQUE VIRTUTIBUS QUIBUS SIT IMITANDUS S. JOANNES.

P*ONAM te quasi signaculum, quoniam te elegi, dicit Dominus.* Agg. II, 24.

Hæc verba de beatissimo Joanne evangelista tropologice convenienter intelliguntur. Tantis enim a Deo gratiis, virtutibus excellentiisque ornatus est, quod recte quasi signaculum a Deo est positus : signaculum utique valde præclarum, delectabile, speciosum, ut illud intueamur, amemus, honoremus ac admiremur. Itaque, quia in præcedenti sermone quinque excellentiæ S. Joannis sunt recitatæ, jam de ceteris ejus excellentiis est loquendum.

Quarum una est, eminentia suæ sapientiæ ac doctrinæ. In cujus rei signum, in Cœna super Christi pectus quievit, ad præfigurandum quod de fonte mentis divinæ fuit fluenta sapientiæ ac doctrinæ abun- C dantissime potaturus. (*Joann.* XIII, 23, 25.) Porro sapientia est affectuosa cognitio divinorum. Per doctrinam vero intelligo nunc documenta ejus moralia. Fuit ergo S. Joannes dono sapientiæ eminenter repletus, et divinorum contemplator altissimus. Contemplatio autem, ut asserit Augustinus, rapit hominis mentem ad superiora, tanto ardentiorem quanto mundiorem, et tanto mundiorem quanto ad spiritualia elevatiorem, tantoque elevatiorem quanto carnalibus ac terrenis desideriis amplius mortuam. Ex quo patet, D quod quanto quis carnalibus ac terrenis desideriis amplius occupatur, consentit ac subditur, tanto plus a vera cordis munditia, a divini amoris fervore, a contemplationis lumine distat. Ideo dicit Gregorius : Mens nostra ad contemplanda divina non

perducitur, nisi ab his quæ exterius impli- A cant, studiose subtrahatur. Sed forte quis dicet : Quid mihi et contemplationi? Ego grossus et idiota sum, exteriora disponere habeo, terrena tractare compellor, mihi et domui meæ de necessariis providere indigeo. Ad quod respondeo, quod nemo vere et digne christianus vocatur, qui ita in exterioribus et terrenis se occupat, ita carnalia ac temporalia tractat, ut non sæpe ad Creatorem suam elevet mentem, non interdum cœlestia ac divina, et ad salutem pertinentia, meditetur : imo omnia ista terrena et B exteriora ad spiritualia ac interna, ad Deum et veram salutem ordinare tenetur. Itaque quilibet Christianus tenetur carnalia desideria refrenare, gratiam et virtutes magis quam terrena diligere, Deum et futuram beatitudinem quandoque attendere, sicque cor suum ab immoderata cura et occupatione terrenorum abstrahere. Hinc dicunt doctores, quod quicumque habet caritatem, habet etiam donum sapientiæ secundum aliquem gradum : per quod sapientiæ donum contemplatur homo Deum atque C cœlestia. Præterea, quam præclara sint moralia documenta S. Joannis, in ejus epistolis, et in primis Apocalypsis capitulis, atque in evangelio ejus monstratur.

Secunda excellentia S. Joannis apostoli est, eminentia suæ dilectionis ad Deum ac proximos. Erat enim totus caritate accensus, et quasi in caritatis affectum transformatus : unde ad caritatem servandam, verbis et scriptis præcipue hortabatur fideles. Legitur quippe in ejus Legenda, quod quum usque ad finem vitæ suæ in D Epheso moraretur, et inter discipulorum manus ad ecclesiam duceretur, nec plura posset verba proferre, ad quamlibet pausam dixit : Filioli, diligite alterutrum. Discipuli autem et fratres qui aderant, admirantes quod eadem semper verba repeteret, dixerunt : Magister, cur semper eadem verba resumis? Respondit : Quia istud *Matth.* XXII, 39; *Joann.* XV, 12. præceptum est Domini, et si hoc fiat, sufficit. Hinc in suis epistolis, præsertim in prima, caritatem copiosissime laudat, commendat, docet ac præcipit : Hæc est (inquiens) annuntiatio quam audistis ab initio, ut diligatis alterutrum. I *Joann.* III, 11, 14, 15. Nos scimus quoniam translati sumus a morte ad vitam, quia diligimus fratres; qui non diligit, manet in morte; omnis qui odit fratrem suum, homicida est; qui diligit fratrem *Ibid.* II, 10, 11. suum, in lumine manet, et scandalum in eo non est; qui odit fratrem (id est proximum) suum, in tenebris est, et in tenebris ambulat, et nescit quo eat, quoniam tenebræ obcæcaverunt oculos ejus. Itaque et nos B. Joannis exemplo, singulari diligamus amore Deum, omnesque proximos nostros sicut nos ipsos. Hoc equidem Dei præceptum est, et certum signum quod pertineamus ad Christum, qui loquitur : In hoc cognoscent omnes quia disci- *Joann.* XIII, 35. puli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. Porro proximos spiritualiter diligere, est eorum salutem desiderare, et ea quæ ad obtinendum beatitudinem prosunt, eis pro posse impendere; ea quoque quæ contrariantur saluti, eis pro posse subtrahere. Unde elicitur, quam longe sint a spirituali amore, qui sobolem suam a vitiis non compescunt, sed ad vanitates et pravitates licentiant, pompatice atque superflue vestiunt, et ad magna in sæculo isto promovere conantur, a religionis quoque ingressu impedire nituntur.

Tertia excellentia S. Joannis est, fructificatio suæ prædicationis. Innumerabiles namque convertit ad Christum, et totius Asiæ fundavit ac gubernavit Ecclesias. Cratonem quoque philosophum, et cum eo duos ditissimos juvenes, ad fidem convertit; similiter Aristodemum idolorum pontificem, et cum ipso proconsulem. Sed et sanctissimos habuit discipulos multos, inter quos beatissimi martyres Ignatius et Polycarpus inclyte præfulserunt. Studeamus ergo et nos pro viribus nostris proximos deviantes ad viam salutis reducere, transgressores convertere, ignaros instruere, aliorum salvationi cooperari. Nam tanto est unusquisque in Dei amore perfectior, quanto ad ejus amorem plures convertit,

aut saltem convertere nititur vel affectat. (A) Divinus quoque Dionysius protestatur, quod omnium divinorum divinissimum est, Deo cooperari in reductione et conversione animarum ad ipsum. (De Cælest. hier. c. III.) Et Gregorius : Sacrificium Deo gratissimum, zelus est animarum. Hinc pro communi bono Ecclesiæ, pro omnium salute in generali, in speciali quoque pro propinquis et benefactoribus ac recommendatis, omni hora orare debemus affectuose.

Quarta excellentia S. Joannis est, potestas et gloria miraculorum ipsius. Domi- (B) tianus etenim imperator famam ejus percipiens, Romam fecit eum adduci, et ibi in ferventis olei dolium mitti : a quo beatus Evangelista exivit illæsus. Deinde fecit eum in Patmos insulam relegari. Ubi quum detineretur, divinus Dionysius scripsit ei epistolam, (Epist. x.) in qua inter cetera ei prophetavit, quod ab illo exsilio esset ad Ephesum rediturus. Quumque juxta prophetiam divini Dionysii, reverteretur, Ephesumque intraret, discipulam nomine Drusianam suscitavit a mortuis. Pretiosissimas (C) quoque gemmas minutatim fractas ac dispersas, orando redintegravit. Virgas et lapides in optimum aurum convertit. Templum Dianæ sua oratione dejecit, et statuam dissipavit Dianæ. Quumque ob hoc Aristodemus pontifex idolorum, seditionem magnam concitaret in populo, dixit ad eum S. Joannes : Quid faciam tibi ut mitigeris? Qui ait : Si vis ut credam, dabo tibi venenum potare ; quo si læsus non fueris, verus Deus tuus Dominus apparebit. Cui S. Joannes : Fac ita. At ille : Volo ut alios (D) inde videas primo mori. Petiit ergo Aristodemus a proconsule duos reos decapitandos, qui de veneno illo bibentes, statim exspiraverunt. Deinde beatissimus Evangelista venenum accipiens, et signo crucis se muniens, totum epotavit venenum, et mansit illæsus. Tunc dixit Aristodemus : Adhuc dubietas mihi inest, sed si duos illos veneno exstinctos suscitaveris, credam. Tunc Apostolus tunicam suam dedit Aristodemo, ut eam super defunctos illos poneret, dicens : Apostolus Christi me misit ad vos, ut in nomine Christi resurgatis. Quo facto, protinus surrexerunt. Sicque Aristodemus gentilium pontifex, et proconsul cum omni sua parentela et aliis multis conversi sunt. Et mox in honore Dei et S. Joannis dedicaverunt ecclesiam, in cujus medio in throno sedere fecerunt B. Joannem.

Quinta excellentia S. Joannis est, virginea puritas ejus, quam usque ad mortem servavit inviolatam. Qui eum in hoc potest sectari, magnus est utique. Omnis autem virgo, secundum Augustinum, vitare debet strepitus et platearum frequentiam, loquacitatem et vanum ornatum, ne aliis fiat causa perditionis. Ideo cum verecundia, capite inclinato, debet procedere ; risum, colloquia et adspectum virorum, jactantiamque vitare, otia declinare, et semper utiliter occupari ; et quo castior, eo humilior debet consistere.

Sexta excellentia S. Joannis est, virtuosa ac venerandissima ejus senectus. Nam ceteris cunctis supervixit Apostolis, et usque ad nonagesimum nonum pervenit ætatis annum, sexaginta octo annos vivens post Christi resurrectionem, et usque ad Trajani imperatoris tempora perseverans.

Septima ejus excellentia est, beatissimus finis ipsius. Quum enim nonaginta novem esset annorum, venit ad eum Christus cum ceteris Apostolis, dicens : Veni, dilecte mi, quoniam tempus est ut in mensa mea cum tuis fratribus epuleris ; dominica die venies ad me. Veniente die dominica, B. Joannes a primo gallorum cantu, universo populo in ecclesia ejus collecto, usque ad Missarum solennia prædicavit. Quibus completis, in sepulcrum quod sibi fecit parari juxta altare, descendit, et in eo se posuit, atque expansis ad Deum manibus, dixit : Invitatus ad convivium tuum, Domine, ecce venio, gratias agens quia dignatus es me ad tuas epulas invitare ; nam sciebas quod te toto corde desideravi. Quumque orationem finisset, tanta super eum lux venit, quod nemo

eum inspicere potuit; recedenteque lumine, sepulcri fovea inventa est manna repleta, quod illo in loco usque hodie generatur.

Postremo quæri solet, an Christus magis dilexerit Joannem quam Petrum. Videtur quod non, quoniam Petrus dilexit Christum amplius quam Joannes : ergo et Christus Petrum magis quam Joannem dilexit. Qui enim Christum plus diligit, melior amabiliorque censetur : meliores autem Christus plus diligit. Oppositum hujus ex
Joann. XIII, 23; XIX, 26; XXI, 7, 20. evangelio S. Joannis probatur, qui per discipulum quem diligebat Jesus, designat se ipsum. — Ad istud quidam respondent, quod Christus Joannem magis dilexit, loquendo de dilectione quæ consistit in familiaritatis ostensione : quia familiarius
Ibid. XIII, 23, 25. habuit se ad Joannem, qui et in Cœna super pectus Christi quievit; et propriam Matrem Christus commisit Joanni. *Ibid.* XIX, 27. Sed loquendo de dilectione quæ consistit in donorum exhibitione, magis dilexit Petrum, quoni-
Matth. XVI, 18, 19. am Apostolorum principem et totius Ecclesiæ pastorem constituit eum, clavesque regni cœlorum præstitit ei. Hæc autem responsio non videtur sufficiens. Nam principatus apostolicæ dignitatis et pastoratus Ecclesiæ, ligandi quoque et absolvendi potestas, non sunt nisi dona gratiæ gratis datæ, penes quæ non potest attendi magnitudo dilectionis Christi ad homines, quum dona hujusmodi sint bonis et malis communia; sed penes dona gratiæ gratum facientis potius attenditur magnitudo dilectionis præfatæ. Quod autem insuper dicunt Christum æqualiter dilexisse Petrum et Joannem, loquendo de præcordiali amore, quoniam ambo fuerunt æqualis meriti, videtur prorsus incertum, quum Salomon in Proverbiorum libro dicat : Spirituum *Prov.* XVI, 2.
ponderator est Dominus. Quis enim absque revelatione potest agnoscere, an Petrus et Joannes æqualis sanctitatis et meriti, seu pares in perfectione caritatis infusæ fuerunt? Alii dicunt, quod est quædam dilectio naturalis inclinationis seu affectionis; quæ tamen in anima Christi fuit rationi omnino subjecta : et illa Christus magis dilexit Joannem propter multiplicem causam. Petrus vero Christum magis dilexit, quantum ad quemdam dilectionis fervorem : qui fervor consistit in redundantia quadam in partem animæ inferiorem, et deinde in erumpentia operum et signorum dilectionis; penes quem fervorem non attenditur principaliter caritatis perfectio, imo naturalis dispositio multum confert ad talem fervorem. Sed loquendo de principali magnitudine caritatis internæ, incertum est quem illorum duorum Christus magis dilexerit, et item quis illorum duorum magis dilexerit Christum : sicut incertum est quis eorum sit nunc major in gloria præmii essentialis, vel an omnino sint in felicitate æquales.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUARTUS

QUOMODO PUERI ESSE DEBEMUS INNOCENTIA ET PURITATE ; ET QUOD DEO SUA IN NOBIS TANTUM PLACENT ET OPERA ET DONA.

E*CCE puer meus, suscipiam eum; electus meus, complacuit sibi in illo anima mea.* Is. XLII, 1; Matth. XII, 18.

Hic est discipulus quem diligebat Jesus, qui et recubuit in Cœna super pectus Jesu, et dixit : Domine, quis est qui tradet *Joann.* XXI, 20.

te? Hic est qui post B. Petrum inter Apo- A stolos fuisse præcipuus comprobatur; de
Act. iv, 13. quo in Actibus recitat Lucas : Videntes principes sacerdotum et qui cum illis erant, Petri et Joannis constantiam, mira-
Galat. ii, 9. bantur. De quo ait et Paulus : Petrus, Jacobus et Joannes, qui videbantur columnæ esse. Qui inter Evangelistas præfulget.

Hic gloriosissimus Evangelista, a cujus laude condigna, omnium mortalium deficit lingua, in verbis thematis præassumpti commendatur a quatuor. Primo, a sua puritate seu innocentia, quum dicitur : « Ec- B ce puer meus ». In quibus etiam verbis insinuatur ejus excellentia, quum Dominus loquitur, « Ecce » : quod est adverbium demonstrandi, notabile quid designans. Secundo laudatur a susceptione divina, quum additur, « suscipiam eum ». Tertio, a prædestinatione æterna, quum subjungitur, « electus meus ». Quarto, a complacentia gratiosa, dum subinfertur, « complacuit sibi in illo anima mea ».

Primo itaque commendatur a sua innocentia atque munditia, dum eum Deus pu- C erum suum appellat : « Ecce », inquiens, « puer meus ». Dicitur autem aliquis in Scripturis puer variis modis. Primo, ratio-
Matth. ii, 16. ne ætatis, juxta illud : Herodes occidit omnes pueros in Bethlehem Judæ. Secundo, ratione insipientiæ, juxta illud Isaiæ :
Is. lxv, 20. Puer centum annorum morietur. Unde et
I Cor. xiv, 20. Paulus hortatur : Nolite effici pueri sensibus, sed malitia parvuli estote. Tertio, ratione puritatis et simplicitatis columbinæ ac innocentiæ; sicque Apostoli omnes pueri nuncupantur, quibus Christus post re- D
Joann. xxi, 5. surrectionem locutus est : Pueri, numquid pulmentarium habetis? Specialiter vero sacratissimus iste Joannes puer vocatur, qui et creditur nunquam peccasse mortaliter (nisi forsitan quis contendat asserere Apostolos peccasse mortaliter, fugiendo a Christo tempore Passionis, et tunc corruendo a fide), et quoniam in virginea mansisse munditia fertur.

Hanc igitur ejus puritatem internam, et columbinam simplicitatem ac innocentiam sequi utcumque conemur, quum dicat Salvator : Beati mundo corde, quoniam ipsi Matth. v, 8
Deum videbunt; et rursus, Estote simpli- Ibid. x, 16.
ces sicut columbæ. Atque ut ait Psalmista, innocens manibus et mundo corde ascen- Ps. xxiii, 4, 3.
det in montem Domini, et stabit in loco sancto ejus. Unde in Job asseritur : Salva- Job xxii, 30.
bitur innocens, salvabitur autem munditia manuum suarum. In Proverbiis quoque : Qui recti sunt, habitabunt in terra, et sim- Prov. ii, 21.
plices permanebunt in ea. Denique ideo in cœnobio residemus, idcirco a sæcularium hominum habitatione, societate, vita tumultuque fugimus, quatenus in omni puritate, pace et spirituali profectu Domino ministremus. Et spectat ad religiosos, nequaquam lignum, fœnum stipu- I Cor. iii, 12.
lamque colligere, sed pro venialibus et quotidianis suis peccatis quotidie satisfacere per frequentem mentis suæ elevationem ad Deum, per ardentes affectiones ad eum, per orationes continuas et varia supererogationis exercitia virtuosa, per quotidianam quoque confessionem et interiorum suorum examinationem, ac proprii corporis disciplinationem : imo per ista et ceteras observantias regulares ac obedientiam sanctam, non solum a præteritis culpis penitus emundari, sed in caritatis quoque ardore omniumque virtutum vigore vehementer proficere. Stemus ergo in indesinenti cordis custodia, prout Habacuc ait propheta : Super custodiam meam stabo. Habac. ii, 1.

Porro, si ita egerimus, innocentes veraciter erimus, utpote nulli nocentes, imo verbo et facto, fama et exemplo, oratione et piis affectibus aliis proficientes. Sic namque baptismalis innocentia recuperatur. Et certe beatus est, et grandi amore ac laude prædignus est, qui in congregatione ita se habet, qui sua diligentia et suo fervore, sua benignitate et dilectione, sua humilitate, exemplaritate, temperantia, patientia, mititate, aliorum negligentiam et teporem, duritiam et aversionem, superbiam et scandalositatem, immoderantiam, impatientiam et iram, etiam tacendo redarguit, dejicit, corrigit et re-

Joann. I, 47. format: de quo verificatur illud, Ecce vere A
Israelita, in quo dolus non est. Nullatenus
enim decet aut licet aliquid simulationis
aut duplicitatis vel fraudulentiæ aut men-
Malach. I, 14. dositatis religioso inesse. Maledictus enim
Is. XXXII, 7. est dolosus, et fraudulenti vasa sunt pessi-
Ps. V, 7. ma. Virum quippe sanguinum et dolosum
abominatur Dominus, perditque omnes qui
Job XXXVI, 13. loquuntur mendacium. Sed et simulatores
Jacob. I, 8. ac callidi provocant iram Dei; et vir du-
plex animo, inconstans est in omnibus viis
suis. Hinc necesse est nos vera sinceritate
ac simplicitate salubri ornari, ut simplex B
sit oculus nostræ mentis, seu recta inten-
tio; omnisque nostra affectio, omne stu-
dium, omne propositum, sit Deo placere,
propinquare, uniri, gloriam et honorem
semper impendere, et eo æternaliter frui.

Secundo, in verbis præhabitis commen-
datur præclarissimus evangelista Joannes
a divina susceptione. Suscepit etenim eum
Deus ad magna et multa, imo ad maxima
bona, ad dona videlicet tam gratiæ gra-
tum facientis quam gratis datæ. Nam fecit
eum apostolum, et ejus prædicatione con- C
vertit Asiam universam, imo et alios mul-
tos; fecit etiam eum evangelistam excel-
lentissimum, et ejus evangelio erudivit et
erudit totum orbem. Fecit quoque eum
prophetam, et prophetam tam eminentem
ut totum militantis Ecclesiæ statum, de-
cursum, afflictionem et consummationem
ei revelasse credatur, prout in Apocalypsi
monstratur. Fecit item eum Dominus Je-
Joann. XIX, 26, 27. sus Christus suæ dignissimæ Matris spe-
cialem custodem ac filium. Hæc autem
sunt dona gratiæ gratis datæ. Imo et alia D
multa ac magna gratiæ gratis datæ dona
contulit ei, utpote genera linguarum, dis-
cretionem spirituum, intelligentiam Scri-
pturarum, efficaciam miraculorum. Porro
quam excellentia fuerint in eo dona gra-
tiæ gratum facientis, quam profunda hu-
militas, quam ferventissima caritas, quam
admirabilis sanctitas, quanta ceterarum
virtutum perfectio, quis possit exprimere
aut scrutari, præsertim quia tot annis post
ceteros vixit Apostolos? Nec dubium quin
quotidie mirabiliter in omni profecerit vir-
tute. Insuper in extremis suscepit eum
Christus lenissima morte ad mensam suæ
refectionis supernæ, et inter summos con-
stituit cœlestis patriæ cives.

Tertio, in themate commendatur ab
æterna prædestinatione, quia ad tantam
gratiarum eminentiam in hoc mundo, at-
que ad tantam beatitudinem in cœlesti pa-
latio fuit æternaliter a Deo præordinatus:
de qua electione divina omne meritum
præcedente, ipse in suo evangelio eviden-
tissime scribit.

Quarto commendatur a gratiosa compla-
centia quam habuit Deus in eo. Nil autem
complacet Deo in hominibus nisi dona
ipsius, quum omne bonum, ipsius sit do-
num. Nec proprie dicitur Deus compla-
centiam habere in homine viatore, nisi
propter dona supernaturalia suæ gratiæ
gratum facientis, sine quibus nullus po-
test Deo placere in vita præsenti, quum
dicat Apostolus: Sine fide impossibile est *Hebr.* XI, 6.
Deo placere; et denuo, Si linguis (inquit) I *Cor.* XIII, 1.
angelorum loquar et hominum, caritatem
autem non habeam, factus sum velut æs
sonans aut cymbalum tinniens. In omni-
bus autem caritatem habentibus compla-
cet Deo, quia beneplacitum est Domino in *Ps.* CXLIX, 4.
hujusmodi populo suo. Et quanto quis in
donis et operibus caritatis ac gratiæ grati-
ficantis et aliarum virtutum infusarum
perfectior fuerit, tanto majorem in eo
complacentiam habet Deus. Et quamvis
absolute loquendo, maxime Deo compla-
ceat in iis qui in caritate perfectiores con-
sistunt, quum illi sint simpliciter melio-
res; nihilo minus propter alias virtutes
dicuntur homines specialibus ac variis
modis Deo placere, quum scriptum sit:
Neminem diligit Deus, nisi qui cum sa- *Sap.* VII, 28.
pientia inhabitat; et rursus, Cum simpli- *Prov.* III, 32.
cibus sermocinatio ejus; itemque, Man- *Judith* IX, 16.
suetorum et humilium tibi semper placuit *Ps.* II, 13;
oratio; et iterum, Beati omnes qui sperant* XXXIII, 9. * confidunt
in eo; et denuo, Fides tua te salvam fecit. *Matth.* IX, 22; *Luc.* VII,
Quemadmodum enim coram Deo et homi- 50; VIII, 48;
nibus odibilis est superbia, ita humilitas etc.

reddit hominem Deo hominibusque, imo angelis sanctis, amabilem. — Studeamus igitur universis virtutibus istis ornari ac perfici, earumque actibus abundare, atque in actibus latriæ, in promptissima devoti- A one, in ferventi oratione, salubri meditatione, reverendissima sacramentorum oblatione, humillima adoratione, quotidie amplius complacere, quatenus sic ex omni parte complaceat sibi Deus in nobis.

SERMO QUINTUS

DE CONTEMPLATIONE : ET QUIBUS VIRTUTIBUS PRÆPARATI, HANC ASSEQUAMUR.

ASCENDIT *super Cherubim, et volavit, volavit super pennas ventorum.* Ps. XVII, 11.

Ezech. I, 5 et seq. In visione prophetica qua per quatuor animalia designati sunt beatissimi quatuor Evangelistæ, S. Joannes apostolus per aquilam designatur, quæ ceteris avibus volare altius perhibetur, et aciem visus in solem defigere. Sic gloriosus evangelista Joannes Joann. I, 1 et seq. ceteris Evangelistis de Christi deitate et superbenedicta Trinitate altius scripsit, et ea quæ Dei sunt, valde sublimiter est contemplatus. Denique tota perfectio hominis in hac vita, et plena ejus felicitas in futura, in amorosa Dei contemplatione et contemplativa dilectione consistit. Sed contemplatio vitæ præsentis, est per speculum I Cor. XIII, 12. in ænigmate, per fidem et gratiæ lumen, estque doni sapientiæ actus; contemplatio autem vitæ futuræ, est per speciem, seu facie ad faciem : et quanto in præsenti Deum sublimius contemplamur, tanto in patria eum felicius clariusque cernemus, quoniam ista, dispositio est ad illam. Nec cognitio Dei contemplatio proprie appellatur, nisi sit affectuosa et perspicax contuitio ejus : unde contemplatio proprie pertinet ad perfectos. Nihilo minus proficientes, et etiam incipientes, quoniam donum sapientiæ secundum aliquem gradum sortiti sunt, aliquo modo Deum contemplari dicuntur : imo ex gratia speciali Deus eos crebro contemplationis luce perfundit, et dulci suæ bonitatis afficit gustu; B atque ut scribit Bernardus, genus servorum quasi assumit et ponit ad mensam filiorum, ut sic eos a carnalibus abstrahat, et ad meliora ac viciniora saluti alliciat. Studeamus igitur B. Joannem evangelistam in contemplationis gratia aliqualiter imitari.

Præterea, quum nemo repente summus reddatur, sed paulatim proficere sit necesse, et in contemplatione perfectio hominis sita sit, oportet paulatim et ordinate ad contemplationis culmen ascendere. C Ordo autem requirit ut inferiora ad superiora referantur. Quumque donum sapientiæ Is. XI, 2. sit inter septem dona Spiritus Sancti sublimius, et ipsa dona virtutibus moralibus sint altiora; tam ipsas virtutes morales quam cetera dona Spiritus Sancti ad donum sapientiæ ordinare debemus, ut scilicet per profectum illarum virtutum et donorum illorum, et per actus earum ac ipsorum, in dono sapientiæ proficiamus, et actum ejus, videlicet contemplationem Dei, expeditius, clarius stabiliusque exer- D cere possimus.

Præterea, inter virtutes morales continentur et eminent quatuor virtutes cardinales: quarum infima est temperantia, quæ ponitur in vi concupiscibili; post quam ponitur fortitudo in vi irascibili, deinde prudentia in rationali, justitia vero in appetitu superiori, videlicet voluntate. Et dicunt magni doctores, quod prudentia sit dignior quam justitia, sicut et intellectus

quam voluntas; alii vero nonnulli tenent A oppositum. — Oportet ergo iter ad apicem contemplationis secundum unam considerationem a temperantia inchoare. Est autem temperantia virtus moralis per quam homo a delectationibus gustus et tactus se reprimit, et in cibis et potibus retinet moderamen, non quærendo in eis voluptatem, sed necessitatem naturæ, et tantum accipiendo de eis quantum expedit ad exercendum actus superiorum virtutum, utpote fidei, spei, caritatis, sapientiæ, prudentiæ, justitiæ, et religionis seu latriæ. Porro, ut B asserit Thomas, inter temperantiam quæ est virtus naturalis acquisita, et temperantiam quæ est virtus infusa, hoc interest : quod ad temperantiam acquisitam pertinet, tantum de iis quæ ad gustum et tactum spectant, accipere, quantum requirit natura et ad opera naturalia rationis expedit exercenda. Ad temperantiam vero infusam attinet, aliquid necessariorum corpori subtrahere, et illud domare seu castigare pro peccatis præteritis expiandis et futuris cavendis, atque ut homo passioni C Christi aliqualiter se conformet, si non sanguinem suum pro Christo per martyrium effundendo, tamen illum in se per abstinentiam minuendo, dum materia ex qua sanguis generatur, corpori tollitur : quod tamen cum discretione fieri est necesse, ne corpus viribus nimis destituatur. Hinc sancti Patres dixerunt, moderantiam in cibo et potu esse fundamentum atque initium vitæ spiritualis atque monasticæ. Quo constat, eos qui solliciti non sunt in illis modum servare, parum aut D nihil proficere, nec ad contemplationis splendorem posse pertingere ; imo potius deficere ac periclitari, quia in via Dei non progredi, secundum quod ait Bernardus, est regredi. Ideo sobrii simus, et cum Dei timore et spirituali attentione reficiamur.

Insuper, per fortitudinem ascendamus ad contemplationem, ardua viriliter aggrediendo, nec propter quæcumque adversa seu aspera a Dei obsequio ac spirituali processu cessando. Impleamus quod ait Psalmista : Viriliter age, et confortetur cor *Ps. xxvi, 14.* tuum. Non simus molles, tepidi et remissi ad aggrediendum actus virtutum, ad conandum apprehendere affluentiam supernorum charismatum, ad laborandum pro perfectione interna. In Domino confidamus, ejusque adjutorium jugiter invocemus, et sentiemus in brevi grandem profectum.

Verumtamen, quanto quis fortius ita peregerit, tanto plus sibi necessaria est prudentia. Idcirco et per prudentiam ad sapientiæ contemplationem scandere non cessemus. Est quippe prudentia, recta ratio agendorum, docens secundum exigentiam finis disponere media, et inter appetenda ac fugienda discernens, modum ac ordinem faciens observari. Unde sanctus pater Antonius dixit, prudentiam seu discretionem summe esse necessariam monachis. Oportet ergo ut ea quæ agimus, ordinate agamus, congruo loco opportunoque tempore ; nec operi manuali sic insistamus, ut per hoc a spiritualibus actibus impediamur, quoniam operi Dei nihil est præponendum ; nec colloquio hominum sic licet vacare, ut ex hoc in iis quæ Dei sunt, oporteat festinare, et truncate seu præcipitanter divina persolvere. Cuilibet ergo horæ deputanda est occupatio sua.

Insuper per justitiam ad lucem contemplationis conemur pertingere, unicuique quod ei debetur reddendo : superiori obedientiam ac reverentiam, inferiori consilii et auxilii adsistentiam, æquali fidelitatem, omnibus ædificationem. Neque enim sic ad contemplationis exercitia adspirare debemus, ut ob id obedientiæ in aliquo derogemus : quia virtutes sibi invicem cedunt, et ad præsidentis præceptum, imo et exhortationem, actus vitæ contemplativæ sunt suspendendi, ut exteriora quæ injunguntur agantur : quod etiam, si proximorum requirat necessitas, ex caritate fieri debet. Nec ita agendo detrimentum gratiæ contemplationis incurrimus : imo promeremur a Domino suo tempore copiosius illustrari, atque validius Deitatis amo-

re succendi. Nec in exterioribus actibus A ab interna oratione, salubri meditatione, assidua compunctione est desistendum, sed jugiter dirigendus est spiritus ad Creatorem.

Sic ergo per has cardinales virtutes ad contemplationem nos quotidie præparemus, imo in contemplatione proficere non tardemus. Nec solum per has virtutes cardinales ita in generali, sed per earum quoque species, ad contemplationem et ejus profectum nos disponamus, puta per humilitatem, mansuetudinem, patientiam. B

Postremo, quia ad contemplationem primæ et increatæ veritatis ac superaltissimæ Trinitatis indiget homo puritate præcipua et quiete interna, necesse est omnia illa vitare per quæ quies ac puritas impediuntur, utpote exteriorum sensuum evagationem, loquacitatem, morumque levitatem, ac mentis distractionem (imo, ut breviter dicam, omnem Dei offensam, impetum passionum, strepitum vitiorum, omnem negligentiam et torporem); ac semper ad Deum recurrere, pro culpis incurrentibus pœnitere, auxilium summæ virtutis infatigabiliter invocare, illuminationem Sancti Spiritus totis affectare ac implorare præcordiis, atque pro posse implere quod scriptum est : Oculi mei semper ad Dominum. *Ps.* xxiv, 15.

SERMO SEXTUS

DE CARITATE ; ET QUÆ SUNT INDICIA CARITATIS PERFECTÆ.

A*QUÆ multæ non poterunt exstinguere caritatem, nec flumina obruent illam.* Cant. VIII, 7. C

Gloriosus evangelista Joannes caritatis visceribus totus redundavit ac superabundavit : unde de caritate in prima sua Canonica plenissime scripsit. Quumque sancta senectute confectus, aliud dicere non valeret, hoc ubertim coram suis repetivit discipulis : Filioli, diligite alterutrum. A quibus, cur eadem toties loqueretur interrogatus, respondit : Quia præceptum Domini est; et si solum hoc fiat, sufficit. (*Matth.* xxii, 39; *Joann.* xv, 12.) D Unde et Paulus testatur : Qui diligit proximum, legem implevit. (*Rom.* xiii, 8.) Christus quoque : In hoc (inquit) cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. (*Joann.* xiii, 35.) Hinc in prima sua Canonica loquitur sanctissimus iste Apostolus : Hæc est annuntiatio quam audistis ab initio, ut diligatis alterutrum; qui non diligit, manet in morte; omnis qui odit fratrem suum, homicida est; (I *Joann.* iii, 11, 14, 15.) qui odit fratrem suum, in tenebris est, et in tenebris ambulat, et nescit quo eat, quoniam tenebræ obcæcaverunt oculos ejus. (*Ibid.* ii, 11.) Ecce hæc verba horribilia audientes, non perterremur, quoniam omnes persuademus nobis quod utique in caritate simus, et Deum proximosque spiritualiter diligamus; sed utinam non decipiamus nos ipsos.

Denique ut sciamus, quantum fieri potest, an vere simus in caritate, pensemus verba Scripturæ : Qui diligit fratrem suum, in lumine permanet, et scandalum in eo non est. (I *Joann.* ii, 10.) Hoc idem fatetur Psalmista, dicendo : Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum. (*Ps.* cxviii, 165.) Quomodo ergo tam confidenter persuademus nobis de caritate, qui tam intimorate tamque facile, imo et ita frequenter, et scandalizamus et scandalizamur? Nonne pro levissimis occasionibus indignamur, contendimus, conquerimur, et sæpe detrahimus, non obstante quod detractio sit gravius crimen quam furtum atque rapina? Quomodo diligit fratrem suum, qui animam ejus lædere non veretur, qui ei peccanti

non condolet, qui ea non vitat per quæ ille damnationem æternam incurrit aut ad eam disponitur? Ideo Paulus asserit : Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem. Insuper Paulus testatur : Caritas benigna est, caritas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, omnia suffert, etc. Si has caritatis denominationes, proprietates et actus invenimus in nobis, confidamus nos esse in caritate, non aliter. Hinc enim et Paulus hortatur : Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes. Præterea Christus effatur : Si quis diligit me, sermonem meum servabit. Christus autem locutus est et præcepit : Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversus te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo; et tunc veniens offeres munus tuum. Sed nunc unusquisque perpendat quam efficaciter impleat verba ista. Nonne frequenter unus alteri sive ex sola et levi suspicione, sive ex subita commotione, sive ex displicentia inveterata, injuriatur in verbis aut factis, atque non parvos imponit excessus, nec tamen ab eo veniam deprecatur antequam celebret, et occidit sol super iracundiam ejus?

I Cor. VIII, 13. — Ibid. XIII, 4-7. — Galat. V, 26. — Joann. XIV, 23. — Matth. V, 23, 24. — Ephes. IV, 26.

Adhuc autem, sicut in themate continetur, tanta est vis caritatis, quod nec aquæ tribulationum, nec flumina persecutionum seu diabolicarum tentationum queunt eam exstinguere sive obruere. Propter quod verbis thematis immediate præmittitur : Fortis est ut mors dilectio, dura sicut inferus æmulatio. Qualis ergo est caritas ejus qui pro uno modico verbo aut nutu seu re parva, contra suum proximum inflammatur, indignatur, conqueritur, et fortassis avertitur?

Cant. VIII, 7. — Ibid. 6.

Amplius, super illud in Psalmo, Bonum mihi lex oris tui super millia auri et argenti, asserit Augustinus, quod minima caritas major est quam maxima cupiditas: quia quicumque spiritualiter ex caritate diligit Deum aut proximum, quantumcumque modice diligat eum, tamen plus diligit eum quam alius quantumcumque cupidus amet seu cupiat totum mundum, vel quidquid in eo est. Quicumque enim ex caritate diligit Deum, plus diligit eum quam se ipsum et universa creata, etiam incomparabiliter seu absque mensura : si quo minus, non vere ex caritate diligit Deum. Similiter, quicumque ex caritate diligit proximum, plus diligit eum quam proprium corpus, corporalemque vitam suam, et omnia quæ sunt mundi, hoc est plus quam omnes divitias, delicias honoresque sæculi, imo plus quam omnia creata infra hominem exsistentia. Quum ergo multi ex solo carnali aut naturali vel sociali amore tantum afficiantur ad quosdam, ut quidquid injuriæ eis irrogetur ab illis, condoleant ipsis, et eos sibi reconciliare nitantur : quanto magis si veram et sinceram ad fratres nostros caritatem habemus, debemus eis in nos peccantibus potius compati quam irasci, et orare pro eis, atque satagere ut ad caritatis redeant puritatem? Hoc utique verbo et opere docuit sacratissimus evangelista Joannes.

Ps. CXVIII, 72.

Præterea magnitudo corporalium periculorum ac vulnerum movet homines etiam duros, ad cordialem compassionem circa eos qui in hujusmodi sunt periculis aut vulneribus constituti, quamvis nunquam antea noverint eos (ut si quempiam videant draconibus aut ferocibus hostibus circumvallatum et præ horrore collapsum, nec posse evadere, aut toto corpore letaliter sauciatum) : quanto magis religiosus Christi discipulus caritate perfusus, compati debet interne, et vehementissime condolere ei quem conspicit alicui gravi culpæ obnoxium, quamvis sibi adversum, quum talis sit non temporalis sed æternalis mortis expositus periculis, dæmonibusque circumdatus, et spiritualiter dire læsus? Annon sunt in te christianæ viscera pieta-

tis, ut defleas corpus a quo discessit spiritus ejus, et non potius animam a qua recessit Deus ipsius? Denique Ecclesiasticus ait : Supra mortuum plora, defecit enim lux ejus; et supra fatuum plora, defecit enim sensu. Modicum plora super mortuum, quoniam requievit : luctus mortui septem dies; fatui autem et impii, omnes dies vitæ illorum. Ecce quam vehementius ac indesinentius deplorandus est impius, quam corporaliter mortuus. Omnibus ergo mortalibus vitiis superatis, vulneratis ac mortuis, præcordialiter condoleamus, et incessanter ac devotissime oremus pro illis.

Eccli. XXII, 10, 11, 13.

A B

Sic beatissimus Joannes apostolus deploravit juvenem qui a Deo et lege Christi recedens, princeps erat latronum effectus. Quem quum apprehendisset, corruit ante eum in terram, et manum ipsius cœpit deosculari. In quo innotescunt inæstimabilis caritas ac profundissima humilitas ejus, qui se latroni sceleratissimo ita prostravit, ejusque manum osculari dignatus est. Indignabatur Simon pharisæus, quod Christus, quem non nisi prophetam putavit, permisit se a peccatrice pœnitente tangi, quum tamen mulier illa se tam humiliter Christi pedibus prostravisset, eosque suis lacrimis rigaret, ac propriis tergeret crinibus. Et ecce summus iste Evangelista plus aliquid in hac re fecisse videtur : quia non latro ei, sed ipse se prostravit latroni; nec latro apprehendit manum ejus ad osculandum, sed econtra. Tantam ergo Apostoli hujus caritatem, tantam humilitatem sequi conemur, nec contra Deum tumeat spiritus noster. Nullus inaniter placeat sibi, nec Christum spernat, quum jusserit Christus : Videte (inquiens) ne contemnatis unum de pusillis istis.

Luc. VII, 37 et seq. C

Job XV, 13.

Matth. XVIII, 10.

Postremo, quum Deus unumquemque tanto celerius copiosiusque exaudiat, impleat et illustret, quanto se ab illo videt intensius diligi; studeamus indesinenter in Dei sincerissima proficere caritate, et eum qui naturaliter, essentialiter, incomparabiliter et prorsus incircumscriptibiliter bonus est, totis amare præcordiis, ferventissimis desiderare affectibus, et brachiis stringere sanctæ dilectionis, et quidquid displicet ei vitare, quidquid complacet peragere, cum inflammato corde ipsi servire. Sicque agentes, eum rogemus ut mentes nostras ad ipsius contemplationem irradiet, et suam in nobis caritatem, pietatem et gratiam indesinenter corroboret et consummet.

SERMO SEPTIMUS

DE VARIIS CONTEMPLATIONIS GRADIBUS ; ET QUOMODO AD THEOLOGIÆ MYSTICÆ CONTEMPLATIONEM QUIDAM ELEVANTUR.

OMNES homines vident Deum, unusquisque intuetur procul. Job XXXVI, 25.

D

Quemadmodum asserit Damascenus, omnibus naturaliter insita est cognitio exsistendi Deum : imo sicut nihil incertius et incomprehensibilius est, quam quid sit Deus; sic nihil est certius, nil probabilius, quam Deum esse. Hoc quippe ex creaturis multipliciter innotescit. Propter quod ait apostolus Paulus : Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt conspiciuntur; sempiterna quoque virtus ejus et divinitas. Nempe ex ordine universi constat, esse unum primum et summum ens : et quum multa habeant esse suum ab alio, oportet unum esse quod esse suum aliunde non habeat, sed sit ens per essentiam, ens independens, æternum, perfectum. « Omnes » ita-

Rom. I, 20.

que « homines vident Deum », quia per naturalem rationem eum esse aliquo modo cognoscunt. « Unusquisque » quoque « intuetur » eum « procul », quia imperfecte et obscure ipsum in hac vita cognoscimus. Sicque procul intuemur, non ratione localis distantiæ, quum Deus ubique sit, sed ratione dissimilitudinis et deficientiæ seu imperfectionis : juxta quem modum longe est Dominus ab impiis, ipseque Dominus alta a longe cognoscit.

Prov. xv, 29. *Ps.* cxxxvii, 6.

Sunt autem diversi gradus videndi seu contemplandi Deum in vita præsenti. Primus et infimus, est per naturalem rationem, prout ex consideratione creaturarum Creator cognoscitur, sicut ex consideratione effectuum causa. Porro hic gradus cognoscendi Deum, latitudinem habet magnam. Sunt enim in eo gradus diversi, secundum quod unus per naturalem rationem plura et altiora, certius quoque ac clarius, cognovit de Deo, quam alius : sic enim philosophi Deum noverunt, hi perfectius, hi imperfectius.

Secundus gradus contemplandi Deum, est per fidem ac sapientiæ donum, quod perficit fidem. Et istud intelligendum est de fide formata, utpote per dilectionem operante : quoniam nullus dicitur proprie contemplari, nisi exsistat in caritate et gratia. Hoc autem modo contemplamur de Deo ea quæ naturalem rationem transcendunt, utpote, quod trinus est in personis, quod Unigenitus Dei naturam assumpsit humanam. Imo et ea quæ naturali ratione noscuntur de Deo, etiam per fidem vel saltem per donum sapientiæ contemplamur de eo : tamen alio altiorique modo quam naturali ratione de ipso noscuntur. Porro hic gradus contemplandi, magnæ est latitudinis : et primo in tres gradus dividitur, secundum tres gradus fidei ac sapientiæ et caritatis. Qui gradus accipiuntur penes tres status hominum Deo deservientium, scilicet incipientium, proficientium ac perfectorum. Proprie tamen, ut dictum est, contemplatio non pertinet nisi ad perfectos. Hæc quoque contemplatio pertinens proprie ad perfectos in vita præsenti, est duplex : una per affirmationem seu positionem, alia per negationem seu ablationem, prout D. Dionysius in pluribus scribit locis, præsertim in libro de Mystica theologia.

Contemplatio per affirmationem, est clara et prompta ac amorosa cognitio Dei, qua perfectiora et nobiliora quæque ei attribuuntur, seu qua ipse sub ratione talium simplici apprehensione concipitur sive conspicitur. Sic etenim contemplamur Deum ut primum ens, ut summum bonum, ut æternam et incommutabilem veritatem, ut simplicissimam unitatem, ut sapientiam exemplarem ac infinitam, ut omnipotentem, ut purum actum, ut opulentissimam vitam, ut supersanctissimam mentem, ut essentialiter pulchrum, ut interminabiliter dulcem, ut summe pium ac justum, ut infinite beatum, ut absolute perfectum, ut incomparabiliter in omni nobilitate et excellentia præfulgentem : sicque in libro de Divinis nominibus tractat de Deo Dionysius Areopagita. Necesse est namque in Deo tanquam in primo, fontali et exemplari universorum principio, omnium rerum perfectiones (omni imperfectione seclusa) ponere ac fateri; et quidquid absolute loquendo melius ac laudabilius est inesse sive haberi, quam deesse et auferri, hoc est, quidquid dicit perfectionem absolute atque simpliciter, hoc totum cum infinita plenitudine et excellentia Deo adscribere est necesse.

In hac contemplatione ab eminentioribus et perfectioribus et communioribus magis apte incipitur, quoniam talia magis Deo proprie attribuuntur, in tantum ut dicat Salvator : Nemo bonus nisi Deus; vel, ut alius refert Evangelista, Unus est bonus, Deus. Quibus verbis insinuat solum Deum proprie bonum vocari. Deus quoque ad Moysen loquens : Ego (inquit) sum qui sum; hæc dices, Qui est, misit me. Quo verbo innuit se solum proprie esse. Soli etenim Deo competit bonitas et esse cum omnimoda plenitudine atque immensa per-

Marc. x, 18. *Matth.* xix, 17. *Exod.* iii, 14.

fectione, ita quod ejus comparatione nihil A creatum, bonum aut ens valeat appellari. *Job* xiv, 4. Propter quod sanctus Job ait : Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es? Jeremias *Jer.* li, 19. quoque asserit : Qui fecit omnia, ipse est, et Israel sceptrum hereditatis ejus ; Dominus exercituum nomen ejus. Unde, ut asserit Damascenus, primum et proprium nomen Dei, est Esse, seu Qui est, quoniam Esse tanquam pelagus infinitum comprehendit in se quidquid inest et competit *Cf.* t. xix, p. 364 B, 365 B' et s. Deo. Sanctus item Hilarius : Esse, inquit, B non est accidens Deo, sed subsistens veritas, manens causa, et naturalis generis proprietas. Nec solum generalissima ista, videlicet esse, bonitas, veritas, unitas, tam eminenter, proprie ac singulariter competunt Deo, sed alia quoque absolutam perfectionem exprimentia, ut potentia, sapientia, scientia, pulchritudo, etc. Propter quod ad Timotheum loquitur Vas electio- I *Tim.* vi, 15, 16. nis : Beatus et solus potens Rex regum et Dominus dominantium, qui solus habet *Ibid.* i, 17; *Rom.* xvi, 27. immortalitatem ; et alibi : Soli sapienti C Deo honor et gloria. Ad quod insinuandum *Jer.* x, 14; li, 17. scriptum est : Stultus factus est omnis homo a scientia sua.

Præterea contemplatio per negationem seu ablationem, est intuitio qua Deus conspicitur tanquam universis et singulis infinite sublimior, et prorsus incomprehensibilis, ita quod omnia verius atque subtilius negantur et auferuntur ab eo, quam adscribantur eidem. Sicque in hac contemplatione mens contemplantis unitur et infigitur Deo tanquam prorsus ignoto, quoniam D videt et intelligit nihil competere Deo secundum modum quo nos comprehendere aut concipere id valemus, nec aliquid univoce dici de Creatore et creaturis, eo quod infinita sit exaltatio Creatoris super universa creata et creabilia. Hæc contemplatio Dei est altior et perfectior prima, quæ est per affirmationem : quia ut divinus De Cœlest. hier. c. ii. Dionysius docet, affirmationes sunt incompactæ (id est impropriæ) in divinis, negationes vero sunt propriæ ibi.

Hæc quoque contemplatio per abnegationem universorum a Deo, est mystica theologia : quæ est secretissima, ardentissima ac lucidissima mentis humanæ cum Deo locutio, ejusque intuitio; et appellatur intuitio caliginis, id est divinæ et increatæ supersplendidissimæ lucis, quæ propter claritatis suæ infinitum, invisibilem incomprehensibilemque excessum nuncupatur caligo. Hinc Deus in Scripturis inno- *Prov.* xxx, 4. minabilis perhibetur, quum tamen tam multa et quasi innumerabilia habeat nomina : quia videlicet nullum nomen competit ei secundum modum quo nos id intelligere possumus, sed per modum in infinitum perfectiorem et eminentiorem. Hinc quoque, quamvis in themate hujus dicatur sermonis, « Omnes homines vident *Job* xxxvi, 25. Deum »; tamen, ut Joannes ait, Deum nemo *Joann.* i, 18; vidit unquam; atque ad Moysen protulit I *Joann.* iv, 12. Deus, Non videbit me homo et vivet : quo- *Exod.* xxxiii, 20. niam Deum sicuti in se ipso est, nullus potest viator videre et humana sensitivaque vita tunc vivere.

Denique contemplatio ista mysticæ theologiæ per omnium ablationem a Deo, per incendium fit amoris : quoniam per ardentissimam atque purissimam Deitatis dilectionem immediate disponitur homo ad eam, quanquam et ipsum actualem amorem apprehensio quædam ordine naturali præcedat. In hac equidem contemplatione, mox ut apex affectivæ summi boni amore accenditur, vertex intellectivæ ad primæ ac summæ veritatis intuitionem erigitur, et ei ut enti incomprehensibili ac ignoto quantum ad quid est, infigitur; et crebro in divitias gloriæ rapitur, in Deitatis abyssum demergitur, in divinæ et increatæ infinitatis oceanum prorsus defluit a se ipsa, et igne amoris immensi quasi comburi ac perdi videtur : sicque obdormit et con- *Ps.* iv, 9. quiescit in pace in id ipsum, in dilecto, in superclarissimo Deo, in eo qui solus per essentiam incomparabiliter in se bonus ac propter se amabilis superamabilisque consistit. Habet autem contemplatio hæc mysticæ theologiæ diversos ac varios gra-

dus, secundum quod unus contemplator in A caritate et dono sapientiæ altero est perfectior, vel prout magis aut minus se disponit ad eam, aut certe secundum quod magis aut minus gratiose ac pie prævenitur a Deo ac rapitur.

Præterea scire oportet, quia secundum divini Dionysii documenta, in contemplatione ista ab inferioribus et imperfectioribus aptius inchoatur, quia hæc corporalia ac sensibilia magis proprie de Deo negantur ac auferuntur. Sicque tandem ascendendo, universa etiam superiora et in- B telligibilia, et omnia entia et non entia auferuntur a Deo tanquam a superessentialiter superposito et interminabiliter superexaltato universorum principio : cujus immensam et incomprehensibilem lucem tanquam caliginem quum fuerit mens contemplando ingressa, omne mox nomen omnisque cognitio prorsus deficient. Sed hoc erit mente Deum videre, videre eum omnino invisibilem et incomprehensibilem esse : quemadmodum stanti circa Oceanum, cujus finem attingere visu nequit, C hoc est Oceanum intueri, illud non posse totum conspicere. Et quanto mens de Deo id clarius atque profundius viderit, tanto ipsum limpidius intuebitur.

De Mystic. theol. c. II.

Postremo, ad hanc mysticæ theologiæ contemplationem homo dupliciter elevatur. Primo, per sui ipsius conatum seu præparationem ad eam, prout primo capitulo Mysticæ theologiæ sacer Dionysius docet, quando videlicet homo se ab exterioribus abstrahit, et mente recolligit, ad Deumque erigit, ejus bonitatem conside- D rando, donec apex voluntatis divino accendatur amore, sicque vertex mentis per contemplationem hanc mysticam uniatur et infigatur Deo. Secundo, elevatur homo ad eam absque suo conamine ac præparatione, ex gratiosissima Dei præventione, repente et improvise, imo frequenter tam impetuose ac valide ut nequaquam queat resistere aut se inde avertere, sed instantanee mens ejus præstringitur, impletur, rapitur, absorbetur atque demergitur ac penitus superatur, et quasi prosternitur, ut felicius elevetur. Unde quinto de Consideratione ait Bernardus : Omnium maximus est, qui spreto usu rerum ac sensuum, quantum humanæ fragilitati fas est, non ascensoriis gradibus, sed inopinatis excessibus avolat ad contemplanda divina. Talis in profundissima Dei misericordia prævenitur ac rapitur.

Ad hanc contemplationem mysticam, supernaturalem, flammigeram, ferventissimam, unitivam, conemur indesinenter, quia in ea consistit omnium exercitiorum et laborum actuumque nostrorum finis seu consummatio atque perfectio in præsenti. Ad quam solitarii specialiter adspirare debent ac niti, imo et omnes religiosi, ad quos contemplativa pertinet vita, quæ per beatissimum Joannem apostolum contemplatorem altissimum designatur. Ad quam contemplationem præclaram pervenit homo, non varios libros hinc inde revolvendo ac percurrendo, sed se ipsum in omnibus profunde humiliando, salubriter mortificando, fortiter superando ; prompte obediendo, privatum prorsus exstirpando amorem, opusque Dei persolvendo reverenter ac semper attente, et coram Deo ubique ac semper sollicite ambulando, ac ea quæ Ordinis sunt diligentissime observando, ne in aliquo Omnipotentem offendat, imo in cunctis honoret, atque in ejus caritate omnique virtute et gratia indesinenter proficiat. Ad laudem et gloriam ejus.

Mich. VI, 8.

IN FESTO
BEATORUM INNOCENTIUM

ENARRATIO IN LECTIONEM LOCO EPISTOLÆ

VIDI SUPRA MONTEM AGNUM STANTEM, ETC. Apoc. XIV, 1-5.

In lectione ista, ad litteram de virginibus agitur, idcirco in festo Innocentium convenienter loco epistolæ legitur. Itaque S. Joannes in Apocalypsi ait :

Vidi visione imaginaria, *supra montem,* id est supra militantem seu triumphantem Ecclesiam, *Agnum stantem,* videlicet Christum utrique Ecclesiæ præsidentem, et in omnium Sanctorum vertice constitu-
Ps. II, 6. tum, qui ait in Psalmo : Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus. Ecclesia autem recte mons appellatur, propter altitudinem gratiæ, sapientiæ et virtutis sibi concessæ. Qui etiam mons, Sion vocatur, quia cœlestia contemplatur. Sion quippe speculatio interpretatur. Vidit autem Joannes « Agnum stantem », tanquam paratum ad succurrendum suis ministris, quemadmodum Ste-
Act. VII, 56. phanus dixit : Video cœlos apertos, et Filium hominis stantem a dextris virtutis Dei. *Et cum eo centum quadraginta quatuor millia.* Per numerum istum determinatum designatur numerus indeterminatus, videlicet universitas Sanctorum. De quibus subjungitur : *habentes nomen ejus,* videlicet Agni, *et nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis,* id est Unigenitum Dei et Patrem æternum cordibus suis gratiose inexsistentem, amorose impressum, seque aperte profitentes esse ministros A Patris ac Filii. Quibus expressis datur Spiritus Sanctus intelligi, qui est amor et nexus Patris ac Filii.

Et audivi vocem de cœlo. Vox ista fuit cantus seu laus horum millium Sanctorum Deum laudantium : quam vocem de cœlo triumphantis seu militantis Ecclesiæ interiori auditu audivit Joannes. *Tanquam vocem aquarum multarum, et tanquam vocem tonitrui magni.* Per quod insinuatur, quod forti, amoroso atque magnifico præconio Deum laudabant. *Et vocem quam* B *audivi, sicut citharœdorum citharizantium in citharis suis,* id est, laus ista fuit Deo ac angelis grata ac placita, mihi quoque Joanni instar suavissimæ melodiæ delectabilis exstitit et jucunda. *Et cantabant quasi canticum novum ante sedem* Dei. Quum enim electi ingrediuntur regnum cœleste, novum mox canticum offerunt Deo, quem tunc incomparabiliter clarius cernunt, ardentius diligunt, immobilius tenent. Idcirco præclarioribus eum attollunt præconiis, quæ ex mentibus per dona C gloriæ innovatis, semper recentibus et nunquam veterascentibus, prodeunt. Porro electi devoti et amorosi in militanti Ecclesia, quasi canticum novum Deo decantant, per evangelicæ legis verba et opera Deum laudando, eumque quotidie ex recenti, renovata ac inflammata devotione novis lau-

dibus secundum multiplicem Spiritus Sancti instigationem ubertim atque sæpissime commendando. Itaque, « canticum novum » cantaverunt « ante sedem » Dei, id est coram Altissimo, ei cordialissime regratiantes de omni victoria et virtute eis concessa, et pro cunctis beneficiis ejus. *Et ante quatuor animalia et seniores,* id est coram Evangelistis ac ceteris Sanctis præcipuis, Apostolis, Patriarchis, Prophetis, atque perfectis. Qui enim in præsenti peregrinantur Ecclesia, oculos cordis ad Deum et Beatos in patria elevant, et in eorum præsentia se per fidei contemplationem constituunt, et taliter laudes offerunt Creatori.

Et nemo poterat dicere canticum istud, de quo nunc sermo : quia ad litteram nunc est sermo de virginum cantico, qui quodam speciali præmio, hoc cantico de sua virginitate lætantur. Nam et specialis aureola eis confertur. *Nisi illa centum quadraginta quatuor millia,* id est, nisi universitas virginum, quæ præfato numero designatur. *Qui empti sunt de terra,* id est, de numero carnalium hominum misericorditer segregati sunt, et pretio sanguinis Christi redempti, Paulo dicente : Empti estis pretio magno. *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati : virgines enim sunt,* mente et corpore incorrupti. Virginitas autem sola cogitatione seu affectu amissa, per pœnitentiam recuperatur : alioqui virginitatis aureolam obtinere non possent qui vel semel in copulam consensissent carnalem, quantumlibet postea continerent ac pœniterent. *Hi sequuntur Agnum,* videlicet Christum, *quocumque ierit.* Nunc enim Christum sequuntur, non solum per viam præceptorum, sed etiam consiliorum ; in cœlo quoque speciali familiaritate ei adhærent, et quocumque se verterit, quemcumque visitaverit, ad quodcumque se extenderit, speciali eum prosequuntur favore, quemadmodum in hac vita pro ejus amore contra propriam carnem laboriosius certaverunt.

I Cor. VI, 20.

Hi empti sunt, id est sanguine Christi salvati et assumpti, *ex omnibus,* id est de toto hominum genere, *primitiæ Deo et Agno,* id est, ad hoc ut sint ad honorem Dei Patris ac Filii, haud dubium quin et Spiritus Sancti, primæ hostiæ et quasi primi temporis fructus, qui magis accepti ac dulciores sunt. Virgines quippe præ ceteris exhibent corpora sua hostiam sanctam, viventem, Deo placentem. Hinc super Apocalypsim loquitur Berengandus*: In lege præceptum est ut primitiæ offerrentur Deo. Per primitias frugum designantur electi. Nam sicut ex multitudine fructuum parvæ primitiæ Deo offerebantur, ita ex multitudine hominum parvus electorum, potissime virginum, eligitur numerus, qui Deo ab angelis in templo gloriæ cœlestis offertur. *Et in ore eorum non est inventum mendacium,* vel quia nunquam mentiti sunt, vel si in quam mendacii culpam prolapsi sunt, eam per pœnitentiam deleverunt. *Sine macula sunt ante thronum Dei.* In militanti namque Ecclesia carent mortalis macula culpæ, in patria vero etiam omni veniali carent peccato.

Rom. XII, 1.

* Berengaudus

Exod. XXII, 29.

Verum circa hæc, quæstio oritur : quia ex præinductis videtur, quod virgines (absolute loquendo) sint ceteris Sanctis præstantiores atque in gloria sublimiores, quum sint primitiæ Deo. Et respondendum, quod ista eorum prærogativa ad accidentale præmium et virginitatis aureolam est referenda, vel quia ceteris paribus sunt majores.

Verba lectionis istius super Apocalypsim elucidavi diffusius, et in sermone inde aliqua plenius exponentur.

SERMO PRIMUS

DE TRIPLICI CASTITATE, DE LAUDE VIRGINITATIS, ET QUIBUS DEBEATUR AUREOLA.

H*I sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati.* Apoc. XIV, 4.

Ad hoc ordinatur ac tendit tota evangelica Christi doctrina, ut a rerum carnalium ac temporalium inordinato amore et prava delectatione nos abstrahamus, atque ad Dei ac spiritualium rerum amorem, considerationem ac delectationem sinceram nos elevemus. Ad hoc siquidem conditi sumus, et in hoc consistit vera felicitas ac summa nobilitas nostra. Hinc homo tanto infelicior viliorque efficitur, quanto rebus carnalibus ac terrenis magis immergitur immoderantiusve inhæret : imo talis homo nomine hominis est indignus, et in Scripturis caro ac bestia nuncupatur. Hinc Christus in Evangelio virginitatem verbo docuit et exemplo, eamque plurimum commendavit et consuluit (non
Matth. XIX, 12. præcepit) dicendo : Qui potest capere, capiat. Per virginitatem namque abstinet homo totaliter a voluptatibus carnalibus et immundis, et ad divinorum contemplationem ac dilectionem valde disponitur. Unde in solennitate hac Innocentium martyrum, qui virgines exstiterunt, lectio ista ex Apocalypsi sumpta legitur : in qua de virginitatis præconio recitatur.

Præterea Christus in Evangelio loqui-
Luc. VIII, 8, 15; *Matth.* XIII, 8, 23. tur : Semen cecidit in terram bonam, et ortum, fecit fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud tricesimum. In quibus verbis per semen intelligitur doctrina Christi, seu verbum Dei ; et per terram bonam exprimitur cor humanum docile, verbo Dei obtemperans. Per fructum vero designatur spiritualitas quædam seu puritas, et profectus exsurgens et crescens in homine ex hoc quod verbum Dei intra se suscipit et adimplet. Hæc
A autem spiritualitas est castitas, utpote continentia sive abstractio a concupiscentiis voluptatibusque carnalibus, per quas homo a contemplatione et amore divinorum atque cœlestium præcipue impeditur. Hæc autem castitas triplex est, videlicet conjugalis, et vidualis, ac virginalis. Castitas conjugalis est, per quam homo temperate se habet circa contoralem et copulam ejus carnalem, delectationes et omnes commixtiones divina lege prohibitas vitans, ut sit honorabile ejus connubium et torus *Hebr.* XIII, 4.
B immaculatus, ut docet Apostolus. Hæc est castitas eorum qui fidem conjugalem sibi invicem servant, et non nisi propter causas honestas ac licitas sibi mutuo uniuntur, videlicet desiderio prolis habendæ et ad Dei obsequium educandæ, vel causa debiti reddendi, aut ratione incontinentiæ in contorali vitandæ. Hæc castitas per fructum tricesimum designatur, quoniam infima est, et ad eam conjugati tenentur, quam adulterantes vitiosissime violant. Secunda est castitas vidualis, qua homo se
C abstrahit a vinculo matrimoniali copulaque carnali ad tempus, post obitum contoralis. Hæc castitas per fructum sexagesimum designatur. Tertia est castitas virginalis, per fructum centesimum designata, quia præfatis duabus est melior : qua homo a vinculo conjugali delectationibusque carnalibus abstrahit se omnino propter Deum. De qua sanctus loquitur Cyprianus : Virginitas soror est angelorum, victoria libidinum, possessio omnium bonorum. Unde in Ecclesiastico fer-
D tur : Omnis ponderatio non est digna *Eccli.* XXVI, 20. continentis animæ. Beatus quoque Hieronymus : Matrimonium, inquit, implet terram, virginitas cœlum.

Insuper, secundum doctores, castitati A virginali debetur aureola. Estque aureola quoddam accidentale præmium, seu speciale gaudium, pro opere virtuoso singularis difficultatis atque victoriæ. Hinc tribus generibus hominum, puta martyribus, virginibus, doctoribus, debetur ac datur in cœlo aureola. In actibus namque martyrii et doctoratus ac virginitatis, valde magna difficultas ac singularis consistit triumphus. Per virginitatem equidem triumphat homo de proprio ac domestico hoste, Galat. v, 17. id est de corpore suo, quod teste Aposto- B lo, concupiscit adversus spiritum.

Sed circa hæc quæri potest, an cunctis virginibus debeatur ac detur aureola : et loquor de virginibus in virginitate et caritate morientibus. Videtur quod non, quia sic parvulis baptizatis ante discretionis tempus decedentibus daretur aureola : qui tamen contra concupiscentias carnis nullam unquam pugnam habuerunt, imo nec motum senserunt inordinatum, nec virginitatem perdere potuerunt. Similiter puellis nuptis ante carnalem morientibus C copulam daretur aureola : quæ tamen propositum et affectum carnalis habuerunt conventionis. Ad istud S. Thomas super quartum Sententiarum respondet, quod quidam dixerunt cunctis virginibus dari aureolam. Quorum opinio fuit nimis extensa, quia non omnes virgines contra concupiscentiam pugnaverunt, nec omnes virgines virginitatem proposuerunt servare. Aliorum ergo fuit opinio, quod solis virginibus virginitatem ex voto servantibus, detur aureola. Quorum opinio fuit nimium D stricta, quoniam ex eadem caritate et difficultate ac intentione potest quis virginitatem servare absque voto, et ex voto. Idcirco opinio inter has media, rationabilior est, videlicet quod cunctis virginitatem ex proposito observantibus debeatur aureola. Et quamvis propositum hoc subinde mutetur, non impeditur aureolæ gaudium, merces, sive perceptio, dummodo propositum resumatur, et in eo quis moriatur. Nam mentis virginitas potest recuperari.

Amplius circa præhabita quæritur, an virgines sint aliis cunctis hominibus virtuosis majores in regno cœlesti. Videtur quod imo, quia in hodierna dicitur lectione, quod nemo alius potuit dicere canti- Apoc. xiv, 3. cum virginum, nisi virgines ipsæ. Rursus, in lectione hac dicitur, quod hi, scilicet virgines, sequuntur Agnum quocumque Ibid. 4. ierit ; itemque, quod empti sunt ex omni- Ibidem. bus primitiæ Deo et Agno. Itaque advertendum, quia ut sanctus recitat Thomas, quidam dixerunt solos et solas virgines ceteris præferendos, atque ad angelorum ordines assumendos : quod omnino erroneum est et stultum. Essentiale etenim præmium Beatorum non correspondet virginitati, sed caritatis perfectioni. Nonne beatissimus princeps Apostolorum Petrus, et ceteri Sancti utriusque Testamenti qui in conjugio erant, multis virginibus valde excellentiores sunt in gloria, quemadmodum Moyses, Abraham, David, Isaias ? Dicendum ergo, quod virgines aliis præferuntur non absolute, sed quantum ad aliquid, sicut in expositione inductum est. Cf. p. 209 C'. Verumtamen certum est, quod aliqui virgines ceteris præferuntur, ut Christus homo, et Mater ipsius. — Attamen ex dictis probatur, quam magna et specialis virtus sit sancta virginitas, quæ in evangelica lege, quæ est lex perfecta, cœlestis ac spiritualis, valde laudatur, consulitur, præmiatur. Hinc Augustinus virgines devotissime alloquens : Pergite, inquit, Sancti Dei, pueri ac puellæ, mares ac feminæ, cælibes et innuptæ, pergite perseveranter in finem ; laudate Dominum dulcius, quem cogitatis uberius ; sperate felicius, cui servitis instantius ; amate ardentius, cui placetis attentius ; lumbis accinctis et lucernis ardentibus exspectate Dominum quando veniat a nuptiis. Vos affertis ad nuptias canticum novum, quod cantabitis in citharis vestris, utique tale quale nemo poterit dicere nisi vos. Ambrosius quoque testatur : Virginitas supergreditur conditionem naturæ humanæ, per quam homines angelis assimilantur. Major enim est

victoria hominum quam angelorum. Angeli namque sine carne vivunt, virgines vero in carne triumphant.

Porro omnis inverecundia, loquacitas, curiositas, pompa, saltatio, gula, omni virgini sunt vitandæ. Denique, quam gloriosa et commendabilis est in Christianis virginitas, tam detestabilis atque damnabilis est in eis fornicatio omnis. Omnis quoque carnalitas in adspectu, tactu, osculo et affatu, et quidquid ad libidinem provocat, summe fugiendum est omni Christifideli; similiter omnis gula, acedia atque superbia. Hinc Innocentius ait : O extrema libidinis turpitudo, quæ non solum mentem effeminat, sed et corpus enervat; non solum maculat animam, sed etiam fœdat
I *Cor.* VI, 18. personam! Qui enim fornicatur, in proprium corpus peccat, secundum Apostolum, quod deturpat et inhonestat. O quam brevis est fornicationis voluptas, et quam perpetua ejus pœnalitas! Ut ergo veraciter christiani simus, vitemus peccata ista carnalia, et cetera omnia quibus bestiis ac dæmonibus conformamur; et ad puritatem nos demus, per quam Deo placemus et angelis assimilamur, quatenus quotidie in gratia Spiritus Sancti et omni virtute crescamus. Et quoniam hodie sanctorum Innocentium celebramus martyrium, eorum innocentiam assequamur, ut nec nobis ipsis, nec aliis per vitia noceamus. Imo consilio atque auxilio cunctis pro posse prodesse conemur, et exemplares in omnibus esse nitamur. Nec consilium proximis est vendendum, sed gratis ex caritate propter Deum plenarie impendendum; nec aliquis ejus debet causam promovere sive defendere quam scit injustam consistere.

Postremo, quemadmodum super Matthæum ait Hieronymus, sicut parvulus non perseverat in malitia, læsus non meminit, videns pulchram mulierem non concupiscit nec delectatur, non aliud cogitat et aliud loquitur; sic et nos, nisi talem habuerimus innocentiam atque munditiam, *Matth.*
regnum non poterimus intrare cœlorum. XVIII, 3.
Ecce quam arcta est via salutis. Hinc et *Ibid.* VII, 14.
gloriosissimus princeps apostolici agminis
in prima sua Canonica : Deponentes (in- I *Petr.* II,
quit) omnem malitiam et omnem dolum, 1, 2.
et simulationes, et invidias, et detractiones, sicut modo geniti infantes, rationabiles, sine dolo, lac (id est innocentiam et simplicitatem columbinam) concupiscite. Hæc itaque adimplere jugiter satagamus.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

ANGELUS DOMINI APPARUIT IN SOMNIS JOSEPH, ETC. Matth. II, 13-18.

PRÆSENTI in evangelio describitur interfectio Innocentium martyrum ab Herode rege, tyranno sævissimo. Itaque Matthæus dicit :

Angelus Domini apparuit in somnis Joseph. Hæc verba in evangelio profesti Na-
Cf. p. 98 D'. tivitatis Christi exposita sunt supra. *Dicens* ei, videlicet S. Joseph sponso Mariæ, nutricio Christi : *Surge* in hac nocte, *et accipe puerum* Jesum *et matrem ejus.* Non dicit, Uxorem tuam et filium tuum, quia putativus, non verus, exstitit pater Christi, nec cognovit Mariam. *Et fuge in Ægyptum, et esto ibi usque dum dicam tibi,* id est, in Ægypto permane quousque dicam tibi ut redeas. *Futurum est enim ut Herodes* Ascalonita *quærat puerum ad perdendum eum,* hoc est, ut eum occidat, non ut eum adoret, prout simulatorie dixit
ad Magos : Quum inveneritis eum, renun- *Matth.* II, 8.
tiate mihi, ut et ego veniens adorem eum. Hæc apparitio facta est S. Joseph post

Luc. II, 22 et seq. præsentationem pueri Jesu in templo, et A purificationem Virginis gloriosæ. Herodes namque videns Magos non redire ad se, æstimavit eos per phantasticam stellam illusos, idcirco ex verecundia non redisse ad se : ideo non curavit quærere puerum Jesum ad occidendum. Post purificationem vero Virginis benedictæ, percipiens verba et gesta Simeonis et Annæ prophetissæ, qui habitatoribus Jerusalem loquebantur de Christo, vehementer turbatus est, metuens regno privari per Christum, verum ac summum regem Judæis promis- B sum. Propterea cœpit cogitare de interfectione Christi.

Qui Joseph *consurgens* a somno, absque dilatione, quia de pueri custodia diligentissimus fuit, *accepit puerum et matrem ejus nocte* eadem qua angelus ei apparuit, quia nocturnum tempus aptum est fugæ. Putatur autem quod super asinum vexit Virginem sanctam et puerum Jesum : alias in ulnis suis aut scapulis puerum bajulasset. Deinde, secundum divinum Dionysium, De Cœlest. hier. c. VIII-X. ecclesiastica hierarchia ab angelica C gubernatur, et opera Dei ordinatissima sunt. Quamvis ergo puer natus, Dominus Jesus, Deus æternus et homo infantulus, poterat S. Joseph intus docere, imo et foris affari, de fuga arripienda ; tamen hoc fecit per angelum, ut ordo hierarchicus servaretur. Poterat quoque Christus aliter quam per fugam evadere manum Herodis, sicut evasit manum Judæorum, eum præcipitare ac lapidare volentium. *Joann.* VIII, 59 ; *Luc.* IV, 29, 30. Sed quia humanam assumpsit naturam, et ad dandum totius perfectionis exemplum adve- D nit, voluit humano modo procedere, fugiendo, adversa sustinendo, et exemplum præbendo rationabilis fugæ, de qua in Evangelio loquitur : Quum vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam. *Matth.* X, 23. *Et secessit* Joseph cum puero et matre ejus *in Ægyptum*.

Et erat ibi usque ad obitum Herodis, videlicet septem annis, ut legitur. *Ut impleretur* in Christi reditu de Ægypto, *quod dictum est a Domino* Deo Patre æterno, *per prophetam* Osee *dicentem : Ex Ægypto vocavi filium meum*. Unde apud Osee sic habetur : Puer Israel, et dilexi eum ; et ex Ægypto vocavi filium meum. *Osee* XI, 1. Ex quo apparet, quod istud litteraliter dictum sit de populo Judæorum, non de Christo. Sed advertendum, quod dum aliquid dicitur de populo aut certo supposito Judæorum, prout fuit figura Christi, illud principaliter ac litteraliter de Christo exponitur : et ita est in proposito.

Tunc, videlicet crescente fama de Christo, propter Simeonis et Annæ pastorumque verba, *Luc.* II, passim. *Herodes videns quoniam illusus esset a Magis* non redeuntibus ad eum juxta condictum, *iratus est valde*, ægre ferens se esse derisum, ac regno privandum per Christum. Hæc est enim implacabilis ira regum ac principum, dum putant aut sentiunt regnum suum ab alio impeti. *Et mittens* crudeles satellites, *occidit* per manus illorum *omnes pueros* mares *qui erant in Bethlehem et in omnibus finibus ejus*, hoc est locis ei vicinis atque ad eam pertinentibus. Verumtamen, secundum historias, istud non contigit mox quum se vidit a Magis illusum : quia tunc coactus est Romam venire, et coram Cæsare apparere, propter accusationes sibi a filiis suis objectas. Quumque prævaluisset, videns se confirmatum in regno, reversus ad propria, explevit quod ante de puerorum nece concepit, interfici faciens pueros, *a bimatu*, id est a tempore duorum annorum, videlicet infantes annorum duorum, *et infra*, id est usque ad pueros unius diei, ut communiter dicitur. Vel, « a bimatu et infra », id est etiam illos qui erant infra ætatem duorum bimatuum, scilicet pueros quatuor annorum usque ad pueros quinquennes, *secundum tempus quod exquisierat a Magis*, a quibus, secundum exponentes hoc modo, didicit stellam apparuisse eis per duos annos antequam venerunt Jerusalem. Herodes ergo putans puerum tunc natum dum stella eis apparuit, putavit eum jam esse plus quam trium anno-

rum, quia jam annus fluxit a recessu Magorum, antequam ipse a Roma reversus est. Ideo jussit occidi pueros duorum annorum usque ad pueros quinquennes, ne Christus evaderet, si forte majoris aut minoris esset quantitatis quam pueri tales communiter esse solent. Ista expositio dicitur esse Chrysostomi, eo quod dicat stellam Magis apparuisse diu ante Christi nativitatem. Sed agnoscendum, quod Chrysostomus dicit hoc, non asserendo, sed quamdam scripturam apocrypham recitando.

Tunc adimpletum est quod dictum est Jer. xxxi, 15. *per Jeremiam prophetam, dicentem : Vox in Rama,* hoc est in sublimi, *audita est,* utpote longe ac late diffusa : vox, inquam, *ploratus* puerorum qui occidebantur, *et ululatus multus* matrum videntium suos pueros taliter trucidari. *Rachel* fuit *plorans filios suos.* Per Rachel intelligitur universitas feminarum illarum Bethlehemitarum, infantes suos deflentium : quoniam Rachel juxta Bethlehem est sepulta, quæ materni corpusculi hospitio nomen matris accepit, secundum Hieronymum. Gen. xxxv, 19. Secundo, quoniam tribus Juda ac Benjamin inhabitabant simul permixtim. Herodes autem jussit non solum in Bethlehem, sed in omnibus quoque finibus ejus, pueros trucidari : sicque ex propinquitate A locorum, non solum filii Liæ qui habitabant in Bethlehem pertinente ad tribum Judæ nati ex Lia, sed et multi ex filiis Rachelis matris Benjamin, hoc est de tribu Benjamin, fuerunt occisi. Ideo Rachel, id est posteritas ejus, dicitur plorare pueros suos ab Herode occisos. *Et noluit consolari,* hoc est, congregatio matrum illarum non admisit consolationem de morte puerorum suorum : sicut nec Jacob patriarcha, quum filium suum Joseph putavit a bestia devoratum; Gen. xxxvii, 35, 33. *quia non sunt,* hoc est, B quia filii illi non permanserunt in vita hac, sed per mortem matribus suis ablati sunt : ideo matres illæ inconsolabiliter doluerunt.

Postremo, quod dictum est, « in Rama », sic potest exponi : quia vox ista sanguinis occisorum ascendit in cœlum, ultionem deposcens. Homicidium namque est unum de quatuor peccatis clamantibus ante Deum, sicut in versibus dicitur :

> Clamitat ante Deum vox sanguinis, et Sodomorum,
> C Vox oppressorum, merces detenta laborum.

Unde in Genesi Dominus ait ad Cain : Vox Ibid. iv, 10. sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Et in Canonica Jacobi, de oppressis pauperibus dicitur : Clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit. Jacob. v, 4.

SERMO SECUNDUS

QUOMODO MULTIFARIAM DEUS PROVIDEAT HOMINUM SALUTI, ET QUÆ DICATUR BONA MALAVE VOLUNTAS.

DEUS *omnes homines vult salvos fieri.* I Tim. II, 4.

Quemadmodum homines universi unius sunt speciei, ita propter eumdem finem a Deo creati sunt, id est ad eamdem beatitudinem ordinati : quæ beatitudo est summi boni clara fruitivaque visio. Deus ergo, D quantum in se est, vult omnes homines ad beatitudinem istam pertingere, et variis modis instigat eos ad hoc, videlicet : per divinum instinctum, per angelicam inspirationem, per Scripturarum eruditionem, Ps. xc, 11; et per homines bonos. Nam et unicuique Matth. xviii, 10; homini deputavit specialem angelum in Hebr. i, 14.

custodem, et variis modis perducit homines ad beatitudinem veram. Quod perpendere possumus ex tribus solennitatibus istis, quæ post diem Nativitatis Christi mox celebrantur. Primo quippe post solennitatem Nativitatis Christi, celebratur festum S. Stephani, qui voluntate et opere exstitit martyr; secundo solennitas S. Joannis apostoli, qui sola voluntate martyr fuit; tertio festum Innocentium horum, qui solo opere martyres exstiterunt. Generaliter autem loquendo, quidam merentur regnum cœleste voluntate et actione; quidam sola voluntate, id est solo interiori actu seu desiderio voluntatis caritatem habentis, videlicet hi qui mente parati sunt ad bene agendum, sed aliunde impediuntur, aut opportunitatem bene operandi non habent. Alii solo opere absque propriæ voluntatis motu et actu beatitudinem adipiscuntur. Et de horum numero fuerunt sancti hi Innocentes, qui propter ætatis defectum, rationis usum non habuerunt; et tamen occisio eis propter Christum injuste illata, ipsis est pro martyrio reputata. Actio namque et passio possunt homini in meritum reputari præter propriam voluntatem, sed non contra eam : et hoc modo salvantur, in novo Testamento, infantes baptizati qui ante tempus discretionis moriuntur. Gratias ergo agamus infinitæ misericordiæ Dei, qui tot modis hominibus providet ad salutem, atque tam pronus est ad succurrendum, ad miserendum, et ad salvandum. Ejus namque natura est, bonitas pura, pietas infinita, caritas summa, cui proprium est misereri ac parcere.

Verumtamen ex consideratione ista pietatis divinæ, nemo palpet decipiatque se ipsum peccando audentius, aut in peccato perseverando diutius : quia revera non minor est rigor divinæ justitiæ, quam dulcor suæ clementiæ. Et quam pronus est Deus in vita præsenti ad indulgendum, tam districtus est post eam ad puniendum, imo tam inflexibilis et inexorabilis ad ignoscendum : et quos nunc diutius ac patientius sustinet in peccatis, quatenus convertantur, hos, nisi vere pœniteant, postea horribilius punit in æternis gehennæ suppliciis. O quam innumerabiles deceperunt se ipsos, et æternaliter perierunt, fatue præsumendo de misericordia Dei, et de ea sibimetipsis insipientissime blandiendo! Hinc ad Romanos ait Apostolus : Vide bonitatem et severitatem Dei; in eis quidem qui ceciderunt severitatem, in te autem bonitatem, si tamen permanseris in bonitate : alioqui et tu excideris. Nullus ergo pœnitentiam differat, nullus converti procrastinet : nam quanto quis differt diutius et peccat frequentius, tanto ad conversionem ineptior redditur, et gratia Dei indignior demonstratur. *Rom.* XI, 22.

Præterea agnoscendum, quod non quælibet voluntas, id est voluntatis affectio, reputatur et acceptatur a Deo pro opere. Est enim imperfecta voluntas, quæ vocatur voluntas optativa et quædam velleitas, quæ non pro posse tendit in opus tempore opportuno, de qua Salomon loquitur : Vult et non vult piger. Sic aliqui volunt salvari, et virtuosi, patientes, mites et humiles fieri; non tamen volunt jejunare, divino Officio interesse, contra concupiscentias fortiter præliari, adversa, contumelias, irrisiones æquanimiter pati. Per istam imperfectam voluntatem non disponit se homo sufficienter ad gratiam, quia non satis efficit quod in se est. Alia est voluntas perfecta, quæ vocatur imperativa, et statim loco et tempore congruo in opus progreditur, nisi aliunde impediatur : facit etenim quod in se est. De hac voluntate in Christi nativitate angeli cecinerunt : Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. De qua etiam loquitur Augustinus : Quidquid vis et non potes, Deus computat factum. *Prov.* XIII, 4. *Luc.* II, 14.

Porro bona voluntas est, qua appetimus recte honesteque vivere, et ad summam sapientiam pervenire. De qua etiam voluntate ait Gregorius : Nihil offertur Deo ditius bona voluntate. Bona autem voluntas est, proximorum adversa tanquam propria

pertimescere, de illorum prosperitate salubri sicut de profectu proprio gratulari; amicum non propter mundum, sed propter Deum diligere, inimicum amando tolerare; *Tob.* IV, 16; *Matth.* VII, 12. nulli quod pati rationabiliter non vis, facere; nulli quod tibi juste impendi desideras, denegare; necessitatibus proximi secundum vires succurrere, sed prodesse etiam ultra vires velle.

Sed quia jam dictum est quæ sit bona voluntas, videndum quæ sit mala voluntas. Itaque mala voluntas est, quæ ratione et divina lege non regitur, sed propria libertate contra superioris præceptum movetur, appetendo aut exsequendo illicita, vel fugiendo seu negligendo præcepta. De hac voluntate perversa ait Bernardus : Cesset propria voluntas, et infernus non erit. In quem enim ignis desæviet infernalis, nisi in perversam et propriam voluntatem? Hæc etenim Deum impugnat et contra eum extollitur, ejusque voluntati præponit et superponit se ipsam. Hæc voluntas maledicta, rebellis, perversa, spoliat paradisum, implet infernum, fructum sanguinis Christi evacuat, et ditioni diaboli homines subdit. Hinc loquitur Augustinus : Quum se voluntas, relicto superiore, ad inferiora convertit, efficitur mala : non quia malum est id ad quod se convertit, sed quia perversa est ipsa conversio. Itemque : Voluntas aversa a summo et incommutabili bono, et conversa ad proprium commodum, ad terrenum et sensibile bonum, peccat : non quia sensibile bonum in se ipso sit malum, sed quia contra ordinem et præceptum divinæ legis id appetit. Hæc est voluntas superborum, qui contra Dei præceptum optant honores, extollunt se ipsos, præsumunt de propriis viribus, et alios aspernantur. Hæc quoque est voluntas luxuriosorum, gulosorum, et omnium carnalium hominum, qui contra Dei mandatum amant et quærunt immundas delicias, atque pro temporali ac modica voluptate perpetuos sibi mercantur cruciatus tartareos. Idcirco sunt negotiatores stultissimi. Hæc demum est

A avarorum voluntas, qui contra Dei præceptum cupiunt et exquirunt, seu apud se tenent exteriores, vanas et fallaces divitias : per quod veris spiritualibusque divitiis gratiæ ac virtutum, imo et æterna salute se privant, atque pro nummo animas suas vendunt diabolo, quia amore pecuniæ aut rei terrenæ se tradunt in manus diaboli, ita quod ejus sunt membra ac servi. Idcirco in Ecclesiastico scriptum est : Nihil *Eccli.* x, 10. est iniquius quam amare pecuniam; hic enim animam suam habet venalem.

B Insuper agnoscendum, quod tota bonitas et malitia operum exteriorum dependet ex interiori bonitate aut malitia voluntatis. Nam radix merendi ac demerendi in voluntatis libertate consistit. Nec opus aliquod meritorium reputatur nisi ex caritate voluntatis procedat, quum dicat Apostolus : Si linguis hominum loquar et *I Cor.* XIII, 1, 2. angelorum, caritatem autem non habeam, nihil sum. Quum ergo hæc ita se habeant, studeamus semper interiora pura et gratiosa habere, videlicet mentem vera fide ac C sapientia decoratam, voluntatem Dei ac proximorum caritate ferventem, cor a vitiis et passionum immoderantiis mundum ac reformatum, atque moralibus virtutibus, humilitate, patientia, mansuetudine, liberalitate ornatum. Quanto enim anima fuerit intus in his bonis perfectior ac Deo placentior, tanto verba et opera exteriora inde nascentia, erunt Deo magis complacita, majorisque gloriæ meritoria. Similiter, quanto quis intus immundior ac vitiosior exstat, et ex intensiori affectione seu libi- D dine peccat, tanto verba et opera ejus exteriora prava, sunt graviora, et pœnam merentur majorem. Unde qui peccat ex proposito seu animo deliberato, sive ex certa scientia et habitu vitioso aut consuetudine prava, multo gravius peccat eo qui ex impetu passionis aut ignorantia peccat. Enormiter itaque legem Dei transgrediuntur, qui voluptatis peccant amore. Hinc Judex cœlestis loquitur : Quantum glorifi- *Apoc.* XVIII, 7. cavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum. O qualis lectus,

quale balneum, præparantur in inferno luxuriosis et cunctis iniquis!

Itaque Deum semper et ubique habeamus præ oculis, et cum omni diligentia A custodiamus cor nostrum, ne creatorem Deum ac judicem metuendum in aliquo offendamus; beatorumque Innocentium sanctam simplicitatem ac puritatem sectemur.

SERMO TERTIUS

QUANTA HUMANAM NATURAM DILECTIONE DEUS DIGNETUR, QUANTUM NOCEAT PECCATUM, ET QUÆ PARVULORUM CONDITIONES IMITANDÆ.

SINITE *parvulos venire ad me, talium est enim regnum cœlorum.* Matth. XIX, 14.

Istud est verbum Christi. Nam sicut ibidem scribit beatissimus evangelista Matthæus, quum Christus populo prædicaret, ejusque sapientiam et virtutes atque miracula plurimi mirarentur, adduxerunt infantes et pueros suos ad eum, ut illis benedicere ac manum imponere dignaretur. Quumque discipuli Christi prohiberent adductores parvulorum, ne parvulos illos ita adducerent, Christus prætacta verba protulit : « Sinite », inquiens, « parvulos venire ad me ». Nec solum benedixit parvulis illis, sed et amplectebatur eosdem, juxta quod scriptum est : Complexans Jesus parvulos, et imponens manus super illos, benedicebat eos. In quibus verbis et factis Domini nostri Jesu Christi multa considerantur.

Matth. XIX, 13. — *Ibid.* 14. — *Marc.* X, 16.

Primum est, summa et maxima sua humilitas, quia infantulos illos tam dignanter suscepit, amplectebatur, ac benedixit. Estque probabile, quod illi qui pueros illos adduxerant, pro majori parte fuerint pauperes. Væ ergo superbis hominibus qui pueros ac pauperes vix adspicere et affari dignantur. Hanc itaque Christi humilitatem pensemus ac imitemur; pauperibus et indigentibus, afflictis et despectis affabiles ac consolatorii simus.

Secundum est, magna dilectio Christi ad ipsam naturam humanam, quam tanquam B ad summæ Trinitatis imaginem similitudinemque creatam, et sempiternæ felicitatis capacem, Christus valde dilexit ac diligit. Unde in scripturis veteris Testamenti plebs Israelitica, imo et ceteræ infidelium nationes ac congregationes, communiter nomine filiæ designantur, ad insinuandum quod sicut pater diligit filiam, sic Creator naturam, præsertim intellectualem ac rationalem. Scriptum est enim : Exsulta satis, filia Sion; jubila, filia Jerusalem. Et alibi : Lauda satis, filia Sion; exsulta, filia C Jerusalem. Et alibi quoque : Sede in pulvere, filia Babylon. Itaque, quum Paulus dicat apostolus, Imitatores Dei estote sicut filii carissimi, et nos debemus in hac re Creatorem nostrum sectari, diligendo naturam in omni homine mortali quantumcumque iniquo et nobis contrario : vitia quidem ejus odire, personam vero et naturam amare debemus, ejus emendationem optando, pro ea orando, consilio et auxilio ejus saluti cooperando, quemadmodum jubet Salvator : Diligite inimicos D vestros, benefacite his qui oderunt vos, orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris cœlestis, qui solem suum facit oriri super bonos et malos.

Zach. IX, 9. — *Soph.* III, 14. — *Is.* XLVII, 1. — *Ephes.* V, 1. — *Matth.* V, 44, 45.

Tertium est, quod Christus valde diligit innocentiam simplicitatemque columbinam, et cordis munditiam. Ideo namque illos amplectebatur puerulos, quia in caritate fuerunt et gratia, sicut nunc infantuli

baptizati : erant equidem circumcisi. Similitudo quippe est causa amoris. Idcirco non *Joann.* I, 29. mirum quod innocentissimus Dei Agnus ac Filius, Christus Deus et homo, innocentes pueros tantum dilexit. Nam hujusmodi pueri, quum sint in caritate et gratia atque immunes ab omni culpa, sunt quasi angeli Dei : ideo sunt valde amandi. Hinc parentes innocentem sobolem suam valde custodire tenentur ac informare, dum ætati discretionis propinquant aut eam adepti sunt, ne ad mortalem culpam ruendo, innocentiam, caritatem gratiamque amittant. Mortale namque peccatum innocentiæ huic maxime adversatur. Nam illud summe nocet tam peccanti, quam his qui scandalizantur ex eo, quum tale peccatum sit vulnus et mors animæ, Deum et æternam felicitatem tollens ab ea, infernalem quoque calamitatem ei inducens. Ideo ait Pro- *Ps.* x, 6. pheta : Qui diligit iniquitatem, odit ani- *Prov.* I, 22. mam suam. Et Salomon : Usquequo stulti (hoc est iniqui) ea quæ sibi nociva sunt *Tob.* XII, 10. cupient? Et Raphael angelus testatur : Qui faciunt peccatum et iniquitatem, hostes sunt animæ suæ. — Ecce quanta est excæcatio, stultitia, imo et insania omnium iniquorum in peccato mortali jacentium, nec de suis peccatis vere dolentium. Si nummum amittant aut vestem, aut in temporalibus damnum sustineant, tristantur, et quærunt ac recuperare conantur quod amiserunt : sicut in Evangelio ait Salvator, *Luc.* XV, 4. Quis est homo qui si habuerit centum oves, et unam ex illis amittat, nonne dimittit nonaginta novem in montibus, et vadit ad illam quæ periit, donec inveniat eam? Et tamen dum per peccatum perdiderunt Deum et gratiam ejus, tantaque damna et mala incurrerunt, rident, non pœnitent, peccatis peccata adjiciunt, amissam Dei gratiam recuperare non nituntur. Omnes ergo iniqui merito stulti vocantur, *Eccle.* I, 15. de quibus et Salomon loquitur : Stultorum infinitus est numerus.

Quartum est, quod non solum ætate et corpore parvulis, sed et cunctis parvulorum innocentiam imitantibus debetur re-

A gnum cœlorum, sicut in Evangelio Salvator dicit : Nisi conversi fueritis, et efficiamini *Matth.* XVIII, 3. sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Idcirco hortatur Apostolus : No- *I Cor.* XIV, 20. lite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote; sensibus autem perfecti sitis. Sunt enim in parvulis aliquæ proprietates non bonæ, et ideo non imitandæ; et sunt in eis proprietates aliquæ bonæ ac imitandæ. Proprietates non imitandæ, sunt defectus usus rationis et instabilitas inde procedens, multiplex error, et quod facillime B decipiuntur : nam poma et pira præeligunt ac præferunt auro et gemmis. In his malis proprietatibus sequuntur impii parvulos, quia per passiones et vitia ratio excæcatur in eis, et vera sapientia carent, atque de uno peccato ruunt in aliud, et omni tentatione vincuntur, nec hostibus suæ salutis repugnant : imo quidquid diabolus suggerit eis, quidquid appetit caro, faciliter acquiescunt. Poma quoque et pira præferunt auro et gemmis, hoc est, sensibilia et terrena præponunt bonis spiritua- C libus, cœlestibus et æternis : imo caducis, vanis et rebus vilissimis magis affectuose adhærent, quam summo infinitoque bono, Deo incomparabiliter præamando.

Porro proprietates parvulorum bonæ ac imitandæ, sunt, quod non extollunt se ipsos, quod læsi faciliter mitigantur, quod concupiscentiis nondum moventur, nec malum alicui moliuntur; parentes quoque et magistros formidant, corrigentibus reluctari non audent, et faciliter compescuntur docilesque consistunt. In iis om- D nibus parvulos sequi debemus, et omnem vitare superbiam : quoniam Deus super- *Jacob.* IV, 6; *I Petr.* V, 5. bis resistit, humilibus autem dat gratiam. Propter quod in Ecclesiastico dicitur : Odi- *Eccli.* X, 7. bilis coram Deo et hominibus est superbia; et item, Non te extollas in cogitatione *Ibid.* VI, 2. tua velut taurus. Quum enim superbia sit omnium vitiorum origo, ex qua oriuntur indignatio, ira, impatientia, præsumptio, aspernatio, falsitas, superfluitas curiositasque vestitus, contentio ; constat quod volens Deo placere, peccatis resistere, vir-

tutes acquirere, primo ac maxime omnem A debet superbiam detestari, humilitatem amplecti, propriam defectuositatem atque ad omne malum pronitatem pensando, et quod a se ipso non habet nisi deficere et peccare, præterita quoque et quotidiana peccata considerando, quamque immensis periculis expositus sit intuendo.

Præterea, si læsi ab aliquo sumus, aut nequaquam ægre feramus, aut cito simus placabiles, ne nobis conveniat quod sanctus patriarcha Jacob locutus est : Maledictus furor eorum, quoniam pertinax, et B indignatio, quia dura. Item concupiscentiis non subdamur, neque prohibita cupiamus. Nemo intueatur mulierem ad concupiscendum eam, nec incaute adspiciat quod desiderare non licet; sed visum suum custodiat unusquisque, quum et Salomon dicat: Oculi sapientis in capite ejus, oculi autem stultorum in finibus terræ. Stulti enim, id est intimorati et impii, oculis suis undique evagantur. Hinc Propheta oravit : Averte, Domine, oculos meos ne videant vanitatem. Insuper nulli moliamur aliquod malum, nulli ponamus injuste insidias, nullum decipere affectemus; sed superiores suos quilibet vereatur, honoret, nec eorum correptionibus ac correctionibus præsumat reniti. Postremo, non simus indomiti, sed disciplinæ subjiciamur, et facile compescamur a vitiis; atque salutaribus informationibus acquiescat mens nostra, quemadmodum Salomon jubet : Audi, fili mi, disciplinam patris tui, ut addatur gratia capiti tuo, id est cordi tuo.

Gen. XLIX, 7. — Matth. v, 28. — Eccle. II, 14; Prov. XVII, 24. — Ps. CXVIII, 37. — Prov. I, 8, 9.

Itaque in prætactis virtutibus ac sanctis operibus sequamur beatos et præelectos hos martyres Innocentes, abstinendo ab omni inquinamento mentis et corporis, atque in sanctitate et justitia Deo jugiter serviendo, ut post brevissimum vitæ præsentis curriculum, æternæ beatitudinis cum Innocentibus sortiamur triumphum.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUARTUS

DE CAVENDO RANCORE AC DOLO ; ET QUANTUM NOS UNIAT AMOR DEO.

COMPLEXANS Jesus parvulos et imponens manus super illos, benedicebat eos. Marc. x, 16.

Ex verbis iis primo elicitur, quantum Christus universorum creator naturam humanam amet, præsertim in iis ubi vitiis non fœdatur, sed gratia virtutibusque ornatur. Diligit quippe cuncta quæ sunt, et nihil odit eorum quæ fecit; sed dona gratiæ diligit magis quam dona naturæ. Secundo, ex verbis inductis ostenditur, quam vehementer diligat Dominus Jesus innocentiam, simplicitatem ac puritatem. Nam D parvuli isti quos tam amorose ac dulciter C amplectebatur, fuerant circumcisi, ab originali peccato purgati, caritate ceterisque virtutibus infusis ornati, sicut et nunc infantuli baptizati. Tertio, ex eisdem verbis probatur, quod virtuosis hominibus donis sibi collatis bene utentibus, gratia et virtutes augentur. Nam parvulis illis Christus impositis manibus benedixit.

Sap. XI, 25.

Si ergo et nos desideramus a Christo spiritualiter amplexari, præcipue diligi, virtutibus locupletari, ita ut cum Sponsa dicere valeamus, Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me; studeamus instar parvulorum simplicitate

Cant. II, 6; VIII, 3.

columbina, vera innocentia atque interna A munditia decorari, præsertim quum dicat Hieronymus : Sicut parvulus non perseverat in iracundia, læsus non meminit, videns pulchram mulierem non delectatur, non aliud cogitat et aliud loquitur; sic et vos nisi talem habueritis innocentiam et puritatem, regna cœlorum non poteritis introire. Quæ utique verba nobis religiosis valde sunt attendenda, et maxime metuenda. Apertissime namque affirmat, quod in iracundia perseverans, aut illatæ injuriæ reminiscens, seu aliud cogitans et aliud B loquens, regnum nequit intrare cœlorum. Quid ad hoc dicturi sunt, qui modico verbo aut alia quavis occasione aut injuriuncula sic offenduntur, ut placari vix queant, imo per dies et dies loquelam subtrahunt fratri, et eum vix possunt æquanimiter intueri, ac solita dilectionis indicia ac benevolentiæ facta suspendunt ab eo, atque per hæc et consimilia plus eum irritant, inquietant et lædunt, quam si eum aliqualiter aspere alloquerentur? Et certe, ut ait Chrysostomus, quamdiu ita se habent, vul- C nus sine dubio in eorum permanet corde, utpote ipsa ira, indignatio seu impatientia.

Præterea quidam ita perversi sunt, ut etiam circa superiores suos ita se habeant propter correptionem aut correctionem si-
Ps. CVIII, 5. bi ab eis exhibitam, reddentes mala pro bonis et odium pro dilectione, quum correptio et correctio sint caritatis effectus et eleemosynæ spirituales. Idcirco de tali-
Gen. XLIX, 6, 7. bus Jacob locutus est patriarcha : In concilium eorum non veniat anima mea, et in cœtu eorum non sit gloria mea; maledi- D ctus furor eorum, quoniam pertinax, et indignatio, quia dura. Ex quibus terribilibus verbis monstratur, quam enorme sit istud, et quam vitiosi sint tales : quorum societas et familiaritas sunt vitandæ, ne quis ex eorum communione, allocutione, consensu discat similia agere. Tales etenim passiones suas solent effundere et sibi familiaribus recitare, aliisque detrahere. Unde nisi quis circa eos valde caute se habeat, potest periculum grave incurrere, eis consentiendo, aut non redarguendo, aut similia attentando. Propter quod Salomon ait : Noli esse amicus homini iracundo, neque *Prov.* XXII, 24, 25. ambules cum homine furioso, ne sumas scandalum animæ tuæ. Nam sicut in Ecclesiastico fertur : Homo iracundus incen- *Eccli.* XXVIII, 11. dit litem, et vir peccator turbabit pacem.

Væ itaque eis qui irrogatam sibi injuriam gestant in corde, et tempus quærunt retributionis condignæ, cupientes fratrem confundere aut gravare. Conformiter væ eis qui aliud cogitant aliudque loquuntur, blandi in verbis, maligni in votis aut factis, non formidantes quod ait Scriptura : Simulatores et callidi provocant iram *Job* XXXVI, 13. Dei. Tales vitandi sunt et valde periculosi, quum et Salomon protestetur : Ei qui *Prov.* XX, 19. revelat arcana et ambulat fraudulenter, ne commiscearis. Itaque, si subito in nobis oriatur commotio iræ, motus impatientiæ, aut similis passio detestanda, nequaquam permaneamus in ea, nec verbis nec signis nec factis eam manifestemus; sed protinus pœniteamus, pectus tundentes, germenque impium in se ipso penitus suffocantes, ne et alios scandalizemus.

Mansuetudinem ergo, humilitatem, patientiam, simplicitatem innocentiamque discamus, plantemus ac radicemus in nobis, ut mereamur amplexari a Christo, possitque anima nostra dicere Sponso cœlesti, Deo et Creatori : Ego dilecto meo, *Cant.* VII, 10. et ad me conversio ejus. Quum enim præfatis virtutibus fuerimus decorati, ad illuminationes supernas et inflammationes divinas, ad visitationes Spiritus Sancti gratiosissimas atque assiduas erimus sublimiter apti. Neque enim prætactis virtutibus poterimus perfecte fulciri, stabiliter roborari, jugiter perornari, nisi privato amore evulso. Quo expulso, caritas exstabit perfecte in nobis, et divino amore accendemur uberrime; et tunc Dominus Deus noster amplexabitur animas nostras, eas sibi intime adstringendo, propinquissime uniendo, copiosissime fecundando : imo et intra se rapiendo, transformando, colligando, et unum secum faciendo eas-

dem. Nulla etenim actio tam vehementer assimilat, tam proprie identificat unum cum alio, sicut dilectio, cujus est amantem copulare, transformare, indissolubiliterque colligare amato. Propter quod ait
I *Cor.* VI, 17. Apostolus : Qui adhæret Deo, unus spiritus
Joann. XVII, 21, 23. est cum eo ; et Christus in Evangelio, Omnes (inquit) unum sint sicut tu, Pater, in me et ego in te, ut sint consummati in unum. Quo igitur devota religiosaque anima cœlestem Sponsum ferventius diligit, eo amplius efficit se illius, et verius di-
Cant. VII, 10. cere potest : Ego dilecto meo. Quumque in Dei amorem se plene transtulerit, totis illum præcordiis cupiens, amans, amplectens, nec aliud quidquam præter eum intendens, quærens aut appetens, nisi in quantum id sibi necesse vel utile est ad complacendum serviendumque Deo ; tunc
Galat. II, 20. cum Apostolo dicere poterit : Vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus. Dumque hujusmodi effecta fuerit anima, erit ad eam continuo cœlestis Sponsi conversio, qui eam dulcissime ac frequentissime visitabit, familiariter amplectetur, gra-
Ps. LI, 10. tiosissime fecundabit, ut sit tanquam oliva
Is. LXII, 5. fructifera in domo Dei. Tunc gaudebit sponsus super sponsam, et gaudebit super te Deus tuus, o inclyta, amorosa ac devotissima anima, sic ad tuum Creatorem conversa.

Nunc ergo, carissimi fratres, beatos hos Innocentes martyres in præmemoratis imitemur virtutibus, et innocentiam baptismalem per recidivum amissam, per pœnitentiam recuperemus, id potissimum deplorantes, quod post sæculi renuntiationem atque monasticæ vitæ professionem, recidivum sumus perpessi, vel saltem non tam diligenter, pure ac fervide ministravimus Domino majestatis ut professio exigit nostræ religionis. Atque de cetero tam fructuose, timorate ac caritative coram Domino ambulemus, ut et negligentias recuperemus præteritas, et professioni nostræ satisfacere reperiamur; sed et supererogationis quidpiam reponamus, potissimum quoniam valde multæ sunt culpæ et negligentiæ nostræ, quæ penitus latent nos
ipsos. Propter quas dixit vir sanctus : De- *Ps.* XVIII, 13.
licta quis intelligit? Ab occultis meis munda me, Domine. Pro harum quoque quæ nos latent expiatione culparum, æquanimiter patiamur, si interdum absque demeritis nostris corripiamur vel immunes exsistamus a culpis quæ nobis objiciuntur. Quod si ita egerimus, et mentem nostram piissimo applicuerimus Deo, ipse indubitanter eam mirabiliter adimplebit, consolabitur, tranquillabit, radiose perfundet, vehementer accendet, suaviter unget, stabiliet, possidebit, misericordissime quoque
sæpe præveniet, spiritum nostrum et fla- *Job* XXXIV, 14.
tum ad se trahens, improvise sustollens, et intra se rapiens atque absorbens. Liberalissimus namque est et quærit occasiones subveniendi ac remunerandi, qui beatos hos Innocentes absque eorum arbitrio ad palmam perduxit martyrii, remunerans in eis opus absque voluntate, sicut in aliis multis remunerat voluntatem absque opere.

SERMO QUINTUS

QUOMODO AGNUM, ID EST CHRISTUM, DEBEAMUS SEQUI ; ET QUOD CARITAS GRAVIA OMNIA LEVIA FACIAT ; ET QUÆ VERA SIT INNOCENTIA.

HI *sequuntur Agnum quocumque ierit.* Apoc. XIV, 4.

Beati Innocentes multis a Deo privilegiis, multis gratiis sunt ornati. Quorum patrocinia invocemus, ut et nos in vita præsenti Christum quocumque ivit in isto

sæculo, juxta nostræ fragilitatis faculta- A
tem sequamur. Sequamur, inquam, dupliciter : primo, per considerationem ; secundo, per operum imitationem. In primis quidquid Christus pro nostra salute in vita hac egit ac pertulit, diligentissime consideremus : qualiter ivit, imo et crebro
Ps. LXXXIII, 8. fugit, de loco ad locum, et quomodo ivit
Act. X, 38. de virtute in virtutem. Pertransivit namque benefaciendo, prædicando, curando et sanando omnes oppressos a diabolo. De-
Joann. VIII, 50. nique non propriam, sed Patris quæsivit
Ibid. 29. gloriam ac honorem, et quæ placita sunt B
Ibid. V, 30. Patri fecit indesinenter. Non propriam, sed
Ibid. XIV, 31. Patris venit facere voluntatem ; et sicut
Act. I, 1. mandatum dedit ei Pater, sic fecit. Cœpit facere et docere, et evangelicæ legis consilia quæ dedit, opere adimplevit. Eum ergo in his sequamur, quantum nostra requirit vocatio, nostrisque viribus exstat
Joann. XII, 26. possibile. Ipse etenim exhortatur : Qui mi-
Luc. IX, 23. hi ministrat, me sequatur ; et rursus, Qui vult (inquit) venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me. C

Præterea duas proposuit vias quibus eum sequamur. Una est via præceptorum, ad omnes pertinens Christianos ; alia consiliorum, concernens religiosos. Per quam eum sequi specialiter nobis incumbit, præsertim in paupertate, continentia, obedientia : quæ omnia ad hoc ordinantur et tendunt, ut mente pura, libera ac fervente, Deo incessanter simus intenti, omni loco, tempore atque negotio ei actualiter, quantum possibile est, uniti : quatenus sic quæ placita sunt ei, semper agamus. Quod D quamvis humanas vires prorsus excedere
Ibid. I, 37. videatur, non tamen est impossibile apud
Philipp. IV, 13. Deum omne verbum ; et omnia possumus in Domino Deo, qui nos confortare semper paratus est, maxime si ejus opem et gratiam cum omni fiducia atque instantia invocemus.

Præterea cernimus quosdam carnales mundanosque homines in operibus vanitatum, carnalitatum et cupiditatum suarum fatigari vix posse : et hoc, quia amor inordinatus ad propria commoda, ad delicias et honores, multum viget in eis, et habitus vitiosi sunt multum radicati in ipsis, pravisque consuetudinibus quasi impetu quodam ducuntur, imo et impelluntur, et tanquam gravissima mole trahuntur. Forma quippe est operationis principium, et habitus instar naturæ inclinat, imo consuetudo quasi altera appellatur natura ; nec aliqua forma, nec aliquis habitus tam prompte et delectabiliter operatur ut amor. Quum ergo gratia sit altior et fortior quam natura, et spiritualis dilectio multo præstantior atque validior quam carnalis affectio : cur pusillanimes sumus ad spiritualem profectum, ad perfectionem apprehendendam, ad imitandum sanctorum Patrum vestigia, quum adjutorem habeamus omnipotentem, fidelissimum, ad succurrendum semper promptissimum, imo nos exhortantem ut suam fiducialiter ac instanter adsistentiam imploremus ?

Itaque quanto plus in caritate et gratia crescimus, quanto in virtutum ac donorum habitibus fortius radicamur, quanto in bonis consuetudinibus diutius permanemus, tanto quotidie stabilius erimus Deo intenti actualiusque uniti, ac sanctis actibus Deo placentibus incessabilius occupati, et ea quæ Ordinis sunt delectabilius exsequemur : otiositati, loquacitati, dissolutioni negligentiisque vacare abhorrebit cor nostrum ; porro a Dei commemoratione, laude, oratione, cessare vix poterit, in tantum ut frequenter in somno hujusmodi actibus occupetur. Verumtamen in iis vigilantissima cordis custodia, filialisque timor Dei, valde sunt necessaria
ne paulatim evacuemur. Nempe qui negli- *Eccli.* XIX, 1.
git modica, paulatim decidet. Qui vero ti- *Eccle.* VII, 19.
met Deum, nil negligit. Perseveremus ergo et persistamus in bonis, ac sacram nobis ipsis violentiam inferamus, donec ad consuetudinem perveniamus virtuosam ac optimam : exteriores et interiores sensus coerceamus, ab immoderantia linguæ ac ventris nos præservemus, atque in omnibus

Dei auxilium, protectionem, et consummationem felicem invocare non pigritemur.

Amplius, beatorum Innocentium martyrum innocentiam munditiamque sequamur, præsertim quum dicat Salvator et *Matth.* xviii, 3. judex ac legifer noster : Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum ; et rursus, *Ibid.* v, 8. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Porro, veraciter innocens est, qui nec sibi nec alteri nocet. Quamvis autem impassibili et superbeatissimo Deo *Ps.* xv, 2. nocere non valeamus, qui bonorum nostrorum non eget; omnis tamen qui sibimet nocet et peccat, etiam Deo et proximis nocet, quantum in ipso est : Deo, eum suo honore privando; proximis, eos scandalizando si publice peccet, vel ad minus auxilium subtrahendo si peccet occulte. Quum enim universi boni fideles sint unum mysticum Christi corpus, se mutuo bene agendo juvant; male autem agendo, tale adjutorium non impendunt. Nihilo minus quædam peccata sunt directe in Deum, quædam directe in proximum, quædam directe in se ipsum : quæ omnia innocentiæ contrariantur. In primis ergo sit quilibet innocens, ne indigne se habeat circa Deum, quem magis tenetur diligere quam se ipsum, et ideo magis debet vitare Dei inhonorationem quam proprium nocumentum et condemnationem. Deinde sit innocens circa se ipsum, ne peccan- *Eccli.* xiv, 5. do lædat cor suum. Etenim qui sibi nequam est, cui bonus erit ? Deinceps sit innocens circa proximos, ne verbo, facto, omissione aut fama quempiam scandalizet : siquidem qui negligit famam, crudelis est.

Prtæterea, si Sanctorum Innocentium horum corporalem virginitatem imitari non possumus, quia virginitas corporis semel amissa non reparatur, spiritualem tamen eorum virginitatem sectemur. Hæc A namque virginitas est mentis integritas, in fidei, spei et caritatis sinceritate consistens, per quas anima Sponso cœlesti præcipue desponsatur. Quæ virginitas recidivando perdita, pœnitendo recuperatur. Sit itaque cor nostrum constans in fide, longanime et certum in spe, fervens in caritate, atque sincerum in omni virtute : quatenus nunquam inordinate et stolide reflectatur ad se per gloriam inanem aut intentionem non rectam, seu aliquam culpæ obliquitatem; sed directe et linealiter B semper in omnibus feratur in Deum, ejus intendendo, optando, quærendo, procurando honorem, laudem et gloriam.

Postremo putandum, quod piissimus ac sapientissimus puer Jesus, crudelissimæ trucidationi innocentium puerorum qui propter ipsum occidebantur, non parum condoluit, quam et noverat adfuturam, et præsentem spiritualiter vidit ; similiter compatiebatur eorum parentibus et propinquis : sicque in tenera illa sua infantia cœpit diversimode propter nos affligi. De C beatissima quoque Virgine poterit idem credi. In his vero regratiemur pietati divinæ, et sapientiam Creatoris devotissime collaudemus, quoniam ipse ex malitiis hominum tot elicit bona, atque tam variis ac abundantissimis modis succurrit per Christum hominibus, qui ex inaudita et crudelissima Herodis malitia eliciebat tot infantulorum martyria, quos coronavit Christi virtute et gratia.

Ex quibus etiam innotescit, quam multa et horribilia vitia ex ambitione nascan- D tur. Ex ambitione quippe motus fuit Herodes ad tyrannidem tantam. Ideo longe semper a nobis sit ambitio universa, ex qua, teste Gregorio, innumerabilia oriuntur peccata. Humilitatem vero sectemur, abjectione et subjectione gaudentes, non ad honorem et præsidentiam adspirantes. Ad laudem et gloriam Omnipotentis.

IN FESTO

S. THOMÆ EPISCOPI

ET MARTYRIS

SERMO UNICUS

DE JUSTITIA, FORTITUDINE, ET SECURITATE MENTIS.

JUSTUS quasi leo confidens absque terrore erit. Prov. XXVIII, 1.

In his verbis S. Thomas martyr commendatur a multis. Primo, a virtute justitiæ, quum dicitur, « justus ». Secundo, a fortitudine virtuosa, quum dicitur, « quasi leo ». Tertio, a confidentia cordis sui in Deo, dum subditur, « confidens ». Quarto, a securitate, quum sequitur, « absque terrore erit ».

Fuit itaque beatus hic martyr valde justus. Unde in ejus Legenda habetur, quod dum in palatio Henrici regis Anglorum moraretur, et ibi quædam religioni et æquitati contraria cerneret, curiam ipsam deseruit, et Cantuariensi archiepiscopo se commisit ac junxit. Ex quo patet, quod in tantum dilexit justitiam, quod grande sibi fuit supplicium intueri quidquid justitiæ et divino honori erat contrarium. Unde cum Elia sanctissimo dicere potuit : III *Reg*. XIX, 10, 14. Zelo zelatus sum pro Domino exercituum. Secundo patet justitia ejus in hoc, quoniam licet procuratione præfati regis Angliæ esset in archiepiscopum Cantuariensem promotus, atque eidem regi familiarissimus atque carissimus, nequaquam tamen consensit regi in his quæ rex contra libertatem Ecclesiæ postulavit ab eo. Imo, quoniam semel verbo tenus in his (quorumdam deceptus consilio) dedit assensum, paulo post considerans ex hoc animarum imminere periculum, valde pœnituit inde, et dure castigavit se ipsum, atque ab altaris officio se suspendit, quousque a summo Pontifice absolvi, et altaris officio mereretur restitui.

Hanc itaque sancti martyris imitemur justitiam, ut nec adulatione, nec favore, nec carnali amore, seu quacumque familiaritate aut amicitia quorumcumque, nec timore, nec cupiditate relinquamus justitiam, aliquid injuste agendo, aut debitum omittendo. De suppeditatione quoque justitiæ, et de innocentium atque justorum oppressione contristemur in Deo. Sed, heu ! hujus oppositum agunt multi, qui si viderint aliquem ex suis cognatis aut caris contra alium corrixari, statim præbent ei auxilium, sive juste sive injuste moveatur. Istud repugnat veræ amicitiæ ac spirituali amori, quæ exigunt ut propter amicum ac carum nil agatur virtuti contrarium. Idcirco in Scripturis præcipitur : Noli pro amico inimicus fieri proximo. *Eccli*. VI, 1. Hinc Tullius ait : Hæc lex servetur in ami-

citia, ut neque rogemus res turpes, nec A
eas faciamus rogati. Si ergo aliquem veraciter diligis, dum videris eum contra virtutem aliquid agere aut rixari, caritative increpa eum, et mediator esto pacificus.

Secundo B. Thomas martyr a sua spirituali fortitudine commendatur, quia inter pericula mortis fuit intrepidus, atque in maximis adversitatibus mirabiliter patiens. Nam sex annis in exsilio manens, hinc inde processit. Quumque rex eum ad suam non posset flectere voluntatem, omnia ejus bona diripuit, et totam ejus pro- B
geniem exsilio condemnavit: sicque beatus martyr persecutionem sustinuit regis in propria persona, in suis consanguineis ac amicis, et in substantia sua. Nec dubium quin propinquis suis in exsilium pulsis satis condoluit, et de hoc quod bona Ecclesiæ taliter diripiebantur a rege, contristabatur. Ipse tamen in omnibus his, mentis tranquillitatem servavit in Deo, atque pro rege et Angliæ regno oravit assidue. Porro septimo sui exsilii anno ad propriam sedem reversus, defendit jura Ecclesiæ C
sicut et ante; nec precibus nec comminationibus regis flecti potuit a defensione justitiæ. Quumque in ecclesia propria celebraret divina et populo prædicaret, atque armatos regis milites advenire audiret, mansit intrepidus, nec fores ecclesiæ claudi permisit, sed impiis sponte se obtulit : Ego, inquiens, pro Deo et defensione justitiæ ac libertate Ecclesiæ mori paratus sum; Ecclesiam autem et me ipsum Deo et B. Mariæ ac omnibus Sanctis sanctoque Dionysio recommendo. Quibus pro- D
latis, ab impiis est occisus. — Ecce quanta fuit fortitudo, constantia ac patientia hujus sanctissimi martyris. Erubescamus ergo de instabilitate et impatientia nostra, et quia mente tam debiles sumus, ut nec unum verbum injuriosum, nec aliquam derisionem pati æquanimiter valeamus : imo pro parva offensa magnam, si possumus, ultionem rependimus. Quam ergo a Deo misericordiam sperare, quam indulgentiam exspectare possumus, nisi nos emendemus, quum in Evangelio dicat Salvator, Si non remiseritis unusquisque fratri suo, nec Pater vester cœlestis dimittet vobis peccata vestra? *Matth.* XVIII, 35; *Marc.* XI, 26.

Tertio sanctus hic martyr laudatur a confidentia mentis suæ in Deo. Non enim propriis viribus confidebat, sed divinæ pietatis auxilio semper innitebatur; ideo fortis fuit atque prævaluit, sicut per Isaiam prophetam Spiritus Sanctus testatur : Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas ut aquilæ, volabunt et non deficient. *Is.* XL, 31. Unde a Salomone asseritur : Turris fortissima, nomen Domini; ad ipsum currit justus, et exaltabitur. *Prov.* XVIII, 10. Ita et nos totam spem nostram figamus in Deo, misericordiam et subsidium jugiter postulantes ab eo. Ipse namque ait : Perditio tua ex te, in me tantum auxilium tuum. *Osee* XIII, 9. Hoc est quod loquitur Christus : Sine me nihil potestis facere. *Joann.* XV, 5. Imo, teste Apostolo, Non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. *II Cor.* III, 5. Quid ergo superbit terra et cinis? *Eccli.* X, 9. Cur de se præsumit atque inaniter gloriatur homo vanus, miser et stolidus, putans se aliquid esse, quum nihil sit? *Galat.* VI, 3.

Quarto laudatur sanctus hic martyr Thomas, præsul sanctissimus, a securitate suæ mentis et exstirpatione inordinatæ formidinis. Implevit enim excellenter quod docet Salvator : Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere; sed eum timete qui potestatem habet et corpus et animam perdere in gehennam ignis. Et repetivit : Ita dico vobis, hunc timete. *Matth.* X, 28; *Luc.* XII, 5. Porro quam dulcis sit ista mentis securitas, Salomon pandit, dicens : Secura mens quasi juge convivium. *Prov.* XV, 15. Itaque et in ista virtute beatum hunc virum sectemur; et tanto plus timeamus judicem Deum quam quemcumque hominem judicemque mortalem, quanto pejor et intolerabilior est mors æternæ damnationis, infernale tormentum, quam mors aut tribulatio temporalis; quanto etiam confusibilius est coram Deo et omnibus Sanctis confundi, increpari ac reprobari, quam

coram hominibus. Hinc multi Sanctorum A desideraverunt pro fide Christi occidi. Verumtamen quidam sunt tam imperfecti, tam pueriles et in fide quodammodo mortui, ut plus metuant a superioribus suis, humanis judicibus, increpari atque puniri, quam a Judice summo, Deo altissimo ; quum tamen debeat unusquisque desiderare ut a superioribus suis in vita hac increpetur ac castigetur, quatenus coram Deo misericordiam consequatur : eo quod omnes increpationes et pœnæ vitæ præsentis sint medicinales, utpote curativæ B culparum et procurativæ salutis, dummodo eis homo bene utatur, patienter ferendo. Ideo Salomon protestatur : Argue sapientem, et diliget te. *Prov.* IX, 8.

Insuper S. Thomas martyr de aliis multis commendatur virtutibus. Primo, quoniam a pueritia in Dei timore ac servitute fuit et crevit. Quod meritorium valde est, utpote florem juventutis, non solum fæces senectutis, Deo offerre. Idcirco scribitur : Bonum est viro quum portaverit jugum ab adolescentia sua. Hujus oppositum fa- C ciunt homines stulti et intimorati, dicentes : Quum tot aut tot annorum esse cœperimus, Deo serviemus. Quasi certi sint se tam diu victuros, qui nec diem sciunt nec horam : non advertentes, quod si interim vitiosam sibi fecerint consuetudinem in peccando, post annos multos, etiam si vixerint tam diu, indispositiores erunt ad pœnitentiam veram quam modo, quum consuetudo prava sit quasi gravissimus lapis deprimens mentem. Et sicut in juventute tentatur homo acrius de quibusdam D peccatis, ita et in senectute. *Thren.* III, 27. *Matth.* XXV, 13.

Secundo commendatur a sua virginea puritate : nam virgo mansit ac obiit. Quod utique valde magnum fuit in viro illo, qui tam diu fuit in regis palatio, et in tam sublimi officio, nam cancellarius exstitit regis.

Tertio laudatur a præcipua prudentia, quia non solum in divinis valde sapiens erat et contemplator præclarus, sed in rebus quoque humanis prudentissimus exstitit. Unde, quum ab archiepiscopo Cantuariensi fuisset archidiaconus factus, ad instantiam archiepiscopi cancellariam regis recepit, ut per suam prudentiam compesceret malignorum insultus contra Ecclesiam.

Quarto, a speciali et magna sanctitate. Non enim verificatum est in eo illud commune proverbium, Honores mutant mores (haud dubium quin in pejus). Propter quod dicitur : Principatus ostendit virum. Imo quum sanctus hic martyr, post grandem resistentiam, propter obedientiæ præceptum archiepiscopatum acceptasset, subito in alterum virum salubriter est mutatus, utpote humilior, timoratior factus. Nam corpus suum cilicio atque jejuniis maceravit. Nec solum pro camisia tulit cilicium, sed et femoralia cilicina usque ad poplitem deportavit. Tredecim quoque pauperum pedes flexis genibus lavit quotidie, quos et bene refecit, et unicuique quatuor argenteos dedit : in quo magna ejus humilitas, liberalitas ac misericordia copiosa monstrantur.

Denique sanctitatem suam tam subtiliter occultavit, ut salvo semper honestatis rigore, in condecentia vestium et apparatu utensilium concordaret moribus aliorum. In quo patet, quam immunis ab omni hypocrisi fuit.

Postremo laudatur ab excellentia et abundantia miraculorum, præsertim post beatissimum obitum suum. Mox enim ut occisus est, et clerici Missam pro eo inciperent defunctorum, descendentes angeli sancti, inceperunt pro eo Missam martyrum, et clerici illud prosequebantur officium. In quo ostensa est sanctitas ejus eximia. Meritis quoque ipsius Deus contulit cæcis visum, surdis auditum, claudis gressum, mortuis vitam. In interfectores demum ipsius divina justitia ultiones fecit horribiles. Nam alii sanie defluentes, alii paralysi dissoluti, alii in amentiam versi, omnes miserabiliter perierunt.

Hoc quoque sciendum, quod sanctus hic Thomas martyr fuit tempore Petri Blesen-

sis, et ejusdem regis ambo fuerunt ministri ad tempus. Unde præfatus Petrus in suis epistolis multa magnifica de martyre illo testatur. Fatetur tamen se quoque cum aliis diu male sensisse de sancto hoc Thoma, videlicet quousque Deus per prætacta miracula sanctitatem hujus martyris declaravit. Unde inter cetera scribit Petrus ille in una epistola, loquens de quodam : Non mirum eo tempore videbatur, si filius afflicto patri compatiens, quandoque durius aut minus consulte de sancto martyre loquebatur. Et subdit : Nam et nos insensati vitam ipsius putabamus insaniam, et finem illius sine honore; sed computatus est inter filios Dei. Quidquid fecit caritatis obtentu et zelo justitiæ, in crimen odii atque invidiæ vertebatur; sed econtra quidquid machinabatur ad infamiam ejus humana malitia, eidem convertit Dominus ad coronam. De capite nostro Christo loquitur Isaias : Reputavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo et humiliatum. Ita et nos pretiosissimum Christi membrum Thomam martyrem, velut leprosum putavimus et abjectum, et vitam ipsius habuimus in derisum. Credo quod si sanguis Abel clamat de terra ultionem, sanguis mitissimi martyris clamat peccatorum remissionem, illis maxime qui pœnitentiam agunt humilem et devotam. Insuper in alia scribit epistola : Exsulta, o Anglia, et exsulta, occidens, quia visitavit nos Oriens ex alto. Thomam apostolum India et orientalis regio jactitabat, sed occidentalem respexit Dominus, dedit Angliæ Thomam nostrum. Non invidemus Indiæ Thomam suum. Sit Thomas martyr noster in Anglia, sit Thomas apostolus in India, ut per hos duos Christi testes, sit ab ortu solis usque ad occasum laudabile nomen Domini. Gloriosum est nobis habere martyrem, Apostoli nomen habentem, qui Thomam apostolum in miraculis aut imitatur aut vincit. Alia multa præclara scribit Petrus iste de martyre Thoma.

Tanti igitur martyris studeamus imitari virtutes, patientiam, humilitatem, caritatem, ac ceteras. Eum diligamus, veneremur et invocemus, quatenus ejus meritis et precibus gloriosis salvemur. Ad laudem et gloriam Omnipotentis.

Cetera huic festo opportuna require de S. Laurentio et in Communi Sanctorum.

IN FESTO

S. SILVESTRI PAPÆ

SERMO UNICUS

DE EXCELLENTIIS S. SILVESTRI, CUM EXHORTATIONE PIA AD HUJUS IMITATIONEM.

DILECTUS *Deo et hominibus fuit.* Eccli. XLV, 1.

Pater luminum, fons omnium gratiarum, Deus omnipotens, sanctissimum Papam Silvestrum præclarissimis donis naturæ ac gratiæ decoravit. Optima quippe naturalia habuit, per quæ ad munera gratiæ valde dispositus fuit. Sed nunc virtutes et excellentiæ ejus per ordinem sunt tangendæ.

Prima ejus excellentia est, quod ab infantia in virtutibus educatus est, et in operibus misericordiæ exercitatus, magna quoque constantia roboratus. Quum etenim esset adolescens, nequaquam vanitatibus et concupiscentiis quibus illa ætas pollui solet, fuit intentus; sed Deum habens præ oculis, cunctis misericordiæ operibus in-
Tob. I, II. sistebat, sicut olim Tobias, et Christianis pauperibus consolationem impendebat et opem. Specialiter vero hospitalitatem ex-
Gen. XVIII, 1 et seq. ercuit, quemadmodum Abraham patriarcha. Tantæ quoque in illa ætate, puta in adolescentia, fuit constantiæ, quod quemdam virum sanctum nomine Timotheum, qui Romæ fidem Christi fortiter prædicavit, et metu gentilium Romanorum ab aliis Christifidelibus vitabatur, suscepit hospitio et reverenter tractavit.

Secunda excellentia S. Silvestri fuit gratia prophetiæ. Quum enim præfatus Timotheus esset martyrio coronatus, Tarquinius Romæ præfectus, præcepit S. Silvestro idolis immolare. Cui voce prophetica dixit B. Silvester : O stulte, nocte hac morieris, et in æternum damnaberis, verumque Deum esse quem colimus, velis nolis, agnosces. Tunc Tarquinius jussit S. Silvestrum incarcerari. Sed prandente Tarquinio, os piscis sic guttur ejus intravit quod eodem die defunctus est; et protinus S. Silvester de carcere cum gaudio eductus est.

Tertia ejus excellentia exstitit, magna et gratiosa amabilitas ejus. Tanto siquidem naturalium ac gratuitorum donorum decore fuit perfusus, quod non solum a Christianis, sed a gentilibus etiam ac Judæis miro amabatur affectu. Fuit enim adspectu angelicus, sermone facundus, integer corpore, catholicus fide, consilio providus, opere sanctus, spe patientissimus, caritate omnium plenus. Potest itaque dici de ipso quod primo Regum fertur de Samuele, quod scilicet placuit tam Deo *I Reg.* II, 26.
quam hominibus ; quod item in themate tactum est, utpote, quod « dilectus Deo et *Eccli.* XLV, 1.
hominibus fuit » : quod scriptum est ad litteram de Moyse, quia etiam Moyses corpore speciosus, corde mitissimus, caritate *Num.* XII, 3.
repletus, omnique virtute fuit ornatus ; idcirco Deo et hominibus exstitit carus.

Quarta excellentia S. Silvestri est, quod

plenus, generalis ac summus Christi vica- A rius fuit, pater totius mundi, et pastor ac rector totius universalis Ecclesiæ. Mortuo namque Melchiade Papa, S. Silvester ab omni plebe Romana et christiana in summum Pontificem est electus. Et in hoc patuit profundissima ejus humilitas, quod suæ ad papatum promotioni restitit valde, et semper, quantum in se fuit, papatum resignare optavit. Porro Papa effectus, quanto plus solito potestate et divitiis eminebat, tanto copiosius misericordiæ opera adimplevit. Omnium enim orphanorum et B viduarum pauperum nomina habuit scripta, et præbuit eis necessaria.

Quinta excellentia ejus est, copiosissimus fructus præsidentiæ suæ in papali officio. Per eum equidem Deus convertit Constantinum imperatorem, et totam pene plebem Romanam gentilem, matrem quoque imperatoris S. Helenam, atque doctissimos Judæorum, ac sapientissimos judices paganorum. Quo facto, fides christiana cœpit undique mirabiliter dilatari, et Christi Ecclesia valde est exaltata, tyrannorum C quoque persecutio multum est minorata. Quum etenim potentissimus ille imperator Constantinus Magnus, ob suam contra Christianos tyrannidem incidisset incurabilem lepræ plagam, et de consilio pontificum idolorum decrevisset se in recente ac calido infantium sanguine balneare, atque ob hoc adducta essent tria millia puerorum, videns imperator matres infantium miserabiliter ejulare, eis earumque pueris est misertus, et mutavit propositum. Sequenti igitur nocte gloriosissimi apostoli D Petrus et Paulus apparuerunt ei, dicentes : Quia exhorruisti effusionem sanguinis innocentis, misit nos Christus ut demus tibi consilium sanitatis recuperandæ. Silvestrum ergo Papam voca ad te, et ejus consilio utere. Quumque B. Silvester ad Constantinum venisset, et eum in fide plenarie instruxisset, baptizavit eumdem. Ingrediente autem Constantino baptismum, lux mirabilis desuper descendit in eum, et in ipso Baptismate a lepra plenissime est curatus, et Christum se vidisse asseruit. Deinde quoque christianissimus mansit, idolorum templa destruxit, et Christi restauravit ecclesias. His auditis, mater imperatoris Helena scripsit ei, collaudans eum quod ab idolorum recesserit cultura, increpans vero quod Judaismo relicto, in Crucifixum crediderit. Cui imperator rescribit, ut ipsa doctissimos Judæorum secum adducat, et ipse Christianorum magistros apponet, quatenus ex eorum disputatione mutua pateat fides vera. Adduxit ergo Helena centum quadraginta unum doctissimos Judæorum, inter quos fuerunt duodecim ceteris in sapientia et eloquentia clariores : qui omnes a B. Silvestro per modum infra dicendum conversi sunt.

Sexta excellentia ejus fuit, mirabilis et præclara sapientia sua in lege divina. Omnes enim illos duodecim Judæorum doctissimos manifeste convicit, et ex Scripturis veteris Testamenti probavit eisdem universos articulos fidei christianæ, ipsiusque fidei rationes tam luculenter ac prompte exposuit, quod tam imperator quam ejus mater, et judices duo gentiles, atque Judæi, in laudem Silvestri cum magna admiratione unanimiter proruperunt.

Septima excellentia ejus fuit, virtus et eminentia miraculorum quæ fecit. Quum enim omnes præfatos vicisset Judæos, uno excepto, unus ille arte nefaria ferocissimum taurum, nomen quoddam diaboli in ejus aure sonando, occidit : quod se divina dixit virtute fecisse. Cui respondit B. Silvester : Si hoc, Dei nomen exprimendo, fecisti, vivifica quod necasti, quoniam Deus ait : Ego occidam, et ego vivere faciam. *Deut.* XXXII, 39. Quumque judices sententiarent ut Judæus taurum resuscitaret, ille respondit : Suscitet eum Silvester in nomine Jesu Galilæi, et omnes credemus in eum. Silvester ergo oratione præmissa, taurum resuscitavit, et cum mansuetudine ad locum suum fecit reverti. Quo facto, mater imperatoris, omnes illi Judæi, judicesque pagani, innumerabiles quoque Romani et alii multi, ad christianam sunt fidem conversi. Deinde

S. Silvester quemdam draconem horribilem ab omni hominum compescuit læsione, os ipsius filo ligando, et annulo signum crucis habente desuper sigillando. Duos etiam magos ex flatu draconis pene mortuos, tunc curavit Silvester. Quibus visis, pontifices idolorum et magi illi cum multitudine infinita fuerunt conversi : et ex tunc Roma ab idololatria sua cessavit.

Post hæc S. Silvester morti propinquans, clerum de tribus edocuit. Primum, ut inter se viverent caritative. Secundum, ut suas gubernarent Ecclesias cum diligentissima attentione. Tertium, ut populos sibi commissos custodirent a dæmonum ac impiorum seductione. Sicque beatissimus Papa Silvester feliciter migravit ad Christum.

Hujus ergo sanctissimi Patris discamus et indesinenter sequamur virtutes, opera misericordiæ tam spiritualia quam corporalia pro posse liberaliter exercendo, et omne tempus vitæ nobis indultum fructuose ac timorate expendendo, inter proximos quoque pacifice et amabiliter conversando. Præterea parentes suos instruant pueros ab infantia, Deum cognoscere ac timere, aliquid boni quotidie agere et orare, sicque in virtutibus crescere, habituari ac perseverare. Consideret omnis Christifidelis, quam incerta, fallax et brevis sit vita præsens, quam amara sit mors, quam districtum ac metuendum sit Dei judicium, quam intolerabilia sint tormenta, non A solum inferni, sed purgatorii quoque. Cogitemus ad quid conditi sumus, cur in hac vita conservamur a Deo, et quod in summi Judicis præsentia et adspectu ubique consistimus. Si rex aut judex terrenus conspiceret subditos suos in sua præsentia suas transgredi jussiones, valde indignaretur, et se nimis vilipendi arbitraretur, magnam quoque inferret vindictam : quam vehementer ergo Creator omnipotens, Rex regum, Deus incomparabilis majestatis, cujus justitia est immensa, indignabitur B impiis, quam horribiliter puniet eos, qui ipso ubique præsente et omnia intuente, divina præcepta transgredi non verentur, qui peccatis peccata adjiciunt incessanter, sicque augent contemptum in Dominum majestatis? Certe quam incomprehensibilis est misericordia et patientia Dei in vita præsenti, tam incomprehensibilis est suæ justitiæ districtio post hanc vitam. Ideo dicit Apostolus : Existimas, o homo qui *Rom.* II, 3-5. impie agis, quod tu effugies judicium Dei? An divitias bonitatis Dei et patientiæ et C longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum duritiam autem tuam et impœnitens cor tuum, thesaurizas tibi iram in die justi judicii Dei. Hæc itaque ponderemus, præterita deploremus peccata, et vitam in omnibus emendemus, omnique hora per orationes et meditationes salubres corda nostra ad Dominum elevemus. Ad laudem et gloriam ejus.

Cetera huic festo opportuna require de S. Nicolao et in Communi Sanctorum.

IN FESTO

CIRCUMCISIONIS DOMINI

Epistola hodiernæ solennitatis, est eadem quæ supra exposita est in secunda Missa Nativitatis Christi, videlicet : Apparuit benignitas et humanitas, etc.; circa quam ibi sermo adjunctus est : ideo ibidem quærantur.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

POSTQUAM CONSUMMATI SUNT DIES, ETC. LUC. II, 21.

IN evangelio præsentis festi describit Lu- A cas evangelista Christi circumcisionem, dicendo :

Postquam consummati sunt, id est impleti, *dies octo* a Christi nativitate, includendo seu simul computando extrema, videlicet diem nativitatis et circumcisionis, *ut circumcideretur puer* Jesus, de quo
Is. IX, 6. Isaias prædixit, Puer natus est nobis, etc. Hæc dictio « ut » tenetur hic concomitanter; quanquam teneri etiam possit causaliter, quoniam tanta est dignitas Salvatoris, ut ad ipsum et ad gesta atque mysteria ejus, B tempora ordinentur : quod de temporibus quibus vixit in sæculo isto, specialiter dici potest. Unde et in Evangelio ipse conte-
Matth. XII, 8. statur : Dominus est Filius hominis etiam sabbati. *Vocatum est nomen ejus Jesus,* quod interpretatur salvator. Christus enim genus humanum redemit a morte culpæ, a morte quoque infernalis miseriæ. Idcirco
Is. LIII, 6. Isaias ait : Dominus posuit in eo iniquitatem omnium nostrum. Et in Actibus ait
Act. IV, 12. princeps Apostolorum : Non est aliud nomen datum hominibus sub cœlo, in quo C oporteat nos salvos fieri. *Quod vocatum est,* id est, vocari commissum, expressum et prænuntiatum est, *ab angelo* Gabriele, qui dixit Mariæ : Vocabis nomen ejus Je- *Luc.* I, 31.
sum. Et ut Matthæus refert, angelus dixit ad Joseph hoc ipsum : Vocabis (inquiens) *Matth.* I, 21.
nomen ejus Jesum; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. *Priusquam in utero* Virginis *conciperetur* secundum humanitatem assumptam, de Spiritu Sancto. Nam in Annuntiatione angelus dixit Virgini gloriosæ : Ecce conci- *Luc.* I, 31.
pies in utero et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Convenienterque dicitur, « quod vocatum est ab angelo », non, Impositum, quia jam ante a Deo fuit impositum, qui præordinavit Christum ita vocandum, et per angelum ac Mariam et Joseph ita vocavit eumdem, quemadmodum per Isaiam etiam loquitur Christus : Dominus ab utero vocavit me, de ventre *Is.* XLIX, 1.
matris meæ recordatus est nominis mei.

Præterea, ut communiter dicitur, Jesus vocatur Salvator tripliciter. Primo, a potentia salvandi : et ita convenit sibi nomen hoc ab æterno, et secundum naturam divinam, qua ab æterno habuit potestatem salvandi. Secundo, ab habitu salvandi : sicque impositum sibi fuit ab angelo no-

men istud, et competit ei a primo suæ A conceptionis instanti, in quo secundum humanitatem suam accepit gratiam plenam ac habitualem, per quam postmodum fecit ac pertulit ea per quæ mundum actualiter liberavit. Tertio, ab actu salvandi: sicque vocatum fuit nomen hoc in circumcisione, et competit Christo ratione suæ passionis præcipue; in circumcisione autem sanguinem suum primo fudit pro nobis.

Porro salvare convenit Christo secundum utramque suam naturam, sed diffe- B renter: quia secundum divinitatem competit sibi auctoritative et per efficientiam principalem, secundum humanitatem vero instrumentaliter et per modum causæ meritoriæ. Hinc secundum utramque naturam Jesus vocari potest: siquidem de Deo vero, uno ac trino, ait Habacuc propheta: Ego autem in Domino gaudebo, et exsultabo in Deo Jesu meo. *Habac.* III, 18.

Postremo, sicut in novo Testamento imponitur pueris nomen in Baptismo, ita in veteri Testamento nomen imponebatur in circumcisione: et rationabiliter, quoniam sicut nunc Baptismo dimittitur originale peccatum, et gratia datur per quam homo spiritualiter nascitur seu regeneratur; ita tunc fiebat in circumcisione. Multa autem circa hoc evangelium dici possent: de quibus in sermonibus mentio erit.

SERMO PRIMUS

QUARE CHRISTUS CIRCUMCIDI VOLUERIT; ET DE SCANDALO SINGULARITATEQUE VITANDIS, ATQUE DE OBEDIENTIA SERVANDA.

NON *veni legem solvere, sed adimplere.* C Matth. v, 17. Ista sunt verba Christi.

Christus totius humilitatis magister, et perfectæ obedientiæ doctor, propter multas causas dignatus est circumcidi. Primo, ut se vere incarnatum, et veraciter hominem factum, atque passibile corpus habere monstraret; et per hoc, futurorum tunc hæreticorum reprobaret perfidias, utpote Manichæorum, qui dixerunt eum habuisse corpus phantasticum, et non verum. Secundo, ad vitandum scandalum Judæorum: ne æstimarent eum legis Mosaicæ trans- D gressorem, et ne haberent occasionem malignandi ac murmurandi adversus eum. Tertio, ut legem Moysis approbaret et impleret, ac per hoc, humilitatis et obedientiæ præberet exemplum. Propter quod *Galat.* IV, 4. ait Apostolus: Misit Deus Filium suum natum ex muliere, factum sub lege. Quarto, ut merito suæ circumcisionis subveniret hominibus, et durum illud præceptum circumcisionis pœnalis mutaret in præceptum baptizationis. Sunt et aliæ causæ istius, videlicet: ut suam incarnationem occultaret diabolo, qui puerum Jesum videns circumcidi, putavit eum non carere labe originalis peccati; item, ut laudabilem unitatem et conformitatem commendaret, conformando se aliis in circumcisione, quatenus singularitatem et omnem hypocrisim devitemus.

Ex his multa nobis proponuntur saluberrima documenta, juxta quæ totam nostram conversationem ordinare debemus atque dirigere. Primum est, ne aliquem scandalizemus, sed proximos nostros per opera virtuosa ædificemus. Propter quod ad Romanos dicit Apostolus: Ne ponatis *Rom.* XIV, 13, 15. offendiculum fratri vel scandalum; noli illum perdere pro quo Christus mortuus est. Nempe qui alio sciente aut præsente agit perverse et contra præceptum Dei sive Ecclesiæ, quantum in se est illum spi-

ritualiter perimit, perdit, et ad damnationem perducit, pro quo suum sanguinem fudit Salvator. Quod quam impium sit, constat ex verbo S. Bernardi, dicentis : Graviorem persecutionem patitur Christus ab eo qui pernicioso exemplo aut suggestione iniqua proximum scandalizat ac perimit, quam a Judæis perpessus est, a quibus effusus est sanguis ipsius. Ideo
I Cor. VIII, 12. rursus ait Apostolus : Peccantes in fratres, et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. Quibus verbis
Ibid. 13. addit Apostolus : Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.

Denique contra eos qui alios scandalizant, id est, verbo aut opere inordinato ad culpam trahunt, seu male agendi præbent exemplum, valde terribiliter loquitur Chri-
Matth. XVIII, 6. stus, dicens : Qui scandalizaverit unum ex his pusillis, id est imperfectis hominibus, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum
Ibid. 7. maris ; et rursus, Væ homini illi per quem scandalum venit. Ex quibus patet, quam longe a Deo sint et a salute, qui aliquam personam ad peccata trahere nituntur, videlicet ad consentiendum sibi in malis, vel ad cooperandum in talibus. Væ itaque mulieribus et puellis quæ idcirco se ornant ut hominibus placeant, ut virorum ac juvenum oculos convertant ad se, ut amentur ab eis. Istæ prorsus ad diabolum pertinent, et sunt rete diaboli ad capiendum animas insipientium. Nec minus offendunt Altissimum, imo plus, viri et juvenes se curiose vestientes, pompose ornantes, composite et vagis oculis incedentes, ut adspiciantur et placeant feminis, ut eas alliciant, ut socientur sibi in vitiis. Hi omnes sibi invicem præbent poculum mortis, infernale venenum, suntque cooperatores diaboli.

Præterea, non sufficit ad salutem alios non scandalizare ; sed eos ædificare (id est verbo et opere virtuoso ad bonum provocare) oportet, quoniam sicut in Ecclesia-
Eccli XVII, 12. stico scribitur, Unicuique mandavit Deus de proximo suo, ut scilicet eum ædificet.

A Ideo jubet Salvator : Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. *Matth.* V, 16. Unde secundum Augustinum, Deo debemus bonam conscientiam, proximo bonum exemplum. Propterea hortatur Apostolus : Quæ pacis sunt sectemur, et quæ ædificationis sunt in invicem custodiamus. *Rom.* XIV, 19. Hinc ergo vitanda sunt superflua, scurrilia, illicita, ad levitates, cachinnos et dissolutiones provocantia, maxime quum Christus testetur : De omni verbo otioso
B quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die judicii. *Matth* XII, 36.

Secundum documentum est, ut præcepta Dei et superiorum nostrorum diligenter servemus, et proni simus ad obediendum. Etenim si Christus unigenitus Filius Dei, qui venerat novam ac evangelicam dare legem, nec ad legem veterem tenebatur, quia superior fuit ea, illius tamen legis servavit præcepta ; multo magis debent Christifideles divinæ legis implere mandata, et superioribus suis Dei vicariis
C tanquam Deo humiliter obedire. Idcirco Salomon loquitur : Serva mandata et legem quasi pupillam oculi tui ; liga eam in digitis tuis, et in tabulis cordis tui scribe eam. *Prov* VII, 2, 3. Hoc est, indesinenter habe eam præ oculis ; sicut de homine justo ait Propheta : In lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte. *Ps.* I, 2.

Cum ingenti itaque diligentia sunt observanda præcepta : quia ut sanctus protulit Jeremias, Maledictus homo qui facit opus Dei negligenter. *Jer.* XLVIII, 10. Præterea valde pen-
D sandum est semper omni Christiano quod in sua epistola Jacobus scribit apostolus, Quia si quis totam legem impleverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus : *Jacob.* II, 10. id est, caritate et gratia Dei privatur, atque æternam damnationem meretur, quemadmodum is qui universa mandata transgreditur ; quamvis damnationem non mereatur tam magnam ut ille qui omnia prævaricatur præcepta. Idcirco non sufficit unum aut pauca præcepta implere, sed omnia observare necesse est. Advertant hæc po-

tatores, venatores, fabulatores et otiosi, A qui tempus suum non solum infructuose, sed etiam vitiose expendunt, et instar bestiarum ingurgitant semetipsos, atque inaniter occupantur. Contra quos loquitur
Matth. XII, 37. Christus : Ex verbis tuis condemnaberis.
Job XV, 6. Unde in Job legitur : Os tuum condemnabit te. Et Propheta testatur : Vir linguosus
Ps. CXXXIX, 12. non dirigetur in terra.

Tertium documentum est, ut in bonis operibus et laudabilibus observantiis conformet se quilibet aliis, singularitatem vanamque gloriam vitans, et soli Deo placere B summe desiderans. Communia ergo præcepta ab omnibus conformiter sunt servanda, singularis quoque devotionis signa sunt extrinsecus pro posse vitanda, et quidquid turbativum est pacis aliorum, ac impeditivum salutis eorum. Hujus oppositum agunt hypocritæ, et homines vani, humanæ gloriæ cupidi, imitatores Scribarum et Pharisæorum, contra quos Christus in Evangelio sæpissime atque acerrime
Matth. VI, 2, 5, 16. loquitur, inter cetera dicens : Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Contra C quos etiam in libro sancti Job multa di-
Job XIII, 16. cuntur, videlicet : Non veniet in conspectu
Ibid. XV, 34. Dei omnis hypocrita; et, Congregatio hy-
Ibid. XXVII, 9, 10. pocritarum est sterilis; itemque, Numquid Deus exaudiet vocem hypocritæ, quum venerit super eum angustia? aut poterit in Omnipotente delectari? Ecce quam vile et vitiosum est, in bonis actibus humanam appetere laudem, et propter hominum gloriam facere opera ex suo genere bona. Præterea, quidam sunt, qui licet sincera intentione faciant bona, tamen quum se laudari percipiunt aut honorari conspiciunt, complacentiam habent inanem et vanitate pascuntur, gloriantes non in Domino, sed in se : propter quod æternæ felicitatis mercede privantur, et ingrati sunt Deo, imo et damnationem merentur. Omnino ergo vitandum est istud, et semper in Dei timore mentem custodire oportet. Itaque omnem simulationem, calliditatem, duplicitatem, fraudem, hypocrisim fugiat Christianus, et in vera sinceritate, columbina simplicitate, coram Altissimo conversetur. Simulatores namque et cal- *Job* XXXVI, 13.
lidi provocant iram Dei; et Deus omnipotens, qui essentialiter verus et purus est, exigit ut in veritate et puritate ei jugiter serviamus.

Postremo, quoniam omnis Christi actio nostra exstat instructio, consideremus quæ et quanta pro nobis Christus assumpsit ac passus est, qui etiam in infantia sua tanta pro nobis pati dignatus est : quia et circumcisio ista fuit suo tenerrimo nobilissimoque corpusculo valde pœnosa, prout in sequenti dicetur sermone. Nos itaque pro nostris excessibus libenter patiamur adversa, castigemus quotidie corpora nostra per pœnitentiæ opera. Non quæramus ea quæ carnem delectant, quoniam talia, teste B. Gregorio, spiritum necant; sed per arctam viam tendamus, quoniam illa sola *Matth.* VII, 14.
ad veram perducit salutem : ad quam nos Dominus noster Jesus Christus dignetur perducere, qui cum Patre et Spiritu Sancto regnat in æternitate.

SERMO SECUNDUS

DE CHRISTI CIRCUMCISIONE ET SANGUINIS EFFUSIONE; DE VARIIS EJUS NOMINIBUS; ET QUOMODO EI COMPATI DEBEAMUS.

V*OCATUM est nomen ejus Jesus.* Luc. D II, 21.

Hunc diem circumcisionis Domini nostri Jesu Christi quatuor reddunt solennem. Primum est, octava Nativitatis ipsius. Quum enim aliorum Sanctorum octavæ

solennes sint, multo magis oportet octa- *Dan.* IX, 24. vam Christi, qui est Sanctus Sanctorum, esse solennem. Hinc introitus Missæ est idem hodie et in die Natalis Domini Sal- *Is.* IX, 6. vatoris, videlicet : Puer natus est nobis. Secundum est, impositio nominis Salutaris, quoniam die isto vocatus est puer hic Jesus. Tertium est, quoniam hodie sanguinem suum fudit primo pro nobis, quem postea sæpe pro nobis dignatus est fundere, videlicet : in oratione passione sua in- *Luc.* XXII, 44. stante : tunc enim factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram ; item in flagellatione, quando corpus *Joann.* XIX, 1. ejus tenerrimum flagellis laceratum est *Ibid.* 2 ; usque ad costarum patefactionem ; in spi- *Marc.* XV, 17, 19. nea quoque coronatione capitis sui sacratissimi, quod dum spinea corona coronaretur, atque arundine cæderetur, sacra ejus *Joann.* XIX, 18. facies cruore immaduit ; deinde in crucifixione, quando manus ejus dignissimæ ac pedes clavis grossis, cum inæstimabili pœ- *Ibid.* 34. na sunt perforati ; postremo, in lateris sui apertione, de quo exivit sanguis et aqua.

Quartum est, signaculum circumcisionis. Circumcisio namque fuit remedium contra originale peccatum. Unde secundum Bernardum, fuit vulneris interioris alligatura sive emplastrum. In quo patet summa dignatio Christi Filii Dei, et maxima ejus humilitas, quod scilicet ipse nullum habens vulnus peccati, utpote Agnus sine macula, plenus omni virtute et gratia, alligaturam vulneris suscipere non contempsit. Non sic agit perversitas elationis humanæ. Erubescimus vulneris ligaturam, id est, correptionem et correctionem pro peccatis nostris suscipere verecundamur, imo multoties impie dedignamur, qui de ipsis vitiis non erubescimus, sed potius *Ibid.* VIII, 46. gloriamur. Christus, quem nemo potest arguere de peccato, peccati remedium verecundum pariter et austerum accepit ; nos vero inverecundi ad culpam, erubescimus agere pœnitentiam. Filius Dei, *I Petr.* II, 22. *Is.* LIII, 9, 12. qui peccatum non fecit, non dedignatus est reputari peccator ; nos autem esse vo-

A lumus transgressores, vani, superbi, crudeles, acediosi, nec tamen tales volumus reputari.

Præterea consideremus, quam vehementem dolorem pertulerit infantulus Jesus in circumcisione. Habuit certe pœnam valde acerbam. Primo, propter corpusculi sui nobilissimam complexionem et teneritudinem summam, ob quam fuit maximæ passibilitatis, ita quod modica læsio fuit ei pœnalior quam aliis magna. Nam corpus ejus ex purissimis gloriosæ Virginis B sanguinibus sumptum est, et Spiritus Sancti virtute formatum, atque ad maximam complexionis æqualitatem redactum. Secundo, quoniam Jesus, quamvis esset puer *Luc.* II, 21. octo dierum, fuit tamen sapientia plenus, et ratione perfectissime utens : idcirco pœnam illam per imaginationem advertit, et per rationem consideravit ; ideo præ ceteris pueris gravius sensit eamdem. Denique, prout Rabbi Moyses scribit, in circumcisione fuit dolor præcipuus, imo tam magnus quod multi pueri inde moriebanC tur. Ideo etiam Deus præcepit pueros die *Gen.* XVII, 12. octavo circumcidi, quia tunc adhuc modicam pueri habent imaginationem : idcirco pœnam illam circumcisionis minus advertebant minusque percipiebant. Dicit quoque Rabbi Moyses, quod Deus non voluit pueros ante diem circumcidi octavum, quoniam pueri in primis septem diebus post suam nativitatem sunt tantæ teneritudinis, quantæ fuerunt in utero matris : ideo tunc pœnam circumcisionis minus potuissent sufferre ; in die autem octava fortificantur D et solidantur. Itaque Christus ideo voluit circumcidi propter quod dignatus est crucifigi, ut scilicet suo dolore magnam nobis gratiam mereretur.

Insuper, Christus in Evangelio multis nominibus designatur. Nam primo dicitur Jesus, quia salvator. Secundo dicitur Chri- *Matth.* I, 21. stus, quoniam spirituali unctione, videlicet gratiæ ac virtutum plenitudine, fuit quantum ad humanam naturam repletus, juxta illud in Psalmo : Unxit te Deus, Deus *Ps.* XLIV, 8. tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis.

Verumtamen duo hæc nomina de Filio Dei dicta, designant atque supponunt increatam personam, sed differenter. Christus enim vocatur, in quantum est homo a persona divina seu Verbo æterno quoad humanam naturam assumptus; Jesus vero, in quantum est Deus humanitati unitus. De hoc nomine ait Bernardus : Jesus est mel in ore, in aure melos, in corde jubilus. Et Origenes : Nomen Jesu gloriosum, [Philipp. II, 9.] omnique cultu dignissimum. Nomen quod est super omne nomen, non decuit primo ab hominibus appellari, neque ab eis in mundum afferri, sed ab excellentiori natura. Tertio, Christus dicitur Filius Dei, et ita in Scripturis novi Testamenti communiter appellatur. Ipse enim est Filius Dei unigenitus, verus ac naturalis, non adoptivus. Unde in prima sua epistola scri- [I Joann. V, 20.] bit S. Joannes : Scimus quoniam Filius Dei venit, et dedit nobis sensum, ut cognoscamus Deum verum, et simus in vero Filio ejus Jesu Christo; hic est verus Deus et vita æterna. Quarto, Christus vocatur [Matth. VIII, 20; IX, 6, etc.] Filius hominis, et ita ipsemet in Evangelio frequentius se appellat. In quo commendatur ejus humilitas, et reprobatur nostra superbia. Nempe, quum ipse sit Filius Dei ac hominis, sæpius tamen se vocat filium inferioris, scilicet hominis, quam filium summi, utpote Patris æterni. Nos autem de nostræ progeniei erubescimus parvitate, et si aliquos magnos nobilesque habemus cognatos, illos jactamus. Quo constat, quod vanitate et fatuitate pleni sordemus. Quinto, vocatur Verbum, quia a Patre æterno per intellectum æternaliter natus est.

Alia etiam multa nomina dedit sibimet [Joann. X, 11; XIV, 6.] Christus, dicendo : Ego sum pastor bonus; ego sum via, veritas, et vita. Porro in [Jer. XXIII, 6.] Jeremia habetur : Hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus justus noster. Pro quo in Hebræo tetragrammaton continetur, quod soli vero competit Deo. In Zacharia quoque de Christo prædictum est : [Zach. VI, 12.] Ecce vir, Oriens nomen ejus. In Apocalypsi [Apoc. I, 8; XXII, 13.] etiam loquitur Christus : Ego sum Alpha et Omega, principium et finis, primus et [A] novissimus. Et in eodem libro dicitur : Vocabatur nomen ejus Verbum Dei; et habet in vestimento et in femore suo scriptum : Rex regum et Dominus dominantium. [Apoc. XIX, 13, 16.] Item et in Isaia legitur : Vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod interpretatur nobiscum Deus. [Is. VII, 14; Matth. I, 23.] Quia per Incarnationis mysterium factus est proximus nobis, et per assumptam humanitatem cum hominibus conversari dignatus est. [Baruch III, 38.] Alia quasi innumerabilia nomina Christo in Scripturis attribuuntur. Nam dicitur Agnus, Leo, [B] Lapis angularis, Petra, Vitis. [Joann. I, 29; Apoc. V, 5; Ephes. II, 20; I Cor. X, 4; Joann. XV, 1.] Præfatorumque nominum quædam sunt ei propria, quædam appropriata.

Postremo, in Isaia sex nomina ei attribuuntur, quum dicitur : Vocabitur nomen [Is. IX, 6.] ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis. Quæ nomina supra sunt exposita. [Cf. p. 109 B et s.; 111 D et s.] Et recte hæc nomina Christo conveniunt per comparationem et respectum ad suos fideles, electos. Itaque primo est nobis Christus « admirabilis », in hoc quod tam miseri- [C] cordissime egit nobiscum, et tam gratiose subvenit, voluntatesque nostras toties immutavit, et convertit eas in melius : ita quod vitia quæ ante diliximus, cœpimus deplorare, vitare, et virtutibus adhærere. Secundo est nobis Christus « consiliarius », infundendo nobis lumen prudentiæ, per quam recte eligimus, implendo quod scriptum est : Pœnitentiam agite; et rursus, Declina a malo, et fac bonum. [Matth. III, 2; IV, 17. Ps. XXXVI, 27.] Tertio est nobis « Deus », auferendo ac dimittendo peccata, et gratiarum largiendo charisma- [D] ta. Quis enim potest peccata dimittere, nisi solus Deus? [Marc. II, 7.] De quo sanctus Job loquitur : Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine, nisi tu qui solus es? [Job XIV, 4.] Dona quoque gratiæ et virtutes infusæ non habentur nisi per creationem, quæ non competit nisi Omnipotenti. Quarto Christus est nobis « Fortis », in bonis nos conservando, virtutemque prævalendi hostibus nostræ salutis præstando. Ab ipso enim est bonorum nostrorum inchoatio, conservatio seu continuatio, et consumma-

tio. Quinto est nobis « Pater futuri sæculi », quia in futura resurrectione communi, perfectam etiam corporis immortalitatem dabit electis. Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur, secundum Apostolum. Sexto est nobis « Princeps pacis », perducendo nos ad sui ipsius beatificam ac tranquillissimam fruitionem, quemadmodum pollicetur : Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei me ipsum.

I *Cor.* xv, 51.

Joann. xiv, 21.

Jam ultimo est tangendum de iis quæ nobis circa evangelium hodiernum sunt consideranda. Primo itaque attendamus, quam præcordialem compassionem habuit Virgo dulcissima, Mater Jesu piissima, in circumcisione unici ac prædilectissimi filii sui. Nam et eum tunc plorantem audivit, ut creditur, et sicut ineffabiliter eum dilexit, sic mirabiliter ei condoluit : præsertim quum sciret eum omni culpa carere, nec circumcisione aliqua indigere, teneritudinemque ejus agnovit. Secundo pensemus, quod puer Jesus etiam tunc suæ amantissimæ Matri condoluit valde. Clarissime etenim scivit compassionem et afflictionem suæ Genitricis dulcissimæ, et sicut ipse plus dilexit eam, quam ipsa eum, sic probabiliter creditur, quod plus ipse condoluit ei, quam econverso. Tertio attendamus, quantum et qualiter oporteat nos compati puero Jesu, propter nos circumciso et tam graviter passo. Nec solum debemus ei compati corde, sed ei etiam nos conformare pro posse in omnium adversitatum et tribulationum æquanimi perpessione, ne in adversis murmuremus, neque injurias vindicemus, sed corpora nostra crucifigamus cum vitiis et concupiscentiis. Crucifigamus, inquam, corpora nostra, non ea simpliciter occidendo, sed per Dei timorem et pœnitentiæ sanctum laborem a cunctis illicitis actibus ac voluptatibus reprimendo, sicut orat Propheta : Confige timore tuo carnes meas, a judiciis enim tuis timui.

Galat. v, 24.

Ps. cxviii, 120.

Confiteamur igitur vitia nostra, et verecundemur de eis coram Altissimo; omnemque caritativam correptionem et justam correctionem, patienter, libenter, gratanter suscipiamus, ac patiamur pro eis, quatenus in præsenti sanemur, et a futuris eruamur suppliciis, atque perpetua cum Christo jucunditate fruamur.

SERMO TERTIUS

DE SPIRITUALI CIRCUMCISIONE ; ET QUOD OCTO STUDIA SALUTARIA NOBIS ESSE DEBENT.

CIRCUMCIDITE præputium cordis vestri, et cervicem vestram ne induretis amplius. Deut. x, 16.

In his verbis beatissimus Moyses docet esse quamdam spiritualem circumcisionem, sine qua nec Judæis adultis corporalis circumcisio sufficiebat. Circumcisio enim aliud non videtur nisi alicujus superfluitatis abscisio, vel saltem signum abscisionis hujusmodi. Sed ut Aristoteles docet, natura non deficit in necessariis, nec abundat in superfluis : idcirco nihil ex his quæ a Deo accepimus, superfluum nobis est, neque in corpore neque in anima. Quid ergo superfluit nobis, nisi propria culpa? Propterea spiritualis circumcisio, est peccati abscisio, omniumque membrorum corporis ac virium animæ ab inordinato atque illicito motu, actu et usu, repressio. Porro hanc spiritualem circumcisionem docet Salvator, dicens : Si manus tua vel pes tuus scandalizat te, abscide eum, et projice abs te; et si oculus tuus scandalizat te, erue eum, et projice

Matth. xviii, 8, 9.

abs te. Quæ verba non sunt de corporali abscisione aut evulsione accipienda, quia nequaquam debet mutilare se homo, sed de abscisione et evulsione spirituali, ut scilicet usum et motum illicitum manuum, pedum, oculorum, et aliorum membrorum abjiciamus. Juxta quem sensum ait Apostolus : Mortificate membra vestra super terram. *Coloss.* III, 5.

Primo igitur circumcidere debet quilibet Christianus oculos suos, refrenando eos ab omni libidinoso adspectu, et intuitu spectaculorum, chorearum et omnium vanitatum, a morosa inspectione mulierum sive virorum ad pravam concupiscentiam provocante. David namque feminam incaute adspiciendo, in adulterium lapsus est. (II *Reg.* XI, 2-4.) Et potissime ita custodiendus est visus in divino Officio, præsertim tempore Missæ. Hinc oravit Propheta : Averte, Domine, oculos meos, ne videant vanitatem. (*Ps.* CXVIII, 37.) Hinc et Ecclesiasticus docet : Virginem ne conspicias, ne scandalizeris in decore ejus. Noli circumspicere in vicis civitatis. Averte faciem tuam a muliere compta. (*Eccli.* IX, 5, 7, 8.) Quemadmodum autem viri visum suum custodire debent ab incauto mulierum adspectu, ita et mulieres ab indecenti virorum intuitu. In ecclesia ergo omnis Christifidelis oculos suos dirigat in Crucifixum, et ejus passionem mente revolvat devota. Incustoditus oculus, incustoditæ mentis est signum. Insuper multa peccata, multas complacentias vanas, multas concupiscentias pravas, varias cupiditates incurrit homo per irrefrenatum adspectum.

Secundo circumcidere debemus aures, ne verba detractoria, pungitiva, lasciva, illicita audiant, et ne in cantilenis et canticis vanis ac symphoniis carnaliter delectentur; sed verba salubria ac divina advertant. Hinc in Ecclesiastico habetur : Sepi aures tuas spinis, et noli audire linguam nequam. (*Ibid.* XXVIII, 28.) Unde de sancto patre Pacomio legitur, quod a detractoribus quasi a serpentibus fugiebat. Quod si quis corporaliter avertere nequeat se a talium auditione verborum, mentem tamen suam custodiat a consensu eorum, et mœstum ostendat vultum, quoniam in Ecclesiaste dicitur : Per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis. (*Eccle.* VII, 4.) Et rursus Salomon loquitur : Ventus Aquilo dissipat pluvias, et facies tristis linguam detrahentem. (*Prov.* XXV, 23.) Circumcidendæ sunt etiam aures a curiosa auscultatione, quoniam scriptum est : Stultitia hominis est auscultare per ostium. (*Eccli.* XXI, 27.)

Tertio circumcidere debemus tactum ab omni lascivo contactu, palpatu et osculo, et ab applicatione carnali, et maxime dum quis ex tactu et applicatione sentit in se motum inordinatum ; et quamvis in se ipso non sentiret, tamen debet timere ne fiat alteri alicujus inordinatæ motionis occasio : ideo indecentem debet vitare contactum. In amplexibus quippe, osculis tactibusque carnalibus consistit peccatum mortale : et qui ex talibus sentit se stimulari, nec tamen a talibus cessat, similis est ei qui serpentem tenet in gremio, a quo se sentit intoxicari. Quarto circumcidere debemus gustum a delicatis cibis et potibus, vel saltem ab inordinata delectatione in illis, quatenus in cibo et potu non voluptatem, sed necessitatem et utilitatem naturæ quæramus. Quinto circumcidendus est olfactus a voluptate carnali odorum.

Sexto circumcidenda est lingua a locutione perversa, mendosa, fallaci et superflua. Et istud est necessarium valde, quia ut Jacobus ait apostolus, Lingua est inquietum malum, plenum veneno mortifero. (*Jacob.* III, 8.) Et denuo : Lingua, inquit, ignis est; (*Ibid.* 6.) universitas iniquitatis lingua (hoc est per linguam) constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus nostrum. Hinc idem Apostolus cohortatur : Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, et tardus ad iram. (*Ibid.* I, 19.) Porro, ut Salomon ait : Stultus verba multiplicat; (*Eccle.* X, 14.) qui autem moderatur labia sua, prudentissimus est. (*Prov.* X, 19.) Unde et iterum loquitur : Vidisti aliquem velocem ad loquendum? stultitia magis speranda est quam illius correctio. (*Ibid.* XXIX, 20.) Sed quia difficile est linguam taliter refrenare, ideo vir sapiens dicit : Quis dabit (*Eccli.* XXII, 33.)

ori meo custodiam, et super labia mea si- A gnaculum certum, ut non cadam ab ipsis, et lingua mea me perdat? Et sanctus Da- *Ps.* CXL, 3. vid oravit : Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis. *Prov.* XVI, 1. Nempe, ut in Proverbiis legitur, Hominis est animum præparare, et Domini gubernare linguam. Deum igitur quotidie deprecemur, ut gratiam refrenandi linguam et virtuose loquendi præstare nobis dignetur. Atque ut vitiosam loquacitatis consuetudinem vincat homo, attendat divini rigorem judicii, in quo, Christo testante, B *Matth.* XII, 36. de omni verbo otioso exigenda est ratio : quanto magis de verbis mendacibus et perjuris, de verbis detractoriis, pungitivis, lascivis? Attendite hæc, o homines linguosi ac dissoluti, qui vitioso loquacitatis usu estis devicti. Redite ad cor, et contra consuetudinem pravam pugnate, atque in orationibus sanctis cum Deo assuescite loqui.

Septimo circumcidendus est venter a repletione gulosa, quum dicat Judex cœle- *Luc.* VI, 25. stis : Væ vobis qui saturati estis, quia esu- *Ibid.* XXI, 34. rietis; itemque, Videte ne graventur corda C vestra crapula vel ebrietate. Unde in Ec- *Eccli.* XXIII, 6. clesiastico scriptum est : Aufer a me ventris concupiscentias. Conformiter circumcidendi sunt pedes ab omni pravo itinere, a saltatione choreæ ; manus quoque ab opere malo, ne aliquem lædant. Insuper refrenandi sunt sensus interiores ab imaginationibus vanis, a stultis et inutilibus phantasmatibus, a cogitationibus malis. Deinde valde circumcidendus est sensitivus appetitus ab omni inordinato sensibilium atque carnalium rerum affectu, ab immo- D derantia passionum, a rebellione contra rationis imperium, ne scilicet exteriora ista carnalia et terrena plus aut aliter appetamus quam recta ratio dictat et divina lex docet, nec immundas voluptates quæ- *I Tim.* VI, 8. ramus in eis, sed habentes victum et quibus tegamur, his simus contenti. Amplius circumcidenda est ratio ab omni perfidia et errore, a distractione, præsertim tempore orationis ac meditationis salubris ; estque occupanda et stabilienda in Deo, ut ea quæ pertinent ad salutem, assuescat assidue meditari. Voluntas quoque est circumcidenda ab omni malitia, et ab omni transgressione legis divinæ, ab omni aversione a Deo, ab immoderato omni creaturarum amore, ne eas amet nisi in Deo, secundum Deum, et propter Deum. — Ecce hæc est spiritualis circumcisio hominis.

Exinde breviter est tangendum, quid spiritualiter significetur per octo dies post *Luc.* II, 21. quos circumcisus est puer Jesus. Itaque per hos octo dies, designantur octo actus virtuosi ac splendidi, tanquam dies post quos circumciditur atque perficitur homo.

Primus actus est, propriæ iniquitatis consideratio ac recognitio coram Deo, juxta illud in Psalmo : Quoniam iniquitatem *Ps.* L, 5. meam ego cognosco. Itemque : Dixi, Con- *Ps.* XXXI, 5. fitebor adversum me injustitiam meam Domino. Hinc loquitur Jeremias propheta : Scrutemur vias nostras, et quæramus, *Thren.* III, 40, 42. et revertamur ad Dominum; nos inique egimus, et ad iracundiam provocavimus Deum. Istud est exordium conversionis ad Deum. Unde quum per Jeremiam Deus dixisset iniquo, Revertere ad me, et non *Jer.* III, 12. avertam faciem meam ; protinus addidit : Tamen scito iniquitatem tuam, quia in *Ibid.* 13. Dominum Deum tuum prævaricata es. Hinc quoque excusanti se ipsum mendaciter, Deus iterum ait per Jeremiam : Ecce *Ibid.* II, 35. ego judicio contendam tecum, eo quod dixeris, Non peccavi. Itaque quanto diligentius ac dolorosius culpas suas attendit homo, tanto minus attendit has Deus.

Secundus actus est, pudor et dolor de turpitudine et enormitate propriorum excessuum : quia non sufficit eos cognoscere, sed oportet coram Deo verecundari ac contristari de eis. Hinc Esdras in persona pœnitentis asserit : Deus meus, confundor *I Esdr.* IX, 6. et erubesco levare faciem meam ad te, quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput nostrum, et delicta nostra creverunt usque ad cœlum. Unde in Evangelio ait Christus de pœnitente publi- *Luc.* XVIII, 13. cano, quod nec oculos audebat levare ad

cœlum, videlicet præ erubescentia vitiorum suorum, sed percutiebat pectus suum, dicens : Deus, propitius esto mihi peccatori. Idcirco peccatori in vitiis indurato nec inde verecundanti, loquitur Deus
Jer. III, 3. per Jeremiam : Frons mulieris meretricis facta est tibi; noluisti erubescere. Quemadmodum enim meretrix ex consuetudine obscenitatis suæ de turpitudine sua non erubescit, sic obstinati de suis non habent pudorem peccatis, imo interdum se jactant de eis, quemadmodum apud Isaiam
Is. III, 9. de talibus dicitur : Peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt. Nam miserabiliter, damnabiliter et ineffabiliter peccata mentem excæcant, et judicium omne pervertunt.

Tertius actus est, propositum emendandi. Unde filius prodigus in se reversus, id
Luc. XV, 18. est lapsum suum considerans, dixit : Surgam, et ibo ad patrem meum. Aliqui enim de peccatis suis dolent et erubescunt, sed ex nimia vitiorum suorum ponderatione ac pudore ad desperationem labuntur, ut
Matth. XXVII, 3-5. patet in Juda proditore. Oportet ergo divinæ pietatis immensam considerare abyssum, et in misericordia Altissimi respira-
Gen. IV, 13. re. Quod Cain non fecit, qui dixit : Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear. Quartus actus est, timor Dei ac divini pavor judicii : quatenus cum sancto Job
Job XXXI, 23. dicere valeamus, Semper quasi tumentes super me fluctus timui Deum; cum sancto

A quoque Hieronymo : Sive comedam, sive bibam, sive aliud quid agam, semper videtur mihi auribus meis insonare tuba illa terribilis, Surgite, mortui, venite ad judicium. Nam ut ait Apostolus, Horrendum *Hebr.* X, 31.
est incidere in manus Dei viventis.

Quintus est, restitutio alieni et persolutio debiti, quia non dimittitur culpa, nisi restituantur ablata persolvanturque debita, si adsit facultas : alias desideret homo restituere ac solvere, faciatque quod potest. Sextus est, sacramentalis confessio,
B in qua omnia lavantur. Nec prædicta omnia prosunt, nisi peccator confiteri tempore opportuno proponat : quia confessio cadit sub præcepto. Unde et Salomon protestatur Proverbiorum vicesimo octavo :
Qui confessus fuerit peccata sua, et reli- *Prov.* XXVIII, 13.
querit ea, misericordiam consequetur. Jacobus quoque : Confitemini (inquit) alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem *Jacob.* V, 16.
ut salvemini. Septimus est, satisfactio pro peccatis per pœnitentialia opera, quæ præcipue sunt, oratio, jejunium, eleemosyna,
C ad quæ reducuntur et alia. Octavus est, perseverantia in prædictis, quia ut Christus disseruit : Qui perseveraverit usque *Matth.* X, 22; XXIV, 13.
in finem, hic salvus erit. Sola enim perseverantia coronatur.

Itaque, juxta præinducta spiritualiter circumcidamus nos ipsos quotidie, atque per octo hos actus virtuosos ac splendidos ad æternam gradiamur salutem.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUARTUS

QUOD CIRCUMCISIO BIFARIAM ACCIPITUR ; ET DE REFRENATIONE LINGUÆ AC SENSUUM.

DICO *Jesum Christum ministrum fuisse circumcisionis.* Rom. XV, 8.

Matth. V, 17. Christus, sicut ipsemet protestatur, non
D venit legem solvere, sed implere. Et quum baptizandus venisset ad divinissimum ac sacratissimum Joannem Baptistam, et ex-

pavisset ipse gloriosus Baptista venientis A dignationem ac humilitatem immensam, *Matth.* III, 14. atque ob hoc dixisset, Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me? Christus ipse *Ibid.* 15. respondit : Sine modo, sic enim decet nos implere omnem justitiam, id est omnem virtutum perfectionem, omnem humilitatis profunditatem, et omne id ad quod agendum misit me Pater. Ob eamdem itaque causam dignatus est Filius Dei hodie circumcidi, et item ut nos suo exemplo discamus circumcidi spiritualiter, profunde humiliari, promptissime obedire, et B corpus proprium per opera pœnitentiæ, observantias regulares, religiosos labores ac diversa virtutum exercitia castigare, affligere, edomare.

Est itaque circumcisio duplex. Una carnalis, quæ in veteri Testamento fuit præcepta, in novo prohibita: de qua ad Galatas *Galat.* V, 2. loquitur Paulus, Si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit; *Ibid.* 6. et rursus, In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides quæ per dilectionem operatur. Alia est circum- C cisio spiritualis, quæ est remotio abusionum membrorum corporis ac virium animæ, deletio vitiorum, reformatio passionum, compositio morum, resecatio superfluitatum, imo et subtractio moderata eorum quæ corpori necessaria sunt; propriæ quoque voluntatis repressio, abjectio, et mera sui ipsius sub præsidente *Deut.* X, 16. subjectio. Unde Moyses jussit et ait : Circumcidite præputium cordis vestri, et cervicem vestram ne induretis amplius. Per *Jer.* IX, 26. Jeremiam quoque loquitur Deus : Omnes D gentes habent præputium, omnis autem domus Israel incircumcisi sunt corde. Talibus dixit victoriosissimus martyr Ste- *Act.* VII, 51. phanus : Dura cervice et incircumcisi corde et auribus. Ex quibus monstratur esse quamdam circumcisionem aurium et cordium, et per consequens aliorum membrorum ac virium. De qua loquitur Paulus *Coloss.* III, 5. apostolus : Mortificate membra vestra quæ *I Cor.* IX, 27. sunt super terram; itemque, Castigo corpus meum, et in servitutem redigo. Imo et Christus : Si oculus (inquiens) tuus *Matth.* XVIII, 9, 8. scandalizat te, erue eum, et projice abs te; et si manus tua vel pes tuus scandalizat te, abscide eum.

Hæc igitur abscisio seu circumcisio, quamvis omni Christiano, maxime tamen religiosis est necessaria, in quibus omnia ordinata, restricta et expolita esse oportet, ut instar splendentis auri, pervii vitri, purissimi speculi, fulgeant coram Deo, et supernarum capaces sint illuminationum atque assiduarum inflammationum Spiritus Sancti. Denique, quum ad omnem spectet Christifidelem quod Romanis præcipitur, Sicut exhibuistis membra vestra *Rom.* VI, 19. servire immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem; certum est istud ad nos religiosos maxime pertinere, quatenus sicut corpus et singula quæque membra ipsius exhibuimus ar- *Ibid.* 13. ma iniquitatis peccato, serviendo per ea diabolo, ita nunc ea exhibeamus arma justitiæ Deo.

Omnem ergo loquacitatem, universa verba illicita, sæculares rumores, vanos et infructuosos sermones abscidamus ab ore et lingua. Hæc est saluberrima circumcisio linguæ et oris, sine qua nullus vere appellatur religiosus, Jacobo attestante apostolo : Si quis putat se religiosum esse, non *Jacob.* I, 26. refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio. Verbosus si- *Ps.* CXXXIX, 12. quidem vir non dirigetur in terra. Simus ergo in silentii observatione rigorosi ac strenui. Qui enim silentii operculo os suum non tegit, nec taciturnitatis clave id claudit, vas cordis sui habebit immundum, quoniam pulveres immunditiarum quæ inordinata locutione contrahuntur, cadent in illud. In colloquio itaque et in omni quo ad colloquendum convenitur loco, summe necessaria est linguæ repressio, custodia oris et cordis. Quæ a nobis poterunt observari, si Dei præsentiam cogitemus ubique, et ejus erubuerimus vultum, formidantes sanctum ejus adspectum offendere. Præterea S. Benedictus in Regula :

Verba (inquit) scurrilia et in risum moventia, æterna damnamus clausura. Si ergo verba in risum moventia tantum, anathematizavit omnium religiosorum pater præcipuus Benedictus, quantum vitanda sunt verba contentiosa, injuriosa, mendosa, præsertim ne quis se nimis excuset quando corripitur, nec murmuret dum accusatur sive corrigitur? Præterea spiritualis hæc circumcisio linguæ et oris requirit, ut sicut vitiose loquendo et male tacendo Deum in sæculo graviter inhonoravimus, multipliciterque offendimus, sic modo virtuose loquendo, Deum assidue laudando, orando, alacriter psallendo, honoremus, et reconciliemus nobis eumdem. Erubescamusque vehementer jam verba divina minus affectuose ac gaudiose proferre, quam olim in sæculo verba mundana, carnalia et iniqua protulimus. Abjiciatur omnis somnolentia in divinis, omnis pigritia prorsus excutiatur; diligenter et fervide Domino gloriæ
Apoc. III, 16. ministremus. Ipse equidem evomit tepidos, fastidiosos contemnit, ingratos, pi-
Jer. XLVIII, 10. gros et somnolentos abhorret : et maledictus est qui opus ejus efficit negligenter.

Præterea circumcidamus ventrem et gu-
Luc. XXI, 34. stum ab omni gula, ne graventur corda nostra potatione aut crapula, ceterisque contaminentur peccatis quæ ex gula na-
Eccli. XXXI, 37. scuntur. Quemadmodum enim sobrius potus moderatusque cibus, sanitas est corporis et animæ salus; sic cibi ac potus immoderati gravant corpus et animum lædunt, ac divinorum inducunt fastidium. Hinc sancti Patres etiam siccum panem et simplicem aquam in mensura, cum parcitate et Dei timore sumpserunt, timentes in eis excedere.

Insuper oculos circumcidamus ab incautis adspectibus, præcipue in divinis et coram populo celebrando, ne et sæculares in visus nostri incustodia ac evagatione
Eccle. II, 14; *Prov.* XVII, 24. scandalizentur. Oculi enim sapientis in capite ejus ; oculi autem stultorum in finibus terræ. Sint igitur oculi cordis nostri in Christo capite nostro fixi, et ne distrahamur ab eo. Ne maculetur mens nostra,

A oculos reprimamus exteriores. Multas peccandi occasiones et varias culpas incurrit qui oculos non custodit. Eos ergo refrenemus ne hauriant vanitates, ne per res varias fornicentur, ne incaute alios inspiciendo moveamur ad risum, ad dissolutionem evagationemque cordis, ad complacentiam vanam tristitiamve nocivam, aut certe ad iram, indignationem, impatientiam, temerariumque judicium. Legitur namque de abbate Helladio, quod per viginti annos cellam suam inhabitans, nunquam oculos

B suos levavit ut tectum ejus adspiceret. Sic et sanctus pater noster Bernardus tota die circa fluvium equitans, fluvium non attendit. Quid dicemus ad hæc, qui nec circa altaria nostros possumus oculos refrenare, imo sæpe sacerdotales vestes exuendo, aut in Missa populum salutando, projicimus visum nostrum super adstantes? Quod utique signum est inverecundæ, intimoratæ incustoditæque mentis.

Amplius, circumcidamus aures a negligentia circa audientiam verborum salutis,

C quatenus ea quæ Dei sunt avide audiamus, et quidquid in choro legitur aut cantatur, diligentissime advertamus; nec magis delectet nos cantus quam sensus, sed minus. Similiter sermocinationem in capitulo, lectionem in refectorio, exhortationem et correptionem a quocumque proximo gratanter suscipiamus ac patienter. Auris *Eccli.* III, 31.
etenim bona cum omni concupiscentia audit sapientiam; et beati qui audiunt ver- *Luc.* XI, 28.
bum Dei. Ei autem qui corripientem dura *Prov.* XXIX, 1.
cervice contemnit, qui verba informatio-

D nis non suscipit, repentinus superveniet interitus. Sunt quoque nonnulli, qui si in sermonibus præsidentis seu fratris audiunt aliqua contra suos excessus et defectus pronuntiari, mox indignantur, sputa congeminant, exscreare vix cessant, et temerarie judicantes ea quæ dicuntur, ex invidia aut alia prava radice dici talia arbitrantur : qui infecti sunt morbo nomine Noli me tangere. Quibus necesse est resi- *II Tim.* II, 26.
piscere ab hujuscemodi laqueis inimici, seque humiliare, patientiamque discere,

propries culpas attendere, et earum remedia grata suscipere mente. Porro, circa audientiam illicitorum verborum simus auribus circumcisi, ne ea audiamus libenter, sed aut penitus avertamus auditum, aut audiamus invite : ne alienis communicemus peccatis, sed potius ea quantum decet aut licet redarguamus. Potissimum verba detractionis, murmurationis, seminationis discordiæ ac contumeliæ penitus detestemur, et verbis ac signis ea nobis displicere monstremus, per tristitiam vultus, gemitum cordis, allegationem Scripturæ, seu aliis modis, quum scriptum sit : Ventus Aquilo dissipat pluvias, et facies tristis linguam detrahentem. Et denuo Salomon : Per tristitiam (inquit) vultus corrigitur animus delinquentis. Quibus verbis præmisit : Melior est ira risu. Quod de ira per zelum est accipiendum, quam in audiendo talia verba multo melius est ostendere, quam per risum complacentiam impiam demonstrare.

Prov. xxv, 23. — *Eccle.* vii, 4. — *Ibidem.*

Postremo, juxta hunc modum, ceterorum exteriorum interiorumque sensuum actus et usus circumcidamus, membrorumque motus et opera regulemus ; mentem a pravis cogitationibus, voluntatem a desideriis malis, animam ab universis peccatis circumcidere non cessemus : ut sic mente et corpore simus spiritualiter decorati, interius reformati, recti semper et virtuosi.

SERMO QUINTUS

QUID IN NOBIS CIRCUMCIDENDUM SIT ; ET DE ABNEGATIONE, MORTIFICATIONE AC HUMILIATIONE PROPRIA.

CIRCUMCIDAMINI, *et auferte præputia cordium vestrorum.* Jer. iv, 4.

Hodie Filius Dei cœpit propter nos sanguinem suum effundere, atque acerbum pati dolorem. Tantus namque fuit dolor circumcisionis, quod multi infantulorum, Rabbi Moyse teste, moriebantur ex illo dolore. Verumtamen multo acerbior fuit dolor ille in puero Jesu quam in aliis infantibus, tum propter delicatissimam et maximam teneritudinem nobilissimi et æqualissimi sui corpusculi, tum propter rationis et imaginationis suæ vigorem, quo super dolorem illum per advertentiam et judicium reflectebatur.

Porro omnis actio et passio Christi est informatio nostra. Circumcisus ergo est Dominus corpore, ut nos corde circumcidamur, et cordium nostrorum auferamus præputia, id est carnalium desideriorum profluvia, inutilium cogitationum tumultus, inordinatas affectiones, apprehensiones inanes, intentiones perversas. Potissimum autem religiosorum præputia spiritualia, sunt, animæ cornua : contradicendi audacia, rebellionis impudentia, intimoratæ mentis præsumptio. Quæ omnia nil aliud sunt nisi diabolica mala, mortifera semina, religionis venena. Eaque esse maxime fugienda omni potissimum religioso, Christus hodierna edocuit die circumcisionem suscipiendo : per cujus susceptionem factus est sub lege, præceptum legis de circumcisione in se ipso volens faciensque servari. Si igitur ipsemet legislator subjectus est sponte legi quam contulit, quum tamen ratio legis illius servandæ locum non haberet in eo (siquidem propter originale tollendum, circumcisionis præceptum est datum, et contra illud circumcisio fuit remedium) : quanto magis nos pauperes, defectuosi et fragiles, præceptis Dei ac superiorum nostrorum cum omni promptitudine et humilitate subjici ac pa-

Galat. iv, 4.

rere debemus, quum et causa obediendi illis multiplex sit in nobis?

Denique, quum in omni fideli verificetur quod Samuel dixit, Quasi peccatum ariolandi est repugnare, et quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere : quanto magis in religiosis, qui ex voto solenni ad obedientiam sunt adstricti, quod votum juramento plus obligare a doctoribus magnis asseritur? Et si juxta B. Hieronymi doctrinam, nondum vere religiosus effectus est qui ad eam necdum simplicitatem devenit, ut quidquid a superioribus suis fuerit jussum sive injunctum, divino et angelico putet ore prolatum : quam irreligiosissimi esse probantur, qui superiori resistunt in faciem, qui etiam in capitulo reclamare audent atque contendere, seque impudenter excusant? O quam longe sunt isti ab imitatione Christi! Qui quum nullam haberet vitii læsionem, remedium culpæ suscipere non contempsit, et remedium certe verecundum ac valde pœnosum sibi dignatus est applicari. Nos econtra, quum defectuositatibus pleni simus, signum culpæ et medelam ipsius, hoc est correptionem piam et mediocrem ac castigationem permodicam, perpeti dedignamur : quanto magis acutam et condignam correptionem ac correctionem abjiceremus? Ubi est mortificatio nostra? Ubi abnegatio sui ipsius et obedientia sancta? Istud quippe evidentissimum signum est intolerandæ elationis, gravissimæ excæcationis, atque sacrilega propriæ voluntatis resumptio. Monachus etenim debet esse spiritualiter mortuus, et tanquam surdus non audiens, et quasi mutus non aperiens os suum, quantum ad hoc ne moveatur injuriis, nec improbitati respondeat injuriantis : quanto minus moveri debet fraternis correptionibus, veris accusationibus, paternis increpationibus et correctionibus justis?

(I *Reg.* xv, 23.) (*Ps.* xxxvii, 14, 15.)

Reflectamus ergo quotidie, imo assidue, oculos cordis ad nos ipsos, ad defectus excessusque nostros, ad mala quæ agimus, ad bona quæ negligimus, ad mala

A quæ bonis actibus nostris indesinenter miscentur, ut vix unam Orationem dominicam, vix psalmum brevissimum, imo vix versum unum, sine distractione admixtioneque culpæ legamus. Atque ex hac consideratione humiliemus et contemnamus nos valde, ad omnem reprehensionem et punitionem parati, ut ex sententia decantemus : Quoniam ego in flagella paratus sum, et dolor meus in conspectu meo semper; quoniam iniquitatem meam annuntiabo, et cogitabo pro peccato meo. B Itaque quod nos ipsi de nobis sentimus ac dicimus, ab aliis sentiri, dici, atque in medium deduci non renuamus : alioqui non invenitur in nobis sincera humilitas, plena confessio, pœnitentia efficax et condigna; sed coram aliis vilescere, humiliari et confundi horremus, amantes nos ipsos in nobis, a spiritualis puritate dilectionis remoti.

(*Ps.* xxxvii, 18, 19.)

Refert S. Gregorius de quodam viro religioso et sancto, qui erat in monasterio suo sacrista, ad quem videndum plurimi C confluebant. Erat autem statura cum Zachæo pusillus. Quumque inter ceteros quadam die rusticus quidam venisset, et virum illum sanctum eminus conspexisset, eumdem, quoniam parvus corpore fuit, despiciens : Iste, inquit, nihil habet de viro seu homine. Quo audito, Sanctus ille toto corde exhilaratus accurrens, rusticum illum amplexus est, dicens : Gratias ago, quia tu solus oculos habes in me. Hujus igitur Sancti humilitatem sectemur. Nec in die honoris sui, aut in hora commen- D dationis suæ quis extollatur : imo tunc profundius humiliet semetipsum, occultum Dei judicium pertimescens, omneque bonum ei gratissima mente adscribens.

(*Luc.* xix, 3.)

Insuper Dominus et Salvator die hac circumcisionis acerbitatem assumens, docuit nos (non verbo sed opere), arctam viam salutis, ardua virtutum exercitia, strenue aggredi, viriliter continuare, feliciter consummare, ut dicere mereamur : Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras. Voracitatem, loquacitatem, somno-

(*Matth.* vii, 14.) (*Ps.* xvi, 4.)

lentiam, negligentiam, dissolutiones, et A omnes vanitates ac impietates abhorreamus, (Hebr. xii, 1, 2.) per patientiam currentes ad propositum nobis certamen, adspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem confusione contempta. (II Tim. ii, 5.) Non enim coronatur nisi qui legitime certaverit, vincens se ipsum, animositatem suam conculcans, carnalitatem omnem abjiciens, universisque hostibus suæ salutis rite reluctans ac prævalens. (Matth. xi, 12.) Violenti quippe cœlorum rapiunt regnum.

Postremo totum corpus totamque animam nostram spiritualiter circumcidamus, ut simplici victu ac vestitu simus contenti, et abnegemus in omnibus nosmetipsos, vanas et phantasticas apprehensiones ac fatuas imaginationes ab interioribus sensibus resecantes, atque ad dominicæ passionis considerationem aliaque salubria memoriam protinus revocantes. Appetitum quoque sensitivum a passionum et affectionum suarum immoderantiis ac irrefrenationibus circumcidamus, nihil ter- C renum, sensibile, carnale ac corporale appetentes, neque de molestiis corporalibus contristantes, nisi secundum rectæ rationis divinæque legis judicium ac doctrinam. Intellectum item seu rationem a cunctis erroribus, a temerariis judiciis, a periculosis ac puerilibus suspicionibus, ab omni præsumptione et complacentia vana, atque omni distractione, potissimum in divinis, circumcidere non lassemur. Et ut jugiter Deo simus intenti aut salubribus cogitationibus occupati, infigamus memoriæ intellectus istum versiculum, Cor (Ps. l, 12.) B mundum crea in me, Deus, vel, Oculi mei (Ps. xxiv, 15.) semper ad Dominum, aut illud, Vivit Dominus, in cujus conspectu sto hodie : ut (III Reg. xvii, 1 ; IV Reg. iii, 14.) quotiescumque evagari cœperimus aut distractos nos esse senserimus, mox ad illud intellectus intuitum dirigamus, et per hoc elevemur in Deum, et constabiliatur in eo cor nostrum. Voluntatem etiam ab omni malitia, ab omni libertate iniqua, ab omni inobedientia et præsumptione atque acedia pestifera circumcidere non moremur, ut Deo sic simus plene subjecti, ac ejus amore quotidie validius inflammemur.

SERMO SEXTUS

QUOD CIRCUMCISIO SPIRITUALIS OCTO GRADIBUS, CONTRITIONE VIDELICET, ABSTINENTIA, DISCRETIONE, JUSTITIA, HUMILITATE, PATIENTIA, SAPIENTIA AC CARITATE, VELUTI OCTO DIEBUS CONSUMMATUR.

Circumcisi estis circumcisione non D *manufacta in exspoliatione corporis carnis.* Coloss. ii, **11**.

(Luc. ii, 21.) Sicut in evangelio legitur hodierno, octavo die circumcisus est Christus, juxta præceptum legis. Litteralis autem ratio cur non ante octavum diem fiebat circumcisio, secundum Rabbi Moysen fuit, quia usque ad illum diem tanta est teneritudo corpusculi infantilis, quod dolorem circumcisionis ferre non posset. Sunt autem et aliæ rationes spirituales, quarum una assignari potest ex hoc, quod octonario virtutum processu ad spiritualis circumcisionis perfectionem attingitur.

Horum processuum seu dierum primus, est pœnitentia, in qua recidivum post Baptisma perpessi revivificantur, et cuncta lavantur peccata. Unde et Christus ab hac virtute prædicationem suam exorsus est : Pœnitentiam (inquiens) agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. (Matth. iv, 17.) Et idem

Matth. III, 2. fuit beatissimi Joannis Baptistæ in prædicando initium. Pœnitentia autem tres habet partes : quæ sunt, contritio, confessio, satisfactio. Et ut ait Hieronymus, contritio vera non est, nisi magnitudini multitudinique culparum sit adæquata, ut quanto quis gravius atque frequentius per omissionem aut commissionem peccaverit, tanto intensius ac cordialius doleat. Hujusmodi quoque contritionis indicium, est diligentia vitandi peccata præterita. Quæ nisi quis cum ingenti sollicitudine vitet, non videtur de eis vere contritus, dolens seu pœnitens. Hinc tepidis et intimoratis religiosis maximum instat periculum, quia quotidiana sua peccata, confessione facta, sic iterant quasi de eis confessi non essent; nec ad vitandum ea, nec ad emendandum, nec ad proficiendum diligentiam et conatum videntur apponere, sed ex arida quadam consuetudine confitentur, et non proficiendo deficiunt: quod eorum professioni certum est repugnare. Ideo videant sibi, ne forte sint extra statum salutis et gratiæ; suamque attendentes vocationem, resipiscant et accendantur in Spiritu Sancto, scientes maledictos eos consistere qui Dei opus faciunt negligenter. *Jer.* XLVIII, 10.

Secundus processus et gradus spiritualisque dies, est abstinentia, quæ non solum pro præteritis satisfacit excessibus, sed a futuris quoque præservat, et gratiæ promeretur augmentum ac illuminationem supernam. Unde Danieli et tribus sociis ejus dedit Deus sapientiam et absconditorum intelligentiam, propter eorum abstinentiam. Imo tanta est abstinentiæ virtus, ut de pessimo quodam genere dæmoniorum dicat Salvator : Hoc genus in nullo ejicitur, nisi in oratione et jejunio. Qui rursus hortatur : Attendite ne graventur corda vestra crapula aut ebrietate. Terribiliterque minatur : Væ vobis qui saturati estis, quia esurietis. Ideo admonet Paulus : Nos qui diei sumus, sobrii simus ; et denuo, Sobrie (inquit) et juste et pie vivamus in hoc sæculo. Huic ergo virtuti operam demus, ex qua innumerabilia bona sequuntur. *Dan.* I, 6 et seq. *Matth.* XVII, 20. *Luc.* XXI, 34. *Ibid.* VI, 25. I *Thess.* V, 8. *Tit.* II, 12.

Verumtamen, quoniam corpus ultra modum affligere nocivum est valde, et multorum impeditivum bonorum, propterea tertius processus, est prudentia sive discretio, quæ in cunctis docet moderamen servare, ut sit rationabile obsequium nostrum, et omnia secundum ordinem seu ordinate fiant in nobis suo loco et tempore. Sine hac virtute, virtutes vitia esse dicuntur : et quo caritas est ferventior, eo facilius periculosiusque præcipitat, nisi discretio adsit ejus operibus. Propter quod admonet Christus : Estote prudentes sicut serpentes ; et rursus, Habete (inquit) in vobis sal. Atque per Moysen Deus præcepit : In omni sacrificio offeres sal. Quod ad litteram servabatur in veteri Testamento, spiritualiter autem impletur in novo, dum in omni actu virtutum quem ad divinæ facimus majestatis honorem, veram tenemus discretionem : quæ auriga virtutum fertur, quoniam ducit ac dirigit hominem in omnium exsecutione virtutum, ut regia via incedat, nec ad dextram nec ad sinistram declinans. *Rom.* XII, 1. I *Cor.* XIV, 40. *Matth.* X, 16. *Marc.* IX, 49. *Lev.* II, 13. *Num.* XX, 17.

Sed quia sub colore discretionis multi a via recta declinant, remisse agentes, nimis suo corpori de cibo, potu, somno, vestitu, solatio indulgentes; idcirco quartus processus, est virtus actioque justitiæ, unicuique quod suum est tribuens, Deo adorationem et cultum, corpori necessariam sustentationem, præsidenti subjectionem, proximo opem ac directionem : quæ requirit, ut in primis unusquisque diligenter persolvat ea ad quæ tenetur; deinde si supererogationis quidquam egerimus, placitum erit Deo. Porro, quidquid ei obtulerimus neglecto eo ad quod tenemur, inacceptum est ei. Qui ergo vult sincere proficere, in primis ea quæ sunt Ordinis satagat diligenter implere, Horas distincte ac devote exsolvere, in psallendo et celebrando præcipuam puritatem, devotionem et ardorem habere, spiritualique patri in omnibus prompto animo obedire; ad fratres etiam caritative et pie, exemplariter ac fructuose se habeat. Nihilo minus in

iis quidam sunt negligentes, imo se per- A verse habentes : qui ad ea quæ eis a præsidente injunguntur, sunt tardi, aut etiam omnino involuntarii seu rebelles, et ad ea quæ sunt observantiæ regularis sunt tepidi, in Horis quoque et in psalmodiis incustoditi, pigri ac frigidi ; ad ea autem quæ secundum propriam faciunt voluntatem et apprehensionem, sunt fervidi, imo et ardua quædam agentes. Quorum processus non est ordinatus et rectus; nec competit
Is. xxvi, 7. eis quod loquitur sanctus Isaias : Semita justi recta est, rectus callis justi ad ambulandum.

Præterea, quoniam is qui tam virtuose se habet, posset facillime ad gloriam moveri inanem ; ideo quintus processus et gradus, est sancta et benedicta humilitas, quæ in tuto ponit hominem et conservat, ne ventus elationis et vanæ gloriæ motus eum dejiciant. Propriam ergo vilitatem, defectuositatem et culparum redundantiam ponderantes et perspicientes, et semper in mente habentes, quidquid boni in nobis est, Deo cum omni gratiarum actio- C ne attribuamus, atque ab eo indesinenter conservari oremus in bonis, et perfici et consummari in eis : sicque virtus gratitudinis, per quam homo majoribus donis ditari meretur, decorabit animas nostras, gratiarumque fontem faciet fluere in nos, cujus influxum maxime obstruit ingratitudo.

Sed quoniam justis et humilibus multa occurrunt adversa, persecutionesque variæ inferuntur, quemadmodum scriptum
Ps. xxxiii, 20. est, Multæ tribulationes justorum ; et, Om- D
II Tim. iii, 12. nes qui volunt pie vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur; et, Tanquam au-
Sap. iii, 6. rum in fornace probavit electos Dominus : ideo sextus processus et dies, est patientia, ne quis in talibus contristetur, sed
Jacob. i, 2. cuncta æquanimiter ferat, omneque gaudium arbitretur quum in varias tentatio-
Eccli. xxvii, 6. nes inciderit ; quoniam sicut vasa figuli
Judith viii, 24. 25. probat fornax, sic homines justos tentatio tribulationis. Propter quod qui tentationes non susceperunt in timore Dei et in patientia vera, exterminati sunt. Beati vero *Matth.* v, 10.
qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quia ipsorum est regnum cœlorum.

Denique, quia in patientia sua possidet *Luc.* xxi, 19.
homo animam suam, ita quod habet eam rationi suæ subjectam, et dominatur animo suo, sicque in omni eventu tranquillus est et quietus ; idcirco septimus processus et gradus, est sapientia seu contemplatio divinorum. Qui enim per virtutes præfatas habet vires suæ animæ reformatas, pas- B siones frenatas et tranquillationem in cunctis eventibus, ad illuminationes divinas et contemplationes cœlestes aptissimus est ; atque in sabbato mentis, in suavitate occulta, in pectoris pace, in spirituali lætitia Deo intendit, obsequitur et cohæret. Talis delectatur in multitudine pacis, perfruitur abundantia bonorum, malorum timore sublato. De talibus suis ministris locutus est Deus per Isaiam prophetam :
Sedebit populus meus in pulchritudine *Is.* xxxii, 18.
pacis, et in tabernaculis fiduciæ, et in requie opulenta.

Postremo, quoniam ex intuitu boni et pulchri ac suavis afficitur mens ad illud, et Deus naturaliter ac incircumscriptibiliter bonus et pulcher ac dulcis est ; propterea octavus processus et gradus ac lucidissimus dies, in quo spiritualis circumcisio consummatur, est ardens dilectio Dei, caritas pura, fervidissimus amor.
Hæc namque dilectio operit multitudinem *I Petr.* iv, 8.
peccatorum, consumit peccati rubiginem, et quæ Deo sunt placita operatur ; cunctis virtutibus imperat, eas informat, vivificat, excitat et inflammat ; affectum amantis Deo conformat, mentem Creatori propinquissime unit : sicque universa facit vitari peccata, tollit superflua, et cuncta complanat, ornat ac perficit.

His ergo processibus ad perfectionem tendamus, atque his modis de una harum virtutum in aliam, usque ad summam proficiscamur. Ad laudem et gloriam omnipotentis Dei.

IN DIE
EPIPHANIÆ DOMINI

ENARRATIO IN LECTIONEM PROPHETICAM LOCO EPISTOLÆ

SURGE, ILLUMINARE, JERUSALEM, ETC. Is. LX, 1-6.

QUOD beatissimus Isaias propheta in A lectione quæ hodie loco epistolæ legitur, prophetavit, hodierna die in tribus Magis cœpit impleri : ideo lectio ista merito in præsenti legitur festo. Ecclesiam itaque alloquens Isaias, ait :

Surge ab amore terrenorum ad contemplationem ac dilectionem Dei ac æternorum, *illuminare,* id est, lumen gratiæ ac virtutum desuper suscipe a Sole justitiæ, o *Jerusalem,* id est Ecclesia militans, quæ in civitate sancta Jerusalem sumpsit exordium. Cur autem per Jerusalem designe- B tur Ecclesia, dictum est sæpe. Jerusalem namque interpretatur visio pacis, et Ecclesia militans jam per fidem contemplatur
Philipp. IV, 7. pacem Dei cœlestisque patriæ, quæ omnem sensum exsuperat. *Quia venit lumen tuum,* id est, Christus per Incarnationis
Luc. I, 78. mysterium descendit in mundum, visita-
Joann. I, 9. vitque te Oriens ex alto, qui est lux vera, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum. *Et gloria Domini,* id est gloriosa operatio Christi, doctrina et sapientia ejus, excellentia quoque miracu- C lorum ipsius, *super te orta est,* id est, tibi apparuit atque resplenduit : de qua Joan-
Ibid. 14. nes asserit, Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre. *Quia ecce tenebræ* ignorantiæ et peccati *operient terram,* id est corda gentilium, terrenorum, non credentium, *et caligo* perfidiæ seu cæcitas mentis operiet *populos* Judæorum, qui pro majori parte in Christi adventu credere contempserunt : et usque in præ- *II Cor.* III, 15. sentem diem velamen super cor eorum positum est, secundum Apostolum. Itaque extra Ecclesiam non est lux gratiæ, sed tenebræ et caligo. *Super te autem orietur Dominus,* id est, Christus tibi innotescet, et mentem tuam illuminabit. Electis namque Judæis ac gentilibus Christus Apostolorum prædicatione et Spiritus Sancti operatione, splendorem sapientiæ salutaris infudit. *Et gloria ejus* de qua dictum est, « gloria Domini super te orta est », *in te videbitur,* id est, agnoscetur. Vel, « gloria », id est majestas, « ejus, in te videbitur », id est, a te per fidem et sapientiæ donum contemplabitur : quemadmodum ait Apostolus, Nos autem revelata facie gloriam *Ibid.* 18. Domini speculantes.

Et ambulabunt gentes in lumine tuo, id est, gentiles ad fidem conversi vivent, et ad cœlestem patriam gradientur, in doctrina, in præceptis atque consiliis Christi, qui ait : Ego sum lux mundi ; qui *Joann.* VIII, 12. sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Unde per Isaiam Deus Pater loquitur Christo : Dedi te in lucem *Is.* XLIX, 6. gentium, ut sis salus mea usque ad ultimum terræ. *Et reges,* id est principes sæ-

culares, credentes ambulabunt *in splendore ortus tui,* id est in claritate gratiæ ac sapientiæ Christi, qui ortus seu natus Is. IX, 6. est tibi, juxta illud : Puer natus est nobis.

Leva in circuitu oculos tuos, id est, undique circumspice, et interiores exterioresque oculos aperi, *et vide,* id est, considera quod subditur : *Omnes isti,* videlicet ex Judaismo ac gentilitate conversi, *congregati sunt* per fidem et caritatem in ecclesiastica unitate. De quibus ait Salva- Joann. XVII, 20, 21. tor : Non pro eis (puta Apostolis) rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes sint unum. *Venerunt tibi,* id est, per fidem et gratiam incorporati sunt tibi. De quibus Luc. II, 30-32. sanctus Simeon dixit : Viderunt oculi mei Salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum ; lumen ad revelationem (id est illuminationem) gentium, et gloriam plebis tuæ Israel. *Filii tui* spirituales *de longe venient,* id est, a regione dissimilitudinis, et ab aversione peccati, atque ab omnibus finibus mundi accedent ad fidem ac evangelicam legem : sicut in Matth. XXIV, 14. Evangelio ait Christus, Prædicabitur Evan- Ibid. VIII, 11. gelium in universo mundo ; et, Multi ab oriente et occidente venient. Gentibus quo- Ephes. II, 13. que conversis scripsit Apostolus : Vos qui eratis longe, facti estis prope in sanguine ejus. *Et filiæ tuæ* in Christo renatæ, *de latere surgent,* id est, de propinquo ad fidem accedent, ut stent erectæ in Domino, quæ damnabiliter jacuerant in peccato. Per quod datur intelligi, quod multi ex utroque hominum sexu de longinquis propinquisque locis convertentur ad Christum. Act. I, 8. Propter quod Christus ait Apostolis : Eritis mihi testes in Jerusalem et in omni Judæa et Samaria, et usque ad fines* terræ. Aliqui textus habent, Filiæ tuæ lac sugent, vel, De latere sugent : quod redit in idem, hoc est, consolatione Spiritus Sancti, gratia innocentiæ, et doctrina Apostolorum recreabuntur. De hoc lacte dicit Petrus : I Petr. II, 2. Quasi modo geniti infantes, lac concupiscite. Præterea per filios possunt intelligi fideles perfectiores ; per filias vero, pusilli

* ultimum

A et imperfecti : sicque per lac intelligitur doctrina facilior et observantia levior. Talibus namque ait Apostolus : Tanquam I Cor. III, 1, 2. parvulis in Christo, lac vobis potum dedi. Tales equidem solidum nequeunt cibum Hebr. V, 14. sumere perfectorum, de quo Apostolus : Sapientiam (inquit) loquimur inter per- I Cor. II, 6. fectos.

Tunc videbis impleri quæ dicta sunt, *et affues* divitiis gratiæ ac virtutum, spiritualique gaudio, quibus primitiva Ecclesia maxime abundavit ; *et mirabitur* de re- B pentina ac copiosa hominum conversione, *et dilatabitur cor tuum,* caritate et jucunditate ipsum spiritualiter aperientibus, ita ut capax sit gratiæ amplioris et gloriæ æternalis. Unde ad Corinthios scribit Apostolus : Os nostrum patet ad vos, cor no- II Cor. VI, 11. strum dilatatum est. *Quando conversa fuerit ad te multitudo maris,* id est habitatores insularum quæ mari cinguntur, ut Cyprus, Sicilia, Anglia, etc., quæ in Ecclesia colliguntur per fidem ; *fortitudo gentium,* hoc est brachium sæculare, seu Romanum C imperium, aut cetera hominum multitudo in insulis non manens, *venerit tibi* per fidei ac Baptismi susceptionem. Ineffabiliter quippe gaudebat primitiva Ecclesia de conversione innumerabilium millium hominum ubique terrarum : quia in omnem Ps. XVIII, 5. terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.

Inundatio camelorum operiet te. Consuetudo est Prophetis, obscure ac metaphorice loqui, et per nomina bestiarum homines bestiales significare : ita et nunc D per camelos signantur gentiles, qui vitiorum onere gravabantur. Talium autem « inundatio », id est copiosa multitudo, operuit Ecclesiam, quia innumerabiles tales conversi sunt. Ideo subditur : *dromedarii,* hoc est homines dromedariorum mores habentes, ad vitia celerrime olim currentes, *Madian et Epha,* id est regionum sic dictarum habitatores. Isti operuerunt Ecclesiam, id est, eam copiose ingressi sunt. *Omnes de Saba,* id est quidam ex omnibus habitatoribus regionis sic ap-

pellatæ, *venient, aurum et thus deferentes, et laudem Domino annuntiantes.* Hoc *Matth.* II, 1, 11. cœptum est adimpleri in tribus Magis, qui venerunt ab oriente, adoraveruntque Christum, aurum, thus et myrrham offerentes eidem, sicut in Psalmo prædictum est : A Reges Tharsis et insulæ munera offerent; *Ps.* LXXI, 10. reges Arabum et Saba dona adducent. Porro Saba est provincia magna, aromatibus plena : de qua fuit regina Saba, quæ venit *III Reg.* X, 1. a finibus terræ Jerusalem, ut sapientiam audiret Salomonis.

SERMO PRIMUS

QUOD VARIIS MODIS SURGENDUM EST FELICITER ; ET QUAM SIT NOBIS NECESSARIUM A DEO ILLUMINARI.

SURGE, *illuminare, Jerusalem, quia venit lumen tuum.* Is. LX, 1.

Consuetudo est Scripturarum, ut nomine loci designentur habitantes in loco. Quoniam ergo primitiva Ecclesia in Jerusalem sumpsit exordium, eo quod Christus ibi instituit in Cœna novissima Sacramentum et sacerdotium evangelicæ legis, panem et vinum convertendo in corpus suum et sanguinem, Apostolos quoque faciendo sacerdotes, quum dixit, Hoc facite in meam *Luc.* XXII, 19; *I Cor.* XI, 24. commemorationem (per quæ verba contulit eis potestatem consecrandi corpus et sanguinem suum); et quia post Christi resurrectionem et ascensionem, sancti Apostoli aliique discipuli ibidem acceperunt *Act.* II, 1 et seq. Spiritum Sanctum; et evangelicam legem, videlicet, Christi passionem, resurrectionem, ascensionem, et cetera ejus mysteria, ibi publice prædicare exorsi sunt : hinc non immerito per Jerusalem sanctus Isaias propheta designavit primitivam Ecclesiam. Nam et Christus in Evangelio, nomine Jerusalem expressit habitatores ejus, ingratos perfidosque Judæos, dicendo : Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas, *Matth.* XXIII, 37. et lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos? Hanc ergo Jerusalem, scilicet primitivam Ecclesiam, allocutus est Isaias, eam hortando ad illuminationes divinas, quas copiosissime suscepit a Spiritu Sancto. Præterea per Jeru- B salem significatur etiam quælibet fidelis persona virtuosaque anima, contemplans cœlestia. Exhortanda est ergo quælibet communitas seu congregatio christiana, omnis quoque fidelis anima, ut surgat et illuminetur.

Primo ergo surgendum est a ruina peccati. Quicumque enim est in caritate et gratia Dei, stat mente ad Deum erectus, quoniam ei super omnia tanquam ultimo fini et summo bono adhæret. Quum autem peccat mortaliter, spiritualiter ruit a sum- C mo bono ad caduca et vana, a dæmonibus superatur et conculcatur, et propria iniquitate jacet oppressus. Hinc in Proverbiis habetur : Via impiorum tenebrosa; *Prov.* IV, 19. nesciunt ubi corruunt. Et Salvator ait : Omnis qui facit peccatum, servus est peccati. *Joann.* VIII, 34. Cujus dicti causam assignat in secunda sua Canonica felicissimus princeps Apostolorum : Iniqui (inquiens) sunt servi *II Petr.* II, 19. corruptionis; a quo enim quis superatur, hujus et servus est. Iniqui autem a peccato vincuntur. Ideo ad Romanos hortatur D Apostolus, Non regnet peccatum in vestro *Rom.* VI, 12. mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus, videlicet corporis vestri : quibus ratio tenetur reluctari ac prævalere. Qui ergo in mortali jacet peccato, surgat, id est, se contra se erigat, et Deum invocet adjutorem : sicque per rationem divina lege instructam, vitia detestetur ac fu-

giat, Deo adhæreat, et virtutes sectetur. A

Secundo surgendum est ab imperfectione ad perfectionem, ut unusquisque conetur quotidie in virtutibus crescere, atque de die in diem humilior, patientior, timoratior, ardentior fieri. Quum enim non diu permaneat homo in statu uno, qui non nititur in gratia virtutibusque proficere, protinus deficit in eisdem, et faciliter eas amittit. Unde ad Hebræos loquitur

Hebr. vi, 1, Paulus : Ad perfectiora feramur, ut non

12. *I Cor.* xii, segnes efficiamur ; et alibi, Æmulamini

31. charismata meliora. Hinc ait Bernardus : B

In via Dei non proficere, est deficere; non progredi, est regredi.

Tertio surgendum est corporaliter a lecto materiali, ne quis plus quam natura requirit, indulgeat somno, nec ex carnalitate, torpore aut pigritia jaceat nimis diu in lecto, sicque tempus suum expendat infructuose, et multa bona omittat. Convenienti igitur hora vadat homo dormitum et mane surgat; ad divinum quoque pergat Officium, si occupatio sua permittat hoc. Nam ex somno superfluo multa C mala sequuntur : natura gravatur, ratio offuscatur, infirmitates nascuntur, et multa bona negligit homo. Hinc Salomon ait :

Prov. vi, 9. Usquequo, piger, dormies? Quando consurges ex somno tuo? Apostolus quoque effa-

Rom. xiii, tur : Tempus est nos jam a somno surgere.

11.

Quarto surgendum est a quiete actuum vitæ contemplativæ, scilicet a speculatione cœlestium, a meditationibus sacris orationibusque devotis, ad labores vitæ activæ, ut scilicet tempore opportuno unusquisque pro posse suo proximis suis consilium D impendat atque auxilium, et opera misericordiæ prosequatur, prout fraterna requirit dilectio.

His modis surrexerunt tres Magi, qui hodierna die Christum quæsierunt et invenerunt : quia pristinam gentilitatem derelinquentes, ad fidem et inspectionem Christi properaverunt, non somno, non pigritiæ indulgentes, sed stellam cum fervore ac diligentia assequentes. Præterea, cum his Magis illuminari optemus ac studeamus a Christo, qui ait in Apocalypsi :

Ego sum radix et genus David, stella *Apoc.* xxii,

splendida et matutina. Lux hujus stellæ 16.

est Christi doctrina et gratia. Eum igitur jugiter invocemus, ut intellectum nostrum sua sapientia illuminare, hoc est docere,

dignetur : quia ut ait Propheta, beatus ho- *Ps.* xciii, 12.

mo quem erudierit Dominus et de lege sua docuerit eum. Hinc Jacobus ait apo-

stolus : Si quis vestrum indiget sapientia, *Jacob.* i, 5.

postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter; et dabitur ei.

Sed attendendum est illud Ecclesiastici:

Fili, concupiscens sapientiam, conserva *Eccli.* i, 33.

justitiam, et Deus præbebit illam tibi. Ex quo patet, quod volens illuminari a Deo et sapientiam salutarem percipere, debet in primis conservare justitiam, divina im-

plendo præcepta. Scriptum est enim : In *Sap.* i, 4, 3.

malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis; perversæ enim cogitationes separant a Deo. Porro Deus est Sol sapientiæ, et sicut videmus quod sol iste visibilis, materialis, in cœlo discurrens, illuminat omne corpus quod suæ illuminationis est capax; sic Sol sapientiæ simplex et incorporalis, omnem mentem creatam suæ illuminationis capacem, gratiose illustrat. Sed sicut domus a sole visibili non potest illuminari quamdiu fenestræ et januæ ejus permanent clausæ, sic cor hominis a Deo illuminari non valet quamdiu in voluntate manet peccandi, nec se aperit gratiæ Dei, ad illam se præparando. Propter quod

Isaias asserit : Ecce non est abbreviata *Is.* lix, 1, 2.

manus Domini ut salvare nequeat, neque aggravata est auris ejus ut non exaudiat; sed iniquitates vestræ diviserunt inter Deum vestrum et vos, et peccata vestra absconderunt faciem ejus a vobis.

Insuper Isaias propheta assignat causam cur debeamus præfato modo surgere, et illuminationem a Deo rogare, dicens :

« quia venit lumen tuum », videlicet Chri- *Ibid.* lx, 1.

stus. Jam enim est tempus gratiæ, tempus

misericordiæ, tempus acceptabile, dies sa- *II Cor.* vi, 2.

lutis, in quo pronissimus est Deus mise-

reri, indulgere et exaudire, eo quod unigenitus Filius Dei, Christus Dominus, jam factus sit homo et crucifixus pro mundo. Unde merito suæ sanctissimæ passionis multipliciter subvenit nobis. Juxta hunc modum, isti præelecti viri, sancti tres Magi, illuminationem a Deo postulaverunt, Num. xxiv, 17, 23. quoniam juxta prophetiam Balaam, Christi nativitatem cum ingenti præstolabantur desiderio mentis. Quumque nativitatem ipsius ex revelatione divina ac stellæ apparitione novissent, mox propria relinquentes, ad Christum intuendum ac honorandum aggressi sunt iter longum. Horum ergo exemplo et nos Christum quæramus. Ipse etenim tanquam verus Deus, ubique est præsens; et eum quærere, est eum desiderare, ad ejus amorosam unionem gloriosamque visionem fideliter adspirare, dicendo: Ps. xli, 2, 3. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus; sitivit anima mea ad Deum fortem, vivum; quando veniam et apparebo ante faciem Dei? In Sacramento quoque altaris præbet se Christus nobis præsentem ex incomprehensibili sua caritate, pietate et liberalitate ad nos.

Postremo, cum omni gratiarum actione consideremus, quam copiosam atque multiplicem gratiam dederit Deus omnipotens et æternus Ecclesiæ ex gentibus congregatæ, Judæis miserrimis in sua perfidia pertinaciaque relictis, imo et omni natio-

A ne non credente in Christum contempta. Sanctis etenim et electis Christianis innumerabilibus dedit virtutes heroicas, perfectionem mirabilem, ardentissimam dilectionem, vitam angelicam et cœlestem, contemplationes altissimas. Insuper contulit eis præclarissima dona gratiæ gratis datæ, spiritum prophetiæ, operationes miraculorum innumerabilium soli Deo possibilium, discretionem spirituum, genera linguarum, et alia dona diversa. (I Cor. xii, 8-10.) Et sicut cœlos ornavit sideribus ac planetis, ipsumque (B) cœlum empyreum ac triumphantem Ecclesiam variis ordinibus angelorum ac omnium Beatorum; ita decoravit Ecclesiam militantem per temporum intervalla innumerabilibus Sanctis, gloriosis Apostolis, victoriosis martyribus, confessoribus virtuosis, virginibus sacris, beatissimis anachoretis, sanctissimis eremitis, cœnobiis, collegiis et congregationibus gratiosis.

Gratias ergo agamus caritati, pietati et beneficiis Creatoris ac Salvatoris nostri altissimi. Atque Magorum istorum, qui omnium (C) electarum gentium typum gerebant, fidem, fervorem diligentiamque sectemur, terrena despiciendo, cœlestia et æterna bona affectuosissime expetendo, Deo quoque cum metu ac reverentia ministrando: (Hebr. xii, 28.) quoniam teste Propheta, Maledicti sunt qui declinant a mandatis ipsius; (Ps. cxviii, 21.) et cum timore serviendum est ei, (Ps. ii, 11.) qui est super omnia benedictus.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

QUUM NATUS ESSET JESUS IN BETHLEHEM JUDÆ, ETC. Matth. II, 1-12.

MATTHÆUS sanctus evangelista in hodiernæ festivitatis evangelio recitat qualiter Christus in hoc die a tribus Magis inventus est et adoratus, et per oblationes magnificas honoratus. Itaque ait :

Quum natus esset Jesus ex Virgine glo- (D) riosa *in Bethlehem Judæ*, id est pertinente ad tribum Judæ patriarchæ : quod dicitur ad differentiam alterius Bethlehem, quæ est in Galilæa, atque ad tribum Zabulon pertinebat, ut in libro Josue legitur. (Josue xix, 15.) *In diebus Herodis regis* Ascalonitæ, cujus

Matth. xiv, 10; *Luc.* xxiii, 11. filius dictus Herodes Antipas, decollavit Joannem, et Christum in passione derisit. *Ecce.* Dum in Scripturis dicitur Ecce, insinuatur magnum et notabile esse quod dicitur. *Magi,* id est viri sapientes, *ab oriente,* id est a Perside seu regno Persarum, secundum Chrysostomum, quæ regio est in orientali plaga respectu Judææ, *venerunt* cum grandi comitatu, utpote reges (illis namque temporibus sapientes regnare solebant, quales etiam erant tres amici
Tob. ii, 15. Job, qui in libro Tobiæ, et a S. Ambrosio in libro de Officiis, reges vocantur), *Jerosolymam, dicentes : Ubi est qui natus est rex Judæorum?* Ecce quam certa et secura, imo quam audax et admiranda interrogatio! Jam enim Romani, qui tunc monarchiam tenebant, præceperant ut sub periculo mortis, nemo aliquem regem vocaret sine eorum consensu. Fuit item præceptum, et his Magis non ignotum, quod qui rege vivente, alium pronuntiat regem, punitur in sanguine. Qualiter ergo hi Magi audebant, regnante super Judæos Herode, in ejus præsentia absque Romanorum licentia regem alium profiteri? Certe istam audaciam Christus eorum cordibus præstitit. Dicit quippe Chrysostomus, quod non curabant de sui sanguinis effusione : alias taliter loqui non ausi fuissent. Nondum viderant Christum, et jam parati erant mori pro Christo. Porro verbo, facto et oblationibus Magi isti confessi sunt quod Christus sit verus homo, verus rex, verusque Deus : verbo quidem, quia dicendo, « Ubi est qui natus est? » humanitatem ejus fatentur ; quumque adjungunt, « rex Judæorum », regiam ejus potestatem agnoscunt; atque addendo, « venimus adorare eum », deitatem ejus testantur. Qualiter autem facto et oblationibus idem confessi sunt, infra dicetur.

Denique causam suæ interrogationis aperiunt, dicendo : *Vidimus enim stellam ejus,* id est stellam suæ nativitatis testem ac indicem, *in oriente,* id est regione nostra orientali, in qua stella ante nos stetit, et exinde nos duxit, nos præcedendo in

A aere; *et venimus adorare eum* adoratione latriæ, quæ soli Deo debetur. Magi isti, secundum doctores, ex semine Balaam nati sunt, et ex ejus vaticinio fidem habuerunt stellæ eis apparituræ, quæ indicaret verum regem Judæorum, Deum et hominem, esse natum. Sic enim in Numeris legimus Balaam prophetasse : Orietur stella ex Jacob, id est causa Christi nati ex semine Jacob, videlicet ad manifestandum ipsius nativitatem; et exsurget homo de Israel. *Num.* xxiv, 17. Hujus itaque stellæ apparitionem affectuo-
B se præstolabantur ac observabant. Quumque in hora nativitatis Christi vidissent coram se quamdam novam ac radiantissimam stellam, mox Deo inspirante intellexerunt hanc esse stellam diutissime exspectatam : propter quod statim surgentes, paratis parandis, secuti sunt ejus ducatum. At vero Magis Judæam ingressis, stella ad tempus disparuit, quoniam Magi ad humanum recurrentes præsidium, utpote ad informationem Jerosolymitarum, divinum meruerunt ducatum amittere, ut aliqui di-
C cunt. Et ita ingressi fuissent vel ingredi proposuissent Jerusalem antequam stella eis disparuit, nec ejus ducatum fuissent secuti assidue. Quod non est verisimile, quoniam avidissima et devotissima mente stellam hanc sequebantur. Unde ea denuo visa, gavisi sunt vehementer. Probabilius igitur reor, quod stella Deo sic ordinante ad tempus disparuit : quo facto, Magi opinati sunt regium puerum in civitate regali Jerusalem esse quærendum. Voluit equidem Deus ut introirent Jerusalem, ad ma-
D jorem suæ fidei confirmationem, et Judæorum commonitionem, si crederent, vel confusionem, si non crederent.

Audiens autem Herodes rex verba Magorum, *turbatus est,* non solum turbatione admirationis, propter rei novitatem ac magnitudinem, sed etiam turbatione pravæ affectionis, ita ut horror, suspicio, malignitas, introierunt cor ejus : quia quum esset ambitiosus ac alienigena, timuit regno privari, et tanquam alienigena, a populo Judæorum, cui proprius rex natus

esset, repelli. In quo impletum est illud
Job xv, 21. Job : Sonitus terroris semper in auribus impii, et quum pax sit, ille insidias suspicatur. *Et omnis Jerosolyma cum illo,* id est, habitatores Jerusalem turbati sunt cum Herode, vel quia volebant ei applaudere, vel quia timebant prælia concitari ab Herode contra regem natum. Ex quo patet, quam periculosa et nociva sit præsidentia impiorum, quia ut in Ecclesiasti-
Eccli. x, 2. co legitur : Secundum judicem populi, sic et ministri ejus; et qualis est rector civitatis, tales et inhabitantes in ea.

Et congregans Herodes *omnes principes sacerdotum,* id est eos qui sibi invicem in pontificatu succedere consueverunt (tamen eodem tempore non præfuit nisi unus princeps sacerdotum), *et Scribas populi,* id est doctores et legisperitos Judæorum, *sciscitabatur,* id est inquirebat, *ab eis ubi Christus nasceretur,* id est, ubi Prophetæ eum nasciturum prædixerunt. Ex quo evidens est, quod per regem Judæorum Herodes intellexit non quemlibet regem eorum, sed regem Messiam, verum et summum regem Judæis promissum. Erat quippe proselytus, id est ad Judaismum conversus. Sed imperfecte in lege instructus fuit, putans Christum in primo suo adventu temporaliter regnaturum. Quod nunc usque obtenebrati putant Judæi, quum tamen sancti Prophetæ primum Christi adventum in paupertate et humilitate futurum præ-
Is. LIII, 14. dixerint, juxta illud Isaiæ : Inglorius erit inter viros adspectus ejus; Zacharias quoque,
Zach. IX, 9. Ipse pauper et ascendens super asinam.

At illi dixerunt ei : In Bethlehem Judæ. Sic enim scriptum est per Prophetam
Mich. V, 2. Michæam : *Et tu, Bethlehem terra Juda,* id est pertinens ad Judæam atque ad tribum Juda, *nequaquam minima es in principibus Juda,* id est inter principales urbes Juda : quia etsi parva fuerit quantitate, magna tamen fuit dignitate ob Christi nativitatem in ea. Propter quod subditur : *Ex te enim exiet dux,* id est, Christus pro-
Ruth I, 1; IV, 21, 22. cedet et orietur ex te. Nam ex habitatoribus Bethlehem, scilicet Booz, Jesse, Isai,

A David, natus est Christus. De quo Danieli Gabriel angelus ait : Ab exitu sermonis us- Dan. IX, 25.
que ad Christum ducem. *Qui regat* spirituali regimine *populum meum Israel.* Unde angelus : Regnabit (inquit) in domo Luc. I, 32.
Jacob in æternum. Christus quippe per se ipsum, deinde per Apostolos, rexit spiritualiter plurimos Judæorum, quos docuit et ad veram salutem direxit.

Tunc Herodes clam vocatis Magis ad se, quia propositum suum Judæis indicare non voluit : non enim confidebat in eis,
B et verebatur ne sibi resisterent, adhærendo regi proprio et supremo, ex eorum semine nato; *diligenter didicit ab eis tempus stellæ quæ apparuit eis,* id est determinatum diem in quo eis stella ista primo apparuit : quatenus cognita nati regis ætate, melius eum agnosceret ad occidendum. *Et mittens,* id est, ire suadens, *illos in Bethlehem, dixit : Ite,* id est, super dromedarios vestros (secundum Hieronymum) tendite, *et interrogate* a civibus Bethlehem *diligenter de puero* ubi sit, et de
C apparatu ipsius; *et quum inveneritis* eum, *renuntiate mihi* in qua domo sit puer, redeundo ad me, vel per certum nuntium insinuando hoc mihi, *ut et ego veniens* ad Bethlehem, *adorem eum.* Hoc simulatorie dixit, ut per falsam obsequii promissionem induceret Magos ad renuntiandum sibi de puero. Talis namque consuetudo est pessimorum, ut dum aliquem in occulto plus lædere cupiunt, humilitatem ei et amicitias fingant. Unde tunc amplius metuendum ac præcavendum est a nocu-
D mento, dum adversarius magis arridet. Porro, non puto quod Herodes voluerit puerum in præsentia Magorum accedere sive occidere, sed eis ad sua reversis.

Qui quum audissent regem, videlicet verba Herodis, *abierunt* a Jerusalem ad Bethlehem, cum ardenti affectu præ desiderio regis nati. *Et ecce stella quam viderant in oriente, antecedebat eos.* Quemadmodum enim Deo disponente, circa Jerusalem disparuit, sic Deo volente, post recessum a Jerusalem rursus apparuit Ma-

gis, præcessitque eos in aere, mota ab angelo. *Usque dum veniens staret supra ubi erat puer,* id est, supra diversorium in quo Christus natus fuit, vel supra caput ipsius, puta in domo seu stabulo : quasi
Agg. II, 8. diceret, Ecce Desideratus cunctis gentibus quem quæritis. *Videntes autem stellam* statim quum egrederentur Jerusalem, *gavisi sunt gaudio magno valde,* id est vehementissime, et ultra humanum modum ineffabiliter, tanquam dupliciter certificati de inventione proxima pueri, sicut et ante de stellæ disparitione contristati fuerant valde.

Et intrantes domum, invenerunt puerum cum Maria matre ejus, et forsan in gremio ejus. Joseph autem, secundum quosdam, Deo sic ordinante, tunc abfuit, ne a Magis pater pueri putaretur. *Et procidentes* humiliter cum maxima reverentia coram puero super genua sua, vel proni in terram, *adoraverunt eum* adoratione latriæ, tanquam verum Deum et Regem cœlorum. Viderunt etenim procul dubio non solum intellectualibus, sed corporalibus quoque oculis, aliquid supernaturale in puero isto, videlicet quemdam divinum splendorem in vultu ipsius. Intus quoque instruxit eos Spiritus Sanctus, quis, qualis et quantus esset hic puer, omnemque exteriorem paupertatem et vilitatem circa eum apparentem, non esse humanæ necessitatis, sed divinæ dispensationis, in signum quod puer iste non temporalem

A prosperitatem, opulentiamque terrenam, sed veram, cœlestem ac sempiternam felicitatem in se credentibus largiretur. Idcirco scandalizati et moti non sunt ex stabuli vilitate, ex matris inopia, ex pueri solitudine : imo quo exteriora videbantur abjectiora, eo interiora intellexerunt esse diviniora.

Et apertis thesauris suis, id est repositoriis divitiarum quas secum detulerant, *obtulerunt ei munera,* videlicet *aurum, thus et myrrham,* ita ut unusquisque
B eorum tria hæc obtulit. De horum munerum causis et significationibus atque mysteriis, in sermone dicetur. *Et responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem,* id est, tempore suæ dormitionis in aliquo hospitio Bethlehem admoniti ab angelo, vel a puero nato, secundum quosdam, ita quod imaginaria visione eis apparuit, ut ad Herodem non reverterentur, quia dolose eis fuit locutus, et puero mortem machinabatur. Porro responsum proprie datur interroganti. Sicque Magi interrogas-
C se videntur forsitan a Maria, an ad Herodem redire deberent; vel responsum istud datum est non verbali inquisitioni, sed operationi eorum, quoniam suo obsequio meruerunt sic admoneri ac instrui, ita quod illa admonitio fuerat correspondens devotioni obsequioque ipsorum. *Per aliam viam reversi sunt in regionem suam,* ignorante Herode : quod tamen postmodum percepit.

SERMO SECUNDUS

UNDE EX SCRIPTURIS CLARUM SIT, CHRISTUM SIVE MESSIAM VENISSE ; QUI FUERINT MAGI, QUAMQUE COGNITIONEM DE CHRISTO HABUERINT.

Q*UUM natus esset Jesus in Bethlehem Judæ in diebus Herodis,* etc. Matth. II, 1.

Circa evangelium præsens multa sunt

D consideranda, quibus christiana fides valde corroboratur, et ipsi Christifideles moraliter ac saluberrime instruuntur. Primo ergo pensandum est, quod Christus Domi-

nus natus describitur in diebus Herodis regis : cujus duplex est ratio. Prima, secundum Chrysostomum, ut ostendatur quod tempus adventus et nativitatis Christi a Daniele propheta prænuntiatum ac determinatum, sit tunc completum, quando Dominus Jesus Christus de Virgine natus est. Quum enim sanctus propheta Daniel oraret ferventer pro liberatione filiorum Israel a Babylonica captivitate, apparuit ei archangelus Gabriel, annuntians orationem ejus exauditam. Insuper multa revelavit eidem de Christo, et de perfecta liberatione generis humani per Christi adventum ac passionem, de finalique reprobatione ac derelictione Judæorum ob Christi negationem et occisionem. Et inter cetera exposuit Danieli determinatum tempus infra quod et in quo Christus esset venturus, dicendo : Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, ut consummetur prævaricatio, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio et prophetia, et ungatur Sanctus Sanctorum, hoc est Christus. De quo ibidem subjungitur : Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, et non erit ejus populus qui eum negaturus est, utpote Judæi increduli, qui dixerunt, Non habemus regem nisi Cæsarem. Porro, præinducta prophetia intelligitur de hebdomadibus annorum, non dierum : ita quod una hebdomas continet septem annos, ut omnes doctores tam christiani quam Hebræi fatentur. Sicque præfatæ hebdomades continent circa quadringentos annos. Et fuit hoc tempus impletum, regnante isto Herode et Christo sub eo adveniente, prout doctores super Danielem exponunt et probant : quod et ibi diffuse atque clarissime demonstravi. Ex hoc itaque probatur veritas fidei christianæ, quod scilicet Christus venit; et reprobatur Judæorum admiranda, rudis pertinaxque perfidia, dicentium Christum nondum venisse.

Dan. IX, 4 et seq. — *Ibid.* 24, 26. — *Joann.* XIX, 15. — *Cf.* t. X, p. 130 C et s.

Secunda ratio hujus est, ut prophetia beatissimi Jacob patriarchæ ostendatur in Christo impleta. Sic enim ait : Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femoribus ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit exspectatio gentium. Tempore autem hujus Herodis ablatum est sceptrum de Juda, hoc est regia seu præsidentialis potestas a progenie Judæ filii Jacob; et dux, id est princeps de ejus prosapia, quoniam Herodes iste fuit natione Idumæus, gentilis, fuitque primus rex alienigena qui regnavit super Judæos : ita quod tunc et deinde usque in præsens et usque in fine sæculi, ablatum est sceptrum de Juda, quia ex tunc non habuerunt Judæi regem aut principem ortum de Juda eis temporaliter imperantem, sed alienis principibus fuerunt semper et sunt subjecti. Certum est itaque, Christum sub Herodis præsidentia advenisse. Qui Christus est exspectatio gentium, prout de eo Aggæus ait : Veniet Desideratus cunctis gentibus. Quamvis etenim tempore Babylonicæ captivitatis fuerit regia dignitas ablata a Juda, et dux de ejus genealogia ad tempus [ablatus], nihilo minus post reditum a captivitate illa, iterum præfuerunt populo Israel quidam de tribu Juda, puta Zorobabel, et alii quidam, ac Machabæi, qui erant de tribu Juda et Levi. Tandemque Joannes Hyrcanus natus ex semine Simonis Machabæi, imposuit sibi regium diadema. Tempore vero hujus Herodis Ascalonitæ et Idumæi, omnino ablatum est sceptrum a Juda. Ex quo rursus probamus catholicæ fidei veritatem, et Judæorum perfidam falsitatem.

Gen. XLIX, 10. — *Agg.* II, 8.

Secundo circa istud evangelium videndum est de his tribus Magis, qui et unde fuerunt, et qualiter moti sunt venire in terram Judæorum ad quærendum adorandumque Christum. Et de hoc in expositione evangelii aliquid breviter tactum est. Refert demum S. Joannes Chrysostomus (quod tamen ipse non asserit, sicut nec reprobat), fuisse gentem quamdam in principio orientis juxta Oceanum, quæ ex doctrina Seth didicit futuram fuisse hanc stellam. Propter quod elegerunt ex se duodecim viros sapientes atque cœlestium

mysteriorum amatores, qui nominabantur Magusæi, quoniam in silentio Deum glorificabant : qui et observabant ortum stellæ istius; quumque aliquis illorum duodecim moriebatur, alius loco ejus substituebatur. Quum itaque quodam tempore essent in monte altissimo, quem vocabant montem Victorialem, apparuit eis stella super montem illum descendens, habens in se formam pueri parvuli bajulantis crucem in humeris. Quæ locuta est eis ut tenderent in Judæam ad quærendum Dominum Christum. Quibus per biennium itinerantibus, nec cibus nec potus defecit in peris eorum stellam istam sequentium. Verumtamen communius dicitur, credibiliusque putatur, quod Magi isti fuerunt de Perside : quod in Scholastica historia legitur; et Chrysostomus id testatur. Hoc etiam legi in quadam epistola cujusdam sancti ac sapientissimi viri, qui nobilissimus Arabum fuit, et contra quemdam Sarracenum scripsit doctorem. Dicunt etiam quidam, quod Magi isti in Arabia regnaverunt minori. Iterum in historia translationis trium regum istorum asseritur, quod B. Helena regina, mater Constantini Magni imperatoris, cum grandi labore invenit et collegit corpora horum Magorum in diversis locis ante recondita, portavitque ea Constantinopolim civitatem. Inde translata fuerunt Mediolanum, atque ab illo loco in Coloniam sunt delata.

Præterea quæritur, quomodo Magi isti in tam brevi tempore, utpote infra tredecim dies, usque in Bethlehem potuerunt venire ab oriente. Ad quod respondet Remigius, quod divina virtute id factum sit. Porro S. Hieronymus dicit, quod super dromedarios venerant, qui sunt velocissima animalia, tantum currentia uno die ut equus infra tres dies : unde dromedarius dicitur a δρόμος, quod est cursus, et ἄρης, quod est virtus, quasi vim habens currendi. Quum itaque Magis istis præelectis stella hæc radiosa apparuisset in aere, non multum remote ab eis, statim Deo intus docente, vel, secundum Augustinum, an-

A gelo eos de stella hac edocente, intellexerunt stellam istam Christi Filii Dei nativitatem significare. Idcirco cum omni festinatione ac devotione iter ad regnum Judæorum arripuerunt.

Hoc quoque sciendum, quod quidam dixerunt viros istos ideo dictos Magos, quia ante fuerunt malefici. Magus enim uno modo est idem quod maleficus. Unde in Exodo malefici Pharaonis, magi vocantur. *Exod.* VII, Sicque, ut fertur, Chrysostomus dicit eos 11, 22; VIII, 7, etc.; *Sap.* fuisse primo magos, postea tamen con- XVII, 7.
B versos : quibus Christus suam manifestavit nativitatem, ut per hoc peccatoribus veniæ spem præberet. Verumtamen super Matthæum scribit Chrysostomus, quod fuerunt viri orientales de Perside, et quod apud Persas magi, non malefici, sed sapientes vocantur. Ideo miror si alibi illud dicat Chrysostomus, nisi forsan recitative : nec enim ita tenendum videtur.

Tertio circa evangelium istud considerandum est, cur Christus ab oriente potius quam ab occidente adducere voluit pri-
C mitias gentium, id est primos istos viros gentiles, ad cognoscendum adorandumque se. Respondetur, quod hujus rei variæ possunt causæ præstari. Prima, quoniam Christus in Prophetis Oriens appellatur. Recte *Zach.* VI, ergo ab oriente adducuntur, qui Christum 12. Orientem adorare venerunt. Secunda, quia ab orientali plaga mundi sol oritur. Recte ergo ab oriente venerunt, qui Christum Solem justitiæ, a quo omnis lux gratiæ ac virtutum exoritur, adorare adducti sunt. Tertia, quoniam oriens est principalis pars
D terræ, et in eo primi parentes sunt conditi.

Quarto circa hodiernum evangelium pensanda est magna illuminatio seu sapientia horum Magorum : quia sicut in expositione *Cf.* p. 253 C. prætactum est, tria cognoverunt de Christo, videlicet ejus divinitatem, regiam dignitatem, ac mortalitatem. Christus namque in unitate personæ est Deus et homo. Idcirco ad declarandum majestatem ipsius cœlestem, stellam decuit apparere : stella enim cœleste est corpus. Et quamvis hæc

stella non fuit de natura cœlestium corpo- A rum (imo a stellis in cœlo fixis atque planetis differebat in multis), tamen in apparatu stellis cœlestibus exstitit similis. Hinc Augustinus exclamat : O infantia Christi, cui et astra subduntur! Qualis et quantæ sublimitatis ac gloriæ puer est iste, ad cujus pannos excubant angeli et sidera obsequuntur, trepidant reges, et sectatores sapientiæ genua flectunt? O beatum tugurium! Hieronymus quoque : Cœlum, inquit, fuit stabulum illud, ubi non lucerna luxit, sed stella. O cœleste palatium, in B quo habitavit non rex gemmatus, sed Deus incorporatus, cui fuit pro molli strato durum præsepe! Item Hilarius libro de Trinitate : Parit Virgo, sed partus a Deo est; infans vagit, sed laudantes Deum angeli audiuntur; panni sordent, sed Deus adoratur : sicque divinæ potestatis non amittitur dignitas, dum carnis prædicatur humilitas. Ecce qualiter in Christo puero non tantum fuerunt humilia et infirma, sed etiam deitatis sublimia et excelsa.

Quinto circa evangelium præsens per- C penditur magna Magorum constantia, et fides eorum certissima : quoniam sicut in *Cf.* p. 253 B. expositione textus præhabitum est, non obstante Romanorum edicto, nec præsenti adhuc tunc Herodis imperio, confidentissime professi sunt Magi isti alium verumque regem Judæorum, et se ad eum adorandum venisse; nec aliquo modo dubitaverunt de Christi regia dignitate divinaque majestate, quamvis eum in tam vili invenissent tugurio. Quanta est ergo perversitas hominum, Christum hoc tempore, aut D non aut remisse quærentium, nec ei plene credentium, post tam innumerabilia præclarissima a Christo et sanctis Apostolis ceterisque perfectis Christianis peracta miracula, post Prophetarum vaticinia tam copiose ac evidenter impleta, post tam liberalissima supernarum charismata gratiarum sanctis Christifidelibus apertissime condonata? — Postremo et alia multa circa hoc evangelium sunt pensanda : de quibus in sequenti tangetur sermone.

Itaque et nos horum sanctorum sequamur fidem, sapientiam, devotionem, liberalitatem constantiamque Magorum, ut firmissimi stemus in fide, et Christi humanitatem ac deitatem, humilitatem et majestatem, sapientialiter contemplemur ac honoremus, diligamusque eum non solum ut Deum et creatorem, sed etiam ut fratrem ac salvatorem; atque promptissimi simus ad omne ipsius obsequium, universam acediam abjicientes. Liberaliter quoque, intuitu et amore Christi, succurramus membris ipsius, puta pauperibus, de quibus loquitur ipse : Quod uni ex *Matth.* xxv, 40. minimis meis fecistis, mihi fecistis. Simus item constantes in omni eventu, et semper maneamus stabiliti in Deo; nec propter hominum minas, timorem aut impetum, nec propter eorum blandimenta, favorem aut dona, a Deo, a veritate, a justitia recedamus : quum Deus sit omnibus incomparabiliter præferendus; et qui eum sinceriter diligit, perfecteque timet, et jugiter intuetur, pro nulla re ab ipso averti se patitur, nec pro propriæ vitæ conservatione, imo alia cuncta pro nihilo ducit. Sed quia hoc totum implere, non est infirmitatis humanæ, sed gratiæ opus divinæ, Deum indesinenter precemur pro virtute et gratia adimplendi hoc omne, et sanctos hos Magos humiliter invocemus, devote honoremus, ac fervide diligamus.

SERMO TERTIUS

QUAM NOCEAT SUBDITIS PRÆLATUS AUT PRINCEPS IMPIUS ; QUÆ MAGORUM FUERINT DONA, QUOMODO SPIRITUALITER OFFERANTUR ; ET QUANTUM DIFFERAT AB ALIIS QUÆ APPARUIT STELLA.

A*PERTIS thesauris suis, obtulerunt Magi Domino aurum, thus, et myrrham.* Matth. II, 11.

Præter prætacta in sermone præhabito, adhuc in evangelio hodierno consideranda est tam Herodis quam Judæorum miranda perversitas, et negligentia maxima. Nam quamvis Herodes iste miserrimus, fuit ad legem Judæorum conversus, et libros Prophetarum credidit esse divinos atque veraces; tamen cogitavit ac nitebatur Christum occidere, quasi divinum posset mutare decretum, et ea quæ de Christo prophetata B fuerant impedire. Ita peccatum mentem excæcat, et omne pervertit rationis judicium, ut non attendat quod Salomon protestatur : Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum. (*Prov.* XXI, 30.) In hoc quoque patuit maxima negligentia Judæorum, quod alienigenis, scilicet Magis istis, Christum tam laboriose, tam affectuose, tam confidenter certitudinaliterque quærentibus, eumque natum esse, per insigne miraculum, hoc est per stellæ apparitionem ac ducatum, probantibus, ipsi C ad Christum quærendum moti non sunt : imo quem prophetali testimonio in Bethlehem fuisse nasciturum docebant, in Bethlehem non quærebant, (*Mich.* V, 2.) quum tamen Christum esse natum, non solum a Magis, sed a justo quoque Simeone et beatissima Anna vidua aliisque audierint. (*Luc.* II, 25-38.) Cujus una exstitit causa, quia regem suum Herodem carnali et mundano timore verebantur offendere.

Præterea aliud quoque circa evangelium istud pensandum occurrit, quod valde pe- D riculosa atque nociva est præsidentia impiorum : quia communiter trahunt subditos ad peccata, sive per prospera et blandimenta ac dona, sive per comminationes et aspera. Subditi quoque proni sunt conformare se voluntati illorum ut placeant illis. Hinc Jeremias dicit : Quia stulte egerunt pastores, et Dominum non exquisierunt, propterea omnis grex eorum dissipatus est. (*Jer.* X, 21.) Et Salomon ait : Rex impius omnes ministros habet impios. (*Prov.* XXIX, 12; *Eccli.* X, 2.) Itaque qui bonum habent prælatum aut principem, grati sint Deo, et principi ac prælato obediant reverenter. Qui vero principem aut prælatum habent injustum, patientiam habeant, et pro suis peccatis sustineant talem : obediant nihilo minus ei in his quæ ad ipsius spectant officium, et in quantum Dei vicarius est, ipsum ex corde honorent; in illicitis vero et inhonestis eum non imitentur, neque ei obediant. Hinc enim Petrus ait : Servi, subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis. (I *Petr.* II, 18.) Porro teste S. Bernardo, Herodis crudelitatem atque malitiam sequitur, qui aliquem innocentem, bonum aut justum conatur a bonis operibus impedire, et qui alios scandalizare non metuit; item qui justis ac salubribus superiorum suorum ordinationibus renituntur, et obedire contemnunt. Similiter, principibus sacerdotum et Scribis Judæorum, qui Magos de loco nativitatis Christi docuerunt, nec tamen quæsierunt eumdem, conformes sunt prælati, doctores et prædicatores qui quod aliis prædicant, non observant nec operantur. Quibus clamat Apostolus : Qui alium doces, te ipsum non doces? (*Rom.* II, 21.) Quibus et Christus terribiliter

Luc. xix, 22. est dicturus : Ex ore tuo te judico, serve nequam.

Præterea, circa Magorum oblationes seu munera est pensandum, quod unusquisque eorum obtulit Christo aurum, thus, et myrrham. Cujus multiplex ratio assignatur. Prima, quoniam Persæ et Arabes his rebus abundant, et eas personis excellentibus consueverunt offerre. Secunda ratio, *Cf.* p. 257 D'. est spiritualis ac mystica, quia ut dictum est, Magi hi cognoverunt Christi deitatem, regiam dignitatem, ac mortalitatem. Ideo obtulerunt ei aurum tanquam regi, thus tanquam Deo, myrrham tanquam mortali : nam thus in Dei sacrificio ac divino Officio habetur in usu; per myrrham vero mortuorum corpora condiuntur, ut a putrefactione, fœtore ac vermibus præserventur. Tertia ratio est, quia videbant Matris Christi paupertatem, pueri teneritudinem, stabuli fœditatem. Aurum itaque obtulerunt ad relevandum inopiam Matris Christi, thus ad expulsionem fœtoris, myrrham ad consolidationem membrorum infantis.

Insuper munera ista debemus et nos spiritualiter Christo offerre. Aurum quidem ei offert, qui ejus amore cuncta relinquit et religionem ingreditur, aut alias vitam pauperem ducit spontanee. Similiter qui bona temporalia sibi concessa, pauperibus propter Deum misericorditer impertitur, aurum Domino offert. Qui autem hoc agit ex ferventi amore, offert et thus. Myrrham etiam offert, qui operibus pietatis et caritatis castigationem adjungit proprii corporis, ut cum Apostolo dicere queat : *I Cor.* ix, 27. Castigo corpus meum et in servitutem redigo.

Insuper per aurum designatur sapientia salutaris, quæ est primum et summum donum inter septem dona Spiritus Sancti, *Is.* xi, 2. seu fervens dilectio Dei. Unde in Apocalypsi Dominus loquitur : *Apoc.* iii, 18. Suadeo tibi emere aurum ignitum probatum, id est fervidam caritatem, quæ non pecunia, sed oratione assidua a Spiritu Sancto impetratur. Debemus ergo Deo offerre hoc aurum, id est divinorum contemplationem, et summi bo- A ni ferventem amorem; omnia quoque quæ foris ad Dei reverentiam agimus, ex magno divini amoris operari affectu. Certe hæc contemplatio Dei ex fide et dono sapientiæ oriens, et ardens dilectio Dei, amplius placent Deo quam omnia dona exteriora.

Porro per thus figuratur bonæ famæ suavitas, exemplaris atque pacifica vita, seu affectuosa et dulcis oratio. Ait namque Apostolus : Christi bonus odor sumus in omni loco. *II Cor.* ii, 15, 14. Et Psalmista loquitur Deo : B Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. *Ps.* cxl, 2. Debemus ergo Deo thus istud offerre, id est, inter homines ad Dei honorem exemplariter ac pacifice conversari, sicut docet Apostolus : In sapientia ambulate ad eos qui foris sunt; *Coloss.* iv, 5. itemque, Omnia (inquit) decenter et secundum ordinem fiant in vobis. *I Cor.* xiv, 40. Propter quod alia hortatur scriptura : Curam habe de bono nomine. *Eccli.* xli, 15. Et Salomon loquitur : Melius est nomen bonum quam divitiæ multæ. *Prov.* xxii, 1. Debet etiam conversatio nostra esse pacifica, ut im- C pleamus et illud quod ait Psalmista : Cum iis qui oderunt pacem, eram pacificus. *Ps.* cxix, 7. Quod impleri non valet, nisi homo veraciter humilis patiensque fuerit. Nam teste Salomone, Inter superbos semper sunt jurgia; *Prov.* xiii, 10. et, Qui impatiens est, exaltat stultitiam suam; *Ibid.* xiv, 29. et alibi, Vir iracundus incendit litem. *Eccli.* xxviii, 11. Porro, quam magnum sit coram Deo pacifice conversari, pandit Christus : Beati (inquiens) pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. *Matth.* v, 9.

Debemus etiam Deo affectuosam et dul- D cem orationem offerre. Oratio namque est desiderii interpres ac nuntius. Idcirco cujus affectio ad Deum et ad gratiosa dona ipsius remissa aut nulla est, infructuosam et frigidam vel potius nullam fundit orationem. Debet ergo oratio nostra ex ardenti manare affectu, ut Deo complacere super omnia peroptemus, atque in ejus gratia ac spirituali profectu crescere fervide satagamus. Tepido namque loquitur Deus in Apocalypsi : Utinam frigidus esses aut calidus; *Apoc.* iii, 15, 16. nunc autem quia tepidus es,

incipiam te evomere de ore meo. Væ itaque eis qui toto corde in temporalibus cupiunt ac laborant ditari; de profectu vero virtutum et complacentia Dei, novissima eorum est cura. Ad hoc demum quod homo cum spirituali dulcedine oret, oportet eum distractiones cordis tempore orationis vitare, et animo recollecto cum actuali attentione orare. Et certe quam necessaria sit nobis oratio assidua et devota, Christus in Evangelio docet, dicendo : Oportet semper orare et non deficere. Itaque cum spirituali dulcedine gaudioque interno oremus, quum in Ecclesiastico scriptum sit : Qui orat Deum in oblectatione, exaudietur. Et cogitationes inutiles ac curas sæculares orationis tempore excludamus, quoniam Salomone testante, Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti. Etenim muscæ morientes, sunt cogitationes vanæ et impertinentes, quæ perdunt, tollunt, impediunt suavitatem unguenti, id est dulcedinem orationis, quæ medicina est animæ, per quam vulnera vitiorum curantur.

Luc. XVIII, 1. — *Eccli.* XXXV, 20. — *Eccle.* X, 1.

Insuper per myrrham, quæ valde amara est, carnis mortificatio seu castigatio designatur. Oportet equidem corpus subjicere animæ, sensualitatemque rationi. Nam Paulo protestante apostolo, Caro concupiscit adversus spiritum. Idcirco beatissimus princeps Apostolorum affectuosissime nos hortatur, dicendo : Carissimi, obsecro vos tanquam advenas et peregrinos, abstinere vos a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam. Itaque per pœnitentiæ opera unusquisque corpus suum castiget et Deo servire compellat, ne rebelle sit rationi. Oportet ergo caste et sobrie vivere, et semper in Dei timore persistere, ne ea quærantur quæ carnem et sensualitatem oblectant, sed quæ mentem in Deo confortant, ut sunt sanctæ cogitationes, virtuosæ affectiones, verba salubria, opera bona.

Galat. V, 17. — I *Petr.* II, 11.

Amplius agnoscendum, quod stella quæ Magis apparuit, ab aliis stellis differebat in multis. Primo, quantum ad suam naturam atque materiam. Non enim erat de natura et materia cœlestium corporum, sed elementarium. Secundo, quantum ad tempus. Nam aliæ stellæ factæ fuerunt in exordio mundi; ista ministerio angelico in hora nativitatis Christi. Tertio, quantum ad locum. Nam aliæ sunt in cœlo; ista fuit in aere. Quarto, quantum ad motum. Nam aliæ circulariter, uniformiter moventur; ista hinc inde gyrabat secundum exigentiam viæ Magorum. Quinto, quoad quantitatem. Nam minima stella cœli major est tota terra; ista vero forte trium aut circiter fuit pedum. Sexto, quoad claritatem : nam ista ceteris videbatur splendidior. Septimo, quantum ad officium. Nam aliæ influentiam habent in inferiora; ista perduxit Magos, et Christi nativitatem monstravit. Octavo, in duratione : quoniam aliæ stellæ sunt incorruptibiles; ista suo peracto obsequio, in pristinam est redacta materiam.

Gen. I, 16.

Postremo, multiplex ponitur stella quam Magi viderunt. Est enim stella supersubstantialis, videlicet Christus : qui in Apocalypsi dicit, Ego sum stella splendida et matutina. Alia est stella rationalis, videlicet Virgo beata : de qua cantatur, Ave, maris stella. Has duas stellas viderunt Magi in stabulo. Tertia est stella intellectualis, utpote angelus. Unde de angelis ait Dominus ad sanctum Job : Ubi eras quum me laudarent astra matutina? Hanc stellam, secundum quosdam, Magi viderunt, dum stellam materialem videre cœperunt, et dum in somno admoniti sunt per aliam viam reverti. Quarta est stella spiritualis, puta lux gratiæ seu fidei rectæ, quam Magi intuiti sunt in proprio corde. Quinta est stella materialis, quam corporaliter conspexerunt in oriente. Itaque et nos cum beatissimis et præelectis iis Magis supersubstantialem stellam, scilicet Christum, quæramus, intueamur et imitemur. Nam qui dicit se in Christo manere, id est christianum exsistere, seu Christum pro capite, Domino ac magistro habere, debet sicut ille ambulavit et ipse ambulare. Sed ut ad hanc Christi virtuosam imitationem et contemplationem pertingere valeamus, stel-

Apoc. XXII, 16. — *Job* XXXVIII, 4, 7. — I *Joann.* II, 6.

lam rationalem, virginem Mariam gloriosam, inspiciamus et exoremus, ut stellam spiritualem, videlicet splendorem gratiæ, A claritatem sapientiæ, lucem virtutum, nobis impetrare atque in nobis conservare dignetur.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUARTUS

QUID IN APPARITIONE DOMINI NOS ÆDIFICET ; ET QUOMODO PIETATE, HUMILITATE AC MAGNANIMITATE DOMINUM IMITEMUR.

* manifestare

QUI *sedes super Cherubim, appare**. Ps. LXXIX, 2.

Ad hoc incarnatus et natus est Dei Filius propter homines, ut appareret hominibus, et agnosceretur ab eis. Ideo quoque voluit ab eis agnosci, ut diligeretur et coleretur ab ipsis. Atque omnium horum finis est, ut ad claram et beatificam ejus perveniant visionem, in qua ostendet eis se ipsum sicuti est in sua deitatis essentia et humanitate glorificata. *Joann.* XIV. 21.

Porro in Christi apparitione ac præsenti solennitate multa sunt nobis consideranda. Primum est, ineffabilis pietas Salvatoris, qui ex misericordia sua immensa tres beatissimos Magos tam gratiosissime prævenit, et eos ad sui perduxit adspectum, et hoc per splendidæ stellæ ducatum. Secundum est, summa Christi humilitas, qui appariturus his inclytis ac sapientibus viris, in tam vili tugurio, in tanta inopia, in tanta solitudine voluit inveniri ab eis. Siquidem pro regali palatio habuit stabulum ; pro lecto eburneo, durum præsepium ; pro militari ac curiali frequentia, erat ei illa in hora, vel sola Virgo dignissima, vel cum illa Joseph solummodo. Tertium est, omnipotentia Christi, qui licet sic appareret his electissimis Magis, divina tamen virtute ita eorum illuminavit immutavitque corda, quod non scandalizabantur in aliquo præfatorum, nec hæsitabant dif- B fidentia, formidando ne forte essent decepti, omnibus regiæ magnificentiæ tam contrariis ibi inventis ; sed certissime agnoverunt, infantulum illum in tanta paupertate et humilitate eis apparentem, esse regem quæsitum, Deique Filium. Quod item ex stellæ motu, situ et aliis proprietatibus ejus noverunt, ex instructione quoque a sacerdotibus ac magistris Judæorum accepta. *Matth.* II. 4-6.

In tribus ergo prætactis Dominum Jesum, secundum quod decet et possibile est, C imitemur. Primo, sequendo pietatem ipsius, proximos nostros pie præveniendo, obsequiis, beneficiis, misericordiis præoccupando, injuriatoribus ignoscendo, viscera misericordiæ ad afflictos, desolatos, tentatos, infirmos omnesque indigentes ac pereuntes semper affectuose gerendo ; pro infidelium conversione, fidelium reformatione, universorum salute orantes, pro exsistentibus quoque in purgatorii pœnis orando, celebrando, et omni modo quo possumus, succurrentes. Monachi quippe D est sua, deinde et aliorum deflere peccata ; et quo minus prædicando, eo plus deprecando, Ecclesiæ subvenire. Denique quicumque est talis et taliter agit, specialissimam ac affluentissimam Dei gratiam promeretur ac adipiscitur. Et sicut ipse se habet ad proximos, ad vivos ac mortuos, ita ad ipsum se habet Deus in vita hac,

munera gratiæ influendo, sicque in futuro A se ad eum habebit, dona gloriæ tribuendo, juxta quod ait Salvator : Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis; et rursus, Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.

Matth. VII, 2.
Ibid. V, 7.

Secundo sectemur præfatam Christi humilitatem, ne cupiamus aut laboremus coram hominibus sublimiter apparere, aut eis inaniter complacere; nec propter humanum honorem sive favorem nos exornemus. Cujus contrarium agunt nonnulli, qui quando in choro psallunt, orant aut B celebrant, nec aliquem opinantur adesse extraneum, omnia indevote agunt ac tepide; si vero honesti adsint extranei, fortiter cantant, vocibus non parcentes, et orando ac celebrando majorem assumunt vivacitatem ac religionem. His atque similibus majorem incutit pudorem, reverentiam et timorem humanus oculus, quam cuncta ex alto conspiciens Deus. Propter quod sicut ad Deum se habent irreverenter, ita ad eos Deus habebit se aspernanter. Si nos movet adstantia hominum aut quæcum- C que dignitas eorumdem, nonne in infinitum magis movere, excitare, accendere debet nos omnipotentis et omnia intuentis ac judicantis Dei præsentia, cujus comparatione omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihilum et inane reputatæ sunt ei?

Is. XL, 17.

Tertio Christum sequamur in omnipotentia ejus divina, ut qui ex nobis ipsis insufficientes sumus cogitare meritorie aliquid, et sine ipso nil possumus; sic proficiamus in charismatibus Spiritus Sancti, D ut omnia valeamus in Deo nos confortante. Siquidem Christo testante, Omnia possibilia sunt credenti. Et Paulus : Omnia (inquit) possum in eo qui me confortat. Tanta sapientia conemur desuper adimpleri, tanta caritate accendi, ut eorum quos alloquimur valeamus corda illuminare, immutare, accendere. Propterea sic humiles simus, ut nihilo minus magnanimi consistamus. Humilitas namque et magnanimitas simul stant, et etiam circa idem objectum potest se quis humiliter magnanimiterque habere : humiliter quidem, ex consideratione propriæ insufficientiæ et defectuositatis; magnanimiter vero, ex intuitu et confidentia divini auxilii. Sic gloriosi hi Magi humiles erant, coram infantulo in tanta eis inopia apparente devotissime procidentes; magnanimi vero, imperterrito corde interrogantes, Ubi est qui natus est rex Judæorum? non obstante quod Romani jam præceperant neminem sine eorum licentia regem vocari, quod item in Judæa adhuc regnaret Herodes. Est autem magnanimitas valde præclara ac nobilis virtus, quæ ut Philosophus ait, est circa magnos honores : non quod magnanimus quærat aut magno habeat quoscumque humanos honores, sed quia intendit facere opera magno honore condigna, utpote sublimiter virtuosa.

II Cor. III, 5.
Joann. XV, 5.
Marc. IX, 22.
Philipp. IV, 13.
Matth. II, 2.

Denique virtus hæc et proprietates ejus præcipue spectant ad religiosos, non obstante quod ad eosdem potissimum quoque pertineant humilitas et proprietates ipsius. Ut enim quarto Ethicorum ait Philosophus, et S. Thomas in secunda secundæ allegat, magnanimus habet lentum motum seu tardum incessum, vocem gravem et stabilem locutionem. Corporales etenim motus variantur secundum variam apprehensionem affectionemque animæ; velocitas quoque motus contingit ex hoc quod homo circa multa intentus est, et ea explere festinat. Quum ergo magnanimus tendat ad maxima, quæ sunt pauca et attentione egent præcipua, ideo tardum habet motum. Reprehensibilis est itaque in religiosis puerilis discursus, et cum saltatione ac præcipitatione quadam incessus, omnisque festinantia hujusmodi importuna. Porro acuitas velocitasque sermonis, secundum Philosophum, competit his qui de omnibus cito contendunt. Magnanimus autem non nisi de magnis se intromittit : ideo gravi utitur voce et stabili locutione. Insuper magnanimus dicitur aliorum aspernativus : non quod eos despiciat in quantum sunt homines, sed in quantum

sunt defectuosi et peccatores ac viles: juxta quem sensum ait de viro justo Propheta,
Ps. xiv, 4. Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus. Verumtamen magnanimus alios veneratur in quantum dona Dei in eis relucent. Unde et Psalmista præallegatis
Ibidem. verbis subjungit : Timentes autem Dominum glorificat.

Simus ergo et nos in loquendo non præcipites, sed maturi; non contentiosi, sed
Eccli. xxi, 28. placidi. Verba etenim sapientis, statera
Eccle. v, 1. 2. ponderabuntur. Et Ecclesiastes ait : Ne temere quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo: in multis enim sermonibus invenitur stultitia. Nec eos qui temporaliter prosperantur atque ad libitum vivunt, appretiemur : imo ut tales aspernemur, certi quod vita eorum insania sit; et oremus pro eis.
Ps. xxxvi, 1. Ideo namque Psalmista hortatur : Noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem. Unde et magnanimus nullum in tantum appretiatur, ut propter eum indecens aliquid operari dignetur.

Insuper magnanimus dicitur beneficii sibi impensi immemor esse, non quod

A ejus obliviscatur, sed quia majora cupit rependere : in omni enim actu virtutum conatur excellere. Rursus, otiosus et tardus vocatur, quia non de parvis et sibi impertinentibus ac indecentibus, sed solum de magnis et dignis se intromittit. Nec familiariter potest convivere nisi amicis: adulationem namque et simulationem contemnit; omnibus tamen convivit congruenter, sicut oportet et decet.

His proprietatibus adornati erant hi præelecti, nobiles ac gloriosissimi Magi. In
B quibus et eos sectemur, ut sancto zelo unusquisque conetur alium in omni humilitate, mansuetudine, patientia, caritate, pietate, fervore, diligentia, laboriositate, perseverantia, ceterisque virtutibus superare. Nec de vilibus nos intromittamus aut indecentibus et impertinentibus rebus; sed toto conatu simus intenti circa permaxima, ut scilicet Deo altissimo debitam reverentiam impendamus, eique jugiter magis magisque placere, uniri, cohærere queamus : atque in tantum circa
C hoc occupemur, ut de vanis, vilibus ac puerilibus rebus nequaquam curemus, nec talia attendamus.

SERMO QUINTUS

DE STULTA SAPIENTIA MUNDI, ET SAPIENTI STULTITIA DEI: ET QUOMODO MAGORUM FIDEM, DEVOTIONEM AC LIBERALITATEM DEBEAMUS IMITARI.

ADORABUNT *eum omnes reges.* Ps. LXXI. 11.

I Cor. I, 20. Vere sicut ait Apostolus, Stultam fecit Deus sapientiam mundi hujus. Propter
Ibid. III, 18. quod iterum loquitur : Qui vult sapiens fieri, stultus fiat, ut sit sapiens. Stultus (inquam) fiat, ea quæ mundani carnalesque homines fatua arbitrantur, amplectendo. Quemadmodum enim Deus stultam fecit sapientiam hujus mundi, ita et mundus stultam reputat sapientiam Dei, hoc est

D sapientiam salutarem : quæ, ut asserit Leo Papa, non in appetitu laudis et gloriæ temporalis, non in disputandi astutia, nec in abundantia fabulandi, sed in vera et spontanea humilitate, in terrenorum contemptu, in divinorum contemplatione ferventissimoque consistit amore. Quæ omnia Dominus et Salvator a nativitatis suæ exordio usque ad crucis patibulum, primo operibus, deinde et verbis edocuit, et copiosissime commendavit. Porro se ipsum

sic in omnibus humiliare, terrena despi- A
cere, injurias sustinere, mundani homines
quid aliud quam stultitiam reputant? In
Ps. CXLVI, 5. hoc itaque Deus omnipotens, cujus sapi-
I *Cor.* I, 20. entiæ non est finis, stultam ostendit sapi-
entiam sæculi hujus, quod unigenitum Fi-
lium suum humana natura indutum, fecit
in terris in omni paupertate, in summa
humilitate, in extrema patientia, in ple-
nissima obedientia, in ferventissima cari-
tate apparere, conversari ac pertransire ;
omnemque altitudinem sæculi ei subjecit,
reges, principes, philosophos, et universos B
hujus mundi primates sub ipso prostravit,
atque ad ejus fidem, legem, cultum et
adorationem induxit : quod hoc die in
beatissimis tribus Magis præfiguravit, imo
et implere exorsus est. Fuerunt quippe
tres viri isti magnates, famosi et sapientes
in sæculo; nihilo minus Jesum infantulum
in extrema paupertate, humilitate, deje-
ctione eis apparentem, omni rejecto car-
nali tumore ac sæculari prudentia flexis
genibus cum devotione promptissima ado-
raverunt, ac mysticis honoraverunt mune- C
ribus.

Videamus ergo ne forsan in nobis carna-
le quid inveniatur, ne quis appetitor sit
laudis humanæ, aut honoris vel promotio-
nis amator, ne quis ambitionis caligine ob-
tenebretur, et pro eo quod omnibus vilio-
rem se debeat æstimare, cupiat aut conetur
fratribus suis præesse, et per hoc innume-
rabiles incidat culpas, ac reflectatur quasi
in cunctis quæ agit miserrimus ad se ip-
sum. Nihil sæcularis prudentiæ in nobis
resideat, nec disputando, subtilia disseren- D
do, in verbis prævalendo quæramus osten-
tare nos ipsos, quum dicat Vas electionis :
Rom. XII, 16. Non alta sapientes, sed humilibus consen-
tientes. Imo quanto quis major aut doctior
exstat, tanto sit in conversando devo-
tior, et in omnibus mitior atque humilior,
Jacob. III, 13. quum Jacobus dicat apostolus : Quis sa-
piens et disciplinatus inter vos? Ostendat
ex bona conversatione operationem suam
in mansuetudine sapientiæ. Omnem inju-
riam æquanimiter tolerando, cuncta tran-
sitoria despiciendo, nos ipsos in universis
humiliando, ad sola cœlestia ac divina to-
tis præcordiis suspirando, ostendamus nos
esse veros Christi discipulos, evangelicæ
legis sapientia decoratos.

Præterea in solennitate hac nobili ac
jucunda, multa sunt ex parte sanctorum
Magorum istorum consideranda. Primum
est, certitudo ac magnitudo fidei eorum.
Certissima namque fide sciscitabantur, Ubi *Matth.* II, 2.
est qui natus est rex Judæorum? et tamen
adhuc nulla Christi viderant miracula, nec
veteris Testamenti de ipso prænuntiata
cognoverunt oracula, nec Prophetarum va-
ticinia didicerunt, nisi Balaam tantum, ut *Num.* XXIV, 17.
creditur. Cujus vaticinio tam firmiter cre-
diderunt, quod tanto tempore exspectarunt
hanc stellam, ejusque apparitioni atque
ducatui fidem adhibuerunt plenissimam.
Quomodo igitur incredulitatem aut hæsi-
tationem suam nunc quis poterit excusa-
re, postquam ipsemet Christus, in primis
per se ipsum, deinde per beatissimos suos
Apostolos, ceterosque discipulos et viros
perfectos, tam innumerabilia, præclarissi-
ma, solique omnipotenti Deo possibilia
egit miracula, primitus in Judæa, deinde
ubique terrarum? Et omnia de Christo
prænuntiata, esse impleta apertissime ma-
nifestat finalis hæc derelictio, vastitas et
captivitas Judæorum, quas Christi occisio-
nem sequi debere Daniel sanctus eviden-
tissime prophetavit, dicendo : Post hebdo- *Dan.* IX, 26, 27.
mades sexaginta duas occidetur Christus,
et non erit ejus populus, qui eum negatu-
rus est; et civitatem et sanctuarium dissi-
pabit populus cum duce venturo, et finis
ejus vastitas, et usque in finem persevera-
bit desolatio. Circa quæ verba etiam Jose-
phus, vir doctissimus et Judæorum histo-
riographus, testatur quod Daniel prædixit
Nabuchodonosor regi finalem sui populi
captivitatem, videlicet Judaicæ plebis di-
spersionem et conculcationem hanc ulti-
matam.

Secundum est, infatigabilis diligentia
Magorum istorum in quærendo Dominum
Salvatorem. Omni namque mora postposi-

ta, mox ut stella eis apparuit, iter aggressi sunt, non sumptibus parcentes neque laboribus, sed continuo prosecuti sunt iter [*Agg.* II, 8.] inceptum perseveranter, donec cunctis Desideratum gentibus invenerunt. Cur ergo nos universa Filii Dei scientes mysteria, tam remisse ac negligenter quærimus in cœlis regnantem Deum hominemque perfectum, quem tam indefesse et diligenter quæsierunt hi Magi infantulum infantilibus fasciis involutum, quum agnoscamus eum tot et tanta fecisse ac pertulisse pro nobis, atque tam inæstimabilem nobis beatitudinem præparasse? [*Josue* XVIII, 3.] Usquequo torpemus ignavia, et non intramus ad possidendam terram, quam Dominus Deus patrum nostrorum nobis promisit ac præparavit? [II *Cor.* V, 1.] Scimus equidem quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem habemus ex Deo, domum non manufactam, æternam in cœlis; [*Hebr.* XIII, 14.] scimus quod non habemus hic manentem civitatem, nec tamen ut dignum est, futuram inquirimus. Consideremus amœnitatem et gaudia supercœlestis paradisi, et ejus desiderio accendamus nos ipsos, con[*Ibid.* XI, 13.]fitentes quia peregrini et hospites sumus super terram; atque cum viro sancto dica[*Ps.* XXV, 8.]mus, Domine, dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ; item[*Ps.* LXXXIII, 2, 3.]que: Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit et deficit anima mea in atria Domini. Non itaque effundamus cor nostrum super curiositates externas, nec ad vana ac frivola afficiamur, ne per hoc ab æternorum ac divinorum impediamur amore; sed in Deo recolligatur atque figatur tota affectio nostra, et ad ipsum universa nostra dirigatur ac tendat intentio.

Tertium est, ingens liberalitas Magorum istorum. Nam unusquisque eorum aurum, thus et myrrham obtulit Christo, non utique in modica quantitate aut animo parco, sed ut decuit, copiose, liberalique mente, præsertim quum matrem infantuli cernerent pauperem et puerum indigentem. Simus ergo et nos cordialiter liberales. Quod si dixerit quisquam : In quo esse potero liberalis, qui nil proprium habeo, nec sine licentia dare quid valeo? Respondendum est ei, ut sicut boni sæculares liberales exsistunt de exterioribus suis rebus communicando prompte ac large egenis; sic religiosi claustrales, liberales debent exsistere, dona gratiæ eis collata, suis proximis atque confratribus communicando affectu prono, caritativo ac abundanti, juxta illud principis Apostolorum : Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes. [I *Petr.* IV, 10.] Ideo quidquid consilii, quidquid auxilii, quidquid consolationis aut instructionis proximis impendere possumus, eis ferventi ac læto impendamus affectu. Hilarem namque datorem diligit Deus. [II *Cor.* IX, 7.] Et rursus ait Scriptura : In omni dato hilarem fac vultum tuum. [*Eccli* XXXV, 11.] Imo ultra vires et supra quam habemus, eis benefacere cupiamus. Nec solum nostra, seu usui nostro concessa, sed insuper et nos ipsos ipsis quantum fas est impendamus, ut cum divino Apostolo dicere valeamus : Libentissime impendam et superimpendar ipse pro animabus vestris. [II *Cor.* XII, 15.] Qui liberalitatem suam insinuans alibi : Mihi (inquit) et his qui mecum erant, ministraverunt manus istæ. [*Act.* XX, 34.]

Postremo alia multa in electissimis Magis istis queunt perpendi, puta : eorum humilitas, quod coram infante pauperculo taliter prociderunt; et obedientia, quoniam juxta admonitionem eis factam, per aliam viam in suam regressi sunt regionem. In quibus omnibus eos fideliter imitemur.

SERMO SEXTUS

QUOMODO RELIGIOSUS DEO PURAM DILECTIONEM, PURAM ET FERVENTEM ORATIONEM, DULCEM CONCORDEMQUE CONVERSATIONEM IN CONTRITIONE POENITENTIÆ OFFERAT.

O*BTULERUNT ei munera, aurum, thus, et myrrham.* Matth. II, 11.

Hæc munera nos religiosi Deo quotidie spiritualiter immolare debemus. Quid enim aptius per aurum, quam caritas fervida designatur? Primo itaque aurum, id est purum, ferventem ac integrum caritatis affectum, Christo jugiter offeramus, per ardentissimas adspirationes corda nostra levando ad ipsum, atque nos ipsos ad omnia quæ ad divinum pertinent cultum, ad observantias regulares, ad conversationem vere monasticam ex sincero et æstuanti amore exhibendo paratos, juxta quod Josue monet : Servite Domino corde perfecto atque verissimo. (*Josue* XXIV, 14.) Istud equidem ad religiosos specialiter pertinet, qui idcirco terrena omnia et oblectamenta carnalia propriamque voluntatem deseruerunt, ne per inordinatum ad illa affectum, retardentur ab incremento divini amoris, et ne propriam voluntatem sequendo, in diversa ruant pericula, et a caritatis impediantur perfectione ; sed toto corde ferantur in Deum, perfectiusque quotidie afficiantur ad ipsum, ne eis contingat quod per Osee prophetam loquitur Spiritus Sanctus : Confundetur Israel in voluntate sua. (*Osee* X, 6.) Israel quippe interpretatur, vir videns Deum. Idcirco per Israel intelligitur religiosus, cujus est jugiter contemplari divina, juxta quod scriptum est : Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. (*Coloss.* III, 2.) Tunc itaque Israel in voluntate sua confunditur, dum religiosus securissimum ac serenissimum obedientiæ iter relinquens, propriis conceptibus et affectibus magis quam superiorum suorum informationibus jussionibusve consentit, obtemperat et inhæret : per quod ei ab hostibus suæ salutis illuditur, et ipse diversa peccata illabitur, ac in se ipso damnabiliter deordinatur. Quantumlibet ergo religiosus sit acuti eruditique intellectus, nihilo minus intellectum suum in captivitatem curet redigere, (II *Cor.* X, 5.) superioris sui judicio magis quam proprio credens et acquiescens : sicut de Climaco legitur, quia quum esset juvenis in naturali philosophia valde instructus, et ingeniosus, nihilo minus seniori suo viro idiotæ ac simplici, per omnia indiscrete atque promptissime obedivit ; per quod in brevi in magnam devenit perfectionem.

Præterea, sicut in corporalibus aliquid dicitur purum, quoniam de suo contrario et de aliena natura nil habet admixtum; et integrum, quia illæsum et incorruptum: sic caritatis affectio dicitur pura, quando nil terrenæ aut carnalis affectionis ei miscetur ; dicitur etiam integra, quando nulla passionum immoderantia læditur, neque per culpam inficitur, ita quod nec ira, nec impatientia, neque per culpam aut concupiscentiam ullam obtenebratur aut minoratur, sed mente tranquilla fertur in Deum ac proximum.

Denique id alicui perhibetur offerri, quod ei gratis propter se datur. Unde quum aliquid Deo offerimus, non nisi dona sua ei præstamus, prout primo Paralipomenon devotissimus David rex Deo fatetur : Tua, inquiens, Domine Deus, sunt omnia ; et quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi. (I *Par.* XXIX, 14.) Tunc itaque Deo omnipotenti puram dilectionem obsequiumque perfectum offerimus, dum eum sincere et irreflexe propter infinitam et propriam ejus bonitatem ac dignitatem amamus ac veneramur seu co-

limus, non propriæ mercedis intuitu, neque ut evadamus supplicia, sed quoniam ipse in se et propter se omni amore atque honore superdignissimus exstat. Rursus, omne bonum quod agimus, tunc Deo offerimus, dum omnia opera nostra bona Deo et ejus gratioso auxilio, non propriis viribus, grata ac humili mente adscribimus, confitentes ex corde quod non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est, qui operatur in nobis velle et perficere ex sua benignitate, ita quod omnia merita nostra sunt ejus dona. Quod qui sapienter attendit, nequaquam inaniter gloriatur, sed fonti totius boni humiliter regratiatur. Insuper, qui se ipsum et omnia sua ad Dei refert honorem, ac totum se divino mancipat cultui, ille se ipsum et omnia sua Domino offert, sicut se ipsum et omnia sua ab illo accepit : per quod valde justus esse probatur, nec fraudulenter ac negligenter, sed diligenter, juste et integre Deo obsequitur.

II *Cor.* III, 5. *Philipp.* II, 13.

Insuper per aurum, donum sapientiæ potest intelligi, quod sic ceteris Spiritus Sancti eminet donis, quemadmodum aurum aliis metallis. Hoc igitur aurum, id est contemplationem sinceram, Deo offerre debemus, corporalia ac transitoria supergrediendo, in summæ majestatis claritatem oculum cordis pro posse figendo : imo in divitias gloriæ Creatoris altissimi mentis apicem demergendo ; gustando et intuendo quam dulcis, quam dives, quam superpulcherrimus et superbeatissimus et superamabilissimus sit Dominus Deus noster æternus ac adorandus : sicque ex hoc carnalia et caduca fastidiendo, indefessoque corde laborando pro plena ac beatifica tanti boni possessione.

Ps. XXXIII, 9 ; I *Petr.* II, 3.

Secundo cum sanctis regibus istis Deo offerre debemus thus divinæ adorationis, hoc est orationem dulcem, et affectuosam laudem, et gratiarum actionem præcordialem. Hoc nempe inter præcipua religiosorum opera computatur, offerre Deo orationem puram ac stabilem, amorosam, humilem et suavem : ut animo non distracto aut evagante, neque inanibus phantasmatibus picto aut occupato, laudent ac deprecentur Dominum Deum suum, ei soli intenti, et in eo accensi, ad id quoque quod postulant totaliter affectati, ut dirigatur sicut incensum oratio eorum in Dei conspectu, ascendatque fumus seu odor suavissimus coram Deo de eorum orationibus, psalmodiis ac laudibus. Deum itaque tempore orationis et omnis divini Officii, tanquam vere præsentem et omnia nostra clarissime intuentem inspiciamus ; nec minus reverenter ac custodite coram suæ majestatis præsentia nos habeamus, quam coram prælatis et principibus sæculi hujus nos haberemus. In conspectu angelorum reverenter ac devote stemus, concorditerque psallamus, et singulorum attendamus sensum verborum, ne conqueratur Deus de nobis, dicendo : Gens ista labiis me honorat, sed cor ejus longe est a me. Qui taliter orant et psallunt, aurea proferunt verba ; qui autem nituntur ad hoc, quamvis nondum id possint, verba promunt argentea ; qui vero remisse, pigre et somnolenter in oratione, psalmodia et Horis se habent, lutea verba loquuntur. Primi clamant, et suavissimam coram Deo faciunt melodiam, sicut Moyses clamavit ad Dominum ; secundi mediocriter sonant ; tertii coram Deo nostro sunt muti.

Ps. CXL, 2. *Apoc.* VIII, 4. *Is.* XXIX, 13.

Insuper per thus, fama laudabilis, exemplarisque vita, dulcis atque pacifica conversatio exprimuntur. Thus ergo cœlesti immolat Regi, qui in medio congregationis vivit sine querela, et irreprehensibiliter conversatur, et bonus odor est Christi in omni loco ; qui quantum in se est, verbis et factis cunctos ædificat, nec male agendo ulli est onerosus, sed tanquam angelus pacis, amator concordiæ, unanimitatis amicus, sollicitus est scandalum omne de medio tollere, turbatos quietare, discordesque concordare ; qui sua caritate, probitate et maturitate, sua compunctione, elevatione et perfectione, aliorum aversionem, improbitatem, levitatem,

II *Cor.* II, 15.

dissolutionem, imperfectionem tacite increpat, efficaciter instruit, virtuose emendat. Talis quilibet nostrum esse conetur, ne quis alium impediat a profectu, retrahat a salute : imo potius prout exigit caritas, invicem nos juvemus, accendamus et confortemus.

Tertio, cum his tribus electissimis viris Christo myrrham, hoc est pœnitentiæ contritionem, planctum pro nostris ac aliorum peccatis amarum, carnis mortificationem, debemus Salvatori offerre, ut cum Apostolo dicere mereamur : Christo confixus sum cruci. (*Galat.* II, 19.) Qui enim sunt Christi, carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifigunt. (*Ibid.* v, 24.) Cur enim ad cœnobium confugimus, nisi ut in primis propria, deinde et aliorum defleamus peccata, et de quotidianis nostris negligentiis et offensis intime doleamus, sicque indesinenter tendamus ad meliora, carnalia desideria conculcantes, ut cœlestibus accendamur affectibus ?

Itaque, juxta apostolicum documentum, mortificationem Jesu jugiter in nostro corpore circumferamus, ut et vita Jesu manifestetur in carne nostra mortali (II *Cor.* IV, 10, 11.) : quatenus in omni fiducia magnificetur Christus in corpore nostro, sive per vitam, sive per mortem, ita ut vivere nobis Christus sit, et mori lucrum. (*Philipp.* I, 20, 21.) Atque ut votum paupertatis requirit a nobis, tenui victu et vestitu simus contenti, exemplo Christi, qui quum dives esset, propter nos pauper effectus est, ut ejus inopia locupletemur. (II *Cor.* VIII, 9.) Nec coram hominibus gloriosi et inclyti apparere optemus, quum Dominus majestatis, Unigenitus Dei, coram iis Magis tam pauper et humilis elegerit apparere, ut omnem vanitatem et ostentationem abhorrere discamus, solique Deo et aliis tantum in eo placere desideremus et enitamur. Ad laudem et gloriam ejus.

IN FESTO

S. PAULI PRIMI EREMITÆ

SERMO UNICUS

QUIS SCOPUS ESSE DEBEAT SOLITARII ; ET DE LAUDIBUS PRIMI EREMITÆ.

DUCAM *eam in solitudinem, et loquar* A *ad cor ejus.* Osee II, 14.

Hæc sunt verba Dei ad animam contemplativam, quam Deus omnipotens et benignus a sæcularium hominum strepitu separat ac tumultu, quatenus ipsa mente quieta sibi, videlicet Deo, per contemplationem sinceram et dilectionem ferventem intendat. Itaque in his verbis S. Paulus a duobus laudatur : primo, ab excellentia vitæ solitariæ ; secundo, ab interno colloquio Dei cum eo. Quum enim, teste Philosopho, homo naturaliter sit animal sociale, B civile, vita solitaria non est humana. Propter quod rursus ait Philosophus, quod homo solus, est Deus aut bestia, id est divinus aut bestialis. Si enim in solitudine vivit prout ad solitarium pertinet et solitudo requirit, vere divinus est. Quid enim ad solitarium spectat, nisi exterioribus et terrenis relictis ac supergressis, soli altissimo, simplicissimo et incircumscriptibili Deo ubique vere præsenti vacare, adhærere et obsequi, eum indesinenter invocare, laudare ac venerari, imo et quantum in C hac vita fieri potest, eo per contemplationem dilectionemque frui ? Porro qui ita non agit nec tendit ad hoc, bestialis merito appellatur, si in solitudine demoretur. Paulus autem primus eremita, in solitudine divinissimam duxit vitam, et Deus piissimus ad cor ejus assidue loquebatur, ejusque animam tanquam sponsam carissimam, omni hora brachiis caritatis amplectebatur, fecundavit, illustravit, accendit, consolabatur. Sed nunc hujus viri sanctissimi laudes, virtutes et excellentiæ per ordinem sunt tangendæ.

Primo itaque felix hic Pater laudatur a sua pueritia sancta et innocenti : quia ut sanctus testatur Hieronymus, qui vitam ipsius descripsit, quum Paulus iste sedecim erat annorum, perrexit ad eremum, et erat tunc animo mansuetus, et Deum diligens valde ; atque ob crudelitatem persecutionis tyrannicæ sub Decio imperatore, solitudinem est ingressus.

Secundo laudatur a sua vita sanctissima eremitica et longæva : quia indefesso corde cum quotidiano virtutum profectu perseveravit in eremo vasta atque terribili, usque ad annum vitæ suæ centesimum tertiumdecimum ; sicque habitavit in deserto per annos nonaginta septem, vel circiter, nulli hominum cognitus. Ecce quantæ perseverantiæ, longanimitatis et fortitudinis fuit, et quantæ constantiæ ac spei in Deo, quod inter horribiles eremi feras ferocesque bestias tam intrepidus morabatur. Denique tota occupatio sua die ac nocte fuit, Deo creatori et salvatori suo per contemplationem et fervidam dilectionem vacare, ejus majestatem incomprehensibilem et immensam admirari et honorare, laudibus ejus purissima mente insistere, misericordiam ejus pro se ac aliis, pro

communi bono Ecclesiæ, pro vivis ac mortuis jugiter affectuosissime exorare. Sicque in omni gratia, virtute et sanctitate excellenter mirabiliterque profecit quotidie.

Tertio laudatur a sua miraculosa manifestatione. Quum enim Paulus iste centum et tredecim esset annorum, et sanctus pater Antonius in alia solitudine habitaret nonaginta annorum, ac cogitaret se primum esse eremitarum, revelatum est ei a Deo, esse in solitudine interiori alium ipso seniorem multoque meliorem. Mox ergo S. Antonius arripuit iter ad quærendum illum se meliorem; occurritque ei animal, superius habens formam humanam, inferius formam equi, quod hippocentaurus vocatur. A quo quum S. Antonius, in qua parte Dei famulus moraretur, quæsisset, animal illud protensione suæ dexteræ iter rectum monstravit. Post hoc occurrit Antonio animal cornua habens in fronte et nares aduncas ac pedes caprarum, quod fructus palmarum Antonio obtulit. Et interrogatum hoc animal ab Antonio, quis aut quid esset, respondit : Mortalis ego sum, ex incolis eremi quos decepti gentiles ut deos, utpote Faunos et Satyros ac Incubos, colunt; precamur ut pro nobis communem Dominum depreceris, quem pro salute mundi venisse cognovimus. Quibus dictis, quasi volatu pennigero petulcum animal illud aufugit. Tandem tertio die B. Antonius maximo cum labore ad speluncam in qua beatissimus latuit Paulus, pervenit; et magnis ac lacrimosis obtinuit precibus a Paulo præfato, quod ei ostium speluncæ aperuit.

Quarto Paulus iste beatus laudatur a multis mirabilibus quæ inter ipsum et S. Antonium contingebant. Mox enim ut Antonium intromisit, se mutuo propriis salutaverunt nominibus, deosculantes se invicem. Quumque consedissent, corvus integrum panem ante eos deposuit, et avolavit. Dixitque Paulus Antonio : Vere pius Dominus; nam per sexaginta annos quotidie medium panem accepi a corvis, sed nunc ob tuum adventum integer panis al-

A latus est nobis. Tunc pia lis inter eos est orta, quis frangeret panem. Paulus deferebat Antonio ut hospiti, Antonius Paulo ut seniori. Tandem communi consensu quilibet manum pani apposuit, et partem suam ad se traxit, et comederunt. Dixitque Paulus Antonio: Olim te in solitudine demorari cognovi, et conservum meum mihi Christus promisit. Et nunc quoniam morituro advenisti, si tibi molestum non est, vade et affer pallium quod tibi Athanasius dedit episcopus, ut in eo corpus meum sepelias.
B Stupefactus Antonius quod de Athanasio et pallio ejus audierat, fecit sic. Quumque cum pallio reverteretur, vidit inter angelorum catervas et inter Prophetarum Apostolorumque choros Paulum niveo candore fulgentem, in cœlum ascendere. Cadens ergo in faciem S. Antonius, cum lacrimis dixit : Cur me, o Paule, dimittis? Tam tarde mihi innotuisti, et tam cito recedis ? Post hæc ingressus speluncam, vidit corpus beatissimi Pauli genibus flexis manibusque erectis, extenta cervice erectum : sicque, quid
C vivens egerat, exanime corpus monstravit. Quumque corpore pallio obvoluto, Antonius palam seu sarculum quo sepulcrum faceret, non haberet, atque ob id vehementissime tristaretur, ecce duo leones ex eremo accurrentes, circa corpus S. Pauli subsistentes, fremituque rugientes ingenti, et flentes ut poterant; deinde sepulcrum pedibus suis scalpendo fecerunt, et cum omni mansuetudine ad Antonium venientes, manus ejus ac pedes lingere inceperunt. Benedixitque eis et præcepit abire. Ac corpus
D S. Pauli sepeliens, tunicam ejus accepit; atque ad discipulos suos regressus, omnia eis recitavit per ordinem. Diebus quoque solennibus Paschæ et Pentecostes, beatissimi Pauli se induit veste. Hæc est historia de sacratissimo Paulo primo eremita.

Tanti igitur Patris provocemur virtutibus : illuminemur in fide, roboremur in spe, et divino accendamur amore; opera quoque pœnitentiæ longanimiter exerceamus, atque in bonis operibus viriliter perseveremus. Ad laudem et gloriam Dei.

IN FESTO

S. HILARII EPISCOPI ET DOCTORIS

SERMO UNICUS

DE COMMENDATIONE S. HILARII, ET DE LAUDE CARITATIS.

QUASI *stella matutina in medio nebulæ, sic ille effulsit in domo* Dei.* Eccli. L, 6, 7.

* templo

Hæc verba de S. Hilario Pictaviensi episcopo, ab Aquitania oriundo, recte intelliguntur. Hic etenim beatus episcopus commendatur a multis.

Primo, a sua conversatione virtuosa ac honestissima quam in sæculari habitu conjugalique duxit statu. Nam antequam episcopus factus est, habuit conjugem, ex qua genuit filiam ; atque in matrimonio vixit tam honeste ac virtuose, quod defuncto Pictaviensi antistite, in episcopum urbis illius unanimiter est electus. Non enim carnalis voluptatis amore accepit aut cognovit uxorem, sed desiderio prolis ad Dei obsequium educandæ ; et conjuge sua parce ac moderatissime usus est. In quo patet magna ejus perfectio : quia ut quidam probant doctores, difficilius est propria conjuge cum decenti moderamine uti, quam in statu virginali aut viduali penitus continere : siquidem concupiscentia seu libido tanto plus provocatur, quanto plus actuatur seu exercetur. Hanc ergo S. Hilarii virtutem conjugalemque castitatem sequantur conjugati, ut (juxta doctrinam Apostoli) sit in eis honorabile connubium, et torus immaculatus. Quod fit, si non ex concupiscentia prædominante, sed desiderio prolis ad Dei cultum enutriendæ, aut reddendi debiti ratione, vel propter culpam incontinentiæ vitandam in compare, se cognoscant; aliunde quoque præcepta Dei et Ecclesiæ servent.

Hebr. XIII, 4.

Secundo laudatur S. Hilarius ex sua sancta conversatione quam in episcopatu deduxit. Factus namque episcopus, non extulit semetipsum inaniter, quasi vane gloriando de hoc quod ex matrimoniali statu ad episcopatum electus est ; sed quantum crevit in ecclesiastica dignitate, tantum in humilitate ac omni virtute. Et quo pluribus præfuit, eo timoratior, sollicitior atque agilior fuit ; gregemque Christi sibi commissum pavit verbo et exemplo, oratione et sapientia eminenti ; nec solum urbèm sibi commissam, sed et Franciam totam ab Ariana defensavit perfidia. Itaque, quoniam scriptis, vita, verbo et sapientia, itemque miraculis illustravit Ecclesiam, recte de eo exponitur thema assumptum, videlicet, « Quasi stella », etc. Sic et unusquisque aliorum rector, pastor, prædicator, doctor, seu paterfamilias, sibi subjectos et proximos omnes dirigat atque ædificet verbo et factis, corripiendo et corrigendo peccantes, accendendo ignavos, et omnes salubriter exhortando.

Tertio commendatur ex magna sua patientia in adversis. Multa enim adversa ab

hæreticis et Arianis episcopis passus est. A Et quoniam fidem catholicam defendebat, ac constanter, a Constantio imperatore Ariano in exsilium missus fuit, et ad tempus mansit in eo. Ejus ergo exemplo, patientiam in omni habeamus adversitate.

Quarto commendatur ab eminentia miraculorum suorum. Quum enim consentiente Constantio imperatore Ariano, convenissent episcopi ad conferendum de fidei veritate, et advenisset Hilarius ; ad instantiam quorumdam Arianorum pontificum, ejus eloquentiam ferre non valen- B tium, ad urbem suam Pictaviam redire compulsus est. Quumque ad insulam Gallinariam serpentibus plenam divertisset, universos fugavit serpentes. Pictaviam quoque reversus, puerum sine Baptismo defunctum resuscitavit. Insuper filiam suam nubere proponentem, ad virginitatis induxit propositum; metuensque ne illa a proposito illo averteretur, Deum oravit ut eam vocaret ad regnum cœleste : et post paucos dies filia illa feliciter obiit. Quod uxor sua considerans, rogavit eum ut sibi C quoque impetraret hoc ipsum : quod fecit B. Hilarius, et eam ad regnum præmisit cœleste.

Legitur quoque, quod Leone Papa hæretico concilium celebrante, B. Hilarius non vocatus advenit. Præcepitque Papa ut nullus ei assurgeret. Et dixit Papa Hilario : Tune es Hilarius Gallus ? Respondit S. Hilarius : Non sum Gallus, sed de Gallia; id est, non sum de Gallia natus, sed de Gallia episcopus. Surgens autem Papa cum indignatione, dixit : Modicum præstolare D donec redeam, et quod mereris, tibi retribuam. Cui Hilarius : Si non redieris, quis mihi pro te respondebit ? Et Papa : Mox, inquit, redibo, et tuam superbiam humiliabo. Quumque ad secreta naturæ Papa ivisset, omnia intestina sua effudit, et infeliciter obiit. Præterea, Hilarius patienter ferens quod nullus sibi locum præbuit, in
Ps. xxiii, 1. terram se posuit, dicens : Domini est terra et plenitudo ejus. Et protinus, Deo jubente, terra se extulit, atque ad aliorum episcoporum altitudinem se levavit. Quumque Papa nuntiaretur mortuus, surgens Hilarius, episcopos confirmavit in fide catholica.

Porro in Aurea legenda istud in dubium vertitur, quia in Ecclesiastica vel Tripartita historia nil inde recitatur, nec Chronicæ referunt fuisse tunc aliquem Papam ita vocatum, et quia Hieronymus ait : Sancta Romana Ecclesia semper immaculata permansit, et in futuro manebit, ab omni hæretica pravitate. Verumtamen agnoscendum, quod in Historia tripartita narratur, tempore Constantii imperatoris fuisse quemdam Papam Liberium nomine, qui primo fuit catholicus, et ob id a Constantio in exsilium missus est. Qui exsilii tædio victus, Arianæ consensit perfidiæ, et sic ad sedem suam fuit reductus. Idem in Chronica Martini habetur. Et forsan Papa ille alio nomine dictus est Leo, vel ex scriptorum vitio est erratum in nomine. Nec verba Hieronymi possunt sic sumi, quod omnes summi Pontifices fuerunt et erunt vere catholici : quia hujus oppositum in multis legitur locis. Archidiaconus quoque, et Cancellarius Parisiensis, plurimique doctores affirmant, quod valde periculosum esset, ultimatam fidei seu credendorum determinationem committere Romano Pontifici : quoniam ille potest errare in fide. Idcirco in hoc, generale concilium præfertur determinationi summi Pontificis : quia in iis quæ sunt fidei et salutis, errare non potest, sicut nec universalis Ecclesia, propter certam directionem Spiritus Sancti.

Itaque hujus sancti præsulis B. Hilarii, qui in sapientia profundissimus fuit, sequamur vestigia, et ejus invocemus suffragia, quatenus intercessione ac meritis ejus, gratiam in præsenti et gloriam in futuro adipiscamur, quemadmodum ipse feliciter obdormivit in Domino. Quum etenim ageret in extremis, tanta lux intravit ad eum, quod sacerdos ei ministrans eam ferre non potuit; et tunc lumine paulatim recedente, ipse beatus Pater, præsul et Doctor, migravit ad Dominum.

IN FESTO

S. ANTONII ABBATIS

SERMO PRIMUS

DE VITA ET LAUDIBUS S. ANTONII.

L*AUDEMUS viros gloriosos et patres* A
nostros. Eccli. xliv, 1.

Inter gloriosissimos christianæ fidei viros signiferos et beatissimos Patres anachoretas ac eremitas, electus Dei B. Antonius mirabiliter splendet, et commendatur a multis.

Primo a sua laudabili vita tempore pueritiæ suæ atque in sæculo. Quum enim in Ægypto ex nobilibus et devotis esset parentibus natus, nulli puerorum vanitati, voluptati aut negligentiæ se donavit; sed cum parentibus ecclesiam visitavit assi- B
due, et quidquid in ea audivit de sacris Scripturis, commendavit memoriæ, et præcepta opere adimplevit. Porro, post mortem parentum, quum esset annorum circiter viginti, ingressus ecclesiam, audivit verba
Matth. xix, 21. Christi in Evangelio legi : Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo. Statimque omnia quæ habuit, vendidit atque pauperibus erogavit; et sæculum derelinquens, conjunxit se monachis.

Secundo beatissimus pater Antonius C
commendatur a suo quotidiano et magno valde profectu virtutum in vita monastica. Omnium enim Fratrum consideravit virtutes, easque tota diligentia sequebatur, et quotidie cum majori fervore Deo servivit. Vixit etiam de labore manuum suarum : imo mercedem operis sui, pretio panis excepto, dedit pauperibus. In orationibus pernoctabat sæpissime. Edebat semel in die post solis occasum; interdum autem usque ad quartum diem mansit jejunans. Cibus ejus fuit panis et sal; potus, modicum aquæ. Frequenter super nudam terram dormivit; et induebatur cilicio.

Tertio commendatur a victoria tentationum. Innumerabiles namque tentationes a dæmonibus pertulit, sed Christi virtute in cunctis prævaluit. Quumque spiritus fornicationis eum tentasset diu et acriter, tandem victus, apparuit S. Antonio in forma pueri horridi, nigri ac fœtidi. Post hæc Antonius in quodam sepulcro se clausit, et ibi solus soli Deo diebus vacavit ac noctibus. Quod cernens diabolus, congregatis satellitibus suis, Antonium diversis laceravit vulneribus, et tam dire eum percussit, quod motum perdidit ac loquelam. Viribus vero aliqualiter resumptis, dixit dæmonibus : Ecce hic sum, non fugio
vestra certamina, nullus a caritate Christi *Rom.* viii, 35-39.
me separabit. Tunc repente diaboli in formis leonum, taurorum, ursorum, serpentium, scorpionum, pardorum, aspidum et luporum, irruerunt in eum, et corpus ejus diversis impleverunt vulneribus. Ipse autem mente constans mansit in Deo. Tunc Dominus Jesus Christus cum ingenti luce

descendens, apparuit ei, omnisque dæmonum fugit turba. Antonius autem Dominum videns, dixit : Ubi eras, bone Jesu, ubi eras ? Quare a principio non adfuisti, ut sanares vulnera mea ? Cui Christus respondit : Antoni, hic eram, sed exspectabam videre certamen tuum ; et nunc, quia viriliter dimicasti, in toto mundo te faciam nominari.

Quarto laudatur S. Antonius ab eremitica et solitaria vita. Nam post præfatam victoriam, ingressus est eremum. Reperitque in via magnum discum argenteum, quem a diabolo ibi intellexit esse projectum, increpavitque dæmonem, et protinus discus disparuit. Progrediens vero, invenit grandem auri verissimi massam, et admiratus magnitudinem radiantis metalli, fugit ab eo tanquam ab incendio. Et sic tandem pervenit in eremo ad quoddam castellum, venenatis bestiis plenum, quæ Antonio introeunte, fugerunt. Ipse autem introitum castelli lapidibus obstruens, solus permansit ibidem. Et bis in anno per tectum panem suscipiens, nullum cum deferente panem habuit verbum. Quumque ibidem per viginti annos sic permansisset, venit ad eum turba hominum copiosa, tam notorum, quam infirmorum, quam cupientium vitam ejus sectari. Sicque compulsus, exivit ad eos tam gratiosus et pulcher in corpore, tam facetus in moribus, quasi inter homines fuisset jugiter conversatus. Tunc plurimos liberavit ab immundis spiritibus, et multorum curavit infirmitates, atque diversa peregit miracula. Ædificavit, consolabatur instruxitque universos, ita quod tunc plures ejus cœperunt vestigia sequi, et eremum inhabitare, ac ejus discipuli fieri : quibus et regulam docuit conversandi. Deinde tempore procedente, cœperunt innumerabilia monachorum millia in solitudinibus habitare, et Deo altissimo in omni sanctitate atque justitia ministrare.

Quinto laudatur felix Antonius a fortitudine animi. Quum enim persecutio impiissimi Maximiani exsurgeret, Antonius mar-
A tyribus se conjunxit, et eis in carcere ministravit, confortavitque corda eorum, et morti adjudicatos prosequebatur usque martyrii locum. Quamobrem judex iratus, jussit eum a civitate expelli. Ipse vero intrepidus lavans vestem suam, die sequenti in eminenti se posuit loco, candenti veste præcinctus, ut suo adspectu procedentem judicem provocaret. Tamque ferventer optavit mori pro fide, quod plurimum tristabatur eo quod sibi martyrium cupienti corona martyrii non dabatur. In-
B super, quum Balacius dux Ægypti, vir Arianus, vastaret Ecclesiam, in tantum ut virgines monachosque nudatos publice flagellaret, scripsit ei Antonius : Video iram Dei super te venientem ; desine persequi Christianos, ne plaga Dei te occupet. Legit infelix epistolam, et derisit, atque Antonio minabatur. Itaque post quinque dies equus Balacium dejecit in terram, sicque ipsius femora laceravit atque corrosit, ut post diem tertium moreretur.

Sexto commendatur Antonius a magna
C sapientia et discretione, ac efficacia in exhortando instruendoque alios. Erat equidem tantæ famæ, quod etiam Constantinus Magnus imperator et filii ejus crebro litteras miserunt ad eum tanquam ad patrem, rogantes ut eis rescriberet. Quibus rescripsit : ne magnam putarent regiam potestatem, et ne temporali tumerent imperio, sed mortales et a Christo judicandos se esse adverterent, circa subjectos quoque clementiam justitiamque servarent, et pauperum curam haberent. Talibus scriptis
D susceptis, principes illi vehementissime lætabantur. Præterea pagani philosophi, mirabilia sancti ac gloriosi Antonii audientes, frequenter venerunt ad eum. Quumque quadam vice duo viri ad eum venissent, dixit : Cur ad hominem stultum venistis ? Responderunt : Non ad stultum, sed ad virum valde sapientem venimus. Dixitque eis : Si ad stultum venistis, superfluum assumpsistis laborem ; si autem ad sapientem, imitari me congruit. Alia vice, dum quidam philosophi eum irriderent

quoniam litteras ignoravit, dixit ad eos : A Quid prius est, intellectus an litteræ ? et quid horum alterius est origo? Responderunt : Intellectus. Intulitque Antonius : Ergo qui intellectum habet incolumem, litteras non requirit. Erat autem beatus atque gloriosus Antonius affabilis et jucundus, non rigidus et silvestris, et tantæ efficaciæ in loquendo, quod nullus ad eum frustra venit. Imo, si quis mœrore cordis affligebatur, tristitiam vertit in gaudium ; si ira fuit commotus, in mansuetudinem vertit eamdem ; si concupiscentiæ fuit se- B ctator, pudicus et castus effectus est ; si paupertatem suam graviter tulit, deinceps cum gaudio eam sustinuit.

Septimo commendatur a gratia prophetiæ, atque cœlestium multitudine visionum. Multa enim secretissima futura ei revelavit Spiritus Sanctus. Nam Arianæ hæresis persecutionem per duos annos prædixit. Sancti quoque Ammonis animam vidit ab angelis ferri in cœlum, sicut et animam B. Pauli primi eremitæ. Deinceps quadam vice sensit se raptum in spiritu, C atque ab angelis portari in altum. Occurreruntque dæmones, ascensionem ejus impedire conantes. Angelis autem quærentibus quare hoc facerent, cœperunt dæmones objicere quidquid culpæ in Antonio unquam fuit. Quibus angeli responderunt, non debere eos illas commemorare quæ ante monasticæ vitæ assumptionem fuerunt in eo, sed si quas incurrisset culpas postquam monachus factus est. Tunc deficientibus dæmonibus, liber Antonio patebat ascensus; et statim rediit ad se ipsum. Iterum dixit beatus atque gloriosus Antonius : Vidi aliquando diabolum excelsum corpore, qui se habere Dei virtutem ac providentiam ausus est dicere, et dixit ad me : Quid vis tibi donari a me, Antoni ? Ego autem sputum meum in os ejus projeci, et in Christi virtute me totum in eum injeci ; moxque disparuit.

Præterea, de sapientia et doctrina, de miraculis atque prodigiis, de prophetiis, sanctitate et excellentiis sanctissimi patris Antonii, in libris Vitaspatrum multa valde præclara leguntur.

Postremo, quum centum et quinque esset annorum, plenus virtutibus, mortem suam suis prædixit discipulis. Ceterisque relictis, duos ad se convocavit, in quorum præsentia tradidit spiritum, sanctis angelis ad ejus animam secum in cœlum perferendam descendentibus. Quorum præsentiam ex hilaritate vultus sanctissimi atque gloriosissimi patris Antonii cognoverunt duo illi ejus discipuli.

Itaque hujus beatissimi et sanctissimi Patris instruamur exemplis, provocemur virtutibus, proficiamus doctrinis, quatenus Deo quotidie cum majori diligentia ministrantes, beatitudinem adipiscamur æternam.

AD RELIGIOSOS

SERMO SECUNDUS

CUJUSMODI MONASTICA DEBEAT ESSE VITA, JUXTA EXEMPLUM SANCTISSIMI PATRIS ANTONII.

PATREM multarum gentium constitui D *te ante Deum.* Gen. XVII, 5 ; Rom. IV, 17.

Verba hæc de sanctissimo patre Abraham patriarcha litteraliter scripta, de felicissimo viro S. Antonio optime exponuntur : quem Deus omnipotens et excelsus

innumerabilium multitudinum monachorum constituit patrem; qui universorum religiosorum magister, dux et parens rectissime appellatur; cujus vita totius monasticæ conversationis est forma; cujus doctrina est omnium nostrum institutio optima. Nunc igitur perpendamus quid de magno et sanctissimo atque gloriosissimo patre Antonio protestetur et scribat magnus et sacer ille antistes Athanasius, qui et illius fuit ad tempus discipulus.

Quum Antonius adhuc puer esset, litteris non se fecit erudiri, non ineptis fabulis passus est se implicari, sed Dei desiderio flagrans, innocenter habitavit domi. Ad ecclesiam quoque sæpe cum parentibus veniens, nec puerorum lascivias, nec juvenum negligentias sectabatur, nec delicatos cibos quærebat. — Ecce quanta fuit innocentia ejus, et quanta fuit ejus sapientia innocentia decorata. Quæ quum ita se habeant, quid est quod nos religiosi, post professionem vitæ monasticæ adhuc vanis fabulis delectamur, et sæculares rumores, verba inania ad cachinnos et dissolutiones moventia, libentius quam sacra audimus ac recitamus eloquia, quum tamen S. Benedictus hujusmodi verba in sua anathematizaverit Regula, et princeps Apostolorum hortetur, Si quis loquitur, quasi sermones Dei? Etenim Paulo testante, Corrumpunt mores bonos colloquia mala. Imitemur ergo Prophetam, qui ait : Dixi, Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea.

(I Petr. IV, 11. — I Cor. XV, 33. — Ps. XXXVIII, 2.)

Præterea sanctus pater Antonius, in pueritiæ annis, desiderio omni spirituali flagravit. Erubescat ergo religiosus qui quum longo tempore in Ordine fuerit, adhuc piger ac frigidus invenitur, tardus ad surgendum, debilis ad psallendum : ad ea quæ carnis sunt, velox, fortis et alacer; ad ea vero quæ spiritus sunt, gravis et æger. Vereamur quod in Apocalypsi loquitur Dominus : Nunc, quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo. Væ his qui quum spiritu cœperint, carne consummantur : qui pro eo quod quotidie adde-

(Apoc. III, 16. — Galat. III, 3.)

A rent ad fervorem, omni die pigrescunt; et quum quotidie diligentiores timoratioresque fierent, omni die fiunt remissiores atque ad exteriora amplius fusi. Quorum unicuique loquitur Deus in Apocalypsi : Habeo adversum te quod caritatem tuam primam reliquisti; memor esto itaque unde excideris, et pœnitentiam age, alioqui venio tibi cito.

(Apoc. II, 4, 5.)

Insuper gloriosissimus pater Antonius benedictionibus dulcedinis Dei copiosissime mirabiliterque præventus, innocenter

B habitavit in domo sua. Ita et nos in domo Domini, in sancto cœnobio, in medio fratrum innocenter moremur, nullum lædentes, neminem scandalizantes, ne peccantes in fratres, et conscientiam eorum percutientes, in Christum peccemus. Ideo namque hortatur Apostolus : Nulli malum pro malo reddentes; providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. Non quæramus cibaria delicata : quia quæ carnem oblectant, spiritum perimunt, curamque carnis in desi-

C deriis facere prohibemur.

(I Cor. VIII, 12. — Rom. XII, 17. — Ibid. XIII, 14.)

Amplius, electus Dei pater Antonius mox ut monachus fieri cœpit, se cum omni cordis diligentia ad plenum extendit profectum virtutum; et universorum quos vidit Fratrum virtutes considerans, uniuscujusque imitabatur, imo et superabat virtutem. De hoc S. Athanasius refert : Universa Dei præcepta custodiens, memoriam pro libris habebat; sicque vitam suam instituens, ab universis puro diligebatur affectu. Omnibus quoque ad quos pergebat

D obediens, proprias singulorum gratias hauriebat : illius sequebatur jucunditatem, hujus mansuetudinem; illius vigilantiam, hujus continentiam, alterius legendi industriam : et sic universis virtutum seminibus irrigatus, sedit in cellula sua. Nec unquam contra suos movebatur coævos, sed in hoc ardentissimus mansit ne in præfatis virtutum operibus inveniretur cuiquam secundus.

Ex his multipliciter ac saluberrime informamur. Primo, ut bona aliorum dili-

genter consideremus ad imitandum, et A unumquemque in ea sequamur virtute in
I Cor. VII, 7. qua magis abundat. Unusquisque namque, ut ait Apostolus, proprium donum habet a Deo. Secundo, ut aliorum defectus, quantum valemus, pie dissimulemus, nec scandalizemur ex eis, sed interpretemur in melius quantum fieri potest, salvo debito correptionis fraternæ et subventionis caritativæ, nec aliquem temere judicemus. Istud utique ad probitatem spectat atque prudentiam. Omnes siquidem homines sumus, et aliquid defectuositatis in unoquo- B que apparet : quod modo prætacto pie dissimulandum censetur. Sed, heu ! hujus oppositum multi in monasteriis faciunt, qui ad observanda et enarranda aliorum mala sunt proniores, quam ad intuenda ac recolenda bona eorum, non obstante quod
Prov. XI, 27. Salomon contestatur : Qui observator* est malorum, opprimetur ab eis. Tales ad temeraria judicia sunt proclives ; et si pro suis increpentur excessibus, se excusant per aliorum defectus, et præsidenti objiciunt, cur alios graviusque peccantes non C increpet nec castiget. Isti sunt versipelles perversique sensus homines, monachalis vitæ fundamento carentes, qui aliorum negligentias potius quam virtutes sequuntur.

* investigator

Tertio ex prædictis instruimur, ne contra fratres nostros moveamur ira, indignatione, impatientia, amaritudine aut rancore, sicut hortatur Apostolus ad Ephesios :
Ephes. IV, 31, 32. Omnis amaritudo et ira et indignatio et clamor tollatur a vobis cum omni malitia ; estote autem invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut et Deus in D Christo donavit vobis. Quarto, ut unusquisque conetur alterum in omni virtutum profectu sincero præcedere, eumque in omni humilitate, patientia, mansuetudine, caritate, constantia superare, nec in hoc unquam tepescat, juxta illud ad Phi-
Philipp. II, 3. lippenses : Nihil agatis per contentionem, neque per inanem gloriam, sed per humilitatem, superiores sibi invicem arbitrantes. Tunc ergo nos turpiter succubuisse noscamus ac deploremus, dum pro convitio convitium reddimus, dum alterius improbitate offendimur, dum illatam nobis injuriam vindicamus aut vindicare optamus, quum scriptum sit nobis : Noli vinci Rom. XII, 21.
a malo, sed vince in bono malum. Et Christus edocuit, ut in unam percussi maxil- Matth. V, 39.
lam, præbeamus et alteram. Unde et Jeremias solitarium verum describens : Dabit Thren. III, 30.
(inquit) percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis. Cujus rei perfectissimum præbuit se exemplar Christus, qui per Isaiam prædixit : Corpus meum dedi per- Is. L, 6.
cutientibus, et genas meas vellentibus ; faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me. Quid ad hæc dicturi sunt, qui pro levi verbo, pro forefacto permodico offenduntur, conqueruntur et ulciscuntur se ipsos ? Qualiter isti sequuntur Christi vestigia, qui hortatur, Qui Joann. XII, 26.
mihi ministrat, me sequatur ?

Præterea beatissimus pater noster Antonius de singulari fortitudine ac triumpho contra aerias potestates præcipue commendatur, quia ut S. Athanasius scribit, multipliciter ac gravissime a dæmonibus tentabatur, quibus invictissime ac victoriosissime resistebat. Tentationibus namque de vanitatibus et gloria mundi, de voluptatibus carnis, per fidem atque memoriam dominicæ passionis, per orationes assiduas, per jejunia magna et abstinentias arduas, per recordationes districtionis divini judicii infernaliumque flammarum, resistebat. His itaque modis etiam cunctis nos tentationibus reluctemur ; nec fatigemur animo in hujusmodi prælio, sed fide et spe roborati, Sanctorum quoque exemplis instructi, tanto robustius resistamus, tanto indesinentius ac ferventius exercitiis inhæreamus virtutum, passionemque Christi nostris inscribamus pectoribus, atque novissima nostra continue præmeditemur, quanto validius a diabolo, carne seu mundo tentamur. Non enim coronatur nisi II Tim. II, 5.
qui legitime certaverit : nec sunt condi- Rom. VIII, 18.
gnæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam æternalem, quæ præstabitur virtuose certantibus ; sed et bonorum laborum Sap. III, 15.

gloriosus et incomparabilis est fructus. A

Postremo sanctissimus pater Antonius etiam corporaliter a dæmonibus usque ad mortem semel et iterum durissime flagellatus est, ita quod vocem amisit et motum. In variis quoque ferarum formis a malignis impugnatus spiritibus, mansit invictus, nec formidavit reportari ac reverti ad foveam in qua fuerat tam dire percussus. Ejus ergo exemplis omnem puerilem abjiciamus formidinem, et constantes simus in Domino, cum Propheta dicentes : Dominus illuminatio mea et salus mea, *Ps.* XXVI, 1. quem timebo?

SERMO TERTIUS

CONTRA TEPOREM ; ET QUOMODO DIABOLI INSIDIÆ SPIRITUALI ALACRITATE VINCANTUR.

Q*UIS poterit similiter tibi gloriari?* B Eccli. XLVIII, 4.

Verba hæc de magno et admirabili illo Elia ad litteram scripta, de beatissimo patre Antonio digne accipiuntur. Hujus namque præclarissimi magni Antonii tanta est excellentia, tam admirabilis laus, tam singularia quoque præconia, ut de ipso valde specialiter asseratur : Non est inventus *Eccli.* XLIV, 20. similis illi, qui conservaret legem Excelsi ; et iterum, « Quis poterit similiter tibi *Ibid.* XLVIII, 4. gloriari ? »

Porro, quamvis debeamus eum utcumque pro viribus imitari, magis tamen positus est nobis in admirationem et humiliationem, quam in imitationem seu adæquationem : quatenus excellentiam suæ vitæ pensantes, nostram qualemcumque conversationem reputemus pro nihilo, et in humilitatis abyssum nos deprimamus. Quid ergo de eo refert ejus Legenda, imo Athanasius patriarcha, archipræsul et doctor? qui tantæ fuit auctoritatis in divinis Scripturis, quod nullus unquam ausus fuit eum negare, ut in prima parte Summæ D suæ recitat S. Thomas, quemadmodum nec Gregorium Nazianzenum, secundum B. Hieronymum. Inediæ (inquit) et vigiliarum tam patiens erat, ut credulitatem viribus vinceret : hoc est, tantis abstinentiis atque vigiliis se afflixit, ut credi non valeat. In orationibus pernoctabat sæpissime. Edebat semel in die post solis occasum ; interdum biduo ac triduo permansit jejunus, quarta die se reficiens. Sumpsit autem panem et sal, et potum aquæ permodicum. Membra vero quieti dans, junco contexto atque cilicio utebatur, et sæpe super nudam humum jacebat. — Ecce qualiter corpus suum jugiter castigavit, et in *I Cor.* IX, 27. servitutem animæ illud redegit. Si ergo vir tantæ innocentiæ, innocens corpus suum tractavit tam dure, quid oportet nos facere? Nam et ab immoderata sumptione C panis et aquæ docuit præcavendum.

Præterea, si magnum Sanctum hunc in prætactis corporalibus exercitiis assequi non valemus, saltem in interioribus exercitationibus cordis eum sequi conemur. Ipse etenim merita laborum suorum nequaquam temporum longitudine computavit, sed semper tanquam in principiis constitutus, ad profectum divini timoris se ipsum amore atque spontaneo excitavit obsequio, novis meritis cupiens semper augere præterita, memor Apostoli, qui testatur : Præterita obliviscens, in anteriora *Philipp.* III, 13. extendo me ipsum. Meminit quoque Eliæ prophetæ, dicentis : Vivit Dominus, in cu- III *Reg.* XVII, 1. jus conspectu sto hodie. Et disserebat cur *hodie* esset appositum : quia non computavit Elias præteritum tempus quo Deo servivit, sed tanquam quotidie in certamine positus, talem se cupiebat præbere

qualem sciebat esse dignum Dei conspe- A ctibus, utpote cor purum, divinæ voluntati obedire semper paratum. Ex his reprehenditur et damnatur cæcitas et ignavia nostra : qui quasi pro magno aliquo computare solemus aliisque referre, quod multis annis in Ordine fuimus ; et non potius verecundamur ac deploramus, quod in tot annis non solum tam parum profecimus, sed tantas demum culpas negligentiasque incidimus, atque a pristino fervore ita tepuimus, ut videamur inter illos posse com-
Matth. xxiv, 12. putari de quibus prædixit Salvator : Re- B frigescet caritas multorum. Resipiscamus ergo ab istis insaniis, et quotidie sicut nostra requirit professio, proficere enitamur, memores doctrinæ electissimi hujus Antonii, qui dicebat : Hoc sit primum et commune cunctis mandatum, nullum in arrepti propositi vigore lassescere, sed quasi quotidie inchoantem augere semper quod cœpit, præsertim quum humanæ vitæ spatia æternitati comparata, brevissima sint et parva. Ita exorsus, paululum siluit, et admiratus nimiam Dei largitatem, adjecit : C In præsenti vita æqualia sunt pro rerum commutationibus pretia ; promissa autem felicitas sempiterna vili pretio comparatur : nam brevi tempore hujus vitæ potest quis eam promereri ac adipisci.

Præterea, ultra præhabita adhuc magnæ nimis sunt excellentiæ virtuosissimi hujus Antonii. Nam inter illius temporis homines primus ingressus est eremum, quantum ad id quod sciebatur : nam quamvis gloriosissimus Paulus Thebæus ante introgressus fuisset desertum, hoc tamen tunc D latuit omnes. In hoc ergo patuerunt mentis suæ fervor, constantia, imperterritus animus, fortitudo ac confidentia, quod aviam et horrendam solitudinem sic intravit, et castellum vetustum venenatis animalibus plenum introiit tam audacter. Ad cujus adventum grandis turba serpentium quasi persecutionem passa, mox fugit. Ipse vero ibidem per viginti annos solitarius in tanto mansit silentio, quod nec cum apportantibus sibi panem bis in quolibet anno, ullum habuit verbum. Tanto ergo exemplo discamus corde constanti semper in Deo confidere, nec magis in nocte aut solitudine quam in die aut in frequentia hominum formidare ; in cella libenter sedere, silentium diligenter aut stricte servare, neque facile egredi aut vagari ; omne tempus fructuose expendere, et contra invisibiles hostes insuperabiliter dimicare. Nempe, ut idem sanctus dixit Antonius : Non potest mentem stabilire in Deo, qui non potest corpus suum servare in uno loco.

Insuper multis et ineffabilibus gratiarum muneribus decoravit Creator hunc Sanctum suum, et eremiticæ ac anachoreticæ vitæ principem et magistrum constituit eum. Primo itaque ornavit eum sublimiter gratia sapientiæ salutaris, scientia doctrinæ moralis, intelligentia Scripturarum, abundantia doctrinarum : ita quod Fratribus regulam vitæ eremiticæ sapientialiter contulit et præfixit, habuitque gratiam admirabilem in docendo, exhortando, consolando et corripiendo. Secundo ornatus fuit sublimiter gratia prophetiæ. Tertio, gratia ac virtute miraculorum. Quarto, desiderio sustinendi martyrium. Quæ omnia et alia privilegia ejus magnifica, patent in ejus Legenda : in qua tamen multa valde omissa sunt, quæ in Vitispatrum atque in voluminibus Cassiani pro parte habentur, ubi multa præclarissima ipsius documenta, gesta ac signa conscripta sunt. Qui inter cetera dixit : Magna arma contra dæmonum tentationes ac vitia, sunt vita sincera et fides ad Deum intemerata. Credite experto : pertimescit Satanas recte viventium vigilias, orationes, jejunia, mansuetudinem, voluntariam paupertatem, gloriæ vanæ contemptum, humilitatem, misericordiam, iræ dejectionem, et præcipue cor purum circa Christi amorem. Novit teterrimus coluber, se ex Christi præcepto jacere sub justorum vestigiis, quoniam Christus dixit : Ecce dedi vobis potestatem *Luc.* x, 19.
calcandi super serpentes et scorpiones, et super omnem virtutem inimici. Si alacres

in Deo fuerimus, et futurorum bonorum A inflammaverit nos affectus, si semper omnia Dei manibus committamus, et invocemus ejus indesinenter auxilium, nullus dæmonum nos expugnare valebit. Una est ratio vincendi diabolum, spiritualis lætitia ac jugis recordatio Dei.

Imitemur ergo, o fratres, hunc doctorem, ducem et principem omnium monachorum ; ejus exemplo strenue inchoemus, viriliter prosequamur, salubriter perseveremus. In professione ista monastica, non solum peccata in sæculo contracta non iteremus, B sed digne etiam deploremus, atque in omni virtute infatigabiliter crescere studeamus : reminiscentes quemadmodum quadam die præclarissimus pater Antonius quum orare cœpisset, sensit se raptum in spiritu, et in altum ab angelis ferri. Prohibentibus autem et impedire volentibus dæmonibus ascensum ipsius, sancti angeli causam renisionis quærebant. Quumque dæmones peccata Antonii ab exordio replicarent, angeli responderunt, non debere eos objicere peccata Antonii in sæculo C habita, quæ Christi pietate erant deleta, sed si aliqua incurrisset ex quo monachus fuit effectus. Quumque iniqui Sanctum multipliciter atque mendaciter accusarent, et probationes eis deessent, liber patebat Antonio sancto ascensus. Unde docemur, quam vile ac impium sit, post monasticæ vitæ professionem agere negligenter, nec tanta vocatione conversari condigne : quod nobis, heu ! pigris ac negligentibus, potissimum passionatis et quotidie recidivantibus, vehementissime est timendum. Tamen non desperemus, sed saltem de cetero memores simus nostræ professionis. Abnegare et frangere, mortificare et vincere studeamus nos ipsos, opusque Dei persolvere reverenter ; sobrie, juste et pie vivamus *Tit.* II, 12.
in cœnobio, et in omni custodia custodiamus *Prov.* IV, 23.
cor nostrum ; brevitatem vitæ præsentis et perpetuitatem sequentis assidue perpendamus, ut ita quotidie cum majori fervore ac spirituali jucunditate Domino serviamus. Pro quibus omnibus obtinendis ac adimplendis, beatissimum patrem nostrum Antonium non solum hoc die, sed et cunctis diebus vitæ nostræ devotissime invocemus, tanquam specialissimum omnium religiosorum patronum apud Altissimum, cui honor et gloria in æternum.

Cetera huic festo opportuna require in Communi Sanctorum.

IN FESTO

S. AGNETIS VIRGINIS

ET MARTYRIS

SERMO PRIMUS

DE VITA S. AGNETIS ; QUOMODO SIT IMITANDA ; ET QUID HOMO PER DIVINAM GRATIAM POSSIT.

MIRABILIS *Deus in Sanctis suis.* Ps. A
LXVII, 36.

Merito cantat sancta Ecclesia de Creatore universorum omnipotente : Deus, qui licet sis magnus in magnis, mirabilia tamen gloriosius operaris in minimis. Quod in beatissima virgine Agnete patet clarissime. Magnalia enim ac præclarissima fecit per eam Deus miracula : quæ sanctus doctor Ambrosius diligenter et eleganter descripsit.

Itaque magna et multiplex fuit excellentia hujus sacratissimæ virginis. Prima, B
quia quum adhuc non nisi tredecim esset annorum, tantam ei Spiritus Sanctus sapientiam atque constantiam præstitit, quod nullus ei gentilium quivit resistere; neque per prospera et blanda promissa, neque per adversa et comminationes atque tormenta potuerunt eam a Christo avertere. Quum enim B. Agnes, natione Romana, ex devotis, nobilibus et divitibus orta parentibus, esset speciosissima, filius præfecti Romanorum eam ardentissime habere concupivit uxorem. Et per se ipsum et per C
amicos allocutus est eam, omnemque mundi gloriam ac opulentiam ei promisit et obtulit. Quumque B. Agnes nullam ei audientiam daret, asserens se alium habere sponsum, ipso incomparabiliter nobiliorem, pulchriorem, sapientiorem, ditiorem, potentiorem et in amore sinceriorem, videlicet Christum, juvenis ille præ amoris vehementia infirmari et lecto cœpit prosterni. Porro pater juvenis, præfectus nomine Symphronius, his auditis, interrogavit quis esset sponsus de cujus excellentia se Agnes jactaret. Quumque audisset quod christiana exsistens, Christum diceret suum sponsum, præcepit eam præsentari suo tribunali, et primo seorsum blande eam hortabatur ut suo nuberet filio, deinde minas adjunxit ; sed nullo modo eam flectere potuit.

Secunda S. Agnetis excellentia est, gloria et potestas miraculorum quæ in ea et per eam fecit Altissimus. Quum enim præfectus fecisset eam nudari, ut nuda ad prostibulum duceretur et pollueretur ab omnibus, statim divina virtute crines ejus sic prolongati ac multiplicati sunt, ut eis aptius quam vestibus tegeretur. Ingressa autem turpitudinis cameram, invenit angelum Dei ibidem, qui locum illum copio-

sissima claritate implevit, candidissimam A quoque stolam præsentavit Agneti, quam induit ipsa. Interea præfecti filius adveniens, putans se virginem sanctam posse cognoscere, quum eam vellet amplecti, a diabolo præfocatus cecidit mortuus : quem paulo post ad præfecti instantiam B. Agnes resuscitavit. Qui resuscitatus, publice exclamavit : Unus est verus Deus Christianorum, et omnia idola vana sunt. Visis tot mirabilibus, obstupuit præfectus, recessitque tristis quod B. Agnetem non potuit liberare. Deinde Aspasius præfecti vicarius, B jussit in præsentia omnium magnum fieri ignem, et eam jactari in illum. Quo facto, mox in duas partes divisus est ignis, Agnetem non lædens, sed infideles hinc inde comburens. Tunc Aspasius jussit gladium gutturi ejus infigi. Sicque Christus eam sibi consecravit in sponsam ac martyrem.

Præterea, post obitum sanctæ virginis hujus, Deus eam magnis honoravit miraculis. Quum enim ad ejus sepulcrum Christiani orarent, irruerunt super eos pagani, et projectionibus lapidum quosdam læse- C runt et aliquos occiderunt. Sanctam quoque Emerentianam virginem, beatissimæ Agnetis consodalem et collactaneam, juxta illius sepulcrum lapidaverunt. Quo facto, ecce tot coruscationes atque tonitrua eruperunt, quod paganorum illorum pars maxima exspiravit. Dum etiam parentes S. Agnetis cum aliis Christianis ad ejus monumentum in orationibus pernoctarent, viderunt exercitum virginum aureis vestibus indutarum, inter quas conspexerunt B. Agnetem, atque ad dexteram ejus agnum D nive candidiorem. Quæ dixit parentibus : Videte ne me quasi mortuam lugeatis, sed congratulamini mihi, quia cum omnibus istis cœlestem mansionem accepi. Post hæc Constantiam virginem ac reginam, Constantini imperatoris filiam, toto corpore ulceribus ac vulneribus plenam, ad corpus S. Agnetis orantem, Deus precibus ac meritis S. Agnetis curavit plenissime. Alia quoque innumerabilia pene miracula de sacra virgine hac leguntur.

Ecce ex iis de beatissima Agnete breviter tactis, multipliciter informamur. Primo, quam infinita sit omnipotentia Domini nostri Jesu Christi, qui unam puellulam tredecim annorum, tantæ sapientiæ, tam mirandæ eloquentiæ, tam invictæ constantiæ, tam victoriosæ fortitudinis fecit. Merito dixit Apostolus : Omnia possum in eo *Philipp.* IV, 13. qui me confortat. Quemadmodum enim sine virtute et gratia Christi nil possumus, ita per fidem et gratiam ejus omnia possumus, præsertim quum ipse in Evangelio protestetur : Omnia possibilia sunt cre- *Marc.* IX, 22. denti. Unde et passione instante, dixit : Qui *Joann.* XIV, 12. credit in me, opera quæ ego facio et ipse faciet, et majora horum faciet, quia ego ad Patrem vado. Ideo nullus nostrum pusillanimis sit aut formidolosus in aggrediendo opera virtuosa et ad proficiendum in eis, considerando propriam infirmitatem, insufficientiam, instabilitatem ; sed speret in Domino, et ejus semper imploret auxilium, certus quod ipse Dominus Deus noster omnipotens sit, atque ad succurrendum paratus, dummodo fiducialiter et constanter ejus gratiosam invocemus opem ac adsistentiam. Nullus etiam culpam, imperfectionem, torporem et negligentiam suam insipienter excuset, dicendo : Non potui hoc aut illud malum vitare, seu bonum illud vel illud patrare. Hoc enim non est nisi peccatum peccato adjicere. Propter quod Deum rogavit Propheta : Non declines cor meum in verba *Ps.* CXL, 4. malitiæ, ad excusandas (id est excusatorie proferendas) excusationes in peccatis. Nempe si homo fecerit quod in se est, Deus indubitanter gratiæ suæ impendet subsidium ; nec ipse pius ac sapiens Deus impossibile aliquid præcipit aut requirit. Accusemus ergo semper ex corde nos ipsos humiliter, et occurrentia nobis adversa patienter feramus, dicentes illud Job : Peccavi et vere deliqui, et ut eram *Job* XXXIII, 27. dignus non recepi.

Secundo ex prætactis docemur, quam immensa sit misericordia et liberalitas Dei in suis electis, qui virginem illam S. Agne-

tem tam gratiosissime liberalissimeque A prævenit, tot gratiarum charismatibus eam replendo. Quum ergo (ut princeps Aposto-
Act. x, 34. lorum testatur) non sit personarum acceptor Deus, non diffidamus quin et nobis pauperrimis Deus æternus paratus sit pie ac liberaliter subvenire, et animas nostras virtutibus decorare, dummodo eum cum diligentia jugiter exquiramus, ei super omnia complacere, adhærere sinceriterque servire optantes.

Tertio, per hoc quod in præfata visione candidissimus agnus ad dexteram S. Agne- B tis apparuit, Deus monstravit quam magna fuit innocentia ac puritas hujus sacratissimæ virginis. Docemur quoque ex dictis, quanta agat omnipotens Deus pro suis Sanctis, et quantum virtutes ei complaceant, propter quas tanta operatur miracula.

Itaque et nos hujus prælectæ virginis imitemur virtutes. Si pro Christo tyrannorum persecutiones ac pœnas superare non possumus, saltem a propriis motibus inordinatis non superemur. Non vincamur ira, superbia, cupiditate, impatientia, aut concupiscentia carnis. Specialiter vero, o virgines et puellæ, pudicitiam, gravitatem, prudentiam, puritatem S. Agnetis sequamini, omnes levitates, loquacitates lasciviasque vitantes; et S. Agnetem in speciali honore habete, eam diligite, adspicite, invocate, ut cum ea æternam habeatis salutem.

AD RELIGIOSOS

SERMO SECUNDUS

DE FERVENTI ET PERFECTA CARITATE, ZELOQUE PROFICIENDI.

OMNIA *arbitror ut stercora, ut Chri-* C *stum lucrifaciam.* Philipp. III, 8.

Congruentissime verba hæc in beatissimæ virginis ac martyris Agnetis præconium, atque ad nostram ædificationem assumpta sunt.

Nempe, ut in ejus Legenda sanctus doctor refert Ambrosius, quum filius præfecti Romanorum amore virginis hujus inebriatus, omnia sæculi hujus pretiosissima ac speciosissima ornamenta, divitias et honores, voluptates atque familias promitteret, ipsa nullatenus est attracta, nec tali- D bus affectata, sed in puritate divini amoris immobilis perseverans, adolescenti increpatorium dedit responsum : Discede (inquiens) a me, fomes peccati, nutrimentum facinoris, pabulum mortis. Quid ad ista dicemus? Ecce una tredecim annorum puella, in divinæ dilectionis sinceritate exstitit tam perfecta, quod cum Apostolo verissime dicere potuit : Scio quia nec mors, Rom. VIII,
neque vita, neque creatura aliqua poterit 38, 39.
nos separare a caritate Dei. Et nos tot annorum curriculis veterati, tam cito tamque facile, imo et tam frequenter a caritatis puritate abducimur, inordinate afficimur, et in desideria prava dilabimur. Ubi est Job IV, 6.
timor noster, fortitudo nostra, patientia nostra, et perfectio viarum nostrarum? Etenim adhuc species decipit nos, et con- Dan. XIII,
cupiscentia subvertit cor nostrum : quia si 56.
aliquid curiositatis aut speciositatis seu appetibilitatis in rebus exterioribus, apud alios cernimus, mox illud appetimus, obtinere satagimus, aut simile nobis fieri procuramus. Heu, quam cito per prospera et adversa, per blanda et comminatoria, per dona, per obsequia, per laudes, honores atque promissa a rectitudinis limite labimur, a Deo abducimur, a fonte beatitudinis elongamur, nunc huc, nunc illuc

Prov. x, 25. impellimur! Et quum justus sit quasi fun- A
Ps. I, 3. damentum æternum, et tanquam lignum
circa aquarum fluenta plantatum, nos ni-
Ibid. 4. hilo minus instar pulveris vento projecti
a superficie terræ, per passionum immo-
derantias, per vitiorum inquietudines, per
iras, tristitias, vanitates undique agitamur.

Ecce admirabilis et præamabilis hæc
puella, a nobilissimo juvene illo tam amo-
rose affata, tot objectis fortissimis ab ipso
valide impetita, a rigore justitiæ non est
flexa, non molle et femineum dedit re-
sponsum, nec ullum ei ad se largita est B
aditum. Nos econtrario uno adulatorio aut
commendatorio verbo, aut modicæ exhibi-
tione reverentiæ emollimur, dejicimur, et
obliviscimur Domini Dei nostri, justitiam
relinquentes, et aliis in illicitis acquie-
scentes. Insuper, quum sacra hæc adole-
scentula ditissimorum esset proles paren-
tum, et tot ei temporalia præberentur, ad
nihil illorum inordinate afficiebatur : et
nos religionem ingressi, monasticam vi-
tam professi, ad paupertatem spontane-
am voto adstricti, nec solum obligati res C
ipsas relinquere, sed ipsas quoque cupidi-
tates e nostris cordibus funditus exstir-
pare, quatenus soli Deo toto corde affici-
amur, adhuc ad minima quæque atque
vilissima male accendimur, inordinatis af-
fectibus maculamur, ita quod si ea nobis
tollantur, pejorentur aut amittantur, non
mediocriter perturbamur. Numquid sim-
plificavimus corda nostra in Deo? Num-
quid constabilivimus nostros affectus in
eo? Numquid toto puroque corde diligi-
mus Deum? Heu! quod cum Apostolo et D
Philipp. III, 8. Agnete dicere non meremur : Existimo
omnia detrimentum esse propter eminen-
tem scientiam caritatis Domini nostri Jesu
Ibidem. Christi; et, Omnia arbitror ut stercora, ut
Christum lucrifaciam.

I *Esdr.* x, 2, 3. Et nunc si est pœnitentia super hoc,
percutiamus fœdus cum Domino Deo no-
stro, ut projiciamus alienos, carnales, sæcu-
lares affectus, quatenus tota nostra affectio,
intentio, occupatio sit in Deo. Non a nostra
Lev. x, 1, 2. excidat memoria, quod filii Aaron, Nadab
et Abiu occisi sunt quoniam ignem alie-
num in suo posuerunt thuribulo. Thuribu-
lum nostrum est mens nostra, in qua alie-
num succendimus ignem quoties pravis
inflammamur affectibus, quoties impati-
entia æstuamus, quoties iræ excæcamur
furore : ita quod ratione jam quasi sepulta
operamur insipienter, impetuose et inho-
neste, sic quod merito deridemur, nec
tamen advertimus : quoniam ira in sinu *Eccle.* VII, 10.
stulti requiescit; et qui impatiens est, ope- *Prov.* XIV, 17.
ratur stultitiam. Porro est alius ignis bo-
nus et optimus, de quo in Evangelio
loquitur Christus : Ignem veni mittere in *Luc.* XII, 49.
terram, et quid volo, nisi ut accendatur?
Ignis iste suaviter ardens, debet semper in *Lev.* VI, 12, 13.
cordis nostri ardere altari. Qui ignis est
caritas fervens ac sancta, in qua quotidie
crescere nos oportet, si ad perfectionem
tendere atque pertingere, prout nostra re-
quirit professio, volumus.

Præterea, forsan quis dicat : Quid mi-
rum si sacra virgo hæc Agnes tantæ fuit
perfectionis in caritate et animi firmitate,
quam tam gratiosissime ac copiosissime
Deus prævenit? Sed numquid abbreviata *Is.* L, 2; LIX, 1.
est manus Domini? Numquid apud Deum *Rom.* II, 11.
est personarum acceptio? Nonne prope *Ps.* CXLIV, 18.
est Dominus invocantibus eum? Nonne
abundantia pietatis suæ et merita suppli-
cum excedit et vota? Nonne si direxerit *Job* XXXIV, 14.
homo ad Deum cor suum, spiritum illius
et flatum ad se trahet? Cur ergo adjicimus *Eccli.* V, 5.
peccatum super peccatum, negligentias
nostras et pigritias excusando? Certe si
faceremus quod in nobis est, et cum omni
diligentia vitaremus peccata, omni quoque
diligentia custodiremus cor nostrum, et vi-
scera misericordiæ Dei nostri fiducialiter
ac incessabiliter invocaremus, non dubium
quin benignissimus Deus cito nos exaudi-
ret, atque splendoribus impleret animas *Is.* LVIII, 11.
nostras, charismatibusque supernis gratio-
sissime nos ditaret.

At vero si quæratur, quomodo electissi-
ma virgo hæc Agnes, in tertiodecimo vitæ
suæ anno, tantæ potuit esse perfectionis,
tanti fervoris, tantæ sapientiæ, tantæ quo-

que constantiæ; qualiter etiam in his poterimus eam sequi? Respondendum, quod Deus omnipotens, qui est mirabilis in Sanctis suis, istud operari facillime potuit, et sic fecit. Implevit intellectum virginis hujus fide firmissima cum rationibus credendorum, sapientiæ dono, sancta discretione. Implevit et voluntatem ipsius caritate præfervida, spe ingenti, fortitudine quæ est donum, timore castissimo. Ipsa demum bonæ inclinationis atque egregiæ indolis adolescentula, inspirationibus Spiritus Sancti promptissime acquievit, et gratiæ ejus cooperabatur, ac fervide laboravit pro incremento virtutum. — Sic ergo faciamus et nos. Audiamus quid loquatur in nobis Dominus Deus noster per divinos instinctus, per inspirationes angelicas, per Scripturarum eloquia, per suos vicarios nostros prælatos, et omnibus his prompte obtemperemus. Cooperemur gratiæ Dei, exsequendo viriliter ad quod illa inclinaverit, et pro incremento virtutum indefesse conemur. Unusquisque namque secundum laborem suum recipiet. Vult quippe supersapientissimus Deus ut paulatim perficiamur, et cum labore, tentationibus ac tribulationibus perfectionem adipiscamur : ut sic laborando ac patiendo, adeptam perfectionem magis appretiemur, diligentiusque servemus, nec pretiosissima Dei munera ex obtinendi facilitate parvi pendamus, sicque ea cito perdamus, et de ingratitudine ac recidivo gravius judicemur. Nempe, ut Salomon loquitur : Substantia festinata minuetur; quæ autem paulatim colligitur manu, multiplicabitur. Itaque cum gloriosa virgine ac martyre ista, immobilitetur cor nostrum in Deo, neque in cibo, potu, somno, vestitu, domicilio, aut aliis quibuscumque aliud intendamus, quæramus, aut acceptemus, nisi quod nobis accommodum necessariumve consistit ad serviendum complacendumque Deo.

Ps. LXVII, 36. — *Ps.* LXXXIV, 9. — I *Cor.* III, 8. — *Prov.* XIII, 11.

Amplius, in virgine sancta Agnete contemplemur, veneremur ac collaudemus A immensitatem pietatis ac munificentiæ Dei, qui eam tam benigne prævenit, et tam exuberantissima gratia locupletare dignatus est; omnipotentiam quoque Dei, qui tam supernaturaliter ac mirabilissime in hac ipsa operatus est virgine, cui tantam donavit sapientiam divinorum, tantam notitiam Scripturarum, tantam scientiam contra idolorum culturam, tantam item constantiam in adversis, roburque animi ad sustinendum martyrium, tam præclara demum miracula fecit per eam. B Sed et sapientiam Dei miremur in ea, quoniam supersapientissimo Conditori, qui infirma mundi elegit ut fortia quæque confundat, placuit per puellam hanc teneram, ætate tredecim annorum, expugnare, dejicere et sibi subjicere Romam. Tanta enim prodigia per S. Agnetem fecit Christus in vita et morte atque post mortem ipsius, quod pars maxima Romanorum, idololatria refutata, fidem Christi est amplexata.

I *Cor.* I, 27.

Invocemus ergo et honoremus virginem ac martyrem tam præclaram, et per C ipsam Dominum exoremus quatenus animas nostras tam copiose illustrare dignetur, tamque prævalide inflammare, ut affectuosissime contemplemur quam incomparabiliter sit Deus præ universis creatis amabilis, pulcher, dulcis, et appetendus ac honorandus : sicque ejus intuitu et amore omnia ista carnalia et terrena vilipendamus ut stercora, ut Christum lucrifaciamus, et nunc ei per caritatem simus semper conjuncti, et eum beatifice in regno possideamus cœlesti.

Philipp. III, 8.

D Postremo, quemadmodum innocentissima Agnes non solum exteriora hæc omnia, sed se ipsam quoque propter Christum reliquit, contempsit ac morti obtulit; ita et nos votum obedientiæ fideliter impleamus, prompte, caritative atque hilariter obedientes in omnibus, et nos ipsos Deo in holocaustum quotidie immolantes, cunctaque vana, curiosa, superflua resecantes. Ad laudem et gloriam Omnipotentis.

Cetera huic festo opportuna require de S. Catharina et in Communi Sanctorum.

IN FESTO

SS. FABIANI ET SEBASTIANI

MARTYRUM

SERMO UNICUS

DE PONTIFICIA DIGNITATE S. FABIANI, ET DE S. SEBASTIANI MARTYRIO, ET DE SERVANDA PATIENTIA.

HÆ *sunt duæ olivæ et duo candelabra in conspectu Domini stantes.* Apoc. XI, 4.

Beatissimi patres isti, Fabianus et Sebastianus, recte duæ olivæ vocantur, quia misericordiæ actibus pleni fuerunt; duo quoque candelabra, quia per lumen gratiæ ac sapientiæ in eorum cordibus positum, multos valde illuminaverunt.

Denique S. Fabianus civis fuit Romanus, qui juxta doctrinam Apostoli, non assumpsit sibi propria auctoritate honorem, nec semetipsum clarificavit ut pontifex fieret, sed a Deo tanquam Aaron est vocatus. (Hebr. v, 4, 5.) Quum enim defuncto Romano Pontifice, populus Romanus in ecclesia convenisset, essetque inter eos et Fabianus, columba candida super ipsius caput descendit: quo viso, omnes mirati sunt, atque in summum Pontificem eum concorditer elegerunt. Qui tertiodecimo sui pontificatus anno, jubente Decio imperatore, pro fide Christi est decollatus. Ex quibus ostenditur, quod vir fuit eximiæ perfectionis, utpote papalis dignitatis officio dignus.

Præterea beatissimus martyr Sebastianus, civis Mediolanensis, Diocletiano et Maximiano imperatoribus fuit tam carus, quod primæ cohortis ei contulerunt principatum, et suo adspectui voluerunt eum semper adstare. Ipse vero occulte fuit christianissimus, atque ob id tantum chlamydem detulit militarem, ut Christianos quos in tormentis vidit deficere, roboraret.

Hic gloriosissimus martyr propter multa valde laudabilis est. Primo, a suæ fidei firmitate, a suæ sapientiæ eminentia, a caritatis quoque fervore. Nam eos qui propter pœnarum acerbitatem, a fidei confessione, a caritatis ardore cadebant, sua fide ac sapientia ex fervidissima caritate corroboravit, illuminavit, accendit, ita quod martyrium corde pertulerunt constanti. Dum enim Romæ præclarissimi viri Marcellianus et Marcus, pro fide Christi fuerant decollandi, venerunt ad eos parentes eorum adhuc gentiles, et uxores cum filiis suis, ut per verba querulosa illos viros a fide retraherent. Mater namque ubera sua ostendens, discooperto capite, dixit: O prædulces filii, circumdat me intolerabilis mœror et luctus; perdo filios meos, sponte ad mortem tendentes. Pater quoque

senex inter servorum manus adductus, locutus est : Filiis meis ad mortem voluntarie pergentibus valedicturus advenio. O filii, senectutis meæ baculi, cur sic mortem diligitis ? Venite huc, juvenes, et flete super juvenes sponte morientes. Venite huc, senes, et mecum super filios meos plorate. Uxores autem eorum dixerunt : Quibus nos et hos pueros filios vestros dimittitis ? O quam ferrea pectora habetis, quia parentes despicitis, uxores abjicitis, filios abdicatis ! Inter hæc et multa iis similia, cœperunt virorum illorum corda mollescere. Tunc B. Sebastianus prorumpens in medium, dixit : O fortissimi milites Christi, nolite per misera blandimenta coronam perdere sempiternam. Parentibus quoque eorum locutus est : Nolite tristari ; non separabuntur a vobis, sed vadunt vobis parare sidereas mansiones : nam ab initio mundi vita hæc fallax fuit, et amatores suos fefellit.

Secundo S. Sebastianus laudatur ab excellentia miraculorum quæ Deus fecit per eum. Quum enim per verba prætacta et alia multa viros præfatos ad martyrium animaret, uxor muta Nicostrati (in cujus domo viri illi custodiebantur) in terram prosternens se, per nutus et signa veniam a sancto postulavit Sebastiano. Qui ait : Si vera sunt quæ dixi, aperiat Deus os feminæ hujus. Quo dicto, mulier illa clamavit : Benedictus sermo oris tui ; vidi enim angelum ante te librum tenentem, in quo scripta erant omnia quæ dixisti. Vir autem iis auditis et visis, procidens ad pedes S. Sebastiani, sibi postulavit indulgeri. Itaque Sebastianus non solum præfatos viros ad martyrium inflammavit, sed et parentes eorum convertit cum aliis multis. Quumque pater virorum illorum baptizaretur, a morbo gravissimo quo laboravit curatus est.

Quo cognito, Chromatius urbis præfectus, morbo laborans gravissimo, rogavit patrem illum ut ad se Sebastianum perduceret. Quumque S. Sebastianus venisset ad eum, rogavit ut curaretur. Respondit

A Sebastianus, ut primo idola abnegaret, et ea in domo sua a se frangi permitteret. Sicque B. Sebastianus et Polycarpus sacerdos plus quam ducenta idola confregerunt in domo præfecti. Quo nondum sanato, dixit Sebastianus : Quum, nobis idola confringentibus, nondum curatus sis, certum est quia aut infidelitatem nondum abnegasti, aut aliqua idola reservasti. Tunc præfectus indicavit se habere thalamum in quo descripta fuit omnis disciplina dispositioque stellarum. Et Sebastianus : B Quamdiu, inquit, opus illud integrum habueris, te ipsum integrum non habebis. Annuente ergo præfecto ut destrueretur, filius ejus Tiburtius egregiæ indolis, dixit : Non patiar destrui opus tam nobile, nisi duo clibani accendantur, quatenus Sebastianus et Polycarpus in eis comburantur, si pater meus non receperit sanitatem. Cui Sebastianus : Fac ita. Dum itaque opus illud confringebatur, angelus Dei præfecto apparuit, et sibi a Christo sanitatem jam redditam nuntiavit. Sicque ipse et filius C ejus Tiburtius, et alii ex ejus familia mille et quadringenti, sunt baptizati. Post hæc quum S. Tiburtius jussu judicis infidelis super prunas transisset ardentes illæsus, dicens, Videtur mihi quod super rosas incedam, decollatus est. Marcellianus vero et Marcus stipiti sunt affixi, et lanceis per latera transverberati. Pater quoque eorum, nomine Tranquillinus, quum uxorem Nicostrati audisset pro fide occisam, ait : Feminæ nos præcedunt per martyrium ad coronam : ut quid vivimus ? Sicque post D paucos dies est lapidatus.

Tertio commendatur beatissimus Sebastianus a fortitudine animi, et glorioso martyrio suo. Diocletianus enim prædicta percipiens, jussit Sebastianum in campo ligari, et a militibus sagittari. Qui eum ita impleverunt sagittis, ut videretur quasi hericius. Verumtamen post paucos dies veniens S. Sebastianus, stetit supra gradus palatii, et imperatores de suis crudelitatibus contra Christianos dure redarguit. Dixitque Diocletianus : Istene est Sebastianus

quem sagittari præcepimus ? Respondit A Sebastianus : Ad hoc Deus me resuscitare dignatus est, ut de malis quæ Christianis irrogatis, vos increpem. Tunc Diocletianus jussit eum fustibus cædi quousque spiritum exhalaret. Corpus etiam ejus fecit in cloacam jactari, ne a Christianis pro martyre coleretur. Sanctus vero Sebastianus, sequenti nocte S. Luciæ apparens, præcepit ut inde tolleret corpus suum, atque ad pedes Apostolorum id sepeliret. Quod illa complevit. Ecce quantum fructum, quanta bona, quanta mirabilia per B Sebastianum sanctissimum operatus est Deus, quantum exaltavit per eum fidem catholicam.

Præterea ex passione S. Sebastiani docemur ad multa. Primo, ut omnem vitæ præsentis despiciamus prosperitatem, nec ob aliquem humanum favorem, laudem vel gloriam temporalem, relinquamus justitiam et Dei timorem. Ecce enim vir ille tam gratiosus tamque egregius, et omni temporali prosperitate ita præfulgens, qui etiam in donis naturæ fuit miro modo do- C tatus, quam fortiter ac plenarie sprevit omnia prospera sæculi, divitias, delicias et honores, principumque favores, nec alia formidavit adversa. Consideremus ergo vanitatem atque fallacias hujus brevissimæ vitæ, et omnem ejus prosperitatem, quæ ad perpetuam ducit calamitatem, pro nihilo reputemus ; quidquid vero ad æternam beatitudinem nobis proficuum est, amplectamur, et ob illam adipiscendam cum gaudio patiamur adversa. Unde ex passione præelecti et sancti Sebastiani docemur, in omni adversitate et tribulatione inconcussam patientiam conservare. Erubescamus ergo de impatientia nostra, quod nec modicum volumus pati pro Deo, imo nec pro propria salute, sed pro uno verbo aut signo indignamur, irascimur, perturbamur, obloquimur, conquerimur, invidemus, et pro posse vindicamus nos ipsos. Ubi ergo manebimus, qui a Sanctorum vestigiis tam longe, imo tam infinite distamus?

Emendemus ergo nos ipsos, et sanctum invocemus Sebastianum, ut oret pro nobis, gratiamque sequendi sua vestigia nobis impetrare dignetur : quatenus etiam ejus exemplo in Dei et proximorum ferveamus dilectione, et plena spe confidamus in Domino, atque in bonis quotidie usque in finem proficiamus. Ad laudem et gloriam Creatoris.

IN FESTO

S. VINCENTII MARTYRIS

SERMO PRIMUS

DE VITA ET MARTYRIO S. VINCENTII ; ET DE SERVANDA MAGNANIMITATE ET TRANQUILLITATE INTERNA.

L*ABORA sicut bonus miles Christi.* II Tim. II, 3.

Istud apostolicum documentum invictissimus et victoriosissimus Vincentius plenissime adimplevit : si tamen laborasse dicendus est, qui omnia ex tam fervida caritate tamque promptissima egit ac pertulit mente. Hujus namque præclarissimi martyris multæ et magnæ sunt laudes, excellentiæ ac virtutes.

Prima laus ejus est, perfectio suæ magnanimitatis. Erat quippe magnanimus valde. Nam dum beatus iste Vincentius, genere nobilis, et S. Valerii præsulis diaconus, cum præfato suo episcopo jussu Daciani præsidis Hispaniæ, fuisset post diram incarcerationem Daciano præsentatus, et B. Valerius Daciano eum mendaciter objurganti mititer respondisset, dixit ei S. Vincentius : Noli, o pater venerabilis, quasi trepidus submurmurare, sed libera voce exclama. Si ergo jubes, pater sancte, judicem responsis aggrediar. Sicque annuente episcopo, dixit Daciano gloriosus Vincentius : Nefarium apud Christianorum sapientiam scias esse, summi Dei cultum abnegando blasphemare. Hæc quoque magnanimitas S. Vincentii in ceteris ejus patebit responsis ac verbis.

Secunda laus est, ejus fortitudo et pa- A tientia maxima, imo et jucunditas atque securitas admirandæ in suppliciis crudelissimis ac antea inauditis. Iratus etenim Dacianus propter magnanimam responsionem Vincentii, S. Valerium in exsilium misit ; Vincentium vero, tanquam præsumptuosum contumacemque juvenem, in equuleo fecit distendi, et membris omnibus dissipari. Dixitque ei : Ubi nunc miserum tuum conspicis corpus, Vincenti? Subridens S. Vincentius : Hoc est, inquit, quod semper optavi. Insurge, miser, et B toto malignitatis spiritu debacchare ; videbis me Dei virtute plus posse, dum torqueor, quam te qui torques. Tunc præses præ furore clamans, cœpit tortores virgis ac fustibus verberare. Dixit ergo felix Vincentius : Quid dicis, Daciane? Ecce tu ipse me vindicas de tortoribus meis. Ad hæc præses insaniens, dixit tortoribus : O miserrimi, nihil facitis? Tunc illi ferreos pectines usque ad intima costarum vincentis Vincentii infixerunt, in tantum quod intestina Vincentii videbantur. Cui locutus est C Dacianus : Miserere tui, Vincenti, ut quæ supersunt tormenta evadas. Respondit Vincentius : O venenosa diaboli lingua, tormenta tua non timeo. Nil de suppliciis minuas, ut te victum in omnibus fatearis. Mox jussu Daciani S. Vincentius super

craticulam positus, igne assatur. Dumque A sanguine ejus flamma respergitur, vulneribus vulnera imprimuntur. Sal quoque in ignem projectum, in vulnera S. Vincentii resiliens, flammas auxit et pœnas multiplicavit : sicque sagittæ dolorum usque ad viscera intraverunt interna. Quumque de corpore viscera ipsa elaberentur, mansit beatissimus martyr, Dei virtute immobilis, constans, invictus. Tunc Dacianus præcepit eum teterrimo carceri mancipari, pedesque ejus ligno infigi, et eum super testas fractas acutas extentum relinqui. Et B factum est ita. Ecce quam immanissima et inaudita supplicia pertulit miles iste fortissimus pro Rege cœlesti, quam incredibilem mentis tranquillitatem, quam miram constantiam in tam pœnalissimis habebat tormentis.

Tertia laus S. Vincentii est, eminentia miraculorum, ad declarationem sanctitatis ejus a Deo factorum, tam in passione ipsius quam postea. Quum enim modo prætacto relictus esset in carcere fortis Vincentius, Christus carceris tenebras commutavit C in splendidissimam lucem, asperrimas testas in suavissimos flores, et pedes martyris dissolvit a ligno. Angeli quoque descendentes, visitaverunt et consolabantur martyrem. Quumque et ipse cum angelis psalleret super flores deambulans, modulatio dulcis ac mira florum suavitas procul diffundebantur. Videntes autem custodes quæ fiebant in carcere, ad fidem conversi sunt. Quibus auditis, velut amens effectus Dacianus, locutus est : Quid ei amplius faciemus? Ecce enim jam victi D sumus. Sed ne eum faciamus gloriosiorem, transferatur ad mollem lectum. Quo facto, beatissimus martyr tradidit spiritum. Tunc Dacianus jussit corpus ejus in campo ad devorandum avibus bestiisque exponi. Sed corpus sacrum ab angelis sanctis custodiebatur. Quo cognito, dixit Dacianus : Puto quod nec mortuum potero superare. Præcepitque corpus sanctissimi martyris, mola ingenti alligata, in mari demergi, ut a marinis belluis devoraretur. Sed corpus sacrum prius ad littus ejectum est, quam nautæ ad terram regredi potuerunt. Quod a Christianis, ipso revelante, repertum est, venerabiliterque sepultum.

Ex his gloriosi martyris hujus triumphis saluberrime informamur. Primo, ut veram habere magnanimitatem conemur. Dicunt autem philosophi atque theologi, quod magnanimitas est circa magnos honores, quoniam ad magnanimum pertinet agere ea quæ magno honore sunt digna, videlicet opera excellenter virtuosa. Unde ad magnanimum pertinent tardus motus, vox gravis, locutio stabilis ; de rebus quoque vilibus, parvis et impertinentibus non se intromittere. Itaque vana et vilia aspernemur, levitates, discursus, cachinnos, instabilitates et loquacitates vitemus, et juxta doctrinam Apostoli, meliora et viciniora *Hebr.* VI, 9.
saluti quæramus et operemur. Videmus in sæculo, quod homines arduissimis causis intenti, seu coram principe stantes eique colloquentes, parva, vana et levia non advertunt, sed corde intento prosequuntur quod eis incumbit. Quum itaque causam habeamus vere incomparabiliter arduam cum Rege cœlesti, judice summo, videlicet animarum nostrarum operari salutem, et ipsi Altissimo debitam impendere servitutem, quid nobis cum vanis et frivolis rebus? Cur propter modica perturbamur, et circa inutilia occupamur, et non potius, juxta apostolica documenta, Deo cum metu *Ibid.* XII, 28.
ac reverentia deservimus, atque cum timore et tremore nostram operamur salutem? *Philipp.* II, 12.

Insuper, Aristotele protestante, magnanimus est aspernativus, quia despicit alios. Quod intelligendum non est, quasi naturam aut personam alicujus despiciat secundum se ipsam, sed despicit alios in quantum a virtute deficiunt culpabilesque consistunt ; nec tantum quemquam appretiatur, ut pro eo aliquid indecens operetur. Unde de viro justo ait Propheta : Ad nihilum deductus est in conspectu ejus *Ps.* XIV, 4.
malignus. Verumtamen alios veneratur secundum quod dona Dei in eis intuetur. Propter quod subjunxit Propheta : Timen- *Ibidem.*

tes autem Dominum glorificat. Istud in S. Vincentio evidentissime patuit. Dacianum enim, quamvis in sæculo magnum, tamen ut persecutorem atque idololatram vehementer contempsit, derisit, abhorruit. Ita et quilibet nostrum in primis spernat se ipsum, in quantum defectuosus est et peccator. Peccatores quoque in generali, in quantum tales sunt, contemnamus, ita ut eis in vitiis sociari et communicare, corde integro renuamus.

Secundo, ex passione S. Vincentii edocemur, ut in adversitatibus quamvis magnis, internam servemus pacem et tranquillitatem ; nec instar puerorum statim turbemur, nec velut stulti in affectione mutemur, sed stabiles simus et radicati in bono; nec turbulentiæ ac iracundiæ verba fundamus, quemadmodum sacer Vincentius in tam crudelissimis pœnis, tam tranquille loquebatur, tam sapienter respondebat, quasi alius fuisset qui loquebatur, et alius qui patiebatur.

Tertio, instruimur ex prædictis, quam immensa sit Christi potestas, qui tot mirabilia egit in passione Vincentii, et quanta sit firmitas fidei christianæ, pro cujus confirmatione tot miracula fecit Omnipotens; quam mirabiliter quoque vitia mentem excæcant, eo quod Dacianus et alii multi tyranni ac perfidi, ex tot et tantis miraculis, quæ non nisi divina fieri quibant virtute, non fuerunt conversi, sed gravius indurati, magicis artibus omnia imperitissime adscribentes. Ideo quasi a facie basilisci fugiamus peccata, [*Eccli.* XXI, 2.] ne propriæ culpæ obtenebremur malitia, sicque de propria salute parum aut nihil curemus; sed fonti totius lucis ac gratiæ semper appropinquare conemur, ut ab ipso quotidie gratiosius illustremur, et coram Deo sollicitius ac fructuosius conversemur.

AD RELIGIOSOS

SERMO SECUNDUS

ITERUM DE MAGNANIMITATE ; ET QUAM FERVENTER DESIDEREMUS CORRIPI ET PATI.

E*XIVIT vincens ut vinceret.* Apoc. VI, 2.

In admirabili, magnanimi ac victoriosissimo martyre Dei Vincentio, multa nobis proponuntur, omni consideratione ac imitatione dignissima.

Primo, magnanimitas ejus. Quum enim cum sancto patre suo Valerio præsule oblatus fuisset persecutori atrocissimo Daciano, et S. Valerius leviter respondisset tyranno, dixit Valerio victoriosus Vincentius : Noli, o venerabilis pater, quasi timida mente submurmurare, sed libera voce exclama. Si ergo præcipis, sancte pater, judicem responsis aggrediar. Ecce quam magnanime, quam imperterritum ac nobile cor, omni fide atque constantia plenum, ex quo tam liberrima verba profluxerunt. Implevit certe Vincentius, miles Christi, quod rex ejus Christus præcepit : Nolite (inquiens) timere eos qui corpus occidunt, [*Matth.* x, 28.] sed eum qui potestatem habet corpus et animam perdere in gehennam. Ea igitur magnanimitate, fide, constantia et fervore, quibus præclarissimus martyr iste contra hostem pugnavit visibilem, nos contra hostes invisibiles præliemur. Et sicut electus Vincentius Daciano respondit, nefarium apud Christianorum prudentiam esse, cognoscere Deum et negando blas-

phemare ; ita et nos, tentati dicamus dia- A bolo, utpote quotiescumque nos sentimus graviter impugnari ab illo : Nefarium esse scias, male agendo Deum negare. Siquidem non verbis dumtaxat, sed factis quoque
Tit. I, 16. Deus negatur, dicente Apostolo : Dicunt se nosse Deum, factis autem negant. Itaque, quum unicuique domino sit tanto diligentius ac reverentialius serviendum, tantoque promptius obediendum, quanto major est dominatio ejus, quanto sublimior digniorque consistit, et Deus sit infinitæ atque omnino incomparabilis majestatis, B honorabilitatis ac sanctitatis : nonne facto commissionis et negligentia omissionis
Jer. XLVIII, 10. Deum negare probatur, qui opus ejus efficit negligenter, qui in divinis torpore et sopore deprimitur, qui coram Altissimo intimorate aut inobedienter se habet, qui sine advertentia orat et psallit, qui puerilibus levitatibus, vanitati ac risibus audet se occupare etiam tempore divinorum ? Vitemus ergo hujuscemodi mala, et Deo
Hebr. XII, 28. superdignissimo ministremus sicut oportet, cum metu et reverentia, et hoc mente C semper humillima : utpote pauperes fragilesque vermiculi coram illo cui cœlorum
Dan. VII, 10. exercitus cum tremore adsistunt, corde ineffabiliter reverentiali ac humili.

Præterea, absit a nobis timor omnis mundanus, timor carnalis, timor etiam pure servilis, sed et timor nocturnus et puerilis formido. Non vereamur aspera pati, penuriam sustinere, persecutiones af-
Act. XIV, 21. flictionesque tolerare : quum per multas tribulationes oporteat nos intrare in re-
II *Tim.* III, 12. gnum cœlorum, et omnes in Christo pie D vivere cupientes, persecutiones varias patiantur. Nec quum in solitudine aut tenebris sumus, expavescamus ; sed fide, spe, caritate, sapientia et fortitudine sic stabiliamur in Deo, ut cum sancto Job dicere
Job XXXI, 34. valeamus, Si expavi ad multitudinem ni-
Ps. III, 7. miam ; et cum Psalmista : Non timebo millia populi circumdantis me. Qui rursus
Ps. XXVI, 1. fatetur : Dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo? Si certissime credimus Deum esse vitæ nostræ protectorem, et animarum nostrarum illuminatorem ac beatificatorem, cur inordinate timemus, quum et Salomon in Proverbiis dicat, Justus quasi leo confidens absque *Prov.* XXVIII, 1.
terrore erit? Nam et si corporalia infligantur, hoc majoris gratiæ in præsenti, abundantiorisque gloriæ in futuro erit occasio, si patienter feratur. Propter quod princeps Apostolorum : Quis est (inquit) qui vobis I *Petr.* III, 13.
noceat, si boni æmulatores fueritis? Hinc cum Michæa dicamus : Quum sedero in *Mich.* VII, 8.
tenebris, Dominus lux mea est. Ipsi etenim I *Petr.* V, 7.
cura est de nobis, ita ut confidenter dicamus : Dominus sollicitus est mei. Idcirco *Ps.* XXXIX, 18.
nos ei fiducialiter committamus, parati ad omnia quæ ipse nobis voluerit evenire.

Secundo, in beatissimo athleta Dei Vincentio specialissime nobis commendatur ac imitanda proponitur patientia. Tanta namque tormenta patientissime tulit, ut ejus respectu parvi pendere compellamur quidquid adversitatis et tribulationis occurrerit nobis. Quid ergo sustinuit? Certe Daciano jubente, in equuleo est suspensus et membris omnibus dissipatus. Deinde pectines ferrei usque ad costarum ejus intima sunt infixi, ita ut ex toto ipsius corpore sanguis efflueret. Compaginibus quoque costarum solutis, viscera patuerunt interna. Post hæc super craticulam est assatus, crematus, cunctisque membris ipsius ferrei unci et laminæ ardentes intrusa sunt ; flamma quoque sanguine ejus respersa, vulneribus vulnera imprimuntur. Sal insuper projecerunt in ignem, quatenus in vulneratum corpus ipsius undique resiliret, sicque stridentibus flammis crudelius torqueretur. Tunc non ad artus, sed ad viscera ejus tela injecta sunt, ita quod interna ipsius viscera extra mox labebantur. Inter quæ omnia admirabilis martyr mansit immobilis, elevatisque oculis Dominum exoravit. Quid horum comparatione est nostra adversitas? Utinam multitudinem magnitudinemque nostrorum adverteremus excessuum, quotidianarumque negligentiarum irreverentiam et abusionem ;

non dubium quin impleremus quod Judith A admonuit : Non ulciscamur nos (inquiens) pro his quæ patimur ; sed reputantes peccatis nostris hæc ipsa supplicia esse minora, flagella Domini, quasi servi qui corripimur, ad emendationem, et non ad perditionem nostram, evenisse credamus. *Judith* VIII, 26, 27.

Præterea, si tanta passi sunt martyres sancti absque suis demeritis, imo pro sanctis actibus suis, quid est quod nos peccatis atque defectibus pleni, pro nostris demeritis parva et minima pati renuimus? Imo corripi vix dignamur, vix ea nobis B dici permittimus, vix admonitionem et informationem suscipimus : similes, imo omnino pejores et stolidiores phreneticis, medicorum ac patrum suorum manum mordentibus et curari nolentibus. Sic amor privatus, sic passiones et vitia mentem inebriant, ut nil suæ advertat salutis, malitque divini judicii reservari rigori, quam corripi caritative, et corrigi modice in præsenti, non intuens quam horrendum sit incidere in manus Dei viventis. Porro quis negotiator tam stultus est, qui non C æquanimiter ferat tempestatem aliquam, ventum ac pluviam in via, si certus sit maxima lucra se adepturum in urbe ad quam tendit? Invocemus Deum instanter, ut mentes nostras copiose illustrare dignetur, quatenus clare intelligamus quantum peccata noceant animæ, quantum adversa prosint eidem : ut sic in adversis magis quam prosperis gloriemur, potiusque optemus corripi quam laudari, nec magnum quid arbitremur quod pro peccatis nostris correpti æquanimiter sustinemus. Audia- D mus quid princeps dicat Apostolorum : Nemo (inquit) vestrum patiatur ut fur, aut homicida, aut maledicus. Hoc equidem ait, non quasi non debeamus pro nostris peccatis correctionem seu pœnam patienter suscipere, sed ne peccemus, et ne mereamur puniri ut rei. Et quoniam non est magnum pro propriis culpis pœnam perferre, quum hoc requirat justitia, idcirco idem Archiapostolus addit : Hæc est gratia, si propter conscientiam Dei sustinet quis tristitias patiens injuste. Quæ est enim gratia, si peccantes et colaphizati suffertis? Si autem benefacientes sustinetis, hæc est gratia apud Deum : in hoc enim vocati estis. Si ergo juxta hæc apostolica documenta istud ad quemlibet pertinet Christianum, quanto magis ad religiosos? *Hebr.* X, 31. *I Petr.* IV, 15. *I Petr.* II, 19-21.

Quæ quum ita se habeant, quam longe distant a perfectione, imo quam nihil habent de ea, qui pro suis correpti excessibus, indignantur et murmurant, obloquuntur, irascuntur, et ultionem proponunt, præsertim qui mendaciter se excusant, seu culpam suam retorquent in alios, aut quavis palliatione vel calliditate occultant, colorant sive alleviant eam? quum et capitalis sententiæ reus peccet mortaliter, veritatem negando de crimine propter quod esset interficiendus, dum judex eam requirit ab eo, loco et tempore opportunis. Tunc enim eam manifestare in tantum tenetur, ut nec mortis periculum seu formido eum a mortali excuset, nisi eam propalet. Quam detestabile ergo est in homine religioso, modicam correptionem et utilem confusionem sic abhorrere, ut suam deneget aut palliet culpam? Quod ipsa culpa præterita multo culpabilius est, et ex elatione procedit : unde excusatio in peccatis, fertur superbiæ comes. Talibus in Evangelio loquitur Christus : Vos estis qui justificatis vos ipsos coram hominibus; Deus autem novit corda vestra. *Luc* XVI, 15.

Humiliemus ergo nos ipsos in omnibus, et propria bona (si quæ sint) recitando, declinemus magis ad minus ; propria vero mala recognoscendo, declinemus potius versus majus : semper tamen vitando mendacium. Et beatissimi atque gloriosissimi martyris hujus sequamur vestigia, in omni magnanimitate, fide, fervore, patientia atque constantia.

SERMO TERTIUS

DE EXSTIRPANDIS VITIIS, VIRTUTIBUSQUE VARIIS BEATISSIMI VINCENTII EXEMPLO IMITANDIS.

A QUI *vicerit, faciam illum columnam in templo meo.* Apoc. III, 12.

Multiplex fuit Vincentii sancti victoria. Vicit enim invisibiles hostes, vicit ferocissimum tyrannum et ejus crudeles ministros, vicit se ipsum, vicit adversa et prospera mundi.

Vicit invisibiles hostes, eorum suggestionibus non consentiendo, sed resistendo ac prævalendo, divinum invocando subsidium, passionem reminiscendo dominicam, et providendo sua novissima. His modis debemus et nos tentationibus relu- B ctari ac triumphare. Nunquam audiamus acediæ spiritum, tarde surgendo ad Matutinas, pigre accedendo ad chorum, et persolvendo insipide Horas, aut ad divina habendo fastidium. Et quia sine Dei auxilio nil valemus, opem et adsistentiam Spiritus Sancti incessabiliter et affectuosissime
Ps. xc, 1. imploremus. In adjutorio Altissimi habitemus, ut in protectione ipsius moremur atque ab omni periculo protegamur. Dicatque unusquisque nostrum Deo ex corde :
Ibid. 2. Susceptor meus es tu, et refugium meum; C Deus meus, sperabo in eum. Tunc enim
Sap. v, 17. utique dextera sua teget nos, et brachio suo defendet nos. Nullus nostrum tam præsumptuosus temerariusve consistat, ut de
Ps. LI, 9. eo vere dicatur, Ecce homo qui non posuit Deum adjutorem suum, sed speravit in multitudine divitiarum suarum, hoc est propriorum meritorum; quum tamen simus incerti an opera nostra fuerint an
Eccle. IX, 1. sint meritoria : utpote incerti de exsisten-
I Cor. XIII, 1-3. tia nostra in caritate, sine qua nihil meritorium esse constat. Et quamvis agnosce- D remus hoc ipsum, non tamen in nobis ipsis vane et insipienter, sed in Deo grate atque humiliter gloriari nos oporteret.

Deinceps, quoniam nihil occurrit tam adversum ac durum quod non æquanimiter toleretur, si passio Filii Dei digne ac intime recolatur; idcirco contra universa diabolica tentamenta, muniamus et armemus nos assidua dominicæ passionis memoria, quæ aureis litteris ex sanguine Christi confectis, sit cordi nostro indelebiliter semper inscripta. Quis enim de sua elatione, impatientia, ira, aversione, carnalitate, acedia, delectatione sensuali, non erubescat, si efficaciter recordetur quæ, quanta, et qualia propter nos Deus sustinuit incarnatus ? Profunda quoque consideratio districtionis divini judicii, infernalium etiam tormentorum et cœlestium gaudiorum, ac mortis amaræ, quæ indesinenter propinquat omni instanti, omnem depellit torporem et culpam, quemadmodum ait Scriptura : Memorare novissima *Eccli.* VII, 40.
tua, et in æternum non peccabis. Hinc ea quæ Ordinis sunt ac cultus divini, prompto ac hilari animo exsequamur. Pigrum namque et tepidum ex ore suo evomit *Apoc.* III, 16.
Christus ; negligens vero et inobediens, *Jer.* XLVIII, 10.
maledictus in Scripturis asseritur.

Insuper nullatenus audiamus, sed detestemur ac fugiamus iracundiæ spiritum, impatientiæ impetum, furoris impulsum : ne jam non assimilemur mansuetissimo patientissimoque Vincentio, sed ejus persecutori, sævissimo Daciano, quem (Augustino teste) magis afflixit mentis insania, plus vastavit iracundiæ furor, atque impatientiæ impetus gravius perturbavit, quam Vincentium sanctum tormenta. Absit ut aliquis nostrum intus sic deordinetur per iram et vitii cujuscumque impulsum, ut instar Daciani sacrilegi, instigatorem mali diabolum, interioremque inquietudinem et

irrationabiles motus suos, foris per turbu- A lentiam vultus, visus indispositionem ac gestus alios inhonestos ac bestiales ostendat, et alios graviter scandalizet, se ipsumque faciat vilipendi ac derideri. Siquidem sceleratissimus Dacianus per truces ardentesque oculos, per vultus minaces, per clamores brutales, atque totius corporis sui turbulentissimos motus, habitatorem suum diabolum demonstravit. Absit ut Christianus, præsertim religiosus, impium illum sequatur. Verumtamen quidam hoc facere non verentur, neque de tanta sua B contemptibilitate, bestialitate ac pravitate, sicut oportet verecundantur : imo levi occasione, pro modico verbo aut correptione taliter commoventur, tam turpiter alterantur. Potius vero sectetur tranquillitatem, mititatem patientiamque Vincentii, qui in tam inhumanissimis constitutus suppliciis, tam quiete, tam ordinate ac sapienter respondit, quasi non ipse sed alius cruciaretur : imo quasi non sensisset supplicia. Itaque, sicut sol diffusione sui luminis tenebras aeris expellit ac nebulas : sic C ratio nostra fide ac dono sapientiæ decorata virtutibusque armata, vitiorum caligines, passionum tumultus, motus brutales, ignorantias et errores ejiciat et exstirpet; sensitivam irradiet, regat ac sibi subjiciat partem, totamque animæ illuminet regionem.

Præterea hostes visibiles, utpote persecutorem ferocissimum et ejus ministros tortores, vicit gloriosissimus Dei miles Vin-
Rom. XII, 17. centius, non repercutiendo, non malum pro malo reddendo, sed omnia sibi illata D supplicia patientissime sustinendo. In hoc igitur eum sequi non differamus, sed sicut de Domino ac capite nostro summus ait
I *Petr.* II, 23. apostolus Petrus, Quum malediceretur, non remaledicebat; quum pateretur, non comminabatur, tradebat autem se ipsum judi-
Jer. XI, 19. canti injuste ; et tanquam agnus mansue-
Is. LIII, 7. tus qui portatur ad victimam, ductus est ad occidendum, et velut ovis coram tondente obmutuit : ita et nos in cunctis adversitatibus, infirmitatibus, persecutionibus, increpationibus, correctionibus patientes simus et maneamus tranquilli; nec in omnibus his peccemus labiis nostris, nec stul- *Job* I, 22. tum quid contra Deum loquamur, ut cum Propheta dicamus : Ego autem tanquam *Ps.* XXXVII, 14, 15. surdus non audiebam, et sicut mutus non aperiens os suum ; et factus sum sicut homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones. Sic se habuit sanctus David, quum a viro Belial Semei impiis- II *Reg.* XVI, 5 et seq. sime calumniis ac maledictionibus infestaretur. Non sequatur aliquis nostrum Achillem, qui fortis fuit omnia ulciscendo, sed potius Socratem, qui fortis fuit omnia æquanimiter tolerando, et in domo sua patientiam didicit quam foris exhibuit. Ita et nos in cellulis nostris, per orationes assiduas, per dominicæ passionis memorias cordiales, per Sanctorum exempla, per motuum refrenationem et exercitationem internam, discamus et obtinere nitamur patientiam magnam, mansuetudinem firmam, modestiam exemplarem, quas ad Dei honorem et proximorum ædificationem coram aliis ostendamus.

Præterea, quum hæc ita se habeant, quam ineffabiliter vituperabile est atque damnabile, quod quidam specie tenus religiosi, sic propriis animositatibus excæcantur, sic passionibus suis ac vitiis obdurantur, ut etiam tempore tranquillitatis et pacis proponant, si ille aut ille aliquid forefecerit eis, quod eum expedient, vicissitudinem ei retribuent, et eum compescent ! Aliqui quoque, nisi se ipsos defenderint, et injurianti quod ira et elatio suggerunt retribuerint, erubescunt tanquam victi, imbecilles, timidi et contempti. Porro, quum verbis pungitivis et factis injuriosis represserint offendentem, gloriantur et jactant se tanquam victores. Isti spiritum Christi non habent, sed spiritum hujus mundi. Neque advertunt quod non solum coram Deo et angelis sanctis, verum etiam in cordibus fratrum multo plus reputarentur et crescerent, si in omnibus patientes, taciturni ac humiles permanerent. Hinc beatissimus apostolici chori princeps hor-

I *Petr.* III, 8, 9. tatur : Omnes estote unanimes, compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles ; non reddentes malum pro malo, sed econtrario, benedicentes : quia in hoc vocati estis. Tua ergo (o frater) pietate, probitate, patientia, caritate, beneficentia, humilitate, alterius vince, confunde, exstingue duritiam, inhonestatem, impatientiam, rancorem, malevolentiam, injuriam, pompam.

Insuper S. Vincentius vicit se ipsum, omnem exstirpando a se privatum amorem, carnalem timorem, et odiendo, abnegando ac frangendo se ipsum ; et Christi intuitu ac amore, pro fidei veritate Deitatisque cultu, offerendo se ipsum ad omne temporale supplicium, et patientissime sustinendo tam dirum martyrium. Vicit quoque prospera mundi, blandimenta tyranni despiciendo, omnemque transitoriam prosperitatem vilipendendo. Vicit item adversa per modum expressum. Idcirco in his omnibus eum viriliter imitemur, ut etiam ad mortis supplicium simus pro Christo ac veritatis defensione parati ; et sicut promisimus, frangamus et abnegemus per obedientiam sanctam nos ipsos.

Postremo, in passione dignissimi martyris hujus, contemplemur omnipotentiam, munificentiam ac misericordiam Creatoris, qui huic bellatori suo in tam inauditis suppliciis, tam inæstimabilem dedit constantiam, tamque copiosam consolationem internam, tantam futuræ jucunditatis et gloriæ prælibationem, tam indicibilem internæ tranquillitatis saporem, ut ad carcerem ac tormenta quasi ad epulas, tota festinaret alacritate ; tot quoque gloriosis prodigiis mirificavit hunc Sanctum suum ante mortem, in morte, atque post mortem. Si ergo cum inclyto athleta Vincentio cupimus desuper taliter visitari, consolari et ungi, non renuamus cum eo affligi, scientes quia sicut passionum, II *Cor.* I, 7.
ita et consolationum socii esse poterimus. Ad laudem et gloriam omnipotentis Dei, qui est in sæcula sublimis et benedictus. Amen.

IN FESTO

CONVERSIONIS S. PAULI

ENARRATIO IN EPISTOLAM

NOTUM VOBIS FACIO EVANGELIUM QUOD EVANGELIZATUM EST A ME, ETC. Galat. I, 11-24.

RATIONABILITER ista epistola in festo A Conversionis divini et gloriosi Pauli apostoli legitur, quia in ea de ipsius conversione aliquid tangitur. Ait ergo idem Apostolus ad Galatas :

Notum vobis facio evangelium, hoc est de evangelio, *quod evangelizatum* (id est prædicatum) *est a me.* Evangelium autem est prædicatio seu doctrina actuum, documentorum, mysteriorum præceptorumque Christi, quæ a quatuor Evangelistis descripta est, sed a cunctis Apostolis, et ceteris eorum coadjutoribus ac successoribus est B prædicata. *Quia,* id est quod, *non est secundum hominem,* id est humanum, et naturali ratione inventum, firmatum, aut divulgatum, sed supernaturale est ac divinum, per Christi et discipulorum ejus miracula, ac veteris Testamenti Scripturas probatum. *Neque enim ego ab homine* puro *accepi illud* ut prædicarem illud hominibus, *neque didici* illud ab homine puro, *sed per revelationem Jesu Christi,* id est per internam et supernaturalem instructionem Filii

II Cor. XII, 2. Dei, tempore raptus mei in tertium cœlum. C Quamvis autem Christus sit homo, non tamen purus homo, sed est Deus et homo.

Audistis enim conversationem meam quam habui *aliquando in Judaismo,* hoc

Act. VII, 58, 60; VIII, 3; IX, 1, 2. est in lege rituque Judæorum; *quoniam supra modum persequebar Ecclesiam Dei,* videlicet primitivam Ecclesiam in Jerusalem congregatam, *et expugnabam illam,* id est, fideles illos invasi, aliquos occidendo, et quosdam incarcerando, ac aliis modis tribulando : prout in Actibus Apostolorum Lucas scribit, et in sermone dicetur. *Et proficiebam,* id est, ferventer agebam, *in Judaismo supra multos coætaneos in genere meo,* id est præ multis adolescentibus mihi in ætate comparibus, et de mea progenie natis, puta de semine Judæorum. Vel, per genus suum intelligit Benjamin tribum. *Abundantius* illis *æmulator,* hoc est amator et imitator, *exsistens paternarum mearum traditionum,* id est ordinationum ac jussionum a Moyse et Prophetis datarum, vel ab aliis additarum.

Quum autem placuit ei qui me segregavit (hoc est, eduxit) *ex utero matris meæ, et vocavit per gratiam suam,* id est Deo Patri omnipotenti, institutori naturæ, cui opera naturalia adscribuntur. Propter quod sanctus Job loquitur Deo : Nonne sicut lac Job x, 10, 11.
mulsisti me, et sicut caseum me coagulasti ? Pelle et carnibus vestisti me, ossibus et nervis compegisti me. Etenim in causis subordinatis, causa prima plus influit quam quæcumque causa secunda. Vel, per matrem suam intelligit Apostolus Synagogam, quæ fuit spiritualis mater ipsius, sicut modo Ecclesia est mater Christiano-

rum : ut sit sensus, « segregavit me ex utero matris meæ », id est de medio Synagogæ, utpote de numero infidelium Pharisæorum atque Scribarum, quorum ad tempus exstiti unus. Sed illis relictis, me perduxit ad fidem et gratiam, *ut revelaret Filium suum in me,* id est, Christum cordi meo manifestaret, dando mihi veram de Christo notitiam, *ut evangelizarem illum in gentibus,* hoc est, Christum prædicarem gentilibus. Paulus enim specialiter datus ac missus est apostolus ipsis gentilibus,
Galat. II, 8. maxime Græcis. Propter quod ait : Qui operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, operatus est et mihi inter gentes. *Continuo non acquievi carni et sanguini,* id est concupiscentiis carnis, neque Judæis mihi secundum carnem propinquis. Unde in Evangelio Christus locutus est Petro :
Matth. XVI, 17. Beatus es, Simon Bar Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi. *Neque veni Jerosolymam ad antecessores meos Apostolos* qui ante me apostoli facti fuerunt ; *sed abii* a Damasco *in Arabiam* ad prædicandum ibidem. — Sed his atque sequentibus verbis contrariari videtur quod legitur in Actibus Apostolorum, ubi, quum dictum
Act. IX, 25. est, quod discipuli dimiserunt Paulum nocte in sporta per murum Damasci, mox
Ibid. 26, 27. subditur : Quum autem venisset in Jerusalem, tentavit se jungere discipulis ; et omnes fugerunt eum, non credentes quod esset discipulus. Barnabas autem apprehensum illum duxit ad Apostolos, et narravit illis quomodo in via vidisset Dominum, etc. Ad hoc quidam respondent, quod Paulus post suam conversionem non statim venit Jerusalem, sed post longum tempus, forsitan post tres annos. Scriptura enim in sua recitatione historiali non semper observat ordinem rerum gestarum. Alii dicunt, quod licet venerit illuc, non tamen reputatur venisse, quia mox abiit. Nempe quod modicum est, teste Philosopho, reputatur pro nihilo. — *Et iterum* ab Arabia *reversus sum Damascum :* ubi primo fidem Christi prædicavi, et Judæos confudi. *Deinde post annos tres* a mea

A conversione, *veni Jerosolymam videre Petrum,* non ob meam informationem, sed propter dilectionem ac reverentiam ejus ; *et mansi apud illum diebus quindecim.* In quibus verbis Paulus insinuat, quantæ auctoritatis ac excellentiæ fuerit beatissimus Petrus, utpote princeps Apostolorum, atque totius pastor, prælatus ac caput Ecclesiæ. *Alium autem Apostolorum vidi neminem* vice hac, *nisi Jacobum fratrem Domini,* scilicet Jacobum minorem : qui dictus est frater Domini Jesu Christi, propter speci-
B alem similitudinem suam cum Christo in corporis dispositione ac morum decentia.

Quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior, hoc est, Deum testor quod vera sint ista. Juravit Apostolus propter tarditatem credulitatis Galatarum, quibus hæc scripsit, atque ut certius crederent. Juratio namque debite circumstantionata, est actus virtutis quæ latria nuncupatur. Propter quod habetur in Deuteronomio : Dominum Deum tuum timebis, Deut. VI, 13.
ac per nomen ejus jurabis. Christus autem
C non absolute prohibuit jurationem, sed jurationem incautam et non necessariam.

Deinde, videlicet postquam in Jerusalem fui cum Petro, *veni in partes Syriæ et Ciliciæ.* Nam a Tarso Ciliciæ natus fui. Act. XXII, 3.
Eram autem ignotus facie, hoc est corporali intuitu, *Ecclesiis Judææ, quæ erant in Christo,* id est conversis Judæis, qui Christo per fidem et caritatem erant conjuncti : verumtamen fuit eis notus per famam. Ideo subditur : *Tantum autem auditum habebant* de me, id est, hoc de
D me perceperunt, *Quoniam qui persequebatur nos aliquando,* hoc est, quod Paulus iste qui ante suam conversionem nos infestavit, *nunc evangelizat,* id est prædicat, *fidem quam aliquando expugnabat,* id est, cordibus credentium nitebatur auferre. *Et in me,* hoc est in conversione et gratia mihi collata, *clarificabant Deum :* id est, potentiam et misericordiam Dei honoraverunt ac laudaverunt, gratias ei agendo, quod tam misericorditer me convertit, et tantam mihi gratiam præstitit.

SERMO PRIMUS

HISTORIA CONVERSIONIS S. PAULI, EX DICTIS ACTUUM APOSTOLORUM ; ET QUOMODO DIVINÆ PIETATIS DEBEAMUS ESSE IMITATORES.

CADENS *Saulus in terram, audivit* A *vocem dicentem sibi : Saule, Saule, quid me persequeris ?* Act. IX, 4.

Qualiter Paulus apostolus primo persecutus sit Christianos valde atrociter, et qualiter Deo miserante cito conversus sit, S. Lucas evangelista in libro Actuum Apostolorum diligenter conscripsit. Itaque, sicut in Actibus habetur, Paulus consentiens erat lapidationi necique Stephani protomartyris gloriosi; custodivit quoque vestimenta lapidantium Stephanum : et ita quasi omnium manibus lapidabat, qui om- B nes ad lapidandum reddebat idoneos. Iterum sanctus loquitur Lucas : Saulus devastabat Ecclesiam, per domos intrans, viros ac mulieres in custodiam tradens, id est incarcerans. De hoc ipsemet Paulus ait : Ego hanc viam, scilicet evangelicam legem ac fidem, persecutus sum usque ad mortem, id est interfectionem fidelium, alligans et tradens in custodias viros ac mulieres, ut punirentur; et eram cædens per synagogas eos qui credebant in te. Iterumque dicit idem apostolus Paulus : Ego C existimaveram me adversus nomen Jesu Nazareni multa contraria debere agere; quod et feci Jerosolymis, et multos sanctorum carceribus inclusi, potestate a principibus sacerdotum accepta. Et quum occiderentur, detuli sententiam; et per omnes synagogas frequenter puniens eos, compellebam blasphemare; et amplius insaniens in eos, persequebar usque in exteras civitates. Hinc fatetur ad Timotheum : Fui blasphemus et persecutor et contumeliosus. Ex his innotescit, quam acerrimus D Christianorum persecutor fuerit Paulus ante suam conversionem.

Act. VII, 60, 58; XXII, 20. — *Ibid.* VIII, 3. — *Ibid.* XXII, 4, 19. — *Ibid.* XXVI, 9-11. — I *Tim.* I, 13.

Porro de hac re, atque de beatissimi Pauli conversione, plenam scribit historiam Lucas evangelista, dicendo : Saulus adhuc spirans minarum et cædis in discipulos Domini, id est, ex intimo spiritus sui affectu effundens comminationes et afflictiones seu neces in Christianos, accessit ad principem sacerdotum, et petiit (imo et accepit) ab eo epistolas in Damascum, ad synagogas, id est Judæorum infidelium congregationes, ut si quos inveniret ibi Christifideles viros ac feminas, vinctos ad Jerusalem illos perduceret, atque principibus traderet sacerdotum. Quumque propinquaret Damasco, repente circumfulsit eum lux de cœlo descendens (quæ lux super splendorem solis fuerat clara, ut ipse postea dixit). Et cadens in terram ex timore, audivit vocem sibi dicentem : Saule, Saule, quid me persequeris ? Qui dixit : Quis es, Domine ? Et ille respondit : Ego sum Jesus Nazarenus, quem tu persequeris. Durum est tibi contra stimulum calcitrare. Tremens autem Paulus ac stupens, dixit : Domine, quid me vis facere ? hoc est, quid jubes ut faciam ? Et Dominus Jesus Christus dixit ad eum : Surge, et ingredere civitatem, puta Damascum, et ibi dicetur tibi quid te oporteat facere.

Porro viri qui pergebant cum Paulo, stabant stupefacti, seu admirantes, audientes quidem vocem, neminem autem videntes. Hoc quod dicitur, « audientes quidem vocem », sapienter intelligendum est. Non enim ita intelligendum est, quod audierunt vocem Christi loquentis ad Paulum verba præscripta, quoniam alio loco idem asserit Paulus : Qui mecum erant, lumen quidem viderunt, vocem autem non

Act. IX, 1 et seq. — *Ibid.* XXVI, 13. — *Ibid.* XXII, 9.

audierunt ejus qui loquebatur mecum. Similiter quod dicitur, « neminem autem videntes », non est intelligendum quod se invicem non videbant, sed quod nullum viderunt a quo verba illa dicebantur ad Paulum. Nec putandum quod Jesus Christus non dixit tunc aliqua verba ad Paulum, nisi ea quæ jam commemorata sunt, utpote : « quid me persequeris ? Ingredere civitatem », etc. Imo, ut alibi describitur, *Act.* xxvi, 16-18. etiam alia multa dixit tunc Paulo : Exsurge, inquiens, et sta supra pedes tuos. Ad hoc enim apparui tibi, ut constituam te ministrum et testem eorum quæ vidisti, et eorum quibus apparebo tibi, eripiens te de populis et gentibus, in quos ego nunc mitto te : aperire oculos eorum, ut convertantur a tenebris ad lucem, et de potestate Satanæ ad Deum ; ut accipiant remissionem peccatorum, et sortem inter Sanctos, per fidem quæ est in me.

Ibid. ix, 8 et seq. Insuper adjungitur : Surrexit autem Saulus de terra, apertisque oculis, nihil videbat (et hoc, præ claritate luminis eum circumfulgentis). Ad manus autem illum trahentes, qui ex visione illa et nimio terrore fuit valde debilitatus, introduxerunt eum Damascum. Eratque tribus diebus non videns, et non manducans nec bibens. Atque ut creditur, et doctores communiter dicunt, in illo triduo habuit Paulus excellentissimum illum raptum de *II Cor.* xii, 2, 4. quo Corinthiis scribit : Scio hominem in Christo raptum usque ad tertium cœlum; et audivit arcana verba quæ non licet homini loqui. In quo raptu, secundum Augustinum, Paulus vidit Deum per speciem, id est divinam essentiam clare in semetipsa; et instructus perfectissime fuit evangelicam legem, christianæque fidei sapien- *Cf.* p. 298 B. tiam : prout in epistola præexposita tactum est. Denique in Damasco habitabat quidam Christi discipulus nomine Ananias, cui in visione Christus præcepit : Vade, et quære in domo Judæ Saulum; ecce enim orat. Responditque Ananias : Domine, audivi a multis de viro hoc, quanta mala fecerit sanctis tuis in Jerusalem ; et A hic habet potestatem a principibus sacerdotum alligandi omnes qui invocant nomen tuum. Dixitque Christus ad Ananiam : Vade, quoniam vas electionis est mihi iste (id est, valde electus est a me secundum prædestinationem æternam) ut portet ac prædicet nomen meum coram gentibus et regibus et filiis Israel. Ego quoque ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati. Venit ergo Ananias, et manum Paulo imponens, dixit : Saule frater, Dominus Jesus misit me ad te, ut videas, B et implearis Spiritu Sancto. Et confestim ceciderunt ab oculis ejus tanquam squamæ, id est quædam maculæ albæ similes squamis ; et visum recepit, surgensque baptizatus est. Et quum accepisset cibum, confortatus est corpore. Deinde ingressus synagogam Judæorum in Damasco, prædicavit fidem Domini nostri Jesu Christi. Admirabantur autem universi eum audientes, dicentes : Nonne hic est qui in Jerusalem persequebatur Christianos, atque ad hoc venit huc ut illos perduceret vin- C ctos ad principes sacerdotum? — Ecce hæc est vera historia Scripturæ canonicæ de conversione S. Pauli apostoli. In qua multipliciter informamur, prout in sequentibus sermonibus diffusius referetur.

Nunc autem breviter quædam tangendo, ex præfata historia sumitur argumentum fortissimum ad probationem ac defensionem fidei christianæ. Hæc etenim scripta sunt adhuc vivente Paulo apostolo, vel cito post hoc, et utique adhuc viventibus multis qui Paulum noverunt, et scire aut D percipere poterant an ea quæ de Paulo hic recitantur, vera fuerint ; et ipsemet Paulus in suis epistolis ea esse vera testatur. Certumque est quod tam repente ac vehementer mutari, et evangelicam legem tam subito atque plenarie discere, Christi quoque amore tam valide inflammari, et donum linguarum, gratiam prophetiæ efficaciamque miraculorum accipere non potuit nisi a Deo.

Secundo docemur ex præinductis, quam infinita sit misericordia Dei, qui homini

tam iniquo, tam feroci persecutori, tam A inæstimabilem contulit gratiam : tam superpiissime eum præveniendo, hortando, ei ignoscendo, et in Apostolum tam perfectum eum mutando. Discamus ergo et nos divinæ pietatis imitatores esse, fieri et manere, forefactoribus nostris donando, et non solum mala sive injurias æquanimiter sustinendo, sed etiam pro malis bona reddendo. Hinc etenim Paulus iste, vas divinæ
Ephes. v. 1, 2. electionis, nos admonet : Estote imitatores Dei, sicut filii carissimi ; et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos. B
Rom. xii, 14, 17, 21. Unde rursus loquitur : Benedicite persequentibus vos, benedicite et nolite maledicere, nulli malum pro malo reddentes ; noli vinci a malo, sed vince in bono malum. Hoc implet qui sua patientia aliorum impatientiam mitigat, sua mansuetudine aliorum iram exstinguit, sua prudentia aliorum indiscretionem refrenat, sua probitate aliorum inhonestatem emendat; sua bonitate et exemplari conversatione aliorum malitiam vincens, eos ita ædificat, quod peccata sua advertere, erubescere et emendare quasi coguntur. Ad quod beatissimus princeps Apostolorum hortatur nos, in prima sua loquens epistola : Sic I Petr. ii, 15.
est voluntas Dei, ut benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam ; itemque : Abstinete vos a Ibid. 11, 12.
carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam, conversationem vestram inter gentes habentes bonam, ut in eo quod detrectant de vobis tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum.

Itaque exemplo sancti ac divini apostoli Pauli emendemus nos plene, et omnem superbiam, avaritiam, immunditiam acediamque vitantes, tanto ferventiores simus in actibus bonis, quanto ferventiores fuimus in pravis operibus, ut sic dignos pœnitentiæ fructus agamus. Ipsum quoque beatum invocemus Apostolum, ut hanc nobis gratiam suis meritis precibusque impetrare dignetur. Ad laudem et gloriam Dei.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

DIXIT SIMON PETRUS AD JESUM, ETC. Matth. XIX, 27-29.

Evangelium præsens merito in festo C Conversionis B. Pauli apostoli legitur, quia in eo tanguntur magna merita gloriosaque præmia Apostolorum. Itaque a Matthæo dicitur :

Dixit Simon Petrus ad Jesum : Ecce nos Apostoli *reliquimus omnia* temporalia et terrena quæ habuimus, *et secuti sumus te* corporis gressu ac mentis affectu, per paupertatem quoque spontaneam, et aliarum virtutum imitationem. *Quid ergo erit nobis?* id est, quale præmium
Matth. iv, 18. suscipiemus a te? Quamvis autem Petrus D et alii quidam Apostoli fuerint pauperes piscatores, omnia tamen reliquerunt, quia de suis rebus nil sibi proprium retinuerunt. Quidam etiam Apostolorum, ut Bartholomæus et Matthæus, fuerant divites : Petrus autem in persona omnium Apostolorum protulit ista. Denique, sicut vidua Luc. xxi, 2, 3.
pauper mittens duo minuta, plus omnibus misit in gazophylacium ; sic Petrus pauca relinquens, plus reliquit quam multi qui multa relinquunt et tamen aliqua sibi reservant, vel non tam prompte et affectuose hoc agunt ut Petrus, qui et habita et habenda perfecte reliquit, qui cum rebus simul affectum habendi terrena abjecit.

Jesus autem dixit eis, non soli Petro, sed ceteris quoque Apostolis, in quorum per-

sona interrogaverat Petrus. *Amen,* id est vere, *dico vobis, quod vos qui secuti estis me,* omnia relinquendo, et meas imitando virtutes, *in regeneratione.* Hoc S. Hilarius jungit verbis præmissis, ut sit sensus: « qui secuti estis me in regeneratione », id est Baptismo, illum accipiendo, qui est *Joann.* III, 5. spiritualis regeneratio ex aqua et Spiritu Sancto. Hieronymus vero nectit hoc verbis sequentibus; eritque intellectus : « vos qui secuti estis me », modo prætacto, hanc mercedem habebitis : nam « in regeneratione », id est futura corporum resuscitatione, *quum sederit Filius hominis* (scilicet Christus) *in sede majestatis suæ,* id est, in sua judiciaria apparuerit potestate, et cœperit manifeste exercere generale judicium, dando singulis in anima et corpore quod promeruerunt. Sedes, hoc loco, corporale solium non designat, sed judiciariam potestatem et usum ipsius; quamvis accipi possit pro loco in quo Christus in die universalis judicii residebit in aere, prout *Joel* III, 12. apud Prophetam ait : Ascendant et consurgant gentes in vallem Josaphat, quia ibi sedebo ut judicem omnes gentes in circuitu. *Sedebitis et vos super sedes duodecim,* hoc est, assidebitis mihi in duodecim thronis, locis seu soliis, vel judiciariæ potestatis participationibus, *judicantes,* judicio assessoriæ dignitatis atque præcipuæ approbationis, *duodecim tribus Israel,* quæ vobis credentibus, in incredulitate manserunt pro parte majori : idcirco damnabitis eas.

Matth. X, 4. Sed quum inter Apostolos fuerit Judas traditor, quando Christus hæc protulit, quomodo verificari hæc possunt, quum non omnes illi duodecim sint ita sessuri? Respondetur primo, quod promissio ista quantum ad Judam fuit conditionalis, videlicet si perseveraret in bono; deinde quod hæc promissio Christi facta est non solis Apostolis, sed et cunctis perfectis evangelica consilia observantibus : sicque per duodecim sedes intelliguntur assessoriæ dignitates seu judiciariæ potestatis participationes, ac solia omnium perfectorum et apostolicorum virorum, qui per modum A præfatum in die judicii judicabunt cum Christo. Similiter per duodecim tribus Israel, omnes judicandi exprimuntur. Præterea contuendum est, quod Deus Trinitas seu Christus ut Deus, judicabit in die judicii per principalem auctoritatem; Christus vero ut homo, per judicialem exsecutionem seu prolationem sententiæ (unde ait : Pater non judicat quemquam, sed judicium omne dedit Filio); *Joann.* V, 22. Apostoli autem et viri perfecti judicabunt per assessoriam dignitatem, tanquam amici et consiliarii B Christi judicis summi; ceteri electi et boni, per approbationem sententiæ Judicis; minus mali, per comparationem, quemadmodum Ninivitæ et Sodomitæ, reginaque *Matth.* XII, 41; X, 15; XII, 42. Saba, Judæos incredulos judicaturi dicuntur in Evangelio.

Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, vel uxores, seu filias, quæ licet hic non exprimantur, tamen sub prædictis intelliguntur : nam Lucas exprimit et uxorem; *Luc.* XVIII, 29. *aut agros, propter nomen* C *meum,* id est ad honorem et gloriam meam, seu mei amore, atque ut me finaliter in æternum possideat per beatificam fruitionem. Parentes tamen a filiis relinquendi non sunt, si pauperes aut debiles sint et filiorum obsequio aut subsidio egeant, nisi eis de necessariis provideatur. Exteriora demum bona sunt relinquenda, ita ut propter Deum pauperibus dentur, aut in usum laudabilem expendantur, vel aliis licite relinquantur. *Centuplum accipiet,* id est spiritualia dona seu charismata gratiæ D ac virtutum in præsenti : quæ dona ita temporalia bona excedunt quemadmodum numerus centenarius unum seu numerum parvum. Talis quoque fit spiritualis frater ac filius omnium Sanctorum viatorum ac comprehensorum, quibus caritate et mystica unitate connectitur. *Et vitam æternam possidebit* in patria, utpote beatificam Dei visionem, de qua loquitur Christus Deo Patri : Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum. *Joann.* XVII, 3.

Ecce triplex præmium voluntariorum pauperum virtuose perseverantium, utpote : centupla receptio in præsenti, assessoria dignitas in extremo judicio, et vitæ æternæ possessio cœlesti in regno. Quemadmo- A dum enim Deus punit citra condignum, ita remunerat ultra condignum. Superexaltat namque misericordia judicium, ut *Jacob.* II, 13. Jacobus asserit; et miserationes Dei super omnia opera ejus, ut Psalmista fatetur. *Ps* CXLIV, 9.

SERMO SECUNDUS

DE CONTEMPTU DIVITIARUM, ET BEATA PAUPERTATE ; QUALIQUE ANIMO CORREPTIONES SINT AMPLECTENDÆ.

VAS *electionis est mihi iste.* Act. IX, 15. B Beatissimus Paulus apostolus magnitudinem misericordiæ et gratiæ sibi a Deo concessæ considerans et admirans, asse-
Rom. V, 20. ruit : Ubi superabundavit delictum, superabundavit et gratia. In eo etenim ante suam conversionem fuit excessiva iniquitas, sed post suam conversionem fuit in eo admiranda perfectio, ac ferventissima caritas ; et quam ferventer per se ipsum et suos coadjutores persequebatur fidem et evangelicam legem ante, tam ferventer per se et per suos discipulos postea præ- C dicavit et dilatavit easdem. Propter quod
I Cor. XV, 10. de se ipso testatur : Gratia Dei in me vacua non fuit, sed plus omnibus laboravi. Hinc
Act. IX, 15. Christus dixit de eo : « Vas electionis est mihi iste. » Nam sicut in vase suscipiuntur, colliguntur et conservantur liquores, ut aqua et vinum, ita in corde Pauli suscepta, aggregata et conservata sunt divinarum charismata gratiarum, aqua salutaris sapientiæ, ros consolationis internæ, et dona Spiritus Sancti : quibus in sua conversione susceptis, statim terrena et tempo- D ralia cuncta reliquit, evangelica Christi adimplens consilia.

Sed inter hæc quæri potest, cur Salvator Dominus Jesus Christus consuluit hominibus voluntariam paupertatem, utpote om-
Luc. XIV, 26. nia exteriora bona relinquere, nec solum exteriora bona, puta terrenas divitias, sed et parentes ac sobolem et uxorem, ac omnes cognatos. Ad hoc respondendum est, quod ideo Christus sapientia Dei Patris, et *I Cor.* I, 24.
magni consilii angelus, ista consuluit, qua- *Is.* IX, 6, juxta LXX.
tenus homines puriori corde adhæreant Deo, atque perfectius diligant eum, liberiori quoque ac stabiliori mente ei intenti ac juncti sint, ac per hæc majorem in cœlis beatitudinem sortiantur. Certum est enim, quod homo per occupationes, curas et affectiones suas circa terrena, multipliciter a Dei contemplatione, ac spirituali impeditur amore, et profectu virtutum, et stabili ac libera adhæsione cum Deo. Similiter, carnalis et sensualis affectio ad parentes, ad sobolem, uxorem et consanguineos, impedit hominem a spirituali et puro amore Dei ac proximorum, imo et a vera caritate parentum, uxoris et prolis, ac cognatorum. Unde per hoc quod homo propter Deum illos corporaliter deserit, verius ac sincerius amat eos.

Præterea, sicut legitur in Evangelio, occasio ex qua B. Petrus apostolus dixit ad Christum, Ecce nos reliquimus omnia, et *Matth.* XIX, 27.
secuti sumus te, fuit quoniam Christus dixit : Quam difficile qui pecunias habent, *Ibid.* 23, 24.
intrabunt regnum cœlorum ! Itemque : Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem regnum cœlorum intrare. Quod intelligendum est de omni divite qui bona sua terrena amat nimis immoderate, utpote magis quam spiritualia dona Dei, videlicet gratiam et virtutes.

A Itaque verbis illis Christi auditis, dixit ad eum Petrus : Ecce nos reliquimus omnia. Et quia non sufficit cuncta relinquere, sed necesse est Christi virtutes, humilitatem, mansuetudinem, pietatem, justitiam, castimoniam caritatemque sequi, adjunxit : Et secuti sumus te.

Itaque patet ex iis, quod divites difficulter possunt salvari, quia valde difficile est divitiis abundare, seu temporalia possidere, et tamen ad ea non affici immoderate, nec eis abuti, sed sobrie atque humiliter uti, ea quoque pauperibus liberaliter B ac misericorditer communicare. Verumtamen istud divitibus necessarium est ad salutem. Idcirco Timotheo episcopo, suo discipulo, I *Tim.* vi, 17, 18. scripsit apostolus Paulus : Divitibus hujus sæculi præcipe non sublime sapere, id est non superbire nec magnos reputare se ipsos; nec sperare in incerto divitiarum, id est in divitiis temporalibus (quarum possessio fallax est et incerta, sicut et vita *Matth.* xxv, 13. præsens, in qua homo nescit diem et horam), sed in Deo vivo; divites fieri in operibus bonis, facile tribuere. Hæc ergo, o C divites, facite et implete, terrena et temporalia omnia ad bona spiritualia ordinate, puta ad Dei honorem, ad vitam laudabilem, ad opera pietatis. Insuper non solum difficile est divites ipsos salvari, sed et omnes avaros, qui etsi pauca ac modicum habeant, tamen ditari desiderant ac nituntur, magis desiderantes abundantiam temporalium rerum quam profectum virtutum, magisque laborantes pro terrena opulentia quam pro Dei gratia virtuosaque vita : quod omnino perversum est atque dam- D nabile. Propter quod rursus scribit beatus I *Tim.* vi, 9. et divinus iste apostolus Paulus : Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et laqueum diaboli, et in desideria multa mala et inutilia, quæ mergunt hominem in interitum et perditionem. Ideo de temporalibus rebus non plus debet appetere Christianus quam necessarium vel utile sibi est ad bene et virtuose vivendum. Pro- *Ibid.* 8. pterea dixit Apostolus : Habentes victum et quibus tegamur, iis contenti simus.

Præterea in verbis evangelii hodierni pauperes maximam habent consolationem, quia paupertas tam vehementer laudatur a Christo, et ipsemet Christus, quamvis fuerit Rex regum et Dominus universo- *Apoc.* xix, 16. rum, paupertatem tamen elegit, et pauperrimam vitam duxit in sæculo isto, secundum quod ipse de se ipso testatur : Filius hominis non habet ubi caput suum *Matth.* viii, 20. reclinet. Qui etiam in Evangelio loquitur : Beati pauperes, quia vestrum est regnum *Luc.* vi, 20. Dei. Gaudete ergo, o pauperes, in Domino Deo, et gratias ei referte, qui ita vobiscum disposuit; nec paupertatem feratis moleste, quoniam ipsa purgatorium vestrum est, et eam patienter ferendo, gratiam promeremini magnam a Deo. Pensate verbum Prophetæ dicentis : Labores manuum tua- *Ps.* cxxvii, 2. rum quia manducabis, beatus es, et bene tibi erit. Ecce quam consolatorium verbum est hoc : idcirco laborate cum gaudio pro necessariis vitæ; et labores vestros ad Dei honorem atque obsequium ordinate, ut scilicet necessaria vitæ habendo possitis Deo servire, et bene vivendo ei placere, beatitudinemque adipisci æternam. In ipsis quoque exterioribus vestris laboribus interdum mentem vestram ad Deum dirigite, Orationem dominicam aut alias orationes devote dicendo, et cogitando de Deo et beneficiis ac judiciis ejus, de pœnis inferni, de felicitate et gloria æternali. Sicque labores vestri erunt Deo gratissimi, et meritorii gratiæ ac vitæ æternæ. Sed, proh dolor! multi sunt pauperes et corporaliter laborantes, valde intimorati, vaniloqui, vitiosi, qui tota die vix semel aut raro cogitant de Deo et sua salute, diebusque festis multa committunt peccata, nec ad divina vadunt Officia : quibus tanto plus compatiendum est, quanto facilius possent beatitudinem promereri et salutem consequi sempiternam.

Postremo, quoniam hodie conversionem beatissimi Pauli apostoli celebramus, debemus ejus exemplo perfecte converti, et I *Cor.* iv, 16; xi, 1; *Philipp.* iii, 17. ipsius vestigia imitari, quemadmodum in suis scribit epistolis : Imitatores mei esto-

te, sicut et ego Christi. Ipse etenim una voce increpatus a Christo, mox humiliter acquievit, et dixit : Domine, quid jubes ut faciam? Nos autem quotidie audimus Deum nos in sacris Scripturis corripientem, et per prælatos ac prædicatores ac homines bonos nos reprehendentem, et tamen dura cervice et corde indomito in nostris manemus perversitatibus et peccatis. Imo multi tam indiscreti, perversi et stolidi sunt, ut correptionem despiciant, correctionem abjiciant, increpantes fugiant, et reprehendentibus indignentur. Isti sunt obstinati in vitiis, et mente penitus excæcati, omni vera sapientia prorsus carentes. Denique, quum Christus in Evangelio suis dicat vicariis, pastoribus ac prælatis,
Luc. x, 16. Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit; nullus parvi pendat increpationem superioris instructorisque sui, sed quidquid sibi ab illo salubriter dicitur, a Deo sibi dici fideliter arbitretur.
Act. ix, 6. Ideo increpatus, mox dicat : Domine, quid me vis facere? hoc est, ad emendationem totaliter se exponat : quemadmodum qui corporaliter vulneratus est, consilio medici libenter consentit, et ejus acceptat remedia. Porro Christus qui per se ipsum Paulum redarguit, non statim per se ipsum
Ibidem. de agendis eum instruxit, sed dixit : Ingredere civitatem, et ibi dicetur tibi quid te oporteat facere. Per civitatem autem designatur Ecclesia, de qua ait Psalmista : Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei. *Ps.* lxxxvi. 3. Præcipit ergo Salvator suis fidelibus ut ingrediantur ecclesiam, et ibi audiant verbum Dei, prædicationes salubres, et iis quæ audiunt ibi, obtemperent, relinquendo peccata, et amplectendo virtutes. Ananiam quoque discipulum misit Christus ad Paulum : per quod datur intelligi, quod Deus omnipotens unum hominem instigat ad caritativam ac justam correptionem et informationem alterius. Unde valde damnabile est, non acquiescere admonitionibus caritativis.

Itaque cum beato apostolo Paulo, omnem superbiam, omnem crudelitatem, præsumptionem et insipientiam abjiciamus, atque in sancta dilectione, spirituali dulcedine, constanti humilitate et sapientia salutari obsequamur Altissimo, vitia carnis, gulam, lasciviam in primis vitantes, proximis quoque sincere agentes, prout nobis ab ipsis, imo et a Deo, fieri cupimus : ut nullum, quantum possibile est, scandalizemus, sed omnes potius ædificemus; nec Christum in suis membris, puta fidelibus, persequamur, sed veneremur. Ad laudem, etc.

SERMO TERTIUS

QUOMODO QUÆ SUIS FIUNT MEMBRIS, SIBI CHRISTUS FACTA JUDICET ; ET CUR PAULI FESTIVA AGATUR CONVERSIO.

S*AULE, Saule, quid me persequeris?* Act. ix, 4.

Tanta est caritas atque benignitas Domini nostri Jesu Christi ad homines, ut quidquid boni suis fuerit irrogatum fidelibus, sibi ipsi judicet irrogatum ; tanta quoque est Christi justitia, ut quidquid mali fidelibus suis injuste infligitur, sibi illatum arbitretur. Hinc enim, ut habetur in Evangelio, ipse in die judicii dicet justis : *Matth.* xxv, 34-36, 40. Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi potum; nudus fui, et operuistis me : quod namque uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.

Matth. xxv, 41-43, 45. Tunc etiam dicet injustis : Ite, maledicti, A in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus. Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare; sitivi, et non dedistis mihi potum; nudus fui, et non operuistis me : quamdiu namque non fecistis uni ex minoribus meis, nec mihi fecistis. Hinc quoque loquitur Deus suis mini- *Zach.* II, 8. stris : Qui tetigerit vos, tanget pupillam oculi mei.

Porro fideles dicuntur membra Christi, quia per fidem et caritatem ei junguntur ut capiti. Et sicut in corpore naturali or- B ganico, membra recipiunt motum et sensum a capite suo; ita in corpore mystico, id est in Ecclesia, quæ est fidelium congregatio, ipsi fideles motum bonæ operationis et sensum spiritualem, vitamque gratiæ, a Christo tanquam a capite principali suscipiunt. Quicumque ergo membra Christi, puta Christianos, persequitur, Christum persequi perhibetur.

Hoc quoque sciendum, quod duobus modis aliquis persequitur alium : primo, eum corporaliter tribulando injuste; secundo, C eum spiritualiter lædendo vel lædere satagendo, videlicet scandalizando, seu conando ad hoc ut eum trahat ad culpam. Et utramque hanc persecutionem arbitratur Christus sibi inferri, dum suis infertur fidelibus. Paulus autem ante suam conversionem, utramque persecutionem intu- *Act.* IX, 1, 2. lit Christianis, et Christo in suis membris: nam corporaliter Christianos afflixit, et eos a fide et cultu Christi avertere nitebatur. Merito itaque dixit Christus ad eum : *Ibid.* 4. « Saule, Saule, quid me persequeris? » D

Insuper, quoniam malum culpæ quod infertur animæ, est multo deterius atque nocivius malo pœnæ quod infertur corpori; ideo gravius damnabiliusque Christum persequitur, qui aliquem ad peccandum inducit aut inducere nititur, quam qui corporale nocumentum tantummodo infert : imo, ut sanctus affirmat Bernardus, qui aliquem ad peccandum conatur allicere, gravius persequitur Christum, quam qui ejus sanguinem effuderunt. Sic etenim ait S. Bernardus : Si proprium sanguinem dedit Christus in pretium redemptionis animarum, nonne tibi videtur graviorem pati persecutionem ab eo qui suggestione maligna, exemplo pernicioso, scandali occasione, avertit ab eo animas quas redemit, quam a Judæo qui sanguinem illum fudit? Agnoscite, dilectissimi, expavescite, et vitate eorum consortia qui salutem impediunt animarum. Iterum ait : An Salvatori animarum gravior potest esse persecutio, quam animas trahere ad peccata? Timeat ergo omnis Christifidelis in aliorum præsentia facere mala, quum beatus asserat Augustinus : Qui in conspectu populi male vivit, quantum in ipso est eos occidit a quibus attenditur.

Denique, quicumque vult Deo placere, non sibi putet sufficere alios non scandalizare, nec pravum facere actum ; sed necessarium sibi est aliorum culpis non consentire, nec arridere peccantibus : imo dissentire ac increpare oportet peccantem. Nam qui culpam pro posse non prohibet seu impedit, eam committere dicitur. Hinc ait Apostolus : Non solum morte sunt di- *Rom.* I, 32. gni qui faciunt mala, sed etiam qui consentiunt facientibus; itemque, Nolite commu- *Ephes.* V, 11. nicare infructuosis operibus tenebrarum, magis autem redarguite. Ecce, carissimi, quam arcta est via salutis, quam difficile *Matth.* VII, 14. est salvari, et quam longe sunt a salute, qui societatem et communionem habent cum aliquo in peccatis, et qui personam aliquam moliuntur ad consensum trahere vitiosum, et qui sine erubescentia ac publice peccant : sicut qui concubinas aut prohibitas feminas habent aut detinent secum, et qui servos aut consanguineos suos mittunt aut dirigunt ad opera prava, ad alterius læsionem, ad ultionem illicitam.

Sed nunc redeamus ad laudes beatissimi Pauli apostoli. Et primo videndum, cur potius ejus quam aliorum Sanctorum celebretur conversio. Ad hoc multiplex ratio assignatur. Primo, quoniam Pauli conversio facta est valde solenniter, valde quoque

miraculose ac evidenter : quemadmodum A ex sermone circa epistolam facto, monstratur. In ejus equidem conversione Christus ipse apparuit atque locutus est, ac copiosissimam lucem desuper fudit, quæ undique Paulum cinxit : imo tantæ exstitit claritatis, quod media die tam præfulgida videbatur, exterioremque Pauli cæcavit visum. Et facta sunt ista in multorum præsentia. Et super omnia, mirabilissima fuit tam repentina ac integra immutatio mentis et voluntatis ipsius Pauli, qui de pessimo factus est optimus, de inimicissimo B amicissimus, de superbissimo humillimus.
Prov. XXI, 1. Salomone etenim contestante : Cor hominis in manu Dei est; quocumque voluerit, vertet illud. Et hoc Deo omnipotenti, Creatori altissimo, vere est proprium, immediate imprimere in voluntatem, eamque ad libitum immutare ac vertere. Hinc orat Ecclesia ut Deus compellat ad se et convertat nostras etiam voluntates rebelles. Ipse namque dum vult, speciali quadam gratia omnem tollit cordis duritiam ac obicem.

Secunda hujus est ratio, præcipua lætitia C quam de gloriosi hujus conversione Apostoli habuit primitiva Ecclesia, et nunc usque Ecclesia militans habet. Quemadmodum enim persecutio ejus specialem ingessit Ecclesiæ primitivæ tristitiam, sic ejus conversio peperit ei ingentem lætitiam.

Tertia ratio est, propter exemplum : ut scilicet nemo desperet de venia et gratiæ ac virtutum profectu, quando tam impiissimum videt ad tantam virtutum perfectionem ac tantam gratiæ eminentiam sublimatum. Hinc ait Bernardus : Merito D conversio Doctoris gentium festivis hodie gaudiis ab universitate gentium celebratur. Conversus etenim Paulus, conversionis minister factus est universo mundo. In memoria conversionis Pauli, peccator spem veniæ concipit, ut provocetur ad pœnitentiam; et qui jam pœnitet, perfectæ conversionis accipit formam.

Quarta ratio est, præcipuus fructus qui toti Ecclesiæ consecutus et ortus est ex gloriosissimi Pauli conversione. Ipse enim præ ceteris omnibus infatigabilius laboravit, ardentius institit, longius latiusque discurrit; et per se ac suos discipulos convertit populos valde innumerabiles. Sed et per sententiosissimas suas epistolas, a principio Ecclesiæ usque in præsens, et usque in finem mundi, copiosissime ac saluberrime instruxit, instruit, instruetque fideles; et suo exemplo fecit, facit, facietque hoc ipsum. Propterea dicit Bernardus : Multos olim adhuc in carne vivens prædicationis officio S. Paulus convertit ad Dominum; nunc autem in Deo felicius vivens, nec modo cessat ab hominum conversione. Dico autem, exemplo, oratione, doctrina, id est, suo exemplo, suis orationibus ac doctrinis multos quotidie convertit ad Dominum. Ipse quoque (ut testatur Chrysostomus) velut avis pennata per totum mundum volavit, tamque ferventer ac seriose pro omnium laboravit salute, quasi ipse totius mundi communis pater fuisset; et sicut ferrum in ignem missum, totum quasi ignis efficitur, sic ipse quasi in caritatis affectum mutatus est.

Postremo, quamvis tam graviter ante suam conversionem peccaverit Paulus, ipse tamen ad Timotheum scribens, aliqualiter excusat se ipsum, dicendo : Ideo miseri- I *Tim.* I, 13.
cordiam consecutus sum, quia ignorans in incredulitate feci. Verumtamen ignorantia ista excusavit eum non in toto, sed a tanto. Nam et Judæi per ignorantiam Christum crucifixerunt, dicente hoc ipso Apostolo : Si cognovissent, nunquam Dominum I *Cor.* II, 8.
gloriæ crucifixissent. Unde sacratissimus princeps ait Apostolorum : Et nunc, fra- *Act.* III, 17.
tres, scio quia per ignorantiam fecistis, sicut et principes vestri. Sed hoc inter ignorantiam Pauli et principum sacerdotum distabat, quod Paulus aliunde fuit vir bonus secundum legem Moysis, sine querela conversans, id est irreprehensibiliter vivens, et ex magnitudine quadam zeli Dei ac legis videbatur motus ad persequendum fideles. Principes vero sacerdotum, Scribæ et Pharisæi, aliunde vitiosi fuerunt, utpote ambitiosi, avari et invidi, ut ex

Evangelio demonstratur. Decuit ergo Paulum præ illis misericordiam consequi. Fuitque Paulus ex naturali dispositione vir seriosus, fervens et agilis. Unde quemadmodum ante in Judaismo, sic postea in Christianismo ferventissimus fuit et valde activus. Legitur quoque in Revelationibus S. Brigittæ viduæ, quod dum S. Stephanus lapidabatur, B. Paulus quamvis adhuc persecutor, tamen videns S. Stephani alacritatem et patientiam in tam gravi martyrio, condoluit ei tanquam ignoranti, rogavitque Deum pro Stephano, ut mortem illam ordinaret ei ad melius. Idcirco oratio Stephani pro suis lapidatoribus *Act.* vii, 60.

A exorantis, effectum sortiebatur in Paulo.

Itaque exemplo conversionis Pauli convertamur plenarie, omnia præterita detestando, deflendo ac deserendo peccata, et satisfaciendo pro eis, nec redeundo ad ea. Non enim sufficit, hoc aut illud peccatum deserere, sed omnia simul oportet abjicere, omnem elationem, incontinentiam, avaritiam, iram, invidiam, gulositatem, acediam, et virtutes eis oppositas amplecti, conservare ac exercere, ut cum ferventi seriosoque animo ministremus Altissimo. Invoce-
B mus igitur divinum et sanctum Apostolum, ut jugiter intercedat pro nobis, et gratiam imitandi sua vestigia impetret nobis.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUARTUS

CUJUSMODI NOSTRA AD DEUM DEBEAT ESSE CONVERSIO ; ET QUANTA SINT VIGILANTIA CAVENDA QUÆCUMQUE VEL DEUM VEL PROXIMUM OFFENDUNT.

I*MITATORES mei estote, sicut et ego Christi.* I Cor. iv, 16 ; xi, 1.

Quemadmodum divinissimus Paulus apostolus fuit omnium gentium doctor verbo, ita et opere, imo et conversione ac passione. Itaque in ejus misericordissima conversione, multa nobis proponuntur consideranda ac imitanda.

Patet namque in ea, Dei misericordia infinita : quia persecutorem sævissimum subito convertit in prædicatorem fidelissimum Apostolumque præcipuum. Quo do-
D cemur, ne aliquem temere judicemus aut contemnamus, et ne de aliquo desperemus : quoniam etsi forte sciamus de aliquo qualis nunc sit, ignoramus tamen qualis paulo post erit, et prorsus nos latet qualis in prædestinatione consistat divina.

Insuper in Pauli conversione ostenditur, qualiter et nos debeamus converti. Non

C enim conversus est, nisi Deo eum misericorditer præveniente, increpante ac dejiciente, deinde et illustrante. Sic dum negligentius incipimus agere et tepidi fieri, regularesque observantias violamus, non rite compungimur, pœnitemus aut resipiscimus, nisi præveniamur a Spiritu Sancto, cujus illustratione advertamus quam viliter et culpabiliter habuimus nos in peccando.

Insuper, increpatus a Christo Paulus, respondit : Domine, quid me vis facere ? *Act.* ix, 6.
Ita et nos ad pœnitentiam redeuntes, et Deo illuminante, peccata propria cognoscentes, mox ad explenda divina mandata nos exhibeamus paratos, imo ad omne beneplacitum Dei, ad omne quod ordo requirit monasticus, quemadmodum ad Romanos fertur : Reformamini in novitate sensus vestri, ut probetis quæ sit vo- *Rom.* xii, 2.

luntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta. Quidquid etiam nobis pro satisfactione et correctione injungitur, prompte adimpleamus ; superioribus quoque nostris tam parata mente obediamus, ut voce dicat unusquisque ac opere præsidenti : Domine, quid me vis facere ?

Quocirca pensandum, quia ut sanctus scribit Bernardus in sermone de solennitate præsenti, quidam in religione sequuntur cæcum cui Christus in Evangelio loquitur, Quid vis ut faciam tibi ? alii *Luc.* XVIII, 41. Paulum, qui Christo respondit, Quid me vis facere ? id est, quid jubes ut faciam ? Pusilli etenim et infirmi, qui ad obediendum sunt tardi, qui faciliter indignantur et murmurant dum eis suæ voluntati contraria injunguntur, per cæcum illum signantur. Talibus namque oportet sæpe provideri ac condescendere, ne gravius ruant ac pereant. Idcirco qui præsidet eis necesse habet perpendere quid possint sufferre, et quid velint sibi injungi. Quorum obedientia non est plena, sed plurimum imperfecta : nam multum habet de proprio, et præsidens suam voluntatem magis videtur subjicere voluntati eorum, quam econverso. Propterea oportet eos erubescere de tanta sua imperfectione et infirmitate, seque ad plenam propriæ voluntatis resignationem extendere, mortificare et frangere ac vincere semetipsos : aliter suo voto solenni satisfacere non videntur. Quod quam periculosum sit ac damnabile, constat ex hoc, quod votum plus obligat quam juramentum, secundum solennes doctores, et maxime votum solenne. Porro qui in religione regia via incedunt, et quæ Deo voverunt reddere *Ps.* LXXV, 12; *Eccle.* V, 3. non morantur, suamque voluntatem in superioris arbitrio positam recognoscunt, designantur per Paulum. Horum obedientia est Deo gratissima, quia dignissimum quod habent in se, per obedientiam sacrificant Creatori, hoc est, propriam rationem, cujus judicium superiorum suorum subdunt judicio, illorum sensui magis quam suo credentes ; propriam quoque voluntatem, cujus actum secundum præsidentis regulant ac exsequuntur arbitrium.

Præterea imitari debemus S. Paulum apostolum in conversione morum, id est reformatione affectionum et mutatione actionum : quatenus sicut Paulus post suam conversionem tanto erat humilior, obedientior, ferventior atque in omni opere bono instantior, quanto ante suam conversionem erat superbior et Christo rebellior, in persecutione etiam Christianorum ardentior ; ita et nos post claustri ingressum, post monasticæ professionis emissionem, tanto humilius, mansuetius, infatigabilius, amorosius Deo altissimo obsequamur, et inter fratres ac proximos conversemur, quanto ante in majori superbia, frequentiori iracundia, ferventiori malitia, mundo, dæmonibus et peccatis serviebamus, et inter alios viximus ; et quanto tunc inobedientiores fuimus Deo et præceptis Ecclesiæ, tanto nunc obedientiores simus Deo et Ordini ac Patribus nostris. Rursus, quanto tunc in cibo, potu, somno, vestitu quotidie magis excessimus, tanto nunc in omnibus istis simus plus sobrii ac modesti : imo, sicut tunc ultra necessitatem illa indulsimus nobis, ita nunc etiam de necessariis nobis aliquid subtrahamus, ut recompensatio fiat, et quotidianum ducamus martyrium, quatenus cum Propheta ex sententia Deo dicere mereamur : Quoniam propter te mortificamur tota die. *Ps.* XLIII, 22; *Rom.* VIII, 36. Quod utique cum grandi agendum est discretione, ut sit rationabile obsequium nostrum. *Rom.* XII, 1.

Iterum, quanto in sæculo negligentius servivimus Deo, quanto distractiori et irreverentiori mente oravimus eum, quanto coram eo intimoratiores et incustoditiores fuimus corde, omnique sensu interiori et exteriori : tanto nunc diligentiores simus in universo Deitatis obsequio, et recollectiori attentiorique animo ipsum oremus, laudemus et glorificemus, tanto quoque coram ejus præsentia superdignissima simus plus timorati, atque in omnibus custoditi ; et sicut interiorem visum ab im-

pertinentibus considerationibus et cogitationibus vanis, sic exteriorem visum ab incautis adspectibus, præsertim in divino Officio, cohibeamus. Adhuc autem, quanto in sæculo eramus magis contentiosi, inquieti, et aliis onerosi aut injuriosi, tanto nunc in congregatione simus amplius quieti, pacifici, consolatorii, suaves, obsequiosi et patientes.

Ecce hæc omnia exigit morum conversio, monachalis professio, dignus et quotidianus profectus. Quid prodest habitum mutasse, si sub religioso amictu mens lateat indevota, irreformata ac sæcularis? Nonne turpissimum coram Deo monstrum est, religiosus mente mundanus, quum habitu prætendat et ostendat se sæculo mortuum, et tamen cor gerat mundanis et carnalibus cogitationibus affectionibusque fœdatum? Itaque, sicut in mundo eramus corde, ore, opere, incessu, vestitu, signis, apparatu superbi, vani, ambitiosi, procaces: ita nunc simus in his omnibus humiles, exemplares, modesti. Nullus nostrum in suis sit oculis magnus, prudens, excellens, nec in cogitatione sua se extollat ut taurus, nec sæviat tanquam leo, nec intumescat aut indignetur velut rhinoceros, neque se vindicet tanquam ursus: sed omnium se arbitretur vilissimum, et quod ipse de se sentit aut exprimit, ab aliis sentiri ac dici non dedignetur; mitescat quoque ut agnus, et simplex sit sicut columba. Nullus erecta et pomposa incedat cervice, nec vestibus sed moribus cultus
Job xv, 12. sit; neque quasi magna cogitans attonitos habeat oculos, aut visum interioris ostensivum elationis, sed humilem, pium et columbinum.

Præterea contemplemur, quam sapiens et omnipotens artifex sit supersuavissimus et superbenignissimus Spiritus Sanctus: siquidem Paulum ex superbo, blasphemo, contumelioso, sævo, imo et homicida, repente fecit humillimum, christianissimum, patientissimum, piissimum et exemplarissimum, in tantum quod veraciter dixit: Quis infirmatur, et ego non infir- II Cor. xi, 29.
mor? Quis scandalizatur, et ego non uror? Itemque: Si esca scandalizat fratrem me- I Cor. viii, 13.
um, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem. In hoc ergo sectemur divinissimum et affectuosissimum istum Apostolum, ne alicui offendi- Rom. xiv, 13.
culum ponamus aut scandalum: quia per hoc Deus inhonoratur, proximus læditur, et ipsemet scandalizans gravius periclitatur. Maxime vero cavendum ne scandalizetur communitas, et ne in congregationis adspectu scandalose quisquam se habeat, quum peccans tot mortibus dignus sit quot animas scandalizat: siquidem qui in aliorum præsentia male agit, tot (quantum in se est) perimit a quot conspicitur: imo secundum Bernardum, graviorem persecutionem patitur Christus ab his qui pernicioso exemplo aut verbo pestifero salutem impediunt animarum, quam sustinuit a Judæis a quibus fusus est sanguis ipsius.

Postremo, non solum tam gravia peccata ac scandala devitemus, sed ab his quoque quæ videntur minuta et quotidiana esse peccata, cum ingenti diligentia abstineamus: quia nec aliter mala effugiemus majora, si non vigilanter fugerimus et minora, quum scriptum sit, Qui negligit Eccli. xix, 1.
modica, paulatim defluit. Imo quam detestabile sit in religioso, dicere, Parva sunt hæc, emendare ea non curo; constat ex eo, quod sanctus pater Bernardus affirmet hoc esse peccatum atque blasphemiam in Spiritum Sanctum, quum sit impœnitentia quædam, et ad magna trahat pericula. Religiosum quoque oportet venialia reputare ac refutare tanquam mortalia, et ea quotidie dignis pœnitentiæ actibus expiare, quum aliter nequeat digne proficere, neque perfectionem sortiri. Ad laudem Altissimi.

SERMO QUINTUS

QUOD TRES SUNT GRADUS CONTEMPLATIONIS, SEU INFUSÆ A DEO SAPIENTIÆ ; ET QUID EXERCITII CUIQUE CONVENIAT GRADUI.

SCIO hominem raptum usque ad tertium cœlum : et audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui. II Cor. XII, 2, 4.

Ex consideratione eorum quæ de Pauli conversione Scriptura refert canonica, evidenter clarescit et vehementer roboratur veritas fidei christianæ, sicut de hoc alibi satis est dictum. Nunc ad nostram instructionem et ædificationem vertendus est sermo. — Et quidem modus conversionis sancti hujus Apostoli vobis legem scientibus ex Scriptura est notus. Quocirca pensandum, quod quamvis communiter regulariterque loquendo, nullus repente fiat perfectus, aut subito in virtutibus summus, sed paulatim proficiatur, de via purgativa ad viam illuminativam atque de illuminativa ad viam perfectivam tendendo ; nihilo minus Deus omnipotens, omni cursu et ordine rerum superior, aliter, dum ei placet, procedit et agit. Unde
Luc. I, 15. sacratissimum Joannem Baptistam in suæ matris utero replevit Spiritu Sancto, et
I Reg. XVI, 13. sanctum David adhuc adolescentulum et pecora in pascuis custodientem, anagogicis inflammavit multoties motibus. Sic et divinissimum Paulum, in scelerum gravissimorum fervore situm, repente mutavit, perfecit, et usque ad speciem contemplationis perduxit altissimam, in qua ei secretissima quædam de fidei revelavit mysteriis, de occultis suis judiciis, de superexcellentissima Trinitate ac prædestinatione, angelorumque choris et hie-
Act. IX, 9. rarchiis : quæ omnia infra triduum illud creduntur peracta quo post Christi apparitionem Paulo in itinere factam, fuit non videns, neque manducans aut bibens. Et tunc Deitatis essentiam vidit per spe- A ciem : sicque omnium contemplativam vitam ducentium, exemplar et magister est Paulus.

Porro contemplatio est doni sapientiæ actus, et quanto quis crescit in caritate et animi puritate, tanto crescit in hac sapientia salutari, quæ est dulcis seu sapida ac amorosa divinorum notitia : ipsaque contemplatio est purus, promptus ac amorosus divinorum intuitus. Habet quoque sapientia ista infusa quæ donum est, gradus tres, sicut et caritas ; atque secundum ter- B tium gradum suum vocatur sapientia unitiva, flammigera et mystica theologia, quæ est ardentissima et secretissima mentis cum Deo locutio, Deitatisque intuitio, et est contemplationis altissima species huic vitæ possibilis : ad quam homo immediate disponitur per ferventissimum sincerissimumque caritatis incendium seu affectum. Hæc contemplatio quasi media est inter beatificam patriæ visionem, et contemplationem Dei in via per affirmationem ; quamvis multo plus distet a visione illa C beata quam ab ista in via.

Præterea, quia Apostolus iste dignissimus omnibus omnia factus est, videamus I Cor. IX, 22.
qualiter ipsum secundum triplicem statum et gradum assequi debeamus. Etenim quamvis ipse in sua conversione mox perfectus sit factus, et valde perfectus, utpote primitias Spiritus consecutus ; nihilo mi- Rom. VIII, 23.
nus factus est forma vitæ, non perfectorum dumtaxat, sed incipientium quoque ac proficientium. Ad incipientium itaque gradum ac statum spectat quod ait : Casti- I Cor. IX, 27.
D go corpus meum et in servitutem redigo ;
et rursus, Ego stigmata Jesu in corpore Galat. VI, 17.
meo porto ; et, Christo confixus sum cru- Ibid. II, 19.

ci : quamvis istud ad proficientes pertineat atque perfectos, secundum expositionem diversam. Primo ergo sequamur eum in isto, ne carnis curam in desideriis faciamus, ne cibo gravati, somnolentiam incidamus, nec corporalibus alimentis male, imo carnaliter, exhilarati, tædeat sedere in cella, compunctioni vacare, salutaribus exercitiis occupari, sed evagari, aut ab extraneis visitari, seu fabulari delectet, aut certe dormire. Multa quippe et gravia sunt peccata quæ ex gula nascuntur. Exordium vero et fundamentum quoddam monachalis conversationis ac spiritualis profectus exstat sobrietas, et moderata carnis per jejunium abstinentiamque afflictio; ad corporis etiam sanitatem vitæque prolongationem non mediocriter confert sobrietas.

Rom. XIII, 14.

Itaque in servitutem Spiritus Sancti, in servitutem quoque spiritus rationalis, qui est anima nostra, redigat quilibet nostrum proprium corpus ac singula membra ipsius, ad solum Dei honorem animæque salutem illis utendo, sicut idem iste monet Apostolus : Corpus non fornicationi, sed Domino. Aures igitur non fabulis vanis, non mundi rumoribus, non detractoriis et discordiæ seminativis verbis accommodemus, sed verbis Dei dumtaxat, ut in mansuetudine suscipiamus verba salutis, verba fraternæ correptionis atque paternæ correctionis, et ea quæ Dei sunt libentissime audiamus, sicut ait Scriptura : Auris bona cum omni concupiscentia audiet sapientiam; itemque, Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat, sed qui utilis est ad ædificationem, ut det gratiam audienti. Demum, denuo scriptum est : Sepi aurem tuam spinis, et noli audire linguam nequam; et ori tuo facito ostia, et seras auribus tuis. Hinc quam invite audiremus quempiam male de nobis loquentem, tam invite audiamus eum de aliis prave dicentem. Simus quoque custoditi in visu, non gyrovagi in adspectu. Oculi etenim sapientis in capite ejus, oculi vero stultorum in finibus terræ. Sed et ab omni molli et lascivo abstineamus contactu ; et sicut ventrem a repletione gulosa, sic linguam a loquacitate omnique verbo compescamus illicito, maxime in ecclesia, et tempore divinorum. Porro in meditatione passionis dominicæ exerceamur assidue, atque in ejus diligentissima recordatione discamus Christo propter nos passo compati, in tribulationibus gloriari, prospera mundi oblectamentaque carnis despicere, omnem humilitatem, mansuetudinem, fortitudinem, caritatem addiscere ; et passionem Unigeniti Dei memoriæ nostræ indelebiliter deferamus impressam, per quod omnem facillime vincemus tentationem.

I Cor. VI, 13. — *Jacob.* I, 21. — *Eccli.* III, 31. — *Ephes.* IV, 29. — *Eccli.* XXVIII, 28. — *Eccle.* II, 14 ; *Prov.* XVII, 24.

Præterea, ad gradum ac statum proficientium spectat quod ait Vas electionis divinæ : Fratres, ego me non arbitror comprehendisse ; et quæ priora sunt obliviscens, in anteriora extendo me ipsum. In hoc ergo ipsum etiam indesinenter sectemur, non præsumentes de præteritis meritis nostris, nec de temporum longitudine gloriantes, neque de operibus propriis nos jactantes. Nec laudes cupiamus humanas, nec acceptemus oblatas : præsertim quum ignoremus an opera illa nostra præterita ex suo genere bona fuerint, veraciter ex caritate procedentia ac meritoria, quoniam in futurum omnia reservantur incerta; et si sciremus quod meritoria exstiterunt, non tamen in nobis, sed in Domino gloriari, eique gratias agere oporteret. Et rursus, quum Deus majestatis immensæ in se ipso dignus sit infinito honore et cultu, nihil eo valemus condignum peragere, sed semper in infinitum distamus ab honore et cultu quibus ipse dignissimus esse cognoscitur. Quidquid ergo hucusque exegimus, pro parvo aut nihilo reputantes, studeamus indefesse proficere ; in omni humilitate, patientia, mititate, sobrietate, constantia, æquitate, dilectione concrescere; omne opus Dei quotidie devotius perfectiusque persolvere : sicque cunctis diebus cum recenti fervore, Dei obsequium quodammodo inchoare.

Philipp. III, 13. — *Eccle.* IX, 2.

Postremo, ad statum et gradum pertinet

perfectorum quod ferventissimus iste fatetur Apostolus : Sapientiam loquimur inter perfectos ; et, Nos ipsi primitias Spiritus accepimus ; et, Quis nos separabit a caritate Dei ? itemque, Per Christum mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. Studeamus ergo et nos dono sapientiæ perfici, atque immensam dulcedinem Dei interno sapere gustu, ab amore, intuitione, delectatione et occupatione sensibilium nos abstrahendo et expurgando, et ad summi et incommutabilis boni intuitionem, dilectionem et cultum nos jugiter elevando ; ut ita quotidie magis ac magis roboremur in Deo, et ejus saluberrima validius accendamur dilectione, in tantum ut mundus cum omni concupiscentia, decore, voluptate, honore vanitateque sua, non solum displiceat nobis et mortuus nobis sit, sed etiam crucifixus sit nobis, id est omnino amarus et quasi crux nobis exsistat : ut non solum non afficiamur ad eum et ea quæ ejus sunt, sed totis quoque præcordiis illa omnia detestemur, renuentes consolari nisi in Deo, nec gloriantes nisi in cruce Christi et in his quæ in Christi passione consideranda et contemplanda occurrunt, hoc est in Deitate æterna et in sapientia, pietate atque justitia ejus. Cui honor et gloria in æternum. Amen.

I Cor. II, 6. *Rom.* VIII, 23. *Ibid.* 35. *Galat.* VI, 14. *Ps.* LXXVI, 3. *Galat.* VI, 14.

IN FESTO

PURIFICATIONIS B. V. MARIÆ

ENARRATIO IN LECTIONEM PROPHETICAM LOCO EPISTOLÆ

ECCE EGO MITTAM ANGELUM MEUM, ET PRÆPARABIT VIAM ANTE FACIEM MEAM, ETC. Malach. III, 1-4.

CONVENIENTER legitur lectio ista prophetica hodie loco epistolæ, quoniam quod in ea legitur prophetatum de Christi præsentatione in templum, est hodie adimpletum. Itaque in Malachia scriptum est :

Ecce ego mittam angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam. Istud de Joanne Baptista esse prædictum, Christus testatur : Hic est (inquiens) de quo scriptum est, Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. (*Matth.* XI, 10.) Unde secundum formam verborum qua Christus scripturam istam allegat, verba ista dicuntur ex Dei Patris persona, ut sit sensus : « Ecce ego mitto angelum meum », id est Joannem Baptistam, de quo Joannes evangelista : Fuit homo missus a Deo. (*Joann.* I, 6.) Dicitur autem Joannes Baptista angelus, ratione officii, quia Christi præcursor, præco et nuntius fuit, et quia angelicæ fuit vitæ. « Ante faciem tuam », o Christe, id est ante manifestam prædicationem et innotescentiam tuam. « Qui præparabit viam tuam ante te », id est, corda Judæorum sua prædicatione disponet ad tui susceptionem. Nostra autem translatio redit in idem; sed secundum eam, ista dicuntur in Christi persona, ita ut sit sensus : « Ecce ego mittam angelum meum », puta Joannem, « et præparabit viam ante faciem meam », id est, sua sermocinatione et suo baptismo aptabit Judæos ad susceptionem doctrinæ meæ atque baptismatis mei, ut per eum credant in me. Hinc de ipso fertur : Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. (*Joann.* I, 7.)

Deinde Christus de se quasi de alio loquens, subjungit : *Et statim* post Joannis nativitatem, *veniet ad templum suum Dominator, quem vos quæritis,* id est Christus Rex regum et Dominus universorum; cujus adventum omnes devoti illuminatique homines a principio mundi desideraverunt, quemadmodum Christus in Evangelio ait Apostolis : Multi reges et Prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt. (*Luc.* X, 24.) *Et Angelus testamenti, quem vos vultis,* id est Christus magni consilii Angelus, qui novi Testamenti est institutor seu conditor, et evangelicæ legis dator. (*Is.* IX, 6, juxta LXX.) Porro per « templum » intelligi potest templum illud materiale quod in Jerusalem fuit, in quo hodie Christus a sua virginea Genitrice est Deo Patri præsentatus atque oblatus; in quo etiam Christus post annum suum tricesimum sæpius prædicavit et miracula fecit, et quum duodecim esset annorum, in medio doctorum fuit a Matre (*Luc.* II, 22, 27. *Matth.* XXVI, 55; XXI, 14. *Luc.* II, 46.)

inventus. Potest quoque per « templum » A intelligi congregatio Judæorum qui crediderunt in Christum.

Quæ autem sequuntur, quidam exponunt de secundo Christi adventu. Convenientius tamen exponi videntur de primo ejus adventu, sicut ex ipso textus tenore et ordine elucescet. Nam subditur :

Ecce venit Christus per Incarnationis mysterium et humanitatem assumptam, *dicit Dominus exercituum,* id est angelicorum agminum. *Et quis poterit cogitare diem adventus ejus?* id est, quis capere B sufficiens est qualiter veniet, quam magnifice, mirabiliter atque humiliter, qualis quoque et quantus sit ipse ? Incarnatio etenim Salvatoris, et ejus divina majestas, a nobis comprehendi non queunt. *Et quis stabit ad videndum eum?* id est, excellentiam Christi nemo comprehendere poterit aut intueri. Vel hoc dicitur, quoniam comparative loquendo, pauci Judæorum crediderunt in Christum ; nec eum æquanimi-
Sap. II, 15. ter adspexerunt : quibus etiam gravis erat ad videndum, ut sapiens quidam asserit. C Hinc subditur :

Ipse enim quasi ignis conflans, id est, acute et rigorose alloquens, docens et increpans peccatores, præsertim sacerdotes, Scribas et Pharisæos. Conformiter scriptum
Eccli. XLVIII, 1. est de Elia : Surrexit Elias propheta quasi ignis; et verba ejus quasi facula ardebant. *Et quasi herba fullonum :* quemadmodum enim fullones per herbam hujusmodi mundant splendidosque efficiunt pannos, sic Christus sua prædicatione, exemplarique vita, et gratia, multorum purgavit cor- D
Joann. XV, 3. da. Unde ait Apostolis : Jam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis. Per suum quoque Baptismum multos mundavit.

Et sedebit conflans, id est, peccata consumens, et audientium corda inflammans
Luc. XII, 49. (propter quod in Evangelio dixit : Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur?), *et emundans* animas credentium in se, quasi *argentum* quod purgatur per ignem; *et purgabit filios Levi,* id est sacerdotes et templi ministros : quorum aliqui, quamvis pauci, per Christi prædicationem et signa fuerunt emendati ante passionem ipsius; post passionem vero et missionem Spiritus Sancti, multa Act. VI, 7.
turba sacerdotum obediebat fidei Christi. *Et colabit eos quasi aurum et quasi argentum :* id est, sicut argentum et aurum in fornace a commixtione immundi purgantur; sic Christus per tribulationes suos electos ab immunditia culpæ mundabit : quibus prædixit, Si me persecuti sunt, et Joann. XV, 20.
vos persequentur. Per multas enim tribu- Act. XIV, 21.
lationes oportet nos intrare in regnum Dei. Hinc scriptum est : Tanquam aurum Sap. III, 6.
in fornace probavit electos Dominus, et quasi holocausti hostiam accepit eos. *Et erunt Domino offerentes sacrificia in justitia.* Sacrificia ista intelligi possunt orationes devotæ, observantia præceptorum, et cetera quæ Deo offerunt conversi ad Christum, præsertim Sacramentum altaris, quod propter pluralitatem sacramentalium specierum, pluraliter sacramenta vocatur, quum dicimus : Purificent nos, quæsumus, sacramenta quæ sumpsimus. Ista offeruntur Deo « in justitia », id est conversatione justa, in caritate et gratia.

Et placebit Domino sacrificium Juda et Jerusalem, id est oblatio sacramenti Eucharistiæ a Judæis in Christum credentibus facta : quæ primo in civitate Jerusalem a Christo noscitur instituta, atque ab Matth. XXVI, 26-28;
ejus discipulis ibi post Spiritus Sancti Act. II, 42.
missionem continuata; *sicut dies sæculi, et sicut anni antiqui,* id est, sicut olim Deo complacuerunt sacrificia patriarcharum Melchisedech, Abrahæ, sanctorumque Gen. XIV, 18; XXII, 13.
sacerdotum et virorum justorum in lege naturæ, ut Abel, et lege scripta, ut Aaron. Ibid. IV, 4.
Imo, quantum veritas præcedit figuram et Lev. IX, 24.
umbram, sacrificium istud evangelicæ legis cunctis sacrificiis illis præstantius et Deo acceptabilius exstat. Sacrificium enim Eucharistiæ in se ipso sanctum et Deo acceptum est ; sacrificia vero legalia non erant Deo placentia nisi ex devotione offerentium ea.

SERMO PRIMUS

QUOMODO SALOMONIS TEMPLUM CHRISTUS GLORIFICAVIT; DE PROPRIETATIBUS IGNIS, ET QUARE CHRISTUS IGNIS DICATUR.

MAGNA *erit gloria domus istius novissimæ, magis quam primæ, dicit Dominus.* Agg. II, 10.

Secundum doctrinam Apostoli, Dominus Rom. x, 4. noster Jesus Christus est finis legis et Prophetarum : idcirco præcipua Prophetarum intentio fuit vaticinari de Christo et ejus mysteriis. Unde, quemadmodum in lectione jam præexposita, Malachias propheta Malach. III, 1. prophetavit de Christi adventu, et oblatione ejus in templo, ita in themate præassumpto Aggæus propheta de rebus prophetavit eisdem.

Ad cujus rei intellectum scire oportet, quod Judæi in veteri Testamento ædificaverunt Domino templa duo. Unum namque et primum templum ædificavit rex Salo- III Reg. v, 15, 16. mon : in cujus templi ædificatione erant septuaginta millia qui onera portabant, et octoginta millia latomorum, absque præpositis qui præerant singulis operibus, numero trium millium et trecentorum, ut legitur tertio Regum. Secundum et ulti- I Esdr. v, 1, 2. mum templum ædificaverunt Zorobabel et alii eum adjuvantes Judæi, tempore Aggæi et Zachariæ prophetarum.

Prophetavit itaque Aggæus, quod gloria, id est honor et excellentia, hujus secundi templi, deberet esse major quam fuit gloria templi a Salomone ædificati. Quod nullo modo potest verificari nisi per hoc quod ipsemet Christus rex Messias, in lege et Prophetis promissus, per sui ipsius personalem præsentiam honoravit templum illud secundum : quando videlicet in eo Luc. II, 22 et seq. oblatus est, prout in evangelio scribitur hodierno, et postmodum singulis annis cum sua virginea Matre ac Joseph ascendit Jerosolymam, intravitque templum in A solennitate paschali secundum legem, ut Lucas ait. Postea quoque frequenter prædicavit in templo, et multa miracula fecit in eo. Nec solum glorificatum est templum illud per hanc Christi præsentiam personalem, sed per præsentiam quoque ejus dignissimæ Genitricis et sanctorum Apostolorum ac primitivæ Ecclesiæ, utpote verorum illorum Israelitarum qui per prædicationem Apostolorum crediderunt in Christum, et quotidie unanimiter perdurabant in templo. Act. II, 46.

B Porro, quod auctoritas ista Aggæi prophetæ aliter verificari non possit nisi modo prætacto, facile est probare ex scripturis veteris Testamenti. Ut enim in libris Regum et in libris Paralipomenon patet, templum Salomonis pulcherrimum ac pretiosissimum fuit, et utique quasi incomparabiliter pretiosius ac pulchrius templo secundo. Sed et cultus Dei secundum præcepta legis Moysis, multo plus viguit in templo primo quam in templo secundo, præsertim tempore Salomonis, et Asa, et C Josaphat Ezechiæque regum. Excellentiores quoque et sanctiores viri, reges, pontifices et Prophetæ fuerunt in templo primo, nisi concedatur Christus, et ejus Genitrix atque discipuli, fuisse in templo secundo. Quæ omnia ex canonicis patent scripturis veteris Testamenti. Ex his ergo probamus Judæorum perfidiam, et nostræ fidei veritatem, utpote Christum venisse, præsertim quia præinductis verbis thematis allegati immediate præmittitur : Veniet Agg. II, 8. Desideratus cunctis gentibus, et implebo D domum istam gloria, dicit Dominus. Moxque subjungitur ibi : « Magna erit gloria Ibid. 10. domus istius novissimæ ». Unde clarissi-

mum est, verba illa esse intelligenda de
excellentia gloriæ templi secundi pro tempore Christi, qui a cunctis doctoribus intelligitur per Desideratum cunctis gentibus. Ergo templo illo durante natus est Christus. Sed templum illud a Tito et Romanis constat esse destructum.

Præterea, sicut in lectione prophetali exposita dicitur, Christus est « quasi ignis conflans » : cui concordat quod ait Apo-
Hebr. XII, 29. stolus, Deus noster ignis consumens est.
Per quod datur intelligi districtio divini
B judicii et rigor justitiæ Dei. Idcirco cum omni sollicitudine, timore ac reverentia oportet nos Deo servire. Unde verbis his, Deus noster ignis consumens est, præmisit
Ibid. 28. Apostolus : Serviamus Deo cum metu et reverentia. Subditque causam, dicendo : Etenim Deus noster ignis consumens est.
Deut. IV, 23, 24. Hinc et Moyses inquit : Cave ne oblivisca-
ris pacti Domini Dei tui, quoniam Dominus Deus tuus ignis consumens est, Deus æmulator.

Insuper, multæ sunt proprietates in
C igne, propter quas Christus convenienter
Apoc. V, 5; *I Cor.* X, 4; *Joann.* I, 29. ignis vocatur, sicut vocatur Leo, Petra et Agnus. Prima est, quoniam ignis inter omnia elementa est simplicior, altior, formalior atque activior. Sic Christus inter omnes Sanctos est spiritualior, sublimior,
Ephes. IV, 10. divinior ac potentior. Ascendit etenim su-
Matth. XXVIII, 18. per omnes cœlos, et data est ei omnis potestas in cœlo et in terra, accepitque
Joann. III, 34. gratiam Spiritus Sancti non ad mensuram.
Secunda proprietas ignis, est splendor ipsius, per quem sapientia congrue designa-
D tur. Christi autem sapientia, omnium Sanctorum sapientia major est : quia ut Deus, est Sapientia infinita, atque secundum naturam assumptam, anima ejus tanta sapientia est repleta, quod pura creatura majoris sapientiæ capax non est. Hinc di-
Coloss. II, 3. cit Apostolus, quod in Christo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei abscon-
Matth. XI, 27. diti. Et ipsemet Christus fatetur : Nemo novit Patrem nisi Filius. Tertia, est calor : per quem, sicut prætactum est, uno modo exprimitur rigor divinæ justitiæ, puniens

A impios. Unde ait Apostolus : Terribilis est *Hebr.* X, 27.
quædam exspectatio judicii, et ignis æmulatio quæ consumptura est adversarios. Secundo, per ignis calorem intelligitur fervor spiritualis amoris, qui maximus fuit
in Christo. Qui loquitur : Majorem hac di- *Joann.* XV, 13.
lectionem nemo habet, ut animam suam
ponat quis pro amicis suis; et denuo, Sic- *Ibid.* 9.
ut dilexit me Pater, et ego dilexi vos. Sicque Christus vocatur ignis.

Amplius, ignis habet diversas operationes, per quas Christi actiones significantur. Nam ignis naturaliter semper ascendit quando in inferiori est loco. Sic Christus suos fideles per caritatem quam eis infundit, facit omni hora ascendere, id est ad Deum se per contemplationem et dilectionem erigere, ut sursum habeant corda sua, quemadmodum Jeremias propheta horta-
tur : Levemus corda nostra cum manibus *Thren.* III, 41.
ad Deum. Unde dicit Apostolus : Volo vi- *I Tim.* II, 8.
ros in omni loco orare, levantes puras manus ad Deum sine ira et disceptatione. Facit quoque Christus suos fideles ascendere per adspirationem ad felicitatem cœlestem ac patriam Beatorum. Propter quod
Paulus hortatur : Quæ sursum sunt quæri- *Coloss.* III, 1, 2.
te, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Iterum, ignis quædam dura et congelata liquefacit; aliqua etiam dissoluta ac mollia jungit atque indurat. Sic Christus per gratiam suam, corda lapidea in vitiis obdurata emollit, et in compunctionis ac
devotionis fletum resolvit, juxta illud : Au- *Ezech.* XXXVI, 26.
feram cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum, et spiritum novum ponam in medio vestri. Conformiter, corda per loquacitatem, risum, jocum levitatemque morum dissoluta, et per concupiscentias ac vitia carnis damnabiliter mollia, Christus per virtutum infusionem consolidat, per maturitatem atque constantiam bene constipat et siccat, ut in Deo sint fixa ac fortia, impleantque illud Apostoli :
Abundantius oportet nos observare ea quæ *Hebr.* II, 1.
audivimus (puta Dei præcepta), ne forte pereffluamus.

Itaque, quoniam Christus ignis vocatur, A immerito in hoc festo ad ejus honorem portant fideles in manibus suis candelas accensas. Itaque Dominum Jesum devotissime deprecemur ut in præsenti vita nos clementer expurget, peccata nostra consumat, suo nos accendat amore, sursumque elevet in divinorum contemplatione : quatenus, sicut candelas splendentes ac ardentes in manibus bajulamus, sic intus in anima per sapientiam salutarem atque sinceram dilectionem fulgeamus ac æstuemus, et in omni virtute stabiliamur me- B ritis et precibus Virginis gloriosæ.

Legitur quod Joannes Damascenus, doctor egregius, summus philosophus et præclarus theologus, ab infantia castissime vixit, et Virgini gloriosæ valde devotus fuit, singulariter diligens eam. Imperator quoque Græcorum valde amavit præfatum Joannem. Quidam autem sciens scribere et dictare omnino conformiter sicut Joannes, ex invidia scripsit epistolam continentem proditionem imperatoris atque imperii, quam furtive in palatio imperatoris C procuravit jactari. Qua visa et lecta, imperator putavit Joannem Damascenum litteras illas scripsisse, fecitque ei manum dexteram amputari, cum qua tantum commisisset flagitium. Quo facto, Joannes Virginem gloriosam precibus querulosis invocans, pie rixabatur cum ea, dicendo : Quare, o Domina, permisisti me ita tractari? Cur manum famuli tui, cum qua tuas laudes scribere, tuique Filii corpus et sanguinem offerre consuevi, permisisti abscidi? Tunc Virgo præelecta ei apparuit, dicens : Quid agis, fidelissime puer? Qui dixit : Ubi eras, o Domina, quando hoc patiebar? Ecce ad meum, imo et ad tuum dedecus, publice suspensa est manus mihi abscisa. Et illa : Confortare, inquit, mi fili, in Domino. Tunc Virgo piissima attulit manum, et pristino loco eam restituit. Quo facto, Joannes Fratribus religiosis quibus præerat, manum ostendit sanatam, et Missam de Domina alta voce cantavit. Quibus auditis, imperator adveniens, manus et pedes Joannis deosculabatur, veniamque rogavit.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

POSTQUAM IMPLETI SUNT DIES PURGATIONIS MARIÆ, ETC. Luc. II, 22-32.

In evangelio hodierno S. Lucas compendiose describit historiam festi præsentis, videlicet qualiter virgo Maria die hoc D filium suum Dominum Jesum in templo obtulit Deo. Dicitur itaque Lucæ secundo :

Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ secundum legem Moysis, id est, quadraginta diebus a Christi nativitate completis : in quorum ultimo infantulus offerebatur in templo; intra quos dies mater infantis, secundum legem Mosaicam, ab ingressu templi abstinuit, et quadragesimo die templum ingrediens, purificabatur. Præcepit namque lex illa, ut mulier (Lev. XII.) quæ suscepto semine masculum peperisset, immunda esset septem diebus, tam a consortio hominum quam a templi ingressu; et die octavo circumcideretur infantulus, ipsa quoque tunc munda efficeretur quoad consortium hominum; insuper post septem dies præfatos, maneret mulier adhuc triginta tribus diebus in sanguine purgationis suæ, abstinens a templi ingressu; sicque quadragesimo die infantem offerret in templo, offerendo simul munera juxta legis præceptum pro se atque pro puero. Si vero peperit filiam, duplicabantur dies prædicti, tam quoad templi

ingressum, quam quoad consortium hominum.

Sed quoniam beatissima Virgo, non semine suscepto concepit ac peperit, legi præfatæ non erat adstricta ; purgatione quoque non eguit, quæ nec in peccato concepit, nec unquam peccavit. Ideo dies isti dicuntur « dies purgationis Mariæ », non secundum exsistentiam rei, sed secundum hominum æstimationem : quem-
Luc. III, 23. admodum Joseph pater Christi vocabatur.

Tulerunt Jesum Maria et Joseph successive, vel alter eorum solum, et tamen pluraliter dicuntur eum tulisse, quia consuetudo est ut societas fecisse dicatur quod unus ipsius facit; *in Jerusalem.* Nam usque ad diem illum mansit Virgo in stabulo in quo genuit Christum. *Ut sisterent eum Domino,* id est, Patri æterno eum præsentarent et offerrent in templo Jerosolymitano; *sicut scriptum est in lege Do-*
Exod. XIII, 2, 12-15 ; *Num.* VIII, 16. *mini,* id est in Exodo et Numeris : *Quia omne masculinum adaperiens vulvam,* id est omne primogenitum, quod erumpendo ex utero, aperit primo vulvam parentis, *sanctum Domino vocabitur,* id est, offeretur ac consecrabitur Deo, quasi ad ipsum specialiter pertinens. Frequenter quippe
Num. III, 13 ; VIII, 17, etc. Dominus per Moysen dixit : Ex quo percussi omne primogenitum Ægypti, tam in hominibus quam jumentis, sanctificavi mihi omne quod primo aperit vulvam in Israel, tam in hominibus quam in pecoribus. Unde sanctificatio illa non fuit nisi deputatio primogenitorum ad aliquod divinum, videlicet ad hoc quod in eis repræsentabatur ac recolebatur occisio primogenitorum Ægypti, et per consequens omnipotentia atque justitia Dei.

Primogenita autem diversimode Deo consecrabantur. Si enim fuerunt de tribu
Ibid. III, 12. Levi, et maculam non habebant, Deo jugiter ministrabant in templo, quando fuerunt convenientis ætatis secundum legem. Si vero de aliis tribubus Israel erant,
Ibid. XVIII, 15, 16. quinque siclis redimebantur. Si autem
Ibid. 17, 18. fuerunt primogenita pecoris, et animalia munda, Deo offerebantur, nec redimeban-
A tur, et in usum sacerdotum venerunt. Quod si immunda fuerunt, redimebantur, aut in *Num.* XVIII, 15 ; *Exod.* XIII, 13 ; *Deut.* XXIII, 18.
aliud commutabantur, ut primogenitum asini in primogenitum ovis; vel occidebantur, ut primogenitum canis. Quoniam itaque Christus de tribu exstitit Juda, quinque siclis redimebatur.

Et ut darent, id est, etiam ideo tulerunt Jesum ad templum, ut offerrent pro ipso et Matre ejus, *hostiam secundum quod dictum est in lege Domini,* id est in Levi- *Lev.* XII, 6-8.
tico, utpote *par turturum aut duos pullos*
B *columbarum.* Et offerebatur unus turtur Deo in holocaustum (vocaturque holocaustum, sacrificium quod ad divinæ majestatis honorem totum concremabatur), alius pro peccato, qui cessit in usum sacerdotis orantis pro muliere quæ taliter purgabatur. Hæc quoque fuit oblatio pauperum : nam agnum divites offerebant. Verumtamen Evangelista non exprimit determinate quid horum obtulerunt Maria et Joseph, an scilicet par turturum, an duos pullos columbarum, quoniam redit in idem quid-
C quid horum obtulisse dicantur, quia per horum utrumque designatur eorum inopia.

Consequenter describitur qualiter in præsentatione et oblatione præfata Christus a testibus fide dignissimis testimonium habuit. *Et ecce homo erat in Jerusalem, cui nomen Simeon,* qui inter sacerdotes templi famosus exstitit, et grandævus; et dignus fuit « homo » vocari, quoniam rationabiliter (id est sapienter virtuoseque) vixit, sicut subjungitur : *et homo iste justus* fuit *et timoratus.* Fuit enim
D « justus » prout justitia est virtus specialis, reddendo unicuique quod est suum. Fuit etiam « justus » justitia quæ est virtus communis, utpote omni virtute ornatus, præcipue caritativus, quia communem omnium desideravit salutem, non privata et propria commoda. Fuit et « timoratus » timore casto ac filiali, qui veretur et fugit Dei offensam. Et quamvis cunctis polleret virtutibus, his tamen duabus singulariter fulsit : idcirco de eis nominatim laudatur. *Exspectans consolationem Israel,* hoc est

Christi adventum, et Israeliticæ plebis liberationem per illum, videlicet redemptionem a servitute peccati, a jugo diaboli, a pœna inferni. *Et Spiritus Sanctus erat in eo* per gratiam eminentem, per caritatem ardentem, per illuminationem quoque prophetalem, ut infra dicetur. *Et responsum acceperat a Spiritu Sancto, non visurum,* id est non passurum, *se mortem, nisi prius videret* oculis corporalibus atque mentalibus *Christum Domini,* id est Jesum Christum, qui secundum naturam suam humanam, a Deo Patre, imo tota superbeatissima Trinitate, unctus est spirituali unctione, videlicet plenitudine gra-
Ps. XLIV, 8. tiæ ac virtutum, juxta illud, Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ, etc.; vel, *Christum Dominum,* quoniam ipse est
Act. X, 36. omnium Dominus, utpote verus Deus, qui etiam secundum suam humanitatem omni prælatus est creaturæ. Porro Simeon iste, sicut et ceteri Patriarchæ ac Prophetæ, Christi adventum vehementer desideravit, instanter ac devotissime oravit pro Christi adventu. Idcirco responsum et revelationem accepit a Spiritu Sancto, quod antequam moreretur, Christus nasceretur, et videretur ab eo.

Et venit in Spiritu, id est ex Spiritus Sancti instinctu, *in templum.* Nam revelante Spiritu Sancto agnovit instare horam qua Christum videret, sicut sibi promissum fuit. *Et quum inducerent puerum Jesum parentes ejus* in templum, videlicet Maria vera ipsius mater, quæ tunc puerum tulit, et Joseph pater putativus, *ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo,* offerendo videlicet par turturum aut duos pullos columbarum, redimendoque puerum quinque siclis, ut dictum est; *et ipse* Simeon *accepit* cum maxima devotione, exsultatione ac reverentia, *eum in ulnas suas,* id est inter brachia sua, quamvis tam sancti pueri se reputaret contactu indignum; sed vehemens amor prævaluit, atque ad unionem amplexumque impulit. *Et benedixit Deum,* id est, laudavit, gratias egit, et sequens canticum cecinit pro impletione divini promissi, ac ceteris beneficiis Dei, et quia jam plus accepit quam sibi fuit promissum : siquidem promissum exstitit ei, quod Christum videret; nunc autem non solum vidit, sed et brachiis strinxit, portavit, contrectavit, atque ut puto, etiam deosculatus est infantem dulcissimum.

Et dixit : Nunc, quum implesti quod mihi de Christo promisisti, *dimittis,* id est, statim dimittes, et supplico ut dimittas me, *servum tuum,* non servitute servilis timoris (de quo ait Salvator, Servus non Joann. VIII, 35. manet in domo in æternum), sed servum servitute filialis timoris : cujusmodi servo dicit Salvator, Euge, serve bone et fidelis, Matth. XXV, 21, 23. intra in gaudium Domini tui; *Domine,* Deus Pater seu Trinitas Deus, *secundum verbum tuum, in pace,* id est a præsentis vitæ et sæculi inquietudine, tribulatione, miseriis et peccatis auferri, quiescere et cessare per mortem, secundum quod mihi dixisti, quod mortem non experirer, nisi Christo viso : per quod insinuasti, quod eo viso, mox obdormirem in Domino, atque cum patribus sanctis in sinu Abrahæ repausarem, quousque post Christi passionem cum ceteris Sanctis de limbo patrum a Christo educerer, ad gloriamque transferrer. *Quia viderunt oculi mei* exteriores et interiores *Salutare tuum,* id est Christum salvatorem : qui dicitur « Salutare tuum », quia per ipsum decrevisti salvare mundum. De quo Jacob patriarcha locutus est : Salutare tuum exspectabo, Domine. Gen. XLIX, 18. Cui etiam Salutari loquitur Pater : Dedi te Is. XLIX, 6. in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.

Quod parasti, id est, per incarnationem seu humanæ naturæ assumptionem, videri et agnosci aptum fecisti, et manifestare ac exhibere decrevisti, *ante faciem omnium populorum,* id est in conspectu hominum universorum, seu clare cunctis hominibus, non solis Judæis : sic tamen, ut sit distributio pro generibus singulorum, non pro singulis generum, juxta quem sensum legitur : Omnes populi, tribus et linguæ Dan. VII, 14.

servient ei. Itaque Deus Pater Unigenitum A suum sibi coæqualem et incomprehensibilem, per hoc fecit hominibus manifestum, visibilem et cohabitantem, quod eum humanæ univit naturæ in unitate *Is.* LII, 10. personæ. Quod ita prædictum est : Paravit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium. Filius etenim Dei, brachium Patris vocatur, quia per eum Pater omnia operatur : quemadmodum Spiritus Sanctus dicitur digitus Dei, quia per eum divina revelantur seu indicantur secreta. Itaque Deus Pater paravit hoc Salu- B tare ante faciem omnium populorum, quia per Apostolos et eorum coadjutores prædicatus est Christus cunctis hominibus, *Ps.* XVIII, 5. juxta illud in Psalmo : In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum. Unde rursus ait Psalmista : *Ps.* XCVII, 2. Notum fecit Dominus Salutare suum; ante conspectum gentium revelavit justitiam suam.

Præterea, quamvis Christus ita paratus atque exhibitus sit ante omnium faciem populorum, aliter tamen quoad Judæos, et C aliter quantum ad gentes. Hinc subditur : *Lumen ad revelationem gentium,* id est, Christum sic præparasti, ut sit specialiter lumen gentilium, seu lumen eos illuminans qui veri Dei carentes notitia, idolorum coluerunt portenta ; sed Christus per discipulorum suorum prædicationem, atque per illuminationem suam internam, reduxit illos ad veri Dei cognitionem, amorem et cultum. Sed et Deus Trinitas, merito Christi, tantam gratiam impendit gentili- *Is.* LV, 4. bus, quemadmodum contestatur : Ecce D testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus. Insuper *et,* o Domine, parasti Salutare hoc, *gloriam plebis tuæ Israel,* id est, ad hoc ut sit gloria Israeliticæ plebis : quæ fuit specialiter populus Dei, quia unum verum coluit Deum. Hoc etenim plebi illi, quantum ad eos qui crediderunt ex ea, fuit præcipua prærogativa, exaltatio, honor et gloria, quod Unigenitus Dei ex ea incarnari, eamque personaliter visitare, et in medio ejus conversari elegit. Propter quod dixit : Non *Matth.* XV, 24. sum missus nisi ad oves domus Israel quæ perierunt. Fuit quoque Christus in gloriam plebis suæ Israel, quoniam sanctos veteris Testamenti eduxit de limbo, et beatificæ visionis perfudit implevitque gaudio. Nihilo minus tam Judæis quam gentibus fuit Christus lumen et gloria : quia per eum illuminati sunt omnes electi ; et cunctis hominibus, saltem gratis, magna est gloria, quod Dei Unigenitus eorum assumpsit naturam. Sed per appropriationem dicitur Christus lumen gentium, et gloria Judæorum. Propter quod ait : Salus ex Judæis est. *Joann.* IV, 22.

Quæri potest, quomodo Simeon, templum ingressus, cognovit puerum Jesum, quem ante non vidit. Ad quod facile respondetur, quod eodem Spiritu cognovit præsentem, quo præcognovit futurum. Et forsitan aliquod signum sensibile fuit sibi divinitus insinuatum, quo cognosceret puerum : sicut Joanni Baptistæ Deus prædixit, Super quem videris Spiritum de- *Ibid.* I, 33. scendentem, et manentem super eum, hic est qui baptizat, etc. Fortassis namque vidit divinum in vultu pueri adorandi splendorem.

Plura circa evangelium istud possent induci, quæ brevitati studens prætermitto, et partim in sermonibus inducentur. Qualiter etiam unusquisque fidelis canticum istud in propria possit proferre persona, in sermone tangetur.

SERMO SECUNDUS

DE PERFECTISSIMA HUMILITATE CHRISTI ET MARIÆ ; DE AMORE PAUPERTATIS ; ET DE TURTURUM CONDITIONIBUS IMITANDIS.

SUSCEPIMUS, *Deus, misericordiam* A *tuam in medio templi tui.* Ps. XLVII, 10.

Quod Evangelistæ in Christo et per Christum scribunt esse impletum, hoc sancti Prophetæ prænuntiaverunt et conscripserunt in ipso et per ipsum esse implendum. Unde quod sanctus evangelista Lucas in evangelio hodierno recitat factum, hoc sanctus rex David in spiritu cernens futurum, grata jucundaque mente cecinit,
Ps. XLVII, 10. dicens : « Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui ». In quibus verbis per « misericordiam » Dei, intelligi B potest unigenitus Filius Patris æterni. Qui Filius tam misericorditer egit nobiscum, tanta pro nostra salute fecit et pertulit, tanta beneficia contulit nobis, tantamque beatitudinem nobis promisit, paravit, et dare paratus est, ut non solum misericors et miserator, sed etiam misericordia Dei nobis impensa, misericordia quoque nostra misericorditer nimis agens nobiscum, vo-
Ps. LVIII, 18. candus sit. Cui rursus ait Propheta : Adjutor meus, tibi psallam, quia Deus susceptor meus es ; Deus meus, misericordia C mea.

Præterea in universis quæ Christus pro nobis assumpsit, egit et passus est, profundissimam atque omnino ineffabilem humilitatem exercuit. Quod primo patet in incarnatione. Incomprehensibilis namque exinanitio ac summa dignatio fuit, quod unigenitus Dei Filius, Deo Patri æqualis, universorum Creator, Rex, Judex ac Dominus, humanam assumpsit naturam, et factus est unius puellæ filius, qui æternaliter a summo Patre est genitus. Secun- D do patet istud in Christi circumcisione, in
Luc. II, 21. qua quasi peccator dignatus est circumcidi, qui venit peccata auferre mundi. Tertio *Joann.* I, 29.
idem innotescit in purificatione, in qua redemptus est quinque siclis quasi servus, et cum matre expiatus tanquam peccator. Itaque in nativitate sua se Christus exhibuit hominem verum ac pauperem, in circumcisione vero quasi hominem peccatorem, in purificatione autem ut peccatorem et servum. Merito igitur ex horum consideratione exclamat Cyrillus : O profundi- *Rom.* XI, 33.
tatem sapientiæ et scientiæ Dei! Offert hostias, qui per singulas hostias honoratur cum Patre. Figuras legis custodit Veritas : nam qui legis est conditor ut Deus, legem custodit ut homo. Quid ad ista dicemus? Quo pacto christianos nos appellamus, qui Christo ita contrarii sumus? Ille peccator non fuit, sed vere justissimus et Sanctus Sanctorum ; nihilo minus peccator videri et reputari non sprevit. Nos econtra Deum jugiter offendere non veremur, et tamen tales quales sumus reputari dedignamur. — Denique Christus Dominus, qui Mosaicæ legis præceptis non fuit subjectus, hodierna die ex summa humilitate juxta legis præcepta voluit duci ad templum, et ibi Deo Patri offerri, sacrificiisque legalibus expiari, et modico pretio redimi. Nos autem peccatores vilissimi, qui multis ex causis divinis tenemur obedire præceptis, videlicet quia a Deo creati, et quia ab eo hucusque in esse conservati et educati, itemque quia a Christo redempti, non curamus divinis jussionibus obedire, nec in timore Dei continuo ambulamus, sed prorsus ingrati sumus et valde injusti.

Insuper Virgo sanctissima, quæ legis præcepto de purificatione non fuit adstricta, quia suscepto semine non concepit

nec peperit, neque ex partu communem A aliis matribus sustinuit alicujus corporalis immunditiæ fluxum; tamen legis præcepto obtemperavit, abstinendo ab hominum consortio ac templi ingressu, deinde pro sua expiatione sacrificium offerendo. Et primo hoc fecit, ne alii scandalizarentur in ea, si eam viderent a communi observantia alienam. Secundo, ut præberet perfectæ humilitatis exemplum. Tertio, ut obediendi daret formam ac documentum. Quarto, ut ejus exemplo purificari conemur, et si gravem commisimus culpam, re- B putemus nos hominum societate ac templi seu ecclesiæ ingressu indignos. Peccator namque indignus est pane quo vescitur, terra quam calcat, aere quem respirat, et omni obsequio creaturæ.

Amplius, considerare debemus cur sacratissima virgo Maria obtulit par turturum aut duos pullos columbarum, et quid per animalia ista spiritualiter designetur, qualiter etiam ea nos spiritualiter debeamus offerre. Et quidem, ut dictum est, turtures pullique columbarum fuerunt C pauperum oblationes. Cur ergo illa obtulit virgo Maria, quæ sufficientem hereditatem a suis accepit parentibus; cujus item Filio ante dies perpaucos, tres Magi *Matth.* II, 11. aurum copiosum obtulisse creduntur? Non enim putandum est, quod tales ac tanti viri modicum auri obtulerint puero, quem summum esse Judæorum regem ac Dei Filium crediderunt: imo quilibet eorum notabilem auri quantitatem obtulit ei. Ad hoc fideliter respondetur, quod perfectissima Virgo, inspirante ei spiritu Filii sui, D omnia tenuissimæ necessitati (hoc est parcissimo victui vestituique) superflua, per se vel per manus Joseph aut aliorum, erogavit egenis: sicque et aurum sibi oblatum, illis mox contulisse putatur. Nec reor quod peregrinationi suæ in Ægyptum cum Jesu et Joseph aliquid notabile reservaverit, aut tantam de crastino habuerit curam: quoniam spem in Deo perfectissi- *I Cor.* I, 24. mam habuit, et noverat se Christum Dei virtutem et sapientiam, provisorem omnipotentem secum habere in filium. Ex iis igitur innotescit liberalitas maxima Virginis sacræ in pauperes, atque spontanea paupertas, evangelica quoque perfectio ejus. Idcirco ipsius exemplo omnem avaritiam et sollicitudinem abjiciamus superfluam ac mundanam.

Insuper, sicut ait Cyrillus, inter aves loquentissima est turtur, columba vero mansuetum est animal: sicque per utrumque Christus exprimitur, qui perfectissimæ mansuetudinis fuit, et suis sermonibus mundum convertit. Unde ad ejus passionem præfigurandam, columba et turtur *Lev.* XII, 8. oblatæ occidebantur. — Iterum, per columbam simplicitas ac mansuetudo, per turturem castitas designatur. Turtur etenim compare suo amisso, alium non requirit. Idcirco Deus præcepit sibi bina offerri, quoniam homine ex corpore et anima exsistente, duplicem a nobis exigit castitatem ac mititatem, videlicet animæ et corporis, quatenus anima intus sit mansueta, nec foris in corpore iræ aut impatientiæ appareant signa. Hinc etiam Evangelista non dixit, Par columbarum; sed dixit, Par turturum. Turtur enim omni tempore suo castum est animal; columba vero in perfecta sua ætate valde est luxuriosa: ideo voluit sibi Deus offerri duos pullos columbarum, ad innuendum quod lascivia ei displiceat.

Præterea multæ sunt proprietates columbæ laudabiles, quas imitari debemus. Prima est, quia columba est animal simplex. Ita et nos omni simulatione et calliditate, omni duplicitate, fraude ac falsitate debemus carere. Simulatores namque et *Job* XXXVI, 13. callidi provocant iram Dei. Et Ecclesiasticus asserit: Væ duplici corde, et labiis *Eccli.* II, 14. scelestis; et rursus, Ne accesseris ad Deum *Ibid.* I, 36, 37. duplici corde, et ne fueris hypocrita in conspectu hominum. Hinc habetur in libro Sapientiæ: In simplicitate cordis quæ- *Sap.* I, 1. rite Dominum; item alibi, Vir duplex ani- *Jacob.* I, 8. mo inconstans est in omnibus viis suis. Unde in Evangelio Christus: Estote (inquit) *Matth.* X, 16. prudentes sicut serpentes, et simplices

sicut columbæ. Secunda columbæ proprie- A tas est, carentia fellis. Ita et nos omni felle peccati, hoc est amaritudine cordis, ira et impatientia atque invidia careamus, quo- *Eccli.* XXI, 15. niam in Ecclesiastico scriptum est : Non est sensus, ubi abundat amaritudo. Salo- *Prov.* XVIII, 14. mon quoque ait : Spiritum ad irascendum facilem quis poterit sustinere? Hinc hor- *Hebr.* XII, 14, 15. tatur Apostolus : Pacem sequimini cum omnibus, et sanctimoniam, sine qua nemo Deum videbit ; contemplantes ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat, et per illam inquinentur multi. Hoc B *Deut.* XXIX, 18. est quod Moyses ait : Non sit inter vos radix germinans fel et amaritudinem. Itaque dulcem habeamus affectum ad Deum *Philipp.* IV, 4. ac proximos, et gaudeamus in Domino semper.

Tertia proprietas est, quod rostro non lædit. Sic et nos nemini noceamus, nec proprias vindicemus injurias, præsertim *Matth.* V, 39. quum dicat Salvator : Si quis te percusserit in unam maxillam, præbe ei et alte- *Lev.* XIX, 18. ram. Unde Moyses jubet : Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium C tuorum. Quarta est, quod in cavernis petrarum nidificat. Ita nos in Christi vulneribus corda nostra figamus, passionem ipsius jugiter meditando. Quinta, quod alienos nutrit pullos. Ita et nos proximis benefaciamus, et dona Dei indigentibus communicemus ; de filiis quoque diaboli, id est iniquis, studeamus facere filios Dei, verbo, oratione, exemplo pro talium conversione conantes : hoc est alienos pullos nutrire. Sexta est, quod juxta fluenta manet, quatenus visa accipitris umbra, mox D fugiat. Sic et nos juxta aquas sapientiæ salutaris, id est juxta documenta Scripturarum, moremur, ut dæmonum tentationes ac vitia evadamus. Septima est, quod meliora colligit grana. Ita et nos utiliora virtutum exempla et meliores Scripturæ sententias intra nos colligamus, atque sectemur. Octava est, quod columbæ pariter volant. Ita et nos concorditer conversemur atque ad patriam regni cœlestis unanimiter gradiamur, Deo pacifice servientes. Nona est, quod alis se protegit. Ita et nos sub *Ps.* XVI, 8. umbra alarum Dei, hoc est sub protectione et spe pietatis divinæ, ab adversariis nostræ salutis nos defensemus.

Decima est, quod visum recuperat. Sic nos illuminationem mentis nostræ quæramus a Deo, cum Propheta dicentes : Illu- *Ps.* XII, 4, 5. mina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte ; nequando dicat inimicus meus, Prævalui adversus eum ; et rursus, Deus *Ps.* XVII, 29. meus, illumina tenebras meas. Itaque Deum oremus ut corda nostra illustrare dignetur : quatenus proprias culpas, ærumnas, defectuositates pensemus, pericula quoque quibus expositi sumus intueamur, inter bonum et malum, inter verum et falsum salubriter discernamus. Undecima est, quod cadavera vitat. Ita et nos vitiorum carnalium fœditates et omnium peccatorum turpitudines fugiamus, sicut in Ecclesiastico scriptum est : Quasi a facie colu- *Eccli.* XXI, 2. bri fuge peccata. Duodecima est, quod suo modo plangit. Sic nos propria ac proximorum defleamus peccata ; ex compassione etiam passionis Christi et desiderio felicitatis cœlestis regni ploremus. Tertiadecima est, quod comparem osculatur. Sic et nos proximos nostros spiritualiter diligamus, et si causa requirat, agamus quod ait Apostolus, Salutate invicem in osculo san- *Rom.* XVI, 16 ; I *Cor.* XVI, 20 ; II *Cor.* XIII, 12 ; I *Thess.* V, 26. cto : quod scilicet ex spirituali et sancto procedit amore. Verumtamen sub palliatione osculi hujus, nequaquam carnale libidinosumque osculum admittatur. — De proprietatibus turturis sequenti sermone dicetur.

Si igitur prætactas columbæ proprietates sequamur, tunc offerendo nos ipsos Deo, hoc est ei fideliter obediendo, offerimus ei spiritualiter pullos columbæ. Quod meritis et precibus Virginis gloriosæ, nobis omnipotens Deus præstare dignetur.

SERMO TERTIUS

QUARE PROCESSIO FIAT CORPORALIS, ET AD QUID INSTRUAT ; ATQUE RURSUS DE CONDITIONIBUS TURTURUM.

CANTENT *in viis Domini, quoniam magna est gloria Domini.* Ps. CXXXVII, 5.

In hodierno evangelio multiplex nobis tribuitur documentum, prout in sermone præhabito partim est declaratum. Sed antequam plus introducatur, primo dicendum cur hodie solennis fiat processio, ipsis fidelibus candelas accensas in manibus suis portantibus. Cujus multiplex ratio assignatur.

Prima est, quoniam (sicut in cantico Simeonis in evangelio isto conscripto habetur) Christus, qui hodie in templo Deo Patri oblatus est, lumen gentium appellatur. De quo Isaias prædixit : Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam. De quo et asseritur : Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Unde ad hoc insinuandum, candelas accensas fulgentes deferimus. Secunda est, quoniam hodie in oblatione Christi in templo, facta est processio prorsus devotissima atque sanctissima, a Virgine gloriosa et Joseph, Simeone et Anna. Idcirco ad commemorandum ac repræsentandum, imo et honorandum illam processionem, facimus nos processionem cum laudibus Dei et canticis spiritualibus, cum ardentibus quoque fulgentibusque candelis. Tertia causa est, ut opere demonstremus Virginem sacram purificatione non eguisse; sed luce gratiæ, splendore sapientiæ, caritatis ardore fuisse repletam : imo Christum concipiendo ac pariendo, fuit non solum non violata aut maculata, sed etiam ineffabiliter sanctior ac gratiosior facta.

Luc. II, 32. *Is.* IX, 2. *Joann.* I, 9.

Quarta est, nostra instructio, ut scilicet consideremus quod oporteat nos coram Deo proximisque splendere : coram Deo, per fidem, sapientiam et vitam laudabilem; coram proximis, per famam bonam et exemplaritatem. Deo namque tenemur conscientiam bonam, conversationemque virtuosam; proximis vero bonum exemplum. Unde qui non curat habere bonam famam ad Dei honorem et aliorum ædificationem, crudelis est : quoniam quantum in ipso est, alios spiritualiter necat, eos scandalizando. Ideo Christus ait : Sic luceat lux (id est virtuosa conversatio) vestra coram hominibus, ut videant bona opera vestra, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. Quilibet igitur Christianus impendat Deo obsequium et honorem, proximis auxilium et ædificationem.

Matth. V, 16.

Denique per corporalem processionem quæ fit diebus festivis, designatur quod debeamus quotidie spiritualiter procedere, id est in virtutibus crescere, et per hoc cœlesti regno appropinquare, quemadmodum de electis et bonis hominibus ait Propheta : Ibunt de virtute in virtutem. In processionibus quoque fit ad eumdem locum reditio, a quo incepit processio. Per quod significatur, quod sicut a Deo per creationem profluximus, ita ad ipsum per fidem, caritatem et actus virtuosos reverti debemus. Ipse etenim est nostræ creationis principium, ipse est nostræ beatitudinis summum objectum, atque totius vitæ nostræ finis. Item, in processionibus vadunt sacerdotes et clerici communiter combinati, ad designandum quod per observantiam duorum principalium præceptorum oporteat nos proficisci ad regnum cœlorum. Primum est, ut Deum toto corde

Ps. LXXXIII, 8. *Matth.* XXII, 37, 38.

amemus : quod nemo agit nisi qui divina
implet præcepta. Secundum est, ut diliga-
mus proximos nostros et omnem hominem
viatorem seu in isto mundo viventem,
sicut nos ipsos. Ideo quoque combinati
incedunt, quoniam Christus ante passio-
Luc. x, 1. nem suam misit discipulos suos combi-
natos ad prædicandum. Et item ad com-
mendationem vitæ socialis et caritativæ,
quoniam homines mutua indigent ope.
Ps. cxxxii, 1. Propter quod dicit Psalmista : Ecce quam
bonum et quam jucundum habitare fra-
tres in unum. In processionibus etiam cle-
rici cantant, sicut in themate tangitur :
Ps. cxxxvii, 5. cantant, inquam, « in viis Domini, quoniam
magna est gloria Domini ». Per cantum
equidem, cœlestis patriæ designatur læti-
tia, ad quam finaliter ordinatur processio,
imo et omnis actio bona.

Præterea ex evangelio hodierno doce-
mur, quod non nisi virtuosi ac justi pro-
cessionem Deo placitam faciant. Nam in
processione illa celebrata in templo Jeru-
salem, quando puer Jesus in eo oblatus
est, prout evangelium istud testatur, non
fuerunt nisi virtuosi ac justi, videlicet vir-
go Maria, Joseph, Simeon, Anna.

Amplius ex evangelio isto monemur, ut
sancti illius Simeonis sequamur virtutes.
Itaque simus justi in omnibus, Deo debi-
tam servitutem ac reverentiam exhiben-
do, præcepta Ecclesiæ adimplendo, et uni-
cuique quod ei tenemur reddendo. Justitia
etenim virtus est unicuique quod suum
est tribuens. Oportet ergo omnem frau-
dem, omne mendacium, omne aliorum
nocumentum vitare. Hoc autem Deo in
primis debemus, ut sicut omne quod ha-
bemus et sumus, ab ipso accepimus, sic
totum hoc ad ejus cultum ac reverentiam
ordinemus. Insuper simus timorati cum
Simeone, Deum non servili sed filiali for-
midantes timore, utpote diligentes ac cu-
stoditi ne Deum creatorem et Patrem piis-
simum offendamus in aliquo, ne beneficiis
ejus simus ingrati, ne cogitationibus et af-
fectionibus pravis demus consensum ; sed
coram Altissimo semper fructuose et vir-

A tuose nos habeamus. Timor etenim Dei
filialis, facit hominem diligentem atque
sollicitum coram Deo. Hinc Salomon lo-
quitur : Qui timet Deum, nihil negligit; et *Eccle.* vii, 19.
rursus, Timor Dei fons vitæ, ut declinet a *Prov.* xiv, 27.
ruina mortis, id est, ut hominem recedere
faciat a lapsu peccati. Hic timor omnium
est custos virtutum. Propterea dicitur : In *Ibid.* xxiii, 17.
timore Domini esto tota die; et alibi quo-
que, Si non in timore Domini tenueris te in- *Eccli.* xxvii, 4.
stanter, cito subvertetur domus tua : id est
mens tua, in qua per gratiam habitat Deus.
B Idcirco sanctus Job dixit : Semper quasi *Job* xxxi, 23.
tumentes super me fluctus timui Deum.
David quoque propheta : Timete (inquit) *Ps.* xxxiii, 10.
Dominum, omnes Sancti ejus, quoniam
nihil deest timentibus eum. Ecce quanta
est spiritualis opulentia timentium Deum.

Præterea Simeon iste ob hoc præsertim
sanctus atque laudabilis fuit, quia com-
munem Israelitici populi desideravit salu-
tem, Christi adventum fervide cupiendo
et exspectando, et pro hoc fideliter ac in-
fatigabiliter exorando. Sic ergo et nos non
C propriam tantum, sed et omnium proxi-
morum desideremus salutem, et pro ea
fideliter laboremus orando, hortando, cor-
ripiendo, exemplariterque vivendo : hoc
est desiderare reformationem et commune
bonum Ecclesiæ, pro vivis ac mortuis Deo
preces offerre, justitiam esurire atque si-
tire; quod maxime placet Deo.

Amplius, jam tangendæ sunt proprieta-
tes turturis, ut et nos spiritualiter Deo par
turturum immolemus. Prima ejus proprie-
tas est, quod altum quærit et appetit lo-
D cum. Ita et nos regnum cœleste totis debe-
mus affectare præcordiis, ac jugiter petere
illud, cum Propheta dicentes : Quemadmo- *Ps.* xli, 2.
dum desiderat cervus ad fontes aquarum,
ita desiderat anima mea ad te, Deus; item-
que, Domine, dilexi decorem domus tuæ, *Ps.* xxv, 8.
et locum habitationis gloriæ tuæ. Hujus
oppositum agunt avari, qui toto desiderio
quærunt terrena; et luxuriosi, qui carnalia
quærunt oblectamenta; atque superbi, qui
in hoc mundo cupiunt exaltari, honorari,
laudari. Secunda proprietas turturis est,

quod pro cantu gemitum habet. Ita et nos A vanam debemus vitare lætitiam, atque ad Deum suspirare, tam præ desiderio beatitudinis, quam propter præsentis vitæ miserias et pericula, quibus circumdati sumus. Tertia est, quoniam casta est avis. Ita et nos ab omni inquinamento carnis ac animæ nos purgemus, ut mundo corde castoque corpore Altissimo ministremus ac placeamus. Quarta est, quod solus moratur. Ita et quilibet Christianus debet interdum ab aliis se abstrahere, et in loco quieto cor suum coram Deo effundere, se ipsum B discutere, peccata propria deplorare, indulgentiam, gratiam et virtutes a Domino postulare, ut cum Propheta dicere possit :
Ps. ci, 7. Similis factus sum pelecano solitudinis. Quinta est, quod pullos suos fovet in nocte. Sic quilibet debet sibi commissos ac subditos in adversis et tribulationibus pie fovere, consolari ac roborare in Deo. Sexta, quod morticinum fugit. Ita et quilibet de-
Ps. xvii, 27. bet pravorum vitare consortia, ne cum perversis pervertatur ac pereat. Si itaque ista egerimus, tunc corpus et animam nostram C Deo offerendo, par turturum ei offeremus.

Postremo, canticum Simeonis potest quilibet vere devotus in persona propria dicere ad hunc sensum : *Nunc,* scilicet tempore gratiæ hujus, *dimittis* me *servum tuum in pace,* id est mentis tranquillitate, *secundum verbum tuum,* id est, prout in te sperantibus teque invocantibus promisisti. *Quia viderunt oculi mei* interiores (de quibus dicit Psalmista, Oculi mei sem- *Ps.* xxiv, 15.
per ad Dominum) *Salutare tuum,* scilicet Christum, per fidem ac illuminationem tuam internam. Aliorum verborum sensus permanet idem qui in expositione evangelii tactus est.

Convenienter vero ordinavit Ecclesia ut canticum istud dicatur in Completorio, quoniam tunc cum pace interna præcipue Deo vacare, ad lectum ire ac obdormire, et Christum in pectore nostro quasi sepelire debemus, ut in pace in id ipsum dor- *Ps* iv, 9.
miamus et requiescamus. Tunc ergo canticum istud devotissime proferamus, et qualiter sanctus Simeon puerum Jesum amplectebatur, pie pensemus atque hilariter recordemur. Ad laudem et gloriam, etc.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUARTUS

QUOMODO CHRISTUS PATRI SIT OFFERENDUS, JUXTA SPIRITUALEM INTELLECTUM SINGULORUM QUÆ IN TEMPLO ERANT.

S*TATIM veniet ad templum suum Dominator, quem vos quæritis.* Malach. III, 1. D

Hodie Virgo dignissima et ejus minister Joseph, puerum Jesum obtulerunt in templo materiali. Et ecce Virgo illa Christifera, Virgo illa incomparabilis atque purissima, instar aliarum mulierum purgatione indigentium se habebat. Nos econtra, ea quibus quotidie maculamur, loquacitates, voracitates, dissolutiones, negligentias, pigritias, transgressiones, evagationes diligimus, ita ut illud Proverbiorum nobis valeat dici : Usquequo stulti ea quæ sibi *Prov.* i, 22.
nociva sunt cupient ? Nec tamen immundi volumus reputari ; et ea quibus purgari possemus, stolidius abhorremus, utpote : condigna pœnitentiæ opera, tenuitatem

victualium ac vestitus, jejunia, disciplinas, vigilias, accusationes, vituperia et contemptus, correptiones fraternas, correctiones paternas justas ac pias. Quæ est ista insania, diligere vulnera animarum, et detestari medelas earum? Et si mortui sumus nobis ipsis ac sæculo, ut nostra prætendit religio exigitque professio, quid adhuc volumus reputari aut apparere in mundo? Cur quod propter Deum reliquimus, readipisci appetimus, et nimis cito lassamur in via religionis assumptæ? Veram ergo ac profundam humilitatem, virtutum omnium fundamentum, amplectamur in primis, simusque viles, fragiles, defectuosi, contemptibiles in propriis oculis; et quod ipsimet de nobis sentimus, ab aliis de nobis sentiri ac dici non recusemus, quantum in nobis est, salva videlicet cura habenda de bono nomine, ne quis scandalizetur in nobis. *Eccli.* XLI, 15.

Insuper, sicut Virgo puerpera Filium suum præsentavit hodie Deo Patri in templo illo materiali; ita et nos in templo spirituali, quod est cor nostrum, Christum omni hora offeramus ac præsentemus Patri æterno: sicque spiritualiter celebremus omni die frequenter. Quid est ergo taliter Christum Patri offerre, sistere, præsentare? Hoc est, ea quæ Unigenitus Dei pro nostra assumpsit, egit ac toleravit salute, devote coram Deo recolere, et super iis Patri gratias referre; istaque omnia ei pro nostra reconciliatione, pro gratia et gloria impetranda, intuenda proponere, et eum humiliter deprecari quatenus virtute et meritis horum nobis ignoscat, desideratam gratiam largiatur, et salutem conferat sempiternam. Hinc Hebræos hortatur Apostolus: Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ ejus, ut misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in auxilio opportuno; itemque, Per ipsum offeramus hostiam laudis Deo semper. *Hebr.* IV, 16. *Ibid.* XIII, 15.

Amplius, sicut in templo exteriori imago Crucifixi pendet indesinenter, et cunctis intuenda proponitur, ita cordi nostro incessanter Christi propter nos crucifixi imago impressa sit; ipseque Christus per fidem et caritatem animas nostras inhabitet, ita ut suæ deitatis contemplationi simus frequenter amorose intenti; suæ quoque humanitatis et mysteriorum ejus, potissimum passionis, meditationi simus assidue cordialiterque infixi. — Iterum, sicut in templo corporeo est corporale altare, ita et in templo animæ nostræ sit spirituale altare, quod est fides seu caritas. Omnia namque in fide fieri, et per eam ac in ea Deo offerri oportet, dicente Apostolo: Justus ex fide vivit; et, Omne quod non est ex fide, peccatum est. Similiter sine caritate nihil est Deo acceptum. — Et sicut in altari holocaustorum fuit ignis perpetuus, holocausta ad divinæ majestatis honorem omnino consumens; ita in anima nostra sit divini amoris fervidus ardor actualisque calor, quo omnes actus nostri inflammentur ac informentur: ita ut omnia ad summæ majestatis honorem promptissime et ardenter agamus, nec in eis aliquid nobis ipsis, sed Deo omne bonum intimo atque gratissimo adscribamus affectu. — Iterum, sicut ignis ille altaris holocaustorum non solum animalium oblatorum carnes, sed pilos quoque et intestina immunditiasque consumpsit; sic tantus in nobis sit ardor divini amoris, ut non solum actus nostros reddat meritorios et spiritualiter calidos, sed et immunda quæque adjuncta, hoc est venialia eis permixta, prorsus consumat et deleat: siquidem quasi pannus menstruatæ sunt universæ justitiæ nostræ; sed sordes illæ admixtæ, caritatis consumuntur fervore. Itaque tam devote, pure, intente, ferventer oremus, psallamus, persolvamusque Horas, ut in singulis verbis, versibus sive clausulis inflammetur cor nostrum, et transferatur in Deum; spiritualisque flamma ex interiori cordis ore, quo verbum profertur mentale, erumpat, ascendat, et pertingat in cœlum. Sic namque psallebant duo juvenes Fratres illi sancti ac electissimi, de quibus in Vitaspatrum beatissimus refert abbas Macarius. *Rom.* I, 17. *Ibid.* XIV, 23. I *Cor.* XIII, 1-3. *Lev.* VI, 12, 13. *Is.* LXIV, 6. *Cf.* t. XXIX, p. 488 D.

Præterea, Maria interpretatur amarum A mare, seu illuminatrix ; Joseph vero, augmentum sive additio. Quemadmodum ergo gloriosissima virgo Maria et Joseph portaverunt Jesum in templum, ita in nobis sit amara compunctio, cordialis contritio, inundatio lacrimarum, augmentum quoque sive additio operum virtuosorum, seu continuatio accumulatioque eorum per quæ Christus inferatur cordibus nostris, ut ea per gratiarum cœlestium incrementa, per visitationes occultas, inflammationes deificas, unctiones dulcissimas, introire, im- B morari, et in eis Patri offerri semper dignetur. Debet enim in nobis esse amara compunctio, propter gaudia beatitudinis quæ peccando amisimus, propter calamitates quas ob peccata incidimus, propter laqueos hostium quibus sumus circumdati, propter difficultates adipiscendi felicitatem amissam, quibus sumus repleti. Similiter propter peccata nostra quotidiana atque præterita, debet nobis inesse cordialis ac pœnitentialis contritio; nec ea parvi pendamus quasi parva, sed magni pen- C damus quasi multa et gravia. Nempe qualiter aliquod peccatum nostrum poterimus parvum putare, qui de omni verbo otioso rationem reddere exigemur ? Etsi venialia parva dicantur comparative, utpote respectu mortalium, absolute tamen magna a nobis reputentur, diligentissime caveantur, districte puniantur, cordialiterque defleantur quotidie, ea potissimum ad quorum devitationem non adhibuimus diligentiam magnam. Porro si venialia aliqua parva esse dicenda sunt, maxime D erunt ea ad quæ præcavenda adhibetur diligentia grandis, et nihilo minus ex fragilitate aut instabilitate humana eveniunt : ut si quis satagat intente orare aut psallere, et tamen evagationem incurrat ; vel dum occupatur circa unum veniale vitandum, repente et improvise incidit aliud. Qui vero remisse et absque animi præparatione orat aut psallit, sicque distractus efficitur, aut orando sive psallendo hinc inde projicit visum, aut aliud quidpiam facit seu tractat manibus, aut distractionibus sine resistentia immoratur, aut risibus seu cachinnis dissolvitur, seu loquacitatem continuat, vel sine timore Dei se habens, excedit in cibo et potu, aut sine sufficienti ac rationabili causa celebrare omittit, vel signo surgendi audito non protinus surgit, talia venialia non sunt parva aut levia reputanda : idcirco in eis unusquisque fortiter se emendet, et cum Dei intuitu ac timore et sollicitudine agat cuncta quæ agit.

Matth. XII, 36.

Postremo, præfatas compunctionis contritionisque causas rite pensando, lacrimis abundemus, non risibus ; orationibus simus semper intenti ; loquacitatem vitantes, non in levitatibus tempus pœnitentiæ expendamus ; ab invisibilibus adversariis, quibus undique ac semper circumdamur, custodiamus nos, jugiter Dei subsidium invocando, bonis actibus fervide inhærendo, dominicæ passionis assidua recordatione nos consignando, Omnipotentis præsentiam continue attendentes, atque pro viribus honorantes. Proximis quoque demus in omnibus bona exempla, ne nostra culpa sit eis divinæ inhonorationis ac propriæ læsionis occasio : imo ex verbis et factis ac moribus nostris provocentur ad meliora, sicque mutuo in omni caritate et concordia gradiamur et concrescamus. Atque in tantis solenniis devotissimi simus, sancta jucunditate perfusi in Domino, cum ingenti alacritate expendentes diem tam celebrem, cum justo Simeone et felicissima Anna puerum Jesum spiritualiter amplexantes, laudantes, et Deo Patri regratiantes super universis beneficiis quæ per Unigenitum suum contulit nobis, cum quo et Spiritu Sancto vivit et regnat æternaliter unus Deus omnipotens adorandus.

SERMO QUINTUS

DE UTILITATE SILENTII ET FERVORE DEVOTIONIS.

SIMEON, *homo justus et timoratus, accepit eum in ulnas suas.* Luc. II, 25, 28.

Hodie processionaliter bini ad suscipiendum candelas accensas de manibus sacerdotis accedimus, in commemorationem processionis factæ hoc die in templo Jerusalem a quatuor electissimis sanctissimisque personis Maria et Joseph, Simeone et Anna. Si ergo et nos cupimus cum Simeone puerum Jesum brachiis caritatis amplecti, et cum Anna digne Domino confiteri, studeamus eorum sectari virtutes. Et quamvis uterque ipsorum fuerit omni virtute ornatus, Simeon tamen de duabus virtutibus specialiter commendatur, et Anna de tribus. Simeon quippe de timore (utique filiali) et justitia collaudatur ; Anna, de continentia viduali, de abstinentia, et latria, cujus actus est oratio. Sequamur igitur Simeonis justitiam, sanctæ religionis vota, sicut requirit justitia, adimplentes ; observantias etiam regulares et Ordinis nostri statuta, præsidentiumque præcepta, quæ sunt positiva jura nostra, fideliter exsequentes, prout exigit obedientia diligentiaque monastica.

O quam felix est sacri silentii observantia indefessa ! Silentium certe est saluberrimum oris operculum : quod qui sine necessitate dissolvit, varias incidit immunditias proprii cordis, alios quoque scandalizat, et sæpe ad silentii pertrahit fractionem. Sed et sæculares, qui sciunt religiosos ad silentium obligatos, non mediocriter scandalizantur, si eos perpenderint sine licentia loqui, sive ad invicem, sive cum ipsis. Idcirco mirandum et valde dolendum, quod quidam religiosi sunt adeo intimorati, inverecundi, remissi et incircumspecti, quod laicis et extraneis occur- A rentibus, sine licentia mox loquuntur, etiam quum extranei viderint eos non petiisse licentiam. Similiter admirandum atque deflendum est, quod multi jam tantam negligentiam inciderunt, ad tantam inertiam sunt prolapsi, tam desides hebetesque effecti sunt, quod passim in mutuis suis occursibus invicem sibi arrident, fabulantur, levitates exercent, aut signis suis supervacue coutuntur, imo et abutuntur, non linguam dumtaxat, sed alios quoque artus reatibus involventes loquendi : quum et B signa illa nec instituta sint nec permissa, nisi ad insinuandum necessaria sive utilia. Hi ergo per facta sua ostendunt, quam incustoditi sint circa cor suum, quam intimorati et dissoluti, quam ignavi ad spiritualem profectum. Quæ quum ita se habeant, quid aliud sequi videtur, nisi quod quotidie magis deficiant et retrogrediantur, quam proficiant ac patriæ appropinquent ? Quumque religiosus ex sua professione ad profectum teneatur quotidianum, videant et perpendant hi ne forte sint C extra statum salutis et in statu damnationis, utpote suæ non satisfacientes professioni.

Cur, o fratres, negligimus, cur perdimus nosmetipsos ? Quum enim media ad proficiendum habeamus aptissima, nec temporalium sollicitudine prægravemur, neque necessariorum corpori provisione ac procuratione impediamur, quid est quod divini judicii districtionem non veremur, neque vocationem nostram attendimus, sed quotidie imus et perimus, imo retroimus D in carnalitatibus, perversitatibus, duritiis et negligentiis nostris ? Ita quod quanto diutius in Ordine sumus, tanto pene intimoratiores negligentioresque invenimur,

ad iram, impatientiam, ceterasque passio- A
II *Tim.* II, 26. nes ac vitia jugiter proniores. Sed resipiscamus ab iis laqueis mortis ; et si non cum promptitudine, alacritate et fervore,
Philipp. II, 12. saltem cum metu, tremore et timore suam unusquisque operetur salutem. Discutiat, dijudicet et castiget quisque se ipsum quotidie, quantum profecerit, quousque pervenerit, quantum omiserit, qualis sit ; et in confessione circumstantionata plenaria purget se ipsum, eaque de quibus confitetur, vitet quotidie cum diligentia ampliori. Pietatem Omnipotentis omni hora B affectuosissime imploremus, ut fervidam inceptionem, dignum processum, exitumque felicem nobis præstare dignetur. Si adhuc ad passiones et vitia invenimus nos pronos, vehementissime doleamus ; et quanto defectuosiores nos exsistere experimur, tanto instantius divinæ liberalitatis immensitatem, pro gratia opportuna, pro emendatione omnifaria, pro virtutum firmitate, mentis stabilitate, cordis munditia, linguæ custodia deprecemur.

Is. XXXII, 17; XXX, 15. Denique, si juxta Isaiæ oraculum, cul- C tus justitiæ est silentium, et si in silentio ac spe fortitudo nostra consistit; dubium esse non potest quin in loquacitate et fractione silentii violetur justitia, injustitia exerceatur, et animarum nostrarum consi-
Job XIII, 5. stat debilitas. Utinam, o fratres, taceretis,
Is. XXX, 15. ut putaremini esse sapientes. Si revertamini et quiescatis, salvi eritis. Nonne silentii gravitas et moderatio linguæ, tanta sunt sapientiæ signa, tam præclara et certa
Prov. XVII, 28. sunt discretionis indicia, ut etiam stultus, si tacuerit, reputabitur sapiens? Propter D
Ibid. XXIX, 20. quod rursus Salomon est locutus : Vidisti aliquem velocem ad loquendum? stultitia magis speranda est quam illius correctio ;
Ibid. 11. itemque, Totum spiritum suum profert stultus, sapiens differt et reservat in posterum.

Matth. XII, 36. Denique, si culpa non caret unius otiosi verbi prolatio, quale vitium est, per horam aut horas continuare loquacitatem, vana, frivola atque prohibita loqui sive audire, risu ac moribus resolvi mundanis? Ex quibus nonnulli tantam sæpenumero incurrunt inertiam, infrigidationem a bono, inflammationem in malo, ut doleant quod tempus fabulandi et se effundendi non durat diutius, et signo Officii divini audito, vix a suis garrulositatibus ac dissolutionibus queant avelli, sicque distractissimo corde introeunt cellam aut chorum, et Horas suas taliter qualiter solvunt. Sed et taliter psallunt, ut in eorum inveniantur catalogo de quibus conqueritur cordium inspector Judex altissimus : Populus hic *Is.* XXIX, 13;
labiis me honorat, cor autem eorum longe *Matth.* XV, 8.
est a me. Ecce qualiter unum malum oriatur ex alio, qualiter unum vitium trahat ad aliud, imo quam multa graviaque peccata ex linguæ incustodia et ex fractione nascantur silentii ; ita ut verissime dicat Scriptura : Qui inconsideratus est ad lo- *Prov.* XIII, 3.
quendum, sentiet mala; et, Qui custodit *Ibidem* ;
os suum et linguam suam, custodit ab an- XXI, 23.
gustiis animam suam ; ac denuo, Sicut *Ibid.* XXV, 28.
urbs patens et absque murorum ambitu, ita et vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum : qui autem modera- *Ibid.* X, 19.
tur labia sua, prudentissimus est. Præterea, si divino prohibetur præcepto, diebus festivis, præsertim solennibus, sicut est dies hæc, ea facere quæ in se ipsis non sunt culpabilia, ut est purgare pergamenum, lapides ferre, hortum fodere aut purgare, et si talia operari reputatur violatio festi : quomodo non magis illicitum violativumque festi putamus, festivis solennibusque diebus tempus tam sacrum fabulando, cachinnando, irreligiose nos habendo, consumere?

Quod si quis dicat, tunc licitum esse loqui et recreari; respondetur, quod nunquam liceat vana aut otiosa verba proferre, aut in iis quæ contrariantur bonis moribus recreari. Idcirco tunc de bonis rebus loqui permittimur, et in rebus recreari honestis ; nec in ludicris licet mentem effundere, aut animi solvere gravitatem : imo in talibus cor ad Deum crebro levare, orando interne ac meditando devote, debemus, et tempus colloquii dum

longum est, exeundo interdum et orando A interrumpere moderate, ne animus vulneretur.

Sic ergo universa ad quæ tenemur, diligenter ac fideliter adimplendo, sequamur sancti Simeonis justitiam ; sectemur quoque castum ac filialem ipsius timorem, ut Dei offensam et omnem elongationem ac separationem ab eo, summe et incomparabiliter abhorrentes, simus semper formidolosi ne omissione vel commissione, cogitatu, affectu, verbo aut opere, apparatu aut moribus, sanctitatis divinæ offenda- B mus adspectum, aut Omnipotentis majestatem inhonoremus, et ne a superoptimo ac superpiissimo Patre cœlesti elongemur
Eccli. xviii, 27. aut separemur. Sic sapiens in omnibus metuit. Hic timor Dei est fons vitæ, ut *Prov.* xiv, 27. declinet a ruina mortis. Beatus cui datum *Eccli.* xxv, 15. est sic Deum timere. Quod et in tantum suave est timorato, ut in Ecclesiastico *Cf. Eccli.* xviii, 37. scriptum sit : Nihil dulcius quam timere Deum.

Postremo, et sanctæ Annæ virtutes sectemur, Deo in omni mentis ac corporis C castimonia servientes, jejuniis et orationibus die ac nocte vacantes, nec animo recedentes a templo ; sed studeat unusquisque primus et ultimus esse in illo, nec infra divinum Officium sine necessitate quis exeat. Verum cum metu, cum reverentia, cum fervore ac diligentia Deo intentus sit, et aliis se exhibeat exemplarem, in cantu et psalmodia concordem, in morum venustate conspicuum ; non visu gyrovagum, non tardum, pigrum aut somnolentum, nec impetuosum, sed alacrem, agilem ac modestum, intus et foris sinceriter custoditum. Sicque agentes, suscipiamus et amplectamur ulnis devotissimæ ac ferventissimæ caritatis, Jesum infantulum, cum omni gratiarum actione celebriter recolentes quam indicibiliter propter nos humiliavit semetipsum, ita quod ipse qui cum Patre et Spiritu Sancto, tanquam verus Deus per singulas hostias in lege honorabatur ac adorabatur, propter nos hostia factus est, et Patri in templo instar aliorum præsentatus ac immolatus. Mancipemus igitur nos cultui ejus totaliter, et corpora nostra exhibeamus Creatori ho- *Rom.* xii, 1. stiam sanctam, viventem, rationi subjectam, et totam hanc diem devotissime expendamus.

SERMO SEXTUS

QUOD VARIIS MODIS HIC POSSIT DEUS VIDERI ; ET DE CANTICO SIMEONIS QUOMODO ID DEBEAT INTELLIGI.

VIDERUNT *oculi mei Salutare tuum.* D Luc. ii, 30.

Joann. i, 18; I *Joann.* iv, 12. Deum nemo vidit unquam in suæ deitatis essentia, visione per speciem, in hac vita, vivens vita sensitiva humana. Ideo Unigenitus Patris, qui in deitatis substantia incomprehensibilis et invisibilis consistit ut Pater, nostram assumpsit naturam, ut in ea se nobis visibilem, contrectabilem ac magis amabilem exhiberet. Eum vero ita incarnatum sancti Patres olim ardentissime conspicere cupiebant, quod et hodie huic sancto seni Simeoni et beatissimæ vetulæ Annæ concessum est. Nos quoque, quamvis Christum in carne non vidimus, nec incarnatum corporali visu conspeximus, nihilo minus variis modis eum in vita præsenti videre valemus. Primo quidem, per fidem (de quo visu ait Apostolus, Videmus Jesum propter pas- *Hebr.* ii, 9. sionem mortis, gloria et honore coronatum) ; secundo, per species sacramentales in altari ; tertio, in Scripturis ; quarto, per diversos suos naturales ac supernaturales

effectus. Et hi modi bonis ac malis hominibus sunt communes. Quinto, per sapientiæ donum atque per donum intellectus.
Is. XI, 2, 3. Sunt etenim septem dona Spiritus Sancti, inter quæ sapientia et intellectus sortiuntur primatum. Sunt autem septem hæc dona habitus supernaturales infusi, per quos efficitur homo bene mobilis ac prompte dirigibilis a Spiritu Sancto ad bene sentiendum, judicandum ac intelligendum de Deo et effectibus ejus, atque ad exsequendum idonee ea quæ Dei sunt.

Inter hæc donum sapientiæ primum ac dignius perhibetur. Per hanc equidem sapientiam cognoscimus Deum per gustum internum, et bene sentimus ac judicamus de eo per mentalem saporem, utpote, quod ipse solus sit summum, infinitum et incommutabile bonum, finis atque principium nostrum, in quo dumtaxat tota salus nostra consistit. Sicque sentiendo de Deo, voluntatis affectus rationis judicio conformatur per connaturalitatis cujusdam consonantiam et adæquationem, et ipsa mens circa bonum sic cognitum recte afficitur, ei soli finaliter inhærendum judicans et inhærens. Ideo sapientia ista non inest malis hominibus, quoniam etsi per naturalem rationem et Scripturas agnoscant Deum esse summum bonum et omnium ultimum finem, non tamen affectum habent suæ cognitioni concordem, consonum et conformem : imo ad creata, transitoria et caduca magis quam ad Deum afficiuntur, et finaliter illis inhærent. Præterea, donum intellectus, seu ipse intellectus secundum quod donum vocatur, est habitus supernaturalis infusus per quem ea quæ fidei sunt, aliqualiter intelligimus ac penetramus, rationes credendorum seu fidei argumenta per formatam notitiam intuendo.

Itaque per hæc duo dona, videamus seu contemplemur Christum secundum ejus divinitatem præcipue, deinde et secundum humanitatem ipsius. Hæc etenim dona sunt præclara ac splendidissima mentis lumina, quibus figitur in superna, in Deum trinum ac unum, in Christum Deum et hominem, creatorem et salvatorem, qui Salutare Dei vocatur, quia per eum tan- *Luc.* II, 30.
quam per mediatorem Deus Pater voluit et decrevit salvare genus humanum.

Porro, quo animam nostram ab occupatione, delectatione, affectione et consideratione circa carnalia et terrena magis abstrahimus, et divinis ac æternis eam validius applicamus, eo in sapientiæ dono plus crescimus, et ad summæ veritatis gustum, contemplationem et affectionem aptiores ac velociores efficimur. Rursus, quoniam in malevolam animam non in- *Sap.* I, 4.
greditur sapientia ista, neque in corpore peccatis subjecto morabitur, tanto copiosius in sapientia ista excrescimus, quanto diligentius puritati mentis corporisque studemus. Et quanto vigilantius nebulas phantasiarum, caligines passionum, tenebras negligentiæ et errorum ab interioribus nostris abigimus, tanto plus sapientia ista perficimur et ornamur, præsertim quum sapientia ista sit lumen quoddam clarissimum ac balsamum pretiosissimum. Iterum, quum dilectio nos uniat Deo, cui quanto propinquiores efficimur, tanto ab ipso exuberantius illuminamur : hinc quanto plus in caritate quis proficit, tanto perfectior in sapientiæ dono fit; et quanto in sapientia ista magis proficimus, tanto per ipsam desuper copiosius illustramur, et plura ac secretiora et altiora nobis divinitus revelantur. Sicque per unctionem Spi- I *Joann.* II, 27.
ritus Sancti docemur, et considerationes clarissimas, contemplationes quoque altissimas frequenter assequimur. Hinc viri perfecti et sancti, per sapientiæ hujus donum stant quasi in contactu Sapientiæ increatæ ac Solis justitiæ, radiosque sapientiales et fervores mentales uberrime sortiuntur ab illo, in tantum quod fiunt quasi secretarii ac consiliarii Dei, atque amici Altissimi. Isti quasi ad libitum desuper illustrantur et accenduntur, ac devotissimi fiunt. Nam et facillime se Deo conjungunt : imo absque suo conatu frequentissime ac gratiosissime præveniuntur, et inopinatis feruntur excessibus in

increatum objectum, ut sustinere non valeant, et defluant a se ipsis, ac absorbeantur et demergantur in Deitatis abyssum.

Ecce ad quam supernaturalem nobilitatem, ad quam sublimem perfectionem, ad quam deificam vitam perducitur homo, vitiis diligentissime resistendo, et virtutibus infatigabiliter operam dando, in caritate et sapientia ista crescendo. Porro, quando in istis sic proficit atque perficitur, tunc eatenus divinitus edocetur, quod rationes et argumenta fidei, nexum et ordinem credendorum limpide intuetur, ita ut prorsus nil sibi rationabilius videatur, quam ea quæ christianæ sunt fidei : præsertim quum omnia eam corroborantia et concernentia simul pensantur et comportantur, quamvis quædam eorum per se sola sumpta, incredibilia aut irrationabilia valeant apparere. — His igitur modis perfundatur cor nostrum luce sapientiæ ac lumine intellectus, caritatis quoque fervore, quatenus sicut in manu portamus candelam ardentem ac resplendentem, sic intus geramus mentem sapientiæ claritate et dilectionis ardore micantem ac æstuantem, ut correspondeat signum signato.

Præterea, rationabiliter prorsus die hoc in Missa candelam portamus accensam, ad designandum quod Virgo beatissima portavit obtulitque in templo per manus suas
Joann. I, 9. Christum Filium Dei, qui est lux vera, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum. Christus namque secundum quod Deus, est substantialiter lux superpurissima et immensa, cui nomen ac ratio, actus et proprietas lucis verissime ac perfectissime competunt, quum ipse sit per essentiam veritas et sapientia infinita, fons lucis, a quo lux omnis creata, spiritualis ac sensibilis, derivatur : cujus est omnia manifestare et declarare obscura, abscondita etiam et ignota efficere clara.
Ibid. VIII, 12. Propter quod dixit : Ego sum lux mundi.

Postremo, canticum Simeonis quotidie in Completorio devotissime proferamus,
Luc. II, 29-32. dicentes : *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum, in pace.* Hoc est : O Deus Pater, in hac hora, quæso, ab omni perturbatione me erue et tuere, atque in pace pectoris me conserva ; nec in aliqua prava inquietudine me modo relinquas, sed conforta et fige in te, sicut tuis servis bonæ voluntatis hominibus promisisti : quatenus in pace in id ipsum dor- Ps. IV, 9.
miam et quiescam, et in corde meo sepultum habeam Christum; sicque paulo post mediocri somno refocillatus, ad tuum obsequium ardens ac alacer surgam. *Quia viderunt oculi mei* interiores, secundum modos prætactos, *Salutare tuum,* videlicet Christum omnium salvatorem. *Quod parasti ante faciem omnium populorum,* id est, cunctis hominibus manifestare decrevisti, cunctisque cognoscibilem exhibuisti, quemadmodum scriptum est : Notum fecit Ps. XCVII, 2.
Dominus Salutare suum, in conspectu gentium revelavit justitiam suam. *Lumen ad revelationem gentium,* hoc est, Salutare tuum hoc parasti et exhibuisti in lumen seu illuminatorem gentium universarum, ut omnes ei deserviant, sicut in Daniele prædictum est : Omnes populi, tribus et Dan. VII, 14.
linguæ servient ei. Unde per Isaiam Deus Pater prædixit : Ecce testem populis dedi Is. LV, 4.
eum, ducem ac præceptorem gentibus. Itemque loquens Pater ad Filium : Dedi te Ibid. XLIX, 6.
(inquit) in lucem gentibus, ut sis salus mea usque ad extremum terræ. Dedisti quoque Salutare tuum in *gloriam plebis tuæ Israel,* id est, Israeliticæ plebis gloriam eum esse disposuisti. Hoc namque est honor præcipuus et gloria singularis omnibus electis Israelitis, quod ex eorum plebe ac semine, Pater æternus Unigenitum suum voluit incarnari ac nasci; quod item populo huic Christum tam specialiter promisit venturum, ac misit jam incarnatum, in tantum quod Filius dixit : Non sum Matth. XV, 24.
missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel. — Iste est mysticus hujus cantici sensus quantum ad primam ejus particulam, prout unusquisque in propria persona illud psallere potest ; de litterali autem sensu ipsius super Lucam plenius dictum est. Ad laudem et gloriam Creatoris.

IN FESTO
S. AGATHÆ VIRGINIS
ET MARTYRIS

SERMO PRIMUS

DE VITA ET MARTYRIO S. AGATHÆ, CUM ERUDITIONIBUS ALIIS PIIS.

F*ORTITUDO et decor indumentum ejus.* A Prov. XXXI, 25.

Gloriosissima virgo, invictissima martyr, devotissima Agatha, multis excellentiis, laudibus atque virtutibus decoratur, quarum duæ in themate præassumpto tanguntur.

Prima ejus excellentia est, abundantia in donis naturæ et bonis fortunæ. Fuit enim pulcherrima corpore, nobilis genere, ingeniosa et egregiæ indolis, ac plena divitiis. Sicque ex naturali dispositione fuit aptissima mundo. Et quanto huic sæculo B aptior fuisset, tanto plus meruit apud Deum, omnia carnalia et mundana prorsus despiciendo propter Deum.

Secunda excellentia ejus est, purissima atque fortissima castitas ejus, et stabilitas cordis sui in Deo. Quum enim impiissimus judex, nomine Quintianus, sanctissimam Agatham non potuisset ad idolorum cultum inducere, tradidit eam Aphrodisiæ meretrici et novem filiabus ejus meretricibus, ut beatam Agatham ad carnalia vitia traherent, eamque a fide Christi, nunc C prospera promittendo, nunc adversa minando, averterent. Quibus Agatha sancta respondit : Mens mea in Christo fundata est, verba vestra venti sunt, quæ mentem meam dejicere non valebunt. Quumque per triginta dies feminæ illæ immundæ eam a suo proposito non possent revocare, Aphrodisia dixit ad Quintianum : Facilius saxum et ferrum mollescerent, quam ista puella Christum relinqueret. Ecce quanta perfectio fuit, infra tot dies a luxuriosissimis ac procacissimis feminis ad nullam provocari libidinem : quum tamen in prostibulo tot obscenitates exercerentur quotidie, et innumerabilibus modis amatores ac amatrices immunditiæ niterentur eam per verba, per nutus et signa, per opera libidinosa ad concupiscentiam incitare. O quam indesinenter Sol sapientiæ, Deus omnipotens, fulsit in corde sacratissimæ Agathæ, quam valide inflammavit ejus affectum divino amore, quam suavissimas consolationes spirituales infudit animæ ejus !

Tertia excellentia felicissimæ Agathæ fuit, præclara sapientia ejus, quæ splenduit in ejus responsis, quibus impium Quintianum vehementissime confutavit, et magis quam dici potest, afflixit. Quum enim Quintianus jussisset S. Agatham idolis sacrificare, ipsa respondit : Sit talis

uxor tua qualis fuit Venus dea tua, quæ (A) scilicet fuit adultera; et tu talis sis qualis exstitit Jupiter deus tuus, qui scilicet fuit incestuosus, adulter, Sodomita, et desiderio patricida. Tunc Quintianus iratus, jussit eam alapis cædi, dicens : In injuriam judicis noli garrire. Cui Agatha : Miror, inquit, te infatuatum, ut illos dicas deos et deas, quorum vitam nec te ipsum nec conjugem tuam vis sequi. Si enim dii et deæ sunt, bonum tibi optavi; si autem exsecraris eorum consortia, mihi concordas. Rursus, Quintiano dicente ad Agatham, Si (B) ingenua es, quomodo ancillam Christi te dicis? respondit : Summa ingenuitas est servitus Christi. Item, dum Quintianus fecisset ejus mamillam abscidi, beatissima Agatha dixit : Impie, crudelis et dire tyranne, non erubuisti amputare in femina quod tu ipse suxisti in matre?

Præterea, dum post restitutionem abscisæ mamillæ, Quintianus præcepisset S. Agathæ ut idola adoraret, dixit ad eum : Verba tua stulta et vana sunt, aerem maculantia. Miser, sine sensu et intellectu, quomodo (C) vis ut lapides adorem, et Deum cœli, qui me sanavit, dimittam? Ecce quam constans et imperterrita fuit virgo ista dignissima, in omni quam pro Christo pertulit pœna. Vere in ea impletum est quod Christus in Evangelio promisit martyribus, dicens : Quum steteritis ante reges et præsides, nolite præmeditari quid aut quomodo respondeatis; dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Et item : Ego dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere omnes adversarii vestri. Non enim (D) vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.

Matth. x, 19; *Luc.* xxi, 14.

Luc. xxi, 15; *Matth.* x, 20.

Quarta excellentia sacratissimæ Agathæ est, invictissima fortitudo, patientia atque alacritas sua in suppliciis horribilibus quæ patiebatur. Quum enim Quintianus jussisset eam ad carcerem trahi, ivit ad carcerem lætissima, quasi ad epulas invitata. Quum vero esset in equuleo suspensa et torqueretur in eo, dixit : Ego in pœnis istis delector sicut qui thesauros invenit. Post hæc, dum mamilla ejus diutissime torqueretur, et tandem absciderctur, patientissime tulit hoc. Postremo, dum jussu Quintiani, super testas fractas et carbones ignitos nudo corpore volutaretur, gratias egit Deo, et libentissime hoc ferebat. O quam mirabiliter operabatur Spiritus Sanctus in anima virginis hujus, in tam inhumanis suppliciis eam corroborando, illuminando et consolando! Certe inter cetera omnipotentis Dei miracula, non mediocriter computandum est quod virgini huic, juvenculæ tenerrimæ, generosæ atque pulcherrimæ, et aliis multis ei similibus, fragilem sexum et mollem animum naturaliter habentibus, dedit tam constantissimum cor in crudelissimis horribilissimisque tormentis.

Quinta excellentia S. Agathæ est, magnitudo miraculorum quæ Deus circa eam exercuit. Quum enim esset post abscisionem suæ mamillæ incarcerata, venit ad eam gloriosissimus princeps Apostolorum Petrus, eam consolans, et mamillam restituens atque plenissime curans. Quum vero super testas fractas et carbones ignitos nuda volutaretur, repente magnus terræ motus civitatem in qua patiebatur, in tantum concussit, quod pars ejus corruens duos consiliarios Quintiani oppressit; et omni plebe clamante quod propter injustum Agathæ cruciatum talia paterentur, jussit eam tyrannus ad carcerem reduci. In quo facta oratione, cum ingenti voce spiritum tradens, migravit ad Deum. Porro dum Christiani eam reverenter sepelirent, quidam juvenis sericis indutus, cum centum et amplius viris pulcherrimis, albis indutis, advenit, atque in omnium oculis ad caput beatissimæ Agathæ marmoream tabulam ponens, statim disparuit : qui omnes angeli sancti fuerunt. Eratque scriptum in tabula illa : Mentem sanctam, spontaneam, honorem Deo, et patriæ liberationem. Quorum verborum sensus est iste : Mentem sanctam habuit, spontaneam se obtulit, dedit Deo honorem, et patriæ promeruit liberationem. Dum autem

Quintianus ejus investigaret divitias, unus A equus eum momordit, alius equus sic calce eum percussit, quod in flumen corruens, fuit submersus, nec corpus ejus unquam potuit inveniri. Ecce quam præclare honoravit Deus altissimus hanc suam sponsam, amicam, filiam et martyrem.

Ejus ergo studeamus imitari virtutes, ut simus in omni eventu constantes, in tribulationibus patientes et hilares Deoque gratias referentes, castitatem quoque mentis et corporis diligentes ; nec permittamus nos ad peccandum induci, sed Deum præ B oculis habentes, omni persuasioni iniquæ, tam hominum quam dæmonum, fortiter resistamus, omnem etiam sæcularem et carnalem abjiciamus timorem, cum Propheta dicentes : Dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo? Unde et Isaias propheta ait : Quis tu, ut timeas ab homine mortali, et a filio hominis qui quasi fœnum arescet? Dominum exercituum sanctificate, id est, sancte vivendo honorate ; ipse pavor vester, et ipse timor vester.

Ps. xxvi, 1. — *Is.* li, 12. — *Ibid.* viii, 13.

AD RELIGIOSOS

SERMO SECUNDUS

DE ZELO PERFECTIONIS ET OBSERVANTIA RELIGIOSÆ VITÆ EXTRA RELIGIONIS STATUM.

B*ENEDICTUS Dominus, qui hodie nomen tuum ita magnificavit, ut non deficiat laus tua de ore hominum in æternum.* Judith xiii, **24**, 25.

Verba hæc de forti, virtuosa ac venerabili illa Judith conscripta, multo excellentius de fortissima, virtuosissima atque sanctissima Agatha dici queunt. Ipsam equidem hoc die in sua passione omnipotens Deus ita magnificavit, ut usque in finem mundi, in militanti honoretur, invocetur atque laudetur Ecclesia, tanquam una sanctarum mulierum virginumque præcipua. Nunc quoque laudatur, et in æternum laudabitur valde, præcipue in Ecclesia triumphanti.

Itaque « magnificavit » eam Deus altissimus, dando ei plenariam sui ipsius mortificationem, et omnium mundanorum aspernationem perfectam. Impleverat virgo ista sanctissima quod monebat Apostolus : Mortificate (inquiens) membra vestra quæ sunt super terram ; itemque, C Spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis. Imo in sæculo degens, complevit quod Christus edocuit : Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me. O quam infinita est misericordia Dei, et quam potens est gratia ejus in suis electis, sed et quam occulta sunt ejus judicia, ita ut nemo rationabiliter valeat desperare, nec quisquam præsumere sive inaniter gloriari ! Ecce sacratissima Agatha in sæculo remanens, nec cœnobium D ingressa, claustralem secuta est perfectionem, et Salvatoris implevit consilia. Abnegavit namque, superavit, fregit, atque vivifice mortificavit se ipsam in mundo, carnem cum vitiis et concupiscentiis crucifigens, castissime vivens, et voluntatem suam præceptis Dei et Ecclesiæ fidelissime subdens.

Coloss. iii, 5. — *Galat.* v, 16. — *Luc.* ix, 23. — *Galat.* v, 24.

Aliqui vero in cœnobio professi, claustralis perfectionis manent expertes : qui voluntatem suam contra obedientiæ vo-

tum resumunt, et propriæ affectioni magis A quam superioris sui obtemperant jussioni. Et si forte aperte non audeant rebellare, non tamen quiescunt quousque eorum voluntati præsidens acquiescat, et suam eis subjiciat voluntatem. Ad quod variis viis practicisque laborant valde inordinate : imo interdum tam inordinate, ut vultum avertant, loquelam subtrahant, consuetum occursum præcidant a spirituali patre, cui promiserunt solenniter obedire, quousque eorum affectioni consentiat. Isti votum obedientiæ tam vere adimplent, quam vere B Christi intuitu ac amore propriam deserunt superiorique subjiciunt voluntatem. Quo constat, quod nec voto nec suæ satisfaciant professioni : et tamen propriis excæcati affectibus, putant se miseri esse obedientes, se ipsos damnabiliter seducentes.

Frangat ergo, vincat, suppeditet religiosus propriam voluntatem propriumque judicium, et omnem passionum impetum immoderantiamque refrenet, violentiam sibi ipsi inferens salutarem ; nec instar bru- C torum, ira, impatientia, sensualitatisve motibus aliis agitetur, sed informabilis, dirigibilis et corrigibilis jugiter exstet. Nemo nostrum sit cum reprobis filiis Israel, cum Satanæ synagoga, attritæ frontis, duræ cervicis, indomabilis corde, ne quod per Isaiam prophetam loquitur Spiritus
Is. XLVIII, 4. Sanctus, ei conveniat : Scio quia durus es tu, et nervus ferreus cervix tua, et frons tua ærea. Nullus, quum a præsidente extorserit quod affectat, prævaluisse se arbitretur : imo tunc a propria voluntate, a D concupiscentia mala, a privato amore sciat se victum, et lugeat ac corrigat semetipsum, neque de cetero amplius tale quid machinetur.

Præterea contemplemur, quam perfecta aspernatio omnium mundanorum fuerit in Agatha virgine inclyta, martyre gloriosa. Certe quum esset non solum ingenua, sed et spectabilis genere, opulenta in rebus, præpotens in cognatis, corpore speciosa, mente ingeniosa, eloquens valde, atque ad omnem mundi prosperitatem excellenter disposita ; nihilo minus, tanquam vilissimum quid sprevit hæc omnia, ne per ea a contemplationis sinceritate, a sanctæ dilectionis fervore, a cordis munditia, a superna beatitudine retraheretur. Divitiæ, deliciæ et honores sæculi hujus, erant ei molesta. Et quantum quis ambitiosissimus, libidinosissimus, avarissimus ad illa afficitur, tantum ipsa omnia illa detestabatur. Fuitque ipsa crucifixa mun- *Galat.* VI,
do, et mundus sibi. Vere spiritualissi- 14.
ma et divinissima fuit hæc admirabilis virgo, et tota in christianitatis, in puritatis, devotionis ac bonitatis affectum conversa.

Quid ergo est, quod nos negligentes ac miseri, superficiales et ad externa effusi, qui manna fastidimus cœleste, post religionis ingressum, post solennis professionis emissionem præ juramento obligatoriam, adhuc mente revertimur in Ægyptum, carnales et vanas consolatiunculas amplexamur, et ea quæ sunt mundi affectamus, nec ipsas cupiditates ex nostris cordibus funditus exstirpamus : imo ad parva ac vilia quæque exteriora tam immoderanter pueriliterque afficimur, ut magis velimus animo conturbari, lædi, indignari, contendere, irasci, detrahere, caritate privari aut minorari, quam talibus carere aut spoliari ? Ubi est quod consulit Sapientia increata, Verbum Patris æterni, Unigenitus Dei : Si *Luc.* VI, 30.
quis tollit quæ tua sunt, ne repetas ? et, Qui aufert tunicam tuam, dimitte ei et *Matth.* V,
pallium ? quod item ait Vas electionis : Jam 40. *I Cor.* VI, 7.
omnino delictum est in vobis quod judicia habetis inter vos ? Quare non magis injuriam accipitis ? Quare non magis fraudem patimini ? Præterea sæcularibus dicitur : Divitiæ si affluant, nolite cor apponere. *Ps.* LXI, 11.
Quam damnabile igitur et probrosum est istud in religioso, cordis affectum ita immoderate apponere rebus permodicis, quarum usus dumtaxat ei conceditur ad placitum præsidentis, ut quum ipse voluerit, ille semper paratus sit resignare ?

Secundo, Deus omnipotens mirabiliter

decoravit ac magnificavit sacratissimam Agatham virginea puritate et castitate valde præcipua. Quod luce clarius innotescit ex hoc, quia quum a judice vitioso assignata et juncta esset turpissimis feminis, atque ab eis quotidie plurimis modis alliceretur ad venerea, nunquam est mota, nunquam carnaliter stimulata, nunquam sensualiter affectata : imo flebat quotidie, orabat assidue, ad martyrii palmam jugiter adspirabat. Quid ad hoc possumus dicere, nisi Deum in Sancta sua tam præelecta laudare, et nos ipsos in infinitum humiliare, despicere, deplorare? quippe qui tam facili occasione stimulum patimur carnis, qui sola imaginatione movemur, et sæpe ultra quam exprimi decet, alteramur, inquinamur, illudimur, qui ad continentiam voto adstringimur. Verumtamen absit ut quis ita incautus, ita imprudens, tam intimoratus, tam carnalis, mollis et invirilis consistat, ut tactu, adspectu, osculo vel amplexu, ad brutales se provocet motus. Quod si quis ex aliquo prædictorum se senserit stimulari, mox incitamentum illud abjiciat; alioqui timeat de mortali. Interdum quoque pigritiam somnolentiamque tempore divini admittendo Officii, talem quis patitur brutalitatem : quod certum est dupliciter esse culpabile.

Studeamus ergo, o fratres, exemplo sacratissimæ Agathæ, spiritualibus desideriis inflammari, dominicæ passionis recordationibus adimpleri, in virtutum transformari affectum, et totis præcordiis transferri ac constabiliri in Deum ; jugiter quoque bonis actibus occupari, orationibus et meditationibus sanctis devotissime immorari, ferventer adspirare ad Deum, compunctionumque lacrimis abundare. Imo quo plura occurrunt vanitatis ac voluptatis objecta, ibi fortius mentem erigamus ad Dominum, et omne fugiamus peccatum, imo et
A peccandi occasionem ac sensuum irrefrenationem.

Tertio, Creator sublimis magnificavit sponsam suam carissimam Agatham admirabili mentis constantia, insuperabili patientia, victoriosissima fortitudine, in universo suo martyrio. Longe fuit ab ea timor suppliciorum, formido mortis, tristitia premens, turbulentia deordinans, defectio in tormentis : imo in immanissimis illis tormentis, quum diutissime torqueretur in ubere, quum in equuleo esset dis-
B tenta, quum super testas fractas et carbones volutaretur ignitos, mansit tranquilla, invicta, imo et spiritualiter læta. Ego, inquiens, in his lætor suppliciis, sicut qui bonum nuntium audit. Ad carcerem quoque quasi ad epulas ivit.

In quibus omnibus copiose multipliciterque instruimur, ut imperfectum nostrum attendant ac defleant oculi nostri : quod, heu! tam impatientes, tam inconstantes et debiles sumus, quod tam cito sæculari cruciamur tristitia, quod nec mo-
C dica pati valemus adversa. Ideo confundatur quisque in se ipso, confusione salubri ad pœnitentiam efficacem, ut idonee se emendet. Si mortui sumus mundo et nobismetipsis, cur instar sæcularium hominum ad iram, impatientiam, tristitiam passionesque alias commovemur? Si Christus vivit et regnat in nobis, cur cum ipso pati, affligi, despici abhorremus? Numquid major est servus domino suo, discipulusve magistro, aut membrum mysticum capite summo præstantius? Postremo, si *Joann.* XIII, 16; *Matth.* X, 24.
D cum gloriosissima Agatha cupimus coronari, non vereamur cum ea saltem aliqua pati, nisi forte putemus coronari posse, legitime non certantem. II *Tim.* II, 5.

De aliis demum quibus Deus S. Agatham magnificavit, in sequenti dicetur sermone.

SERMO TERTIUS

DE MORTIFICATIONE VITIORUM, DE PATIENTIA, DE GRATITUDINE, DEQUE COGNITIONE DONORUM DEI.

L*AUDATE Dominum Deum nostrum,* A *qui in me adimplevit misericordiam suam.* Judith XIII, 17, 18.

Multæ sunt miseriæ hominum : quæ tamen ad duo genera reducuntur, quoniam quædam sunt miseriæ pœnæ, quædam miseriæ culpæ. Circa miserias pœnæ versantur corporalia misericordiæ opera, illas sublevando aut auferendo. Porro circa miserias culpæ versantur spiritualia opera misericordiæ, illas tollendo aut minuendo : ut sunt, peccanti ignoscere, forefacientem corripere, errantem reducere. Quumque B utraque misericordiæ opera in nobis exerceat Deus, illa præcipue ad ejus misericordiam pertinent, per quæ culparum nostrarum miseriis auxiliatur, a peccatis nos liberando aut præservando, et gratiam infundendo, profectum et conservationem in virtutibus tribuendo. Et breviter, quidquid mali deest, quidquid boni adest, totum opus est misericordiæ Dei, quemadmodum *Thren.* III, 22. in Threnis loquitur Jeremias : Misericordiæ Domini quia non sumus consumpti, quia non defecerunt miserationes ejus. Et C hoc, quantum ad mali carentiam. Quantum vero ad boni præsentiam loquitur Isaias : *Is.* LXIII, 7. Miserationum Domini recordabor, laudem Domini super omnibus quæ reddidit nobis Dominus, et quæ largitus est nobis secundum indulgentiam suam. Itaque, quoniam Deus gloriosissimam Agatham tam benignissime præservavit a vitiis, atque in omni virtute et gratia tam specialissime prævenit, perfecit et conservavit, merito *Judith* XIII, 17, 18. ipsa hortatur : « Laudate Dominum Deum nostrum, qui in me adimplevit misericor- D diam suam ». Ideo quando et nos a Deo seu ejus vicariis increpamur, castigamur, informamur, grati simus, et advertamus quia spiritualia opera misericordiæ in nobis exercent. Maneatque semper in unoquoque plena ad Deum dilectio, atque sincera et amorosa ad præsidentem fiducia : de quo nihil suspicemur sinistrum, sed quod animarum nostrarum quærat salutem.

Præterea spiritu sapientiæ ac prudentiæ Deus nimis specialiter ac gratiosissime S. Agatham magnificavit et adimplevit : ita quod paratissima fuit omni poscenti se *I Petr.* III, 15. reddere rationem de sua fide et spe ; adversarios quoque fidei, præsertim impiissimum judicem, vehementissime ac sapientissime confutavit, et rationabilissimis suis afflixit responsis. Quæ omnia in ejus patent Legenda. Nonne sapientissimum verbum fuit quod dixit, Summa ingenuitas est, in qua Christi servitus comprobatur ? Siquidem Christo servire, regnare est. Quid enim est Christo servire, nisi vitiis repugnare, invisibilibus hostibus reluctari, se ipsum regere ratione ac lege divina, corpus in servitutem redigere animæ, sensualitatem domare, subjici Deo, virtutibus ministrare? Quod utique nobilissimum est, illustrissimusque triumphus, ac summa libertas. Idcirco studeamus sic nobiles esse. Nullus subjiciatur pigritiæ, nullus somnolentia, otiositate, negligentia superetur. Nemo deserviat suo ventri, nec loquacitate *Rom.* XVI, 18. vincatur. Nemo ita deordinatus tamque ignobilis exstet, ut in eo sensualitas dominetur, ut præcipitetur a propria ira, ut passioni succumbat. Si quis nostrum *Jacob.* I, 5. indiget sapientia, postulet eam a Deo. Imo, quum omnes sapientia vehementer indigeamus, omnes pro ejus infusione, augmento, perfectione. Fontem sapientiæ

cum omni instantia et affectu jugiter de- A
Sap. ix, 4. 10. precemur, dicentes : Da mihi, Domine,
sedium tuarum adsistricem sapientiam, ut
mecum sit et mecum laboret, ut sciam
quid acceptum sit coram te omni tem-
Ps. xxiv, 5. pore ; itemque, Dirige me in veritate tua,
et doce me.

Insuper, sapientissimum verbum est,
quod victoriosissima Agatha dixit ad judi-
cem : Sicut triticum non potest in hor-
reum poni, nisi theca ejus fuerit fortiter
conculcata ; sic anima mea non potest pa-
radisum intrare cum palma martyrii, nisi B
feceris corpus meum diligenter a carnifi-
cibus lacerari. Sic quoque illustrissimus
martyr S. Ignatius dixit : Frumentum sum
Christi ; leonum dentibus molar, ut mun-
dus panis efficiar. Nec mirum : nam et
Luc. xxiv. 26. Christum oportuit pati, et ita intrare in
gloriam suam. Quomodo igitur sine tribula-
tionibus et persecutionum tolerantiis vir-
Hebr. xii, 7. tuosis, intrabimus gloriam alienam ? Quis
filius quem non corripit pater? Quid circa
Ibidem. hoc divinus ait Apostolus ? In disciplina
(inquit) perseverate. Tanquam filiis, vobis C
Ibid. 8. se offert Deus. Quod si extra disciplinam
estis, ergo adulteri et non filii estis. Itaque,
Ibid. 6 ; Apoc. iii, 19. sicut Deus quos amat, arguit et castigat ;
ita bonus ejus vicarius fratres quos since-
riter diligit, corripit et emendat. Nec super
hoc subditus indignetur, magis vero gra-
Hebr. xii, 11. tias agat. Nam disciplina, quamvis in præ-
senti non videatur esse gaudii, sed mœro-
ris, postea tamen fructum pacatissimum
præstat exercitatis per eam, ita ut dicant :
Ps. lxxxix, 15. Lætati sumus pro diebus quibus nos hu-
miliasti, annis quibus vidimus mala. Porro D
qui in præsenti nolunt corripi, sed pal-
pari, sciant se inter sæculares computari,
atque damnandos cum illis quorum vita
est pravitas impunita. Qui autem vere est
virtuosus, tunc redditur gaudiosus quando
caritative corripitur, dum juste corrigi-
tur, imo et quando sine suis demeritis tri-
bulatur, suo cupiens Domino conformari,
et agnoscens quam multipliciter salubre
sit adversitatibus exerceri. Idcirco patien-
tia est omnium probatrix virtutum, juxta
quod scriptum est : Vasa figuli probat Eccli. xxvii, 6.
fornax, et homines justos tentatio tribula-
tionis.

Amplius, sapientissimum verbum fuit,
quod præclarissima Agatha absciso ubere
suo virgineo, dixit : Ego habeo mamillas
integras intus in anima mea, ex quibus
nutrio omnes sensus meos, quos ab infan-
tia Domino consecravi. Nempe hæc spiri-
tualia ubera sunt utriusque Testamenti
Scripturæ, seu caritas et discretio, fides
quoque et recta intentio : ex quibus omnes
animæ vires spiritualiter nutriuntur, bene
reguntur, virtuosis actibus reficiuntur. De
quibus in Canticis fertur : Meliora sunt Cant. i, 1, 2.
ubera tua vino, fragrantia unguentis opti-
mis ; et rursus, Quam pulchræ sunt mam- Ibid. iv, 10.
mæ tuæ! Habeamus ergo et nos in anima
nostra hujusmodi ubera; sintque fecunda
et plena, ut secundum Scripturarum do-
ctrinam, secundum caritatis instinctum,
per fidem rectissimam dirigamus vitam
nostram in omnibus, juxta vocem orantis :
Gressus meos dirige secundum eloquium Ps. cxviii, 133.
tuum, et non dominetur mei omnis in-
justitia.

Adhuc autem magnæ sapientiæ profun-
dique sensus et eminentissimæ devotionis
fuit oratio ejus extrema, qua dixit : Do-
mine Jesu Christe, qui me creasti et ab
infantia custodisti, corpusque meum a pol-
lutione servasti, atque a me amorem sæ-
culi abstulisti, qui et tormenta vincere me
fecisti, et in eis mihi patientiam tribuisti,
accipe spiritum meum, et jube me ad
tuam misericordiam pervenire. Ecce qua-
liter omne bonum naturæ et gratiæ, mali
quoque carentiam et ejus vitationem ac
triumphum Deo prorsus adscripsit ; quali-
ter etiam per Spiritum Sanctum agnovit
quæ sibi a Deo erant collata, et quod non
solum bona operari, sed et aspera pro Deo
et justitia pati, donum sit Dei ; et quomodo
quum tantis esset meritis plena, rogavit
ad Omnipotentis misericordiam pervenire,
sciens et confitens quod omnia sua merita
Dei exsisterent munera. Propterea in om-
nibus his imitemur virginem istam sa-

pientissimam, et ipsa Minerva sapientiorem. Nec unquam quisquam se jactet, nunquam inaniter glorietur, nunquam suis viribus bona adscribat quæ operatur; sed quo majora quis bona a Deo sortitur, quo plura efficit bona, eo humilior et Deo sit gratior atque subjectior.

Præterea in prædictis contemplemur pro viribus, quam infinita sit Dei misericordia in electis (præsertim in tribulationibus constitutis) etiam in præsenti, qui eis tantam dat consolationem internam in pœna, tantam alacritatem et futuræ felicitatis prælibationem in corde, ut tam copiose redundet in corpus sensitivamque partem: ita quod dolores vix sentiant, et grande relevamen experiantur in eis, sicut in beatissima Agatha multisque aliis patuit. Unde et S. Tiburtius super carbones ignitos quasi super flores deambulare se dixit. In quorum omnium persona locutus est
II *Cor.* I, 5. Paulus apostolus: Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita per Christum abundat consolatio nostra. Verumtamen Dominus Jesus, qui consolationis hujus magnitudinem redundantiamque contulit eis, in se ipso, tempore suæ acerbissimæ passionis, redundantiam noluit hanc habere, ut gravius pateretur pro nobis, et copiosiorem nobis misericordiam mereretur, perfectius quoque totius patientiæ largiretur exemplum: quatenus et nos discamus in omni tribulatione esse in Deo constantes, sive hujusmodi consolationem experiamur, sive non. Nec ob ejus subtractionem frangamur: imo divinæ dispensationis moderamini committamus ejus infusionem et subtractionem. Siquidem quid in hoc magis expediat pro nostra salute, novit Altissimus, cujus sapientiæ non est finis. Cui tanquam rectori providissimo ac superoptimo patri, nos ipsos cum omni fiducia debemus committere. Attamen si in adversis constantes, et in prosperis fuerimus humiles, vilesque consolationes spreverimus, nec pepercerimus nobis in cultu divino, vix poterit infinita pietas et munificentia Patris cœlestis consolationes suas in vita hac diu subtrahere nobis: tanta est bonitas ejus et caritas. Propter quod
in talibus experta, locuta est Sara: Post *Tob.* III, 22.
fletum, Domine, exsultationem infundis; et post tempestatem, tranquillum facis.

Postremo, quam excellenter Deus sublimis magnificavit hanc Sanctam suam per gloriosa miracula in ejus martyrio et sepultura ac postea, et per velocem atque horribilem sui persecutoris interfectionem, scimus ex sua Legenda. Diligamus ergo, laudemus, veneremur atque sequamur hanc virginem præelectam. Ad Omnipotentis laudem et gloriam.

Reliqua huic festo opportuna require de S. Catharina et in Communi Sanctorum.

IN FESTO
CATHEDRÆ S. PETRI

ENARRATIO IN EPISTOLAM

JAM NON ESTIS HOSPITES ET ADVENÆ, ETC. Ephes. II, 19-22.

AD Ephesios secundo, ait ad omnes vere A christifideles sanctus Apostolus :

Jam, scilicet tempore gratiæ ac evangelicæ legis, *non estis hospites,* id est adventicii, citoque abeuntes a Deo, a fide Christi, et a militanti Ecclesia, *et advenæ,* id est peregrini, et extranei a numero electorum : imo per fidem, caritatem, ceterasque virtutes ac dona Spiritus Sancti firmiter stabiliti estis in Deo et ecclesiastica unitate. Ideo subditur : *sed estis cives Sanctorum,* id est de grege fidelium atque consortio electorum, tanquam ejusdem ju- B ris, legis ac dignitatis cum illis in militanti Ecclesia, *et domestici Dei,* id est, in Ecclesia (quæ est domus Dei) suscepti, commorantes ac permansuri, et Deo familiariter juncti; *superædificati,* id est corde innixi ac radicati, *super fundamentum Apostolorum et Prophetarum,* id est super Christum, qui est primum ac summum fundamentum, in quo Apostoli ac Prophetæ fundati fuerunt per fidem fortissimam et gratiam magnam. Unde alibi ait
I Cor. III, 11. Apostolus : Fundamentum aliud nemo po- C nere potest, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus. Potest quoque per « fundamentum » intelligi sacra utriusque Testamenti Scriptura, cui ut fundamento omnes Sancti innixi sunt et innituntur. Sic ergo ædificati estis, *ipso summo angulari lapide* exsistente *Christo Jesu,* id est, ita quod Christus in isto ædificio spirituali Ecclesiæ est lapis summus et angularis : lapis, inquam, quoniam firmiter sustinet et conservat credentes in se; summus, quoniam perficit eos; angularis, quia in ipso tanquam in capite uniuntur duo populi, Judæi videlicet et gentiles, ad constituendam unam Ecclesiam, quemadmodum duo parietes connectuntur in lapide angulari, hoc est collocato in angulo, ad constituendum habitaculum unum. De hoc lapide ait Psalmista : Lapidem quem re- Ps. CXVII, 22.
probaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. Quod Christus de se prædictum testatur, dicens Judæis : Nun- Matth. XXI, 42.
quam legistis, Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli?

In quo, scilicet Christo, id est in cujus fide, gratia et doctrina, *omnis ædificatio constructa,* id est omnis persona seu multitudo fidelis spiritualiter confirmata, fundata, et ad Deum erecta, *crescit,* id est, spiritualiter proficit de bono in melius, *in templum sanctum,* id est ad hoc ut sit templum a vitiis purum, in quo Deus per gratiam habitare dignetur : unde alibi di-
cit Apostolus, Templum Dei sanctum est, I Cor. III, 17.
quod estis vos; *in Domino,* id est secundum voluntatem ipsius, atque ad gloriam

ejus. *In quo,* scilicet Domino, id est in A cujus gratioso auxilio, *et vos coœdificamini,* id est, simul cum aliis fidelibus construimini intus in anima per virtutes et dona Spiritus Sancti, *in habitaculum Dei,* id est, ut sitis templum inhabitationis divinæ, *in Spiritu Sancto,* id est virtute et operatione Spiritus Sancti, qui hujus ædificationis est causa et artifex summus, sine cujus cooperatione et gratia nullus actus est meritorius vitæ æternæ, seu Deo acceptus.

SERMO PRIMUS

QUOMODO ELECTI HIC CIVES ATQUE FILII DEI SUNT, ET NIHILO MINUS PEREGRINI ; ET DE STABILITATE ECCLESIÆ.

JAM *estis cives Sanctorum et domestici* B *Dei.* Ephes. II, 19.

In hodierna epistola verbis brevissima, continentur profundæ sententiæ ac saluberrima documenta; et præsertim, quam copiosa gratiarum charismata, seu gratiæ munera, data sint ipsis gentilibus ad fidem Christi conversis, tempore evangelicæ legis.

Primum est, quod modo non sunt hospites et advenæ, juxta sensum præhabitum : quia non sunt a Deo extranei et aversi atque increduli, sicut ante adventum Chri- C sti fuerunt; sed per Apostolorum doctrinam, et per Christi gratiam, per Spiritus Sancti piissimam operationem, facti sunt « cives Sanctorum et domestici Dei ». Facti sunt enim non solum servi Dei altissimi, sed etiam amici ejus, adoptivique filii,
Joann. I, 12. juxta illud : Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Unde
Galat III, 26. dicitur ab Apostolo : Omnes filii Dei estis per fidem quæ est in Christo Jesu. Hinc Christus in Evangelio Patrem æternum, Deum omnipotentem, sæpissime vocat Pa- D
Matth. VI, 8. trem fidelium, dicendo : Scit Pater vester cœlestis quid opus sit vobis; et rursus,
Ibid. V, 44, 45. Diligite inimicos vestros, ut sitis filii Pa-
Luc. XI, 13. tris vestri qui in cœlis est; itemque, Pater vester cœlestis dabit spiritum bonum petentibus se. Postquam enim Deus, Dei Patris Filius, factus est homo, et Unigenitus Patris summi factus est hominum frater, atque in terris natus ac visus est, et *Baruch* III, 38.
cum hominibus conversatus, decuit Deum maximam misericordiam, opem et gratiam hominibus exhibere : ita ut cives Sanctorum, domestici, familiares, amici ac filii Dei vocentur, qui ante conversionem suam ad Christum, fuerunt membra ac servi filiique diaboli. Hinc gloriosissimus princeps Apostolorum in exordio secundæ suæ epistolæ loquitur : Maxima et pretiosa II *Petr.* I, 4.
nobis Deus dona donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ.

Sed quæri potest, quomodo fideles dicantur cives Sanctorum et domestici Dei, non hospites et advenæ, quum Propheta Deum in Psalmo exorans dicat : Ne sileas, *Ps.* XXXVIII, 13.
quoniam advena ego sum et peregrinus, sicut omnes patres mei. Sacratissimus quoque Petrus in prima Canonica sua fideles affari exorsus : Obsecro (inquit) vos tan- I *Petr.* II, 11.
quam advenas et peregrinos. Unde de Sanctis scribit apostolus Paulus : Confitentes *Hebr.* XI, 13.
quia peregrini et hospites sunt super terram. Et sanctus David loquitur Deo : Pere- I *Par.* XXIX, 15.
grini sumus coram te et advenæ, sicut omnes patres nostri.

Ad istud est duplex responsio. Prima, quod fideles electi ac virtuosi, sunt peregrini et advenæ quantum ad sæculum istud, in quo sunt sicut in via, suspirantes ac proficiscentes ad patriam Beatorum. Etenim mundus iste est tanquam carcer atque exsilium electorum. Unde dicit Apo-

Hebr. XIII, 14. stolus : Non habemus hic manentem civi- A tatem, sed futuram inquirimus. David quo-
I Par. XXIX, 15. que inquit : Dies nostri quasi umbra super terram, et nulla est mora. Hinc patriarcha
Gen. XLVII, 9. Jacob fatetur : Dies peregrinationis meæ super terram, parvi et mali sunt. Non autem sunt peregrini et advenæ quantum ad militantem Ecclesiam, in qua actualiter sunt, et cives ipsius consistunt per fidem et caritatem. Nam et ipsa Ecclesia civitas appellatur, de qua tractat B. Augustinus in libro de Civitate Dei : quia in ea est Christianorum cohabitatio, per unam fi- B dem, unamque legem et caritatem unita. Unde qui sola fide in Ecclesia sunt, et non caritate ac merito, potius sunt dicendi cives Babylonis, id est civitatis diaboli, quæ est ecclesia malignorum, quam cives Jerusalem, id est Ecclesiæ militantis. — Alia responsio est, quod fideles electi ac virtuosi, sunt cives Ecclesiæ (ut dictum est) militantis, et domestici Dei, loquendo de domo Dei quam habet in terris, de qua
I Tim. III, 15. dicit Apostolus : Scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ec- C clesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis. Peregrini vero, hospites et advenæ sunt respectu Ecclesiæ triumphantis, ad quam gradiuntur, anhelant et gemunt; et nondum in ea sunt nisi per spem et meritum, necdum per rem et præmium : quæ etiam domus Dei vocatur, juxta illud
Ps. LXXXIII, 5. Psalmistæ, Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt
Joann. XIV, 2. te. De qua loquitur Christus : In domo Patris mei mansiones multæ sunt.

Secundum documentum hujus epistolæ D est, quod fideles valde stabili fundamento innituntur, videlicet Christo et auctoritati Scripturarum utriusque Testamenti : quia per fidem, gratiam et virtutes ædificati sunt mente super hoc fundamentum, id est radicati et constabiliti in Christo eos fundante ac sustentante per dona gratiæ suæ, non sub eis per aliquam inferioritatem jacente. Hinc tempore tentationis ac tribulationis non ruunt neque vincuntur nisi sponte hoc deserant fundamentum, nec ad aliquam labuntur perfidiam; sed sufficientissime de necessariis ad salutem docentur, videlicet de credendis atque agendis, quoniam sacris innituntur Scripturis juxta expositionem Ecclesiæ intellectis. Idcirco de homine Deo obediente ait Salvator : Omnis qui audit verba mea *Matth.* VII, 24, 25.
et facit ea, assimilabitur viro sapienti qui ædificavit domum suam supra petram. Et descendit pluvia, et venerunt flumina, flaveruntque venti, et irruerunt in domum illam ; et non cecidit : fundata enim erat supra petram.

Itaque tempore tribulationis ac tentationis non relinquamus hoc fundamentum, sed ejus conservationem et opem fervide invocemus, atque in ejus auxilio confidamus, quum dicat : Invoca me in die tribu- *Ps.* XLIX, 15.
lationis ; eruam te, et honorificabis me. Nec putemus nobis fidem et spem solam sufficere, sed festinemus præcepta implere, in humilitate, castitate, patientia, liberalitate, misericordia, justitia, caritate, prudentia semper proficere, et perseverare usque in finem : scienti etenim bonum *Jacob.* IV, 17.
et non facienti, peccatum est illi. Alioqui assimilabimur fatuo, et corruentes peribimus. Propter quod rursus asserit Christus: Omnis qui audit verba mea, et non facit *Matth.* VII, 26, 27.
ea, similis erit viro stulto qui ædificavit domum suam supra arenam. Et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam ; et facta est ruina ejus magna. Omnes namque iniqui, qui creaturis magis quam Creatori per affectum inhærent, utpote aliquid diligendo, faciendo aut omittendo contra Dei præceptum, ædificant domum suam super arenam, id est, cor suum figunt in rebus carnalibus et caducis, quæ instar arenæ, instabilia cognoscuntur : de quibus Salomon protestatur, Vanitas vanitatum, *Eccle.* I, 2.
et omnia vanitas. Hinc itaque summum et incommutabile, infinitum et incomparabile illud bonum, Deum sublimem et benedictum, super omnia summe diligamus, desideremus, colamus ac veneremur. Et quidquid ab ejus amore nos impedit, quid-

quid suo honori repugnat, quidquid ejus A contrariatur præceptis, non minus quam diabolum ac pœnam gehennæ vitemus, odiamus et detestemur, utpote omnem superbiam, avaritiam, gulam, luxuriam, iram, invidiam atque acediam.

Tertium documentum est, quod hujus spiritualis saluberrimæ ædificationis lapis angularis et summus est Christus, in quo universi fideles concurrunt et connectuntur. De quo per Isaiam Deus prædixit : *Is.* XXVIII, 16. Ecce ego mittam in fundamentis Sion, lapidem angularem, probatum, pretiosum. B
I *Petr.* II, 6. Quod princeps Apostolorum in prima sua
I *Cor.* X, 4. inducit Canonica. Paulus quoque : Petra (inquit) erat Christus. Huic igitur lapidi, scilicet Christo, jungamur, inhæreamus, ab ejus soliditate nihil avellat nos, atque in ipso omnes proximos nostros spiritualiter diligamus, nec avertamur ab aliquo : quia si a proximo quocumque per rancorem avertimur, a Christo avertimur, et perimus.

Quartum documentum est, quod fideles sunt templum et habitaculum Dei, quia per caritatem et gratiam demoratur in eis. C
I *Joann.* IV, 16. Nempe qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo. Dominus quoque fate-
Joann. XIV, 23. tur : Si quis diligit me, sermonem meum servabit; et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. Ecce quanta est dignitas hominis virtuosi, quia totius superbeatissimæ Trinitatis templum, thronus habitaculumque consistit.

Præterea, post Christum, etiam ipsi gloriosi Apostoli dicuntur fundamenta fidelium, quoniam suis doctrinis, virtutibus D et miraculis roborant, fundant et sustinent eos. Unde in Apocalypsi ait S. Joannes,
Apoc. XXI, 14, 19, 20. quod duodecim sunt fundamenta civitatis, puta Ecclesiæ. Et in Psalmo cantatur :
Ps. LXXXVI, 1. Fundamenta ejus in montibus sanctis. Et certum est quod gloriosissimus apostolici agminis princeps, sanctissimus Petrus, post Christum præcipue sit fundamentum fidelium. Nam et specialiter dixit ad eum passione instante : Tu aliquando conversus, *Luc.* XXII, 32. confirma fratres tuos; et alibi : Ego dico *Matth.* XVI, 18. tibi, quia tu es Petrus, id est firmus ac principalis; et super hanc petram, id est tuæ fidei firmitatem, imo super te, secundum expositionem S. Hieronymi, ædificabo Ecclesiam meam. Postremo, quam verum sit istud, apertissime patet in Actibus Apostolorum, ubi beatissimi Petri excellentia edocetur : qualiter vertex et os fuit Apostolorum, principalis et efficacissimus in prædicando, multa millia Judæorum *Act.* II-IV. convertens, tamque præpotens in miraculis, quod in plateis Jerusalem ponebant *Ibid.* V, 15, 16. infirmos in lectis, quatenus sacratissimo Petro veniente, saltem umbra ipsius obumbraret quemquam illorum; et sanabantur. Ipse etiam inter Apostolos primus fuit qui convertit gentiles : quia ut legitur in Actibus, Cornelius centurio fuit vir justus et *Ibid.* X, 1 et seq. operibus misericordiæ valde insistens, qui vidit in plena vigilia, hora diei nona, angelum Dei introeuntem ad se, præcipientemque sibi ut sanctum apostolum Petrum vocaret ad se, et audiret ab eo quæ necessaria sunt saluti. Quumque B. Petrus venisset ad eum, et ei, scilicet Cornelio centurioni, et congregatis cum eo cognatis ejus necessariisque amicis, fidem Christi evangelizaret, descendit et cecidit Spiritus Sanctus super illos in specie visibili, nec solum implevit eos donis gratiæ gratum facientis, sed etiam quibusdam donis gratiæ gratis datæ : nam protinus cœperunt loqui variis linguis, sicut in die Pentecostes Apostoli.

Itaque beatissimum Archiapostolum humiliter invocemus, congrue honoremus, præcipue diligamus, ut pro nobis jugiter intercedat, quatenus secundum ejus præcepta et documenta atque exempla vivamus, proficiamus et perseveremus.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

DIXIT JESUS SIMONI PETRO, ETC. Joann. XXI, 15-19.

HISTORIA evangelii hodierni contigit, A quando post resurrectionem suam Joann. XXI, 1 et seq. Christus apparuit septem ex discipulis suis ad mare Tiberiadis, videlicet S. Petro, Joanni et Jacobo, Thomæ et Nathanaeli, et aliis duobus discipulis. Cum quibus dum manducasset, *Dixit Jesus Simoni Petro : Simon Joannis,* id est, fili Joannis (sic etenim pater Petri vocabatur), *diligis me plus his,* id est intensius seu magis perfecte ac fervide quam alii discipuli mei ?

Videtur hæc quæstio Christi satis mirabilis. I Cor. II, 11. Quum enim dicat Apostolus, Nemo B scit quid agatur in homine nisi spiritus ejus, qualiter potuit Petrus scire, quod plus Christum amaret quam discipuli alii? Eccle. IX, 1. Rursus, quum Salomon protestetur, Nescit homo an sit dignus amore vel odio, quomodo potuit Petrus scire se Christum diligere, quum sit certus se dignum esse amore, qui scit se Christum amare ? — Et respondendum, quod propter mysterium Christus quæstionem hanc fecit, videlicet ad insinuandum quod aliorum prælatus seu aliis præficiendus, debet præ commu- C ni plebe Deum diligere, atque in omni virtute et gratia præfulgere, quatenus de plenitudine sua valeat subditis communicare, eosque instruere, dirigere, purgare, perficere.

Dicit ei Petrus : *Etiam, Domine, tu scis quia amo te.* Paulo ante dixerat Petrus in- Matth. XXVI, 33. caute, se præferens aliis, Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor; nunc vero propriam fragilitatem expertus, ampliorique discretione ac gratia decoratus, non audet respondere quod D plus amet Jesum quam condiscipuli, sed hoc quod sibi constabat respondit, dicens : « Tu scis quia amo te ». Per quod docemur non præferre nos aliis, nec de illorum interioribus temere judicare, neque in dubiis assertivum seu certum dare responsum. Cujus oppositum faciunt quidam, ne videantur quid ignorare.

Dicit ei Jesus : Pasce agnos meos, id est, pastorem fidelium meorum et omnium hominum temporis tui te prælatum constituo, utpote generalem, summum ac plenum vicarium meum, super universam militantem Ecclesiam. Ac si dicat : Quoniam tam intense me diligis, ut ego ipse conspicio, aptus es præfici universis. Itaque per hæc verba Christus fecit Petrum summum pontificem, et totius Ecclesiæ caput, sponsum, hierarcham, prælatum.

Dicit ei iterum : Simon Joannis, diligis me ? Ait illi : Etiam, Domine, tu scis quia amo te. Quæritur, an Petrus certitudinaliter scivit se diligere Christum. Dicendum, quod Apostoli post plenam illam Spiritus Sancti receptionem in die Pentecostes factam, sciverunt se primitias (id Rom. VIII, 23. est præcipua dona) Spiritus Sancti sortitos, atque in gratia confirmatos : ideo certitudinaliter sciverunt se Christum diligere infuso amore. Unde Paulus securissime dixit : Quis nos separabit a caritate Dei ? Ibid. 35. An vero post receptionem Spiritus Sancti per Christi insufflationem, quæ hanc in- Joann. XX, 22. terrogationem præcessit, Apostoli certitudinaliter sciverint se esse in caritate et gratia indesinenter, quousque Spiritum Sanctum plenius acceperunt in festo Pentecostes, non est adeo certum. Porro, si Petrus hac vice scivit se Christum diligere infusa ac meritoria dilectione, hoc fuit per revelationem. Verumtamen certum est quod Petrus certissime scivit se Christum diligere quodam amore, utpote vel natu-

rali et acquisito, vel spirituali atque infuso. Experiebatur namque se in Christi amore non mediocriter æstuare, præsertim dum eum vidit præsentem, sicut quum dixit hæc. *Dicit ei* Jesus : *Pasce agnos meos,* id est, fideles verbo instructionis, exemplo virtuosæ conversationis, mentis quoque affectu, sed et temporali (dum opus est) subsidio ale.

Dicit ei tertio : Simon Joannis, amas me? Christus prædilectum Petrum suum de dilectione sua ter examinat atque interrogat, quia prælatus Deum diligere debet cordiali affectu, affectuosis sermonibus et caritativis operibus; et item, ut Petrus trina divini amoris professione, faciat recompensam pro trina illa formidolosa Christi negatione (*Matth.* XXVI, 69-74); atque ad insinuandum, quod ad prælationem promovendi, sint frequenter ac diligenter discutiendi et considerandi, an sint vere idonei et in caritate præcipui. *Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio, Amas me?* Videbatur enim quasi Christus responsionem Petri non approbaret. Et forsitan Petrus expavit quod ideo Christus toties verba eadem repetivit, quasi vellet ei aliquid prænuntiare in quo ostenderetur non diligere Christum : quemadmodum quando fiducialiter dixit, Animam meam pro te ponam (*Joann.* XIII, 37), audivit a Christo : Non cantabit gallus donec ter me neges (*Ibid.* 38). *Et dicit ei : Domine, tu omnia scis,* non solum in quantum Deus, per scientiam increatam, sed etiam secundum humanitatem assumptam, per scientiam concreatam ac inditam; *tu scis quia amo te,* ideo non oportet te amplius interrogare.

Dicit ei : Pasce oves meas. Ante bis dixit, Pasce agnos meos ; nunc ait, Pasce oves meas. Unde per agnos intelliguntur incipientes, pusilli, nondum perfecti; per oves autem, perfecti, qui aliorum spirituales sunt patres. Et quia prælati debent esse parati ad moriendum pro Christo et grege sibi commisso, Christus consequenter prædicit Petro suum martyrium.

Amen, amen dico tibi, quum esses junior annis quam nunc, quando etiam moribus junior eras quam modo, *cingebas te* cingulo materiali circa lumbos tuos, *et ambulabas ubi volebas,* pergendo de loco ad locum ad libitum tuum, quia non eras ab aliquo vinctus. *Quum autem senueris, extendes manus tuas* ad brachia crucis, cui appenderis : quod utique sanctus Apostolus promptissime fecit ex caritate et fortitudine animi, secundum rationem et appetitum superiorem; *et alius te cinget,* id est, apparitor seu minister Neronis imperatoris ligabit te in urbe Roma, antequam te educat ad mortem; *et ducet te quo tu non vis,* id est ad locum passionis, acerbitatemque mortis, quam secundum naturalem et sensitivum appetitum horrebis, quamvis secundum rationem et intellectivum appetitum eam libentissime patieris, cupiens dissolvi a corpore et esse mecum in regno (*Philipp.* I, 23). Verumtamen appetitus inferior fuit in S. Petro finaliter subditus rationi, quia per virtutes morales fuerunt in eo passiones rationis judicio perfecte subjectæ, ita quod non timuit mortem, nec eos qui corpus occidunt, immoderate (*Matth.* X, 28). Sed primi motus non sunt in nostra potestate : propter quod Paulus apostolus decollandus, fecit sibi oculos circumligari, ne venientem gladium cernens, pateretur subitum motum naturalis timoris mortis.

Consequenter Evangelista exponit hæc verba : *Hoc autem,* id est præinducta parabolica verba, *dixit* Jesus, *significans qua morte clarificaturus esset Deum,* id est, quale martyrium esset passurus, per quod Deum honoravit, moriendo pro fide, veritate et cultu ipsius. Quemadmodum enim justi clarificant Deum sua virtuosa conversatione, quia per eam protestantur et opere pandunt, quod Deus sit sanctus, excelsus et justus, cui tam reverenter virtuoseque serviunt; ita pro fide atque justitia moriendo, ipsum martyrio suo clarificant, quia per illud demonstrant et contestantur, quod Deus sit tantæ dignitatis, tamque infallibilis veritatis et æquitatis, quod potius sit moriendum quam ab

eo per veritatis negationem aut justitiæ derelictionem aliqualiter recedendum. Propter quod ad Philippenses scribit Apostolus : In omni fiducia magnificabitur Christus in corpore meo, sive per vitam, sive per mortem. Philipp. I, 20.

SERMO SECUNDUS

QUOMODO BONORUM PASTORUM CONDITIONES PRÆLATI DEBENT HABERE, ET OVIUM, SUBDITI.

DIXIT *Jesus Petro : Pasce agnos meos.* Joann. XXI, 15, 16.

In verbis his paucis docet Salvator, quid pertineat ad prælatum et ad omnes qui curam habent animarum, quid item ad subditos. Ad eos itaque qui aliis spiritualiter præsunt, pertinet pascere eos. Quod principaliter intelligendum est de spirituali nutritione : quæ nutritio est subditorum instructio, gubernatio, purgatio a peccatis, deductio ad virtutes, præservatio seu custoditio a dæmonum tentamentis et animarum periculis. Hinc per Jeremiam loquitur Deus : Dabo vobis pastores juxta cor meum, et pascent vos scientia et doctrina. Jer. III, 15.

Denique ad hanc spiritualem subditorum nutritionem multa sunt necessaria. Primum est, ut pastor eos agnoscat, id est, mores eorum consideret, peccata inquirat, vitam perpendat : ut sciat qualiter omnes et singulos debeat informare, corripere, spiritualiterque curare, hoc est, a peccatis, quæ sunt animarum læsiones et mors, emundare. Pastor quippe est medicus animarum : idcirco, sicut medicus corporum diligenter considerat infirmitates et vulnera languidorum, ut juxta illorum exigentiam apponat remedia; sic pastor et custos animarum, mores et vitia subditorum perpendere debet suorum, atque secundum ea ipsis tradere documenta, correptiones et correctiones. Ideo Salomon unicuique spiritualiter præsidenti ait : Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera. Prov. XXVII, 23. In quibus verbis per vultum pecoris intelligitur conscientia inferioris, quam curatus pro posse suo debet discutere : quod præcipue fit in confessione. Christus quoque contestatur : Bonus pastor proprias oves vocat nominatim. Joann. X, 2, 3. Ex his etiam innotescit, quod sicut medici corporum sunt causæ mortis morientium infirmorum quos susceperunt pro posse curandos, nisi prætacto modo eorum infirmitates considerent; sic curati, sunt coram Deo causæ seu rei vitiorum atque damnationis pereuntium subditorum, nisi præfato modo considerent eos.

Secundo, ad spiritualem subditorum nutritionem necessarium est, eos de credendis et agendis ac evitandis instruere, exponendo et prædicando eis præcepta Dei et Ecclesiæ ac Scripturas, præsertim Evangelia et sermones. Hinc Christus ait Apostolis, et in eorum persona cunctis suis vicariis ac prælatis, Vos estis lux mundi : Matth. V, 14. quia videlicet illuminare debent populos sibi commissos, modo prætacto, de necessariis ad salutem. Ideo Timotheo scripsit Apostolus : Attende exhortationi et doctrinæ. I Tim. IV, 13. Et Propheta dixit ad Dominum : Docebo iniquos vias tuas, et impii ad te convertentur. Ps. L, 15. Quod quam meritorium sit et salubre, constat ex eo quod Danieli Gabriel ait archangelus : Qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ fulgebunt in perpetuas æternitates. Dan. XII, 3.

Tertio necessarium est, delinquentes corripere atque corrigere, et unicuique

subdito peccatori spiritualem medelam A suarum culparum curativam provide adhibere. Quamvis etenim omnes Christiani ad correptionem teneantur fraternam, in quantum correptio illa actus est caritatis, pastores tamen et præsidentes præcipue obligantur ad eam, et non solum secundum quod est actus caritatis, sed etiam prout est actus justitiæ. Nec solum debent delinquentes verbis corripere, sed et pœnas, disciplinas et satisfactiones eis infligere sive injungere. Quemadmodum autem diversa corporum vulnera variique languo- B res alia et alia requirunt medicamenta, imo quod unam infirmitatem curaret, aliam plus augeret et mortem induceret; sic diversa peccata diversimode sunt curanda. Peccatores quoque, secundum quod diversimode exsistunt dispositi, aliter et aliter sunt sanandi, hortandi, corripiendi et castigandi. Quidam namque sunt duræ cervicis et obstinati in vitiis, et publice graviter peccant ac alios scandalizant : idcirco sunt acrius corripiendi ac corrigendi. Alii sunt verecundi, flexibiles bonæque indo- C lis, et quædam bona in se gesta habentes : qui mitius sunt tractandi. Hinc ad Timotheum dicit Apostolus : Prædica verbum, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia; et alibi, Corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes.

II *Tim.* IV, 2.

I *Thess.* V, 14.

Sunt demum alia multa ad spiritualem subditorum nutritionem et gubernationem necessaria, utpote : pro eis Deum jugiter ac ferventer orare, pericula eis imminentia observare et eis talia nuntiare ; eos D etiam ab invisibilibus hostibus, scilicet dæmonum tentationibus, custodire ; nec solum eos instruere verbis, sed virtuosis quoque et exemplaribus actibus ac fama laudabili; sed et corporalia subsidia, seu victui necessaria ministrare eisdem pro posse, tempore opportuno, et si opus fuerit, vitam pro eis exponere, quum Christus fateatur : Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.

Joann. X, 11.

Præterea præmemoratos actus pastorales beatissimus Petrus apostolus inclyte, excellenter et gloriose implevit, sicut in Actibus Apostolorum, et in ejus Legenda, Itinerario quoque S. Clementis, describitur. Ipse itaque in primis oves sibi commissas cognovit. Et quoniam sibi totus mundus commissus fuit (nam universis hominibus est prælatus), ideo totius mundi homines pro suo posse consideravit, universis quoque et singulis quantum sibi fuit possibile, nitebatur succurrere per se ipsum et per suos discipulos, quos ad diversas regiones misit ad prædicandum, utpote ad Hispaniam, Galliam, Africam, Germaniam, et per urbes Italiæ provinciarumque aliarum. Insuper omnes homines illuminavit et informavit pro posse per suam ac discipulorum suorum prædicationem, per epistolas, per ordinationes et ecclesiasticas sanctiones. Primo enim constantissime prædicavit in civitate Jerusalem, deinde in diversis urbibus Judææ et Galilææ atque Samariæ; deinceps cœpit gentilibus prædicare; atque ut S. Clemens Papa testatur, ipse tanquam splendidissimus sol ab oriente ingressus est occidentem, et tenebras occiduarum fugans regionum, luce fidei et claritate sapientiæ ac evangelicæ legis occidentalem mundi partem copiosissime illustravit.

Præterea, quamvis visceribus caritatis ac pietatis totus esset repletus, nihilo minus in increpando et corrigendo delinquentes, strenuus valde, justus rigorosusque fuit. Unde, ut in Actibus legitur, dum primi illi devotissimi Christiani sub regimine beatissimi Petri et aliorum Apostolorum in Jerusalem communem ducerent vitam, et venditis possessionibus suis, pretium earum ponerent ante pedes Apostolorum in communem fidelium usum, fuit ibi vir nomine Ananias, qui vendito agro suo, aliquid reservavit sibi occulte de pretio, conscia sua uxore. Sed gloriosissimum principem Apostolorum factum illud non latuit, quoniam Spiritus Sanctus ei hoc revelavit. Quumque S. Petrus virum illum increparet, dicendo, Anania, cur tentavit

Act. IV, 34-37.

Ibid. V, 1 et seq.

Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto? non es mentitus hominibus, sed Deo; audiens Ananias hæc verba, corruens protinus exspiravit. Deinde, post horas quasi tres, uxor Ananiæ nesciens quid suo acciderit viro, et interrogata a S. Petro de quantitate pretii agri sui venundati, quum mendosum daret responsum et super hoc increparetur a Petro, cecidit statim et exspiravit.

Amplius, ex verbo Christi in themate posito, quo credentes in se nominat oves, dicendo, Pasce oves meas et agnos, docemur quales esse debeant Christiani, si voluerint esse veri discipuli Salvatoris et filii gratiæ ac salutis. Oportet enim ut habeant laudabiles ovium proprietates. Quarum prima est, quod oves sunt animalia simplicia, innocentia, felle, dolo et ira carentia. Sic Christianos oportet esse simplices columbina simplicitate, hoc est absque vulpina calliditate et fraudulenta duplicitate : quia ut Salomon loquitur, Vir versutus odiosus est. (*Prov.* XIV, 17.) Et Psalmista, Virum (inquit) sanguinum et dolosum abominabitur Dominus. (*Ps.* V, 7.) Unde et Christus in Evangelio : Estote (ait) simplices sicut columbæ. (*Matth.* X, 16.) Quum enim similitudo sit causa amoris, et Deus sit summe simplex, sincerissimus, tranquillissimus atque purissimus : constat quod homo tanto plus placeat Deo, quanto omni duplicitate et calliditate, fraude commotioneque iræ fuerit purior; et tanto plus displiceat Deo, quanto duplicior, nocentior, dolosior aut iracundior fuerit. Hinc in Ecclesiaste scribitur : Ne sis velox ad irascendum, quia ira in sinu stulti requiescit. (*Eccle.* VII, 10.) Et denuo Salomon loquitur : Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor; et impetum concitati spiritus ferre quis poterit? (*Prov.* XXVII, 4.) Ex quibus ostenditur, quod volens Deo placere, et inter proximos ac domesticos amabiliter et pacifice ac exemplariter conversari, valde necesse habet iram reprimere, irascendique usum prorsus abjicere. Unde quidam sanctus eremita asserit, quod homo iracundus non placet Deo, etiam si mortuos suscitet; et rursus, Sicut fumus hospitem expellit a domo, sic iracundia Spiritum Sanctum de corde. Item necesse est Christianos esse innocentes, id est, nulli nocentes scandalizando, aut damna sive injurias irrogando, ut impleant illud Tobiæ : Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alii facias. (*Tob.* IV, 16.) Nec hoc quis putet sufficere, sed oportet proximos ædificare, corripere et juvare, ut impleamus quod præcipit Christus : Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite eis; hæc est enim lex et Prophetæ, (*Matth.* VII, 12.) id est, in hoc consistit ac impletur doctrina legis et Prophetarum. Imo et naturalis lex ista requirit ac dictat.

Secunda proprietas ovium est, quod faciliter diriguntur juxta voluntatem pastoris, et quo tenderit baculum, illuc mox gradiuntur ac pascua sumunt. Sic Christiani suis superioribus ac prælatis in licitis et honestis debent prompte et assidue obedire, et non instar canum remordere, indignari et furere, sed eorum informationes gratanter suscipere, correptionibus obtemperare, directionibus gubernari, et superiores suos specialiter amare ac venerari, quemadmodum ait ad Hebræos Apostolus : Obedite præpositis vestris et subjacete illis; ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri. (*Hebr.* XIII, 17.) Alibi quoque : Rogamus vos, fratres, ut noveritis eos qui laborant inter vos, et præsunt vobis in Domino, et monent vos, ut habeatis illos abundantius in caritate propter opus eorum; pacem habete cum illis. (*I Thess.* V, 12, 13.) Itaque qui rebelles sunt Deo et ejus vicariis superioribus suis, transgrediendo præcepta Dei atque Ecclesiæ, non sunt oves Christi, sed canes diaboli, de quibus loquitur Paulus : Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem. (*Philipp.* III, 2.)

Tertia ovium proprietas est, magna earum utilitas atque fecunditas. Nam lana, pelle, lacte, carne, prole, fimo prosunt hominibus. Sic Christiani, quum sint (juxta doctrinam Apostoli) invicem membra, (*Ephes.* IV, 25.) et unum mysticum corpus Christi, debent

sibi invicem verbo, rebus, exemplis, fama operibusque proficere, et opera misericordiæ tam spiritualia quam corporalia exercere, ut sint arbores fructuosæ, et per opera virtuosa Deum jugiter venerentur : *Matth.* VII, 19. quia ut ait Salvator, Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur. Quod si infecunditas con- A demnatur, prava actio qualiter punietur?

Itaque beatissimum principem apostolici ordinis intime diligamus, veneremur ac invocemus, ut gratiam et virtutem nobis a Deo impetrare dignetur, quibus tanquam veraciter oves Christi, in omni humilitate, caritate et obedientia, Deo et ejus vicariis subditi simus.

SERMO TERTIUS

DE PRINCIPATU APOSTOLATUS PETRI, ET DE QUADRUPLICI SEDE AUT POTESTATE EJUS.

INTUITUS *Jesus Simonem Petrum, dixit : Tu vocaberis Cephas.* Joann. I, 42.

Quemadmodum Venerabilis Beda testatur, intuens Jesus oculo corporali faciem Petri, oculo interiori vidit mentis ipsius sinceritatem, simplicitatem, atque (secundum Ambrosium) magnanimitatem ejus immensam : propter quod prædixit eum esse futurum prælatum totius Ecclesiæ. Erat namque B. Petrus etiam ex naturali sua dispositione, et multo plus ex gratiosa Spiritus Sancti collatione, vir præcipuæ sinceritatis, columbinæ omnino simplicitatis, et valde præclaræ magnanimitatis : quod utique ex omnibus verbis ejus tam in Evangelio quam in Actibus Apostolorum et in suis epistolis faciliter potest considerari. Convenienter itaque Christus, Sapientia Dei Patris, præfecit Petrum universæ *Joann.* XXI, 17. suæ Ecclesiæ, dicens : Pasce oves meas. In quibus verbis sicut nihil determinatur, sic nihil excipitur, sed universa designantur; atque ut S. Bernardus libro de Consideratione subtiliter atque catholice docet, unitas in uno pastore unoque grege a Domino commendatur. Et quamvis factum sit istud post Christi resurrectionem, tamen ante suam passionem ipse præsignavit istud *Ibid.* I, 42. futurum, quum dixit ad Petrum : « Tu vocaberis Cephas ». Cephas quippe, principalis seu caput vel capitaneus interpretatur.

B Præterea, de incathedratione beatissimi Petri, hoc est de promotione et exaltatione ejus ad pontificiale fastigium, hodie festivitatem agit Ecclesia. Quocirca sciendum, quia ut præcipuus ille doctor, dominus Petrus de Alliaco cardinalis, in libro suo de Ecclesiastica potestate testatur, quamvis Petrus immediate a Christo acceperit plenitudinem ecclesiasticæ potestatis et auctoritatis super universalem Ecclesiam, tamen post Christi ascensionem et Spiritus Sancti infusionem non statim constituit C sibi sedem in speciali aliquo loco, sed hinc inde gradiebatur prædicando diversis in locis, per tres aut quatuor circiter annos. Deinde, quum per copiosa et gloriosa miracula Antiochiam pro parte maxima convertisset, atque (ut legitur) Theophilum Antiochenæ civitatis principem perduxisset ad fidem, filium ejus diu defunctum resuscitando, ipse Theophilus cum aliis multis millibus baptizatus, ceterique cum eo conversi, pulchram fabricaverunt ecclesiam. In cujus medio excelsam cathe- D dram collocantes, posuerunt et sublimaverunt sanctissimum Petrum in ea, ut videri et audiri ab omnibus posset in ipsa. Sicque B. Petrus septem annis præfuit ibi. Quumque Simonem magum penitus superasset ac confutasset, et Simon ille iter arripuisset ad Romam, ut ibi deciperet ho-

mines, S. Petrus hoc cognito, relicta sede Antiochena, post Simonem illum cœpit proficisci Romam, et in ea constituens sibi sedem, viginti quinque annis præsidens fuit ibidem. De prima tamen incathedratione gloriosissimi hujus Apostoli, nunc præsertim, ut dicitur, festivitas celebratur, quoniam tunc prælati Ecclesiæ cœperunt non solum dignitate et fama, sed loco etiam exaltari.

Insuper Christus præelectum et prædilectum suum Petrum multipliciter ac mirabiliter exaltavit in mundo isto et in militanti Ecclesia, multoque gloriosius ac multiplicius eum sublimavit in cœlo et in Ecclesia triumphanti.

Est etenim quadruplex sedes, dignitas seu potestas. Prima est sedes pontificialis; secunda, regalis; tertia, judicialis; quarta, magistralis. Itaque in prima sede seu cathedra sublimatus et inthronizatus est Petrus a Deo atque hominibus. Christus namque dicendo ad eum, Pasce oves meas, fecit eum summum Pontificem. Et quia per verba illa præfecit eum toti Ecclesiæ, per eadem contulit ei plenitudinem ecclesiasticæ potestatis. Sicque fuit in Petro sanctissimo vertex ac plenitudo tam sæcularis quam spiritualis potestatis. Et hæc ipsa potestatis ecclesiasticæ plenitudo ac apex, fuit, est et erit in quolibet successore S. Petri legitimo, Romano Pontifice. Hinc equidem dominus Papa potest, dum rationabilis causa occurrit, regem inutilem regno privare, et illud idoneo dare; potest quoque imperatorem deponere, et ejus electionem cassare. Ideo Petrus sedit etiam in cathedra seu throno regali, et cunctis regibus fuit superior.

Joann. XXI, 17.

Sedit item in cathedra judiciali, quoniam potestas ligandi et solvendi, excommunicandi, promovendi ac deponendi omnem ecclesiasticum prælatum ac virum, ei a Christo ante passionem ejus specialiter est promissa, dicente ad Petrum Christo: Tibi dabo claves regni cœlorum; et quodcumque ligaveris super terram, etc. Atque post passionem Christi, Petro est a Christo realiter data, quum dictum est ei, Pasce oves meas, hoc est, universorum fidelium pastorem, prælatum judicemque te modo constituo. Sedit etiam sacratissimus Petrus in solio seu cathedra magistrali, quia totius orbis fuit magister, pater, hierarcha et præsul. Pontifex namque est doctor populi sibi commissi, juxta illud in prima ad Timotheum: Oportet episcopum irreprehensibilem esse, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem. — Ob hanc supernaturalem, admirandam ac multiplicem potestatem et dignitatem Petro a Christo collatam, asserit S. Clemens Papa, quod totus mundus fuit inferior Petro, quum ipse totius mundi pater fuerit et prælatus.

Matth. XVI, 19. — *I Tim.* III, 2.

Denique sancta Ecclesia ter in anno agit solennitatem de S. Petro, propter præhabita, utpote, quoniam princeps fuit Apostolorum, et totius Ecclesiæ caput, sponsus, pater et rector.

Præterea, sicut ex Itinerario S. Clementis habetur, civitas Antiochena interdum suscepit Petrum, et ejus prædicationi assensit. Sed Petro absente, superveniens Simon magus, per magicas suas fallacias populum Antiochenum in tantum avertit a S. Petro, quod eum redeuntem contumeliis affecerunt: imo et quadam vice summitatem capillorum capitis ejus abraserunt. Quod quia principi Ecclesiæ in ejus et fidei christianæ contumeliam est inflictum, placuit omni clero ut sibi coronam in superiori facerent capitis parte, ad Dei et S. Petri honorem. Postmodum Antiochena civitas cognitis Simonis magi nequitiis, Petro ad se redeunti cum magna humilitate et reverentia obviavit, pœnitentiam agens, veniam poscens; obtuleruntque Petro omnes languidos et obsessos. Quos dum beatissimus Petrus ante se poni jussisset, et super eos nomen Domini invocasset, descendit lux copiosa de cœlo, et apparuit populo; statimque omnes fuerunt curati, et accurrentes, S. Petri osculabantur vestigia. Tunc, ut legitur, plus quam decem millia hominum in Antiochia in-

fra unum mensem acceperunt Baptismum. A

Postremo, sicut ex evangelio hodierno, et ex plurimis totius Evangelii locis probatur, S. Petrus præ ceteris Apostolis fuit in Christi amore ferventior, in fide constantior, in allocutione frequentior. Fuit quoque in fraterna caritate mirabiliter plenus, æstuans et perfectus. Unde B. Clemens affirmat, quod habuit immensam caritatem ad omne genus humanum.

Itaque prætactas hujus felicissimi doctoris, patris et principis nostri archiapostoli Petri virtutes sectemur, videlicet sin- B ceritatem ipsius, ut omnem dolum, omnem falsitatem, omne perjurium penitus fugiamus, et Deo altissimo in sanctitate et justitia jugiter obsequamur : beati etenim (*Matth.* v, 8.) mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Mentem ergo ab impuris et malis cogitationibus, a pravis affectionibus, ab intentione perversa omnique vanitate purgemus et custodiamus. Sed et verba vitemus illicita, otiosa, impudica, nociva, et omnia opera prava, imo et otia detestanda, quoniam multa mala otiositas parit, concupiscentias auget, apprehensiones phantasticas nutrit, et omnibus vitiis reserat januam. (*Eccli.* xxxiii, 29.) Insuper in caritate sacratissimum Petrum sequamur, in Dei amore quotidie roboremur, nos ipsos et homines universos in Deo sinceriter diligamus, gratiam et virtutes nobis ac aliis cupiendo et exquirendo, et omnia nostra ad æternam beatitudinem ordinando ; nec propter injurias nobis illatas aliquem odiamus, imo injuriantibus condoleamus, quoniam propriis animabus plus nocent quam nobis. Ideo oculi cordis nostri semper dirigantur (*Ps.* xxiv, 15.) ad Deum ; eumque considerantes, nusquam a regia via virtutum flectamur.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUARTUS

QUÆ AD BONUM PRÆLATUM, QUÆ ETIAM AD RELIGIOSUM BONUM PERTINEANT.

S*EDENS in cathedra sapientissimus et fortissimus.* II Reg. xxiii, 8. C

Quum perfecta et ordinata sint opera (*Deut.* xxxii, 4.) Dei, credendum est, quod dum Deus eligit aliquem ad officium aliquod, et ponit eum in illo, faciens illum præesse et regnare, non solum permissive, sed effective, directe et ex pietate, quod dat ei dona necessaria ad exsecutionem condignam illius officii. (I *Joann.* v, 20.) Et quoniam Christus, qui est verus Deus et vita æterna, effective constituit sacratissimum Petrum esse suum successorem ac plenum vicarium super totam D universalem Ecclesiam, dedit ei dona præcipua, ad tanti vicariatus opera exercenda accommoda.

Porro ad præsidendum idonee, duo potissimum requiruntur, videlicet sapientia et potestas : quatenus præsidens se ipsum ac subditos suos per sapientiam dirigat, et perversos per potestatem cohibeat. Hinc Moyses filiis Israel loquens : Date (inquit) (*Deut.* i, 13.) ex vobis viros sapientes et gnaros, quorum conversatio probata sit in tribubus vestris, et ponam eos vobis principes. Et iterum scriptum est : Noli quærere fieri (*Eccli.* vii, 6.) judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates. Itaque Deus contulit beatissimo Petro sapientiam præeminentem, plenitudinem quoque ecclesiasticæ potestatis, quæ subjective atque formaliter inest summo ac Romano Pontifici : imo, secundum do-

ctores et sanctos Patres, utriusque potestatis plenitudinem Petro et ejus successoribus condonavit. Petrus ergo sedit in cathedra magistrali, episcopali, regali, judiciali, tanquam doctor et summus antistes, rector et judex totius ovilis dominici, cui in omni synagoga, concilio et conventu sancti Apostoli et universi fideles cesserunt et detulerunt primatum.

Porro, quum inter triplex genus regiminis, sit regimen monarchicum seu regale, quo unus toti multitudini præsidet, voluit Christus Ecclesiam suam tali regimine gubernari in terra, ut uni summo Pontifici universi obediant Christiani. Tale etenim regimen est magis ordinatum, quum in ordine sit reductio seu habitudo multo-
Rom. XIII, 1. rum ad unum. Quæ autem a Deo sunt, ordinata sunt : ordinare etenim opus est sapientis. Propter quod monet Apostolus :
I *Cor.* XIV, 40. Omnia honeste et secundum ordinem fiant in vobis. Hinc etiam discretione in cunctis quæ agimus, præcipue indigemus, quia discretio modum præfigit, et opportunitatem loci temporisque observat.

Præterea, quamvis istud ad universos pertineat, maxime tamen ad religiosos, quorum religio seu institutio aut observantia regularis, antonomastice Ordo vocatur, quia in eis et ab eis omnia quæ agere habent, ordinatissime fieri debent, secundum quod regula docet et statuta præfigunt. Nec quispiam præstitutos sibi terminos transgrediatur, neque se occupet cum his quæ ad ipsum non spectant; sed quod ab ipso Deus requirit et sua professio exigit, hoc loco et tempore apto, recta intentione, cum vero moderamine, tota diligentia exsequatur, atque proficiat in sua se occupans causa, et pro aliis orans.

Præterea, ad hoc quod religiosus ordinate se habeat, plurima exiguntur. Primum est, ut corpus suum animæ suæ subjectum sit, et ei in omni observantia regulari deserviat, quemadmodum servit servus empticius domino suo. Diventeque anima, Fac hoc, mox faciat; et, Surge, mox surgat; Jejuna, abstine, vigila, et ad disciplinam A te præpara, in cella quiesce : statim in omnibus istis obtemperet. Sanctis ergo laboribus exercitandum est corpus, et instar asini fatigandum, ne insolescat, neque lasciviat, neque contumax fiat. A voluptatibus quoque et superfluitatibus est domandum ; et ne in cibo, potu, somno, vestitu aliud quam necessitas corporis et animæ utilitas requiratur. Nempe qui de- *Prov.* XXIX, 21.
licate nutrit servum suum, proprium corpus, postea sentiet eum contumacem ; et corpus suum experietur rebelle, somno- B lentum, pigrum, gyrovagum, sensualiter stimulatum. Hunc igitur animæ servum inclinent operationes assiduæ, et impleatur in uniuscujusque nostrum corpore illud : Panis et disciplina et opus servo. *Eccli.* XXXIII, 25.
Panis, inquam, id est tenuis victus, parca refectio, grossior cibus; et disciplina, id est justa correctio ac salutaris directio; et opus, hoc est occupatio, labor et sudor in omni Divinitatis obsequio. Corporalis vero immoderata repausatio desit. Multa nam- *Ibid.* 29.
que mala docuit otiositas.

C Secundum est, ut vires animæ rationi sint subditæ, et exteriores interioresque sensus juxta rationis regantur censuram. Ne quis visu, auditu, tactu, aut alio sensu excedat, neque superfluis phantasiis, aut turpibus imaginationibus immoretur ; sed ea quæ compunctionem gignere possunt imaginemur, et quasi in nostro præsentialiter constituamus prospectu, utpote : imaginem hominis morientis, et ejus angustias pressurasque cordis tempore mortis, et qualiter tunc tentetur ; cum quanta D etiam pœnarum acerbitate anima evellatur a corpore, et quomodo tunc ab invisibilibus hostibus circumvalletur, perterreatur, et ad judicium pertrahatur, quam item procaciter accusetur ibi ab eis. Insuper dispositionem ac tormenta imaginemur inferni, terram illam miseriæ atque *Job* X, 21, 22.
caliginis, terram tenebrosissimam et palpabilibus tenebris horroribusque opertam, ubi nullus ordo, sed sempiternus inhabitat horror; mœstissimam illam damnatorum societatem, pavendos, atrocissimos, defor-

matissimos dæmonum vultus, et eorum in- A cessabilem inspectionem, ultra quam exprimi queat pœnalem; intolerabilia quoque infernalium flammarum incendia, vehementissimum ignis æterni calorem, et intensissimum frigus gehennæ. Purgatorii etiam pœnas imaginemur. Ecce quis nostrum, pro quacumque re mundi vellet per unam horam nudo corpore in medio ardentis uri fornacis? Quomodo ergo non formidamus pœnas purgatorii et inferni, quæ omnia hujus mundi supplicia vehementer excedunt? Cur non vitamus veni- B alia ista quotidiana, pro quibus etsi non infernalia, tamen purgatoria infligentur tormenta valde molesta? O quam graviter punientur ibidem, quæ nullius reputamus momenti : sicut ridere in choro, tarde ad divina venire, pro insufficienti causa a divinis exire, aliquid non necessarium intra divinum loqui Officium; levitates ostendere, otiosa verba proferre, extraordinarie bibere, in cibo, potu, somno excedere, aliquid superfluum curiosumve quærere, procurare, tenere ; infra Horas hinc inde ad- C spicere aut aliquid manibus contrectare aut facere; Horas non incipere tempestive, sed tarde, sicque velocius verba proferre ; ac multa istis similia. Quæ qui cum diligentia grandi non cavet, graviter animam suam lædit, paulatim evacuatur, et magis deficere quam proficere comprobatur.

Tertium est, ut superiores animæ vires, intellectus et voluntas, Creatori omnimode
II *Cor.* x, 5. subjiciantur : ut per fidem redigatur intellectus in captivitatem et in obsequium D Christi, mactet atque sacrificet totaliter Deo se ipsum, sola divina contentus auctoritate in universis credendis. Voluntas quoque in diligendo, appetendo ac operando, secundum exigentiam divini amoris et juxta præcepta Dei et Ecclesiæ reguletur : sicque superbenedictæ Trinitatis imago reformetur in mente.

Quartum est, ut religiosus ad suos se habeat superiores obedienter, gratanter, amorose ac reverenter, eis prompte obediendo, eorum beneficiis pro posse regratiando, eos singulariter diligendo ac cordialiter honorando, etiam et si quid imperfectionis videatur in ipsis : quod a bono sensatoque subdito pie est excusandum, præsertim quum superiores plura agere habeant, nec ab inferioribus sint faciliter judicandi, sed divino potius committendi judicio ; et facta eorum quantum bono fieri potest modo, sunt interpretanda ad melius.

Quintum est, ut ad confratres suos decenter se habeat, utpote caritative, humiliter, obsequiose, pacifice, et exemplariter ac sincere, quum teste Hieronymo, nulla vita sit pejor atque miserior, quam corpore simul degere et non mente. Omnis ergo discordia, inquietudo, contentio, aversio, in infinitum sunt fugiendæ ; bonorumque Fratrum est honore invicem prævenire, *Rom.* xii,
per caritatem invicem deservire, consilio 10. *Galat.* v, 13.
et auxilio se mutuo adjuvare, unanimiter cohabitare, quæ ædificationis sunt sequi, *Rom.* xiv,
et ad omnium horum profectum infatiga- 19.
biliter niti, quemadmodum beatissimus princeps Apostolorum in suis nos docet epistolis : cujus meritis ac precibus charismata tam præclara adipisci conemur.

SERMO QUINTUS

DE JURISDICTIONE AC POTESTATE PETRI : ET QUOMODO HUMILITATE, FERVORE AC PURITATE IMITANDUS SIT.

Q*UUM sederem quasi rex, eram tamen* A *mœrentium consolator.* Job XXIX. 25.

Magna nimis et ineffabilis erat dignitas et potestas, jurisdictio, virtus ac sanctitas beatissimi principis apostolici ordinis, cui universorum conditor Christus totum commisit ac subdidit mundum, cunctis eum prælatis, regibus atque principibus præferens, et inter Deum ac homines medium eum constituens, et mira eum excellentia in universis perornans, tam in donis gratiæ gratum facientis, quam in donis gratiæ gratis datæ : et sicut in fide erat præcla- B rior, ita et in gratia miraculorum potentior.

Porro, quum tantæ super omnes excellentiæ esset, nihilo minus vere humillimus fuit, in tantum quod cum sancto Job dice-
Job XXXI, 13. re potuit : Si contempsi judicium subire
Act. X. 1 et seq. cum servo meo. Unde quum visitasset et instruxisset Cornelium ac eos qui erant
Ibid. XI. 1 et seq. cum illo, atque ob hoc disceptarent adversus eum ex Judaismo conversi, dicentes, Quare introisti ad viros præputium habentes, et manducasti cum illis? ipse dignis- C simus Petrus non indignanter, sed cum mitissima humilitate respondit, et satisfecit eisdem, sicut in Actibus recitat Lucas. Insuper, quum claudum ex utero miraculose curasset, et ob id inspiceretur et in admiratione ingenti haberetur ab omnibus, ipse sui ipsius honorem non ferens, nec suis quod factum fuerat viribus tri-
Ibid. III, 12. buens : Viri (inquit) Israelitæ, quare nos intuemini, quasi nostra hunc potestate fecerimus ambulare? Præterea, quum Paulus
Galat. II, 11. eo inferior, restitisset ei in faciem repre- D hendissetque eum, humillime tulit hoc et
II *Petr.* III. 15, 16. acquievit; et in epistola sua commendavit sapientiam Pauli, in cujus epistola scivit se reprehensum. Amplius, in S. Matthiæ apostoli electione et substitutione pro Juda traditore, locuturus excellentissimus totius Ecclesiæ præsul Petrus ad fratres, surrexit in medio, stansque loquebatur ad *Act.* I, 15 et seq.
eos, reverentiam conventui exhibens, seque humillime habens, quum tanquam summus prælatus, doctor ac judex potuisset loqui sedendo. Samaritanis quoque conversis, dignatus est a coapostolis, quo- *Ibid.* VIII, 14.
rum erat princeps utique spiritualis, id est prælatus, mitti ad illos. Sic et in ordinatione primorum septem diaconorum, ipse cum ceteris Apostolis electionem com- *Ibid.* VI, 2-6.
misit collegio fratrum, quum sua potuisset auctoritate instituere illos. In multis etiam aliis profundissima ejus patet humilitas, de qua et in Itinerario S. Clementis multa leguntur.

Si igitur talis ac tantus, fuit tam humilis, quid nos infirmissimos ac pusillos, qui nihil sumus, necesse est facere, nisi ut in omnibus in totius humilitatis abyssum demergamus nos penitus, et minus quam nihil esse nos arbitremur? Et si boni quid agimus vel habemus, inde non extollamur, quum dona sint Creatoris; sed quod bonis illis tot mala ex nobis ipsis miscemus, tristemur, pœniteamus et humiliemur. Examinet unusquisque se ipsum, an laudibus hominum delectetur, an eorum vituperiis offendatur, an ab alicujus commendatione quem ante laudaverat, cesset quia ab illo se reprehensum cognoscit. Quæ si in se invenerit, sciat se ab humilitate sancta vehementer deficere. Hinc equidem locutus est Salomon : Quomodo *Prov.* XXVII, 21.
probatur in conflatorio argentum, et in

fornace aurum, sic probatur homo ore A laudantis.

Quum itaque fides et humilitas sint duo tutissima fundamenta virtutum, ipseque sacratissimus Petrus fuerit in fide firmissimus, atque in humilitate profundissimus, quid mirum si in ceteris Dei gratiosissimis donis tam præclarissimus divinissimusque exstiterit? Propterea in his duobus virtutum fundamentis, perfectionis initiis, spiritualis fabricæ basibus, imitemur felicissimum Petrum, patronum, principem et magistrum omnium nostrum. B Tam certi et firmi simus in fide, quam certe et firmiter scimus Deum adorandum falsitatis testem et confirmatorem esse non posse, nec aliquid magicæ artis in Apostolis ac posterioribus Sanctis fuisse. Infinitas quoque et innumerabiles nostras defectuositates, ærumnas, culpas, periculositates, ignorantias, contemptibilitates assidue ac acutissime intuendo, humiliemus, vilipendamus, subjiciamus nos in immensum. Sicque indesinenter sentiat unusquisque humillime de se ipso; et quanto se C viderit amplius honorari, reputari aut prosperari, tanto plus parvi pendat se penitus, et occulta Dei expavescat judicia :
Eccle. IX, 1. præsertim quum nesciat an amore sit dignus vel odio, incertiorque consistat qualiter cursum suum complebit, et an finaliter salvus erit; quod item electi Dei in sæculo isto soleant despici, et tunc Deus ad miserendum, succurrendum, exaudiendum maxime pronus sit, quum viderit hominem tribulari, contemni aut diffamari.

Deinceps, quum ex toto Evangelio in- D notescat præstantissimum archiapostolum Petrum in omnibus ferventissimum exstitisse, ac totis præcordiis Christi amore fuisse succensum, sectemur utcumque sanctum ejus fervorem, non parcamus laboribus, in cordis custodia simus pervigiles, et boni aliquid semper versemus in animo,
Ps. XXIV, 15. ut sint oculi nostri semper ad Dominum; atque incircumscriptibili Deo ubique præsenti ac omnia penetranti, studeamus omni hora magis ac magis approximare, eum æstuantius diligendo, limpidius contemplando perfectiusque colendo. Quumque inter Deum et nos nihil dividat, nil ab illo nos separet aut elonget nisi peccatum, negligentia, error, defectus; certum est nos Deo tanto plus propinquare, quanto ab omni labe peccati, ab omni dissimilitudine culpæ et defectuositatis magis purgamur, et quanto plus in caritate proficimus, omnique actui virtuoso instantius ac diligentius inhæremus.

Porro, quo amplius Deo sic propinquamus, eo copiosius illuminamur, ditamur et implemur ab ipso. Et quanto plus ab ipso illuminamur, tanto clarius intuemur quam fœda, vilia ac gravia sint peccata, tantoque plus abhorremus ac fugimus ea. Sed et præterita atque quotidiana tanto lacrimosius deploramus, quemadmodum beatissimus princeps iste apostolici agminis trinam suam negationem usque ad finem vitæ suæ omni nocte tam calidis copiosisque lacrimis planxit, quod facies ejus videbatur quasi adusta. Ex his consideremus ac defleamus negligentias nostras miserabiles, detestabiles ac damnandas. Quum enim quotidie eisdem defectuositatibus prægravemur, et quotidiana peccata reiteremus, nec digna sollicitudine ea vitare conemur, imo nec ea ponderemus ac lugeamus sicut oportet, sed in pristinas verbositates, levitates, distractiones, immoderantias passionumque impetus quotidie viliter relabamur, ita quod multi nostrum magis decrescere quam crescere videantur : quid possumus æstimare, nisi quod excæcati manemus, nec illuminamur sicut indigemus a Domino, quum nec approximemus eidem? Qualis est iste cursus, o fratres, nunc progredi, nunc regredi instar cancrorum?

Emendemus ergo nos frequenter, atque ad resistendum invisibilibus hostibus, ad vitandam Omnipotentis offensam, ad complacendum approximandumque ei, simus toto corde solliciti, operosi ac fervidi, prout sapientissimus Apostolorum hic nos exhortatur : Sobrii (inquit) estote et vigilate, I *Petr.* V, 8, 9.

quia adversarius vester diabolus tanquam A leo rugiens circuit, quærens quem devoret; cui resistite fortes in fide. Si quis nostrum iret per campum in quo sciret esse leonem, ursum, aut lupum fortissimum sive draconem, quantum timeret, qualiter circumspiceret, quam caute incederet, quam incessanter custodiret se ipsum ! Nunc autem per sæculi hujus campum non uno dumtaxat, sed innumerabilibus, atrocissimis, invisibilibus adversariis plenum incedimus. Qui adversarii non aliud quærunt nisi ut æternis condemnationibus nos secum involvant, et callidissimi, fortissimi expertissimique consistunt : et tamen ridemus, jocamur, intimorati incustoditique sumus. Heu, quanta est insipientia, negligentia, imo insania ista!

Sed resipiscamus, et obediamus apostolicis sacratissimi Petri doctrinis, dicentis :
I *Petr.* I, 22; II, 1, 2. Animas vestras castificantes in obedientia caritatis et fraternitatis amore, simplici ex corde diligite attentius ; deponentes omnem malitiam et omnem dolum, et simulationes, et invidias, et detractiones, quasi modo geniti infantes, rationabiles, sine dolo, lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem. Itemque : Quum hæc omnia dis- II *Petr.* III, 11, 12.
solvenda sint, quales vos esse oportet in sanctis conversationibus et pietatibus, exspectantes et properantes in adventum Domini nostri Jesu, per quem cœli ardentes solventur, et elementa ignis ardore tabescent ? Itaque, benefacientes, obmute- I *Petr.* II, 15; III, 8, 9.
B scere faciamus imprudentium hominum ignorantiam ; nec vincamur a malo, sed *Rom.* XII, 21.
malum vincamus in bono ; atque in omnibus humiles et modesti, diligentes ac fervidi, circumspecti, proficientes, fructuosique simus et exemplares in verbis, factis ac moribus, gloriosissimum istum Archiapostolum, non solum hoc die, sed et quotidie invocantes, honorantes, diligentes ac insequentes. Ad laudem et gloriam, etc.

IN FESTO

S. MATTHIÆ APOSTOLI

ENARRATIO IN LECTIONEM LOCO EPISTOLÆ

IN DIEBUS ILLIS EXSURGENS PETRUS IN MEDIO FRATRUM, ETC.
Act. I, 15-26.

IN lectione ista, quæ in officio Missæ loco epistolæ legitur hodie, atque ex libro Actuum Apostolorum sumpta est, describit S. Lucas evangelista qualiter loco Judæ traditoris B. Matthias sit factus apostolus. Itaque S. Lucas ait :

In diebus illis, videlicet uno die inter ascensionem Christi et Pentecosten, *exsurgens Petrus in medio fratrum,* id est Apostolorum et ceterorum qui aderant, *dixit.* Petrus etenim tanquam princeps Apostolorum, et totius prælatus Ecclesiæ, præ aliis surrexit, et dixit quæ subsequuntur. Insuper, propter sacratissimi illius collegii dignitatem ac sanctitatem, præsertim propter Matris Christi præsentiam, surrexit humiliter, stetitque reverenter, et sapienter locutus est. Hinc devotorum et religiosorum conventus est honorandus. *Erat autem turba hominum simul* ibi (videlicet in cœnaculo in quo Cœnam Christus fecit novissimam) exsistentium, *fere centum viginti :* quorum quidam fuerunt viri, aliquæ feminæ. Erant autem viri, ipsi beati Apostoli, et septuaginta duo discipuli, qui omnes vel quorum multi fuerant ibi; Materque Christi, Maria Magdalene, et aliæ feminæ sanctæ quæ Christum ante passionem erant secutæ. Sed cur Lucas quasi dubitans ait « fere », quum Spiri-

A tus Sanctus loquatur per eum ? Et respondendum, quod « fere » non ponitur hic dubitative, sed potius assertive, ad innuendum quod a prædicto numero parum distabat hæc multitudo. Porro in magno numero, quod parum deficit sive superfluit, computari non solet in Scripturis, nec in communi modo loquendi. Propter quod electissimi isti interdum dicuntur fuisse centum viginti.

Viri fratres, oportet impleri Scripturam quam prædixit Spiritus Sanctus per
B *os David* (qui secundo libro Regum ait, Spiritus Domini locutus est per me, et II *Reg.* XXIII, 2.
sermo ejus per linguam meam) *de Juda* proditore, *qui fuit dux,* id est ductor, *eorum qui comprehenderunt Jesum ; qui* Judas *connumeratus erat in nobis,* id est, unus nostrum fuit, utpote a Christo Apostolus ordinatus nobiscum, *et sortitus est sortem ministerii hujus,* id est, partem in officio apostolatus a Salvatore accepit, ita quod fuit vere apostolus, et prædicavit ac baptizavit. Imo, ut asserit Augustinus, ba-
C ptizavit Joannes Baptista, et baptizatum non fuit ; baptizavit Judas, et baptizatum fuit. Quod ideo dicitur, quoniam in Joannis baptismate gratia non dabatur : ideo baptizati ab eo, rebaptizabantur fide Christi suscepta ; baptizati vero a Juda, non reba-

ptizabantur, quia in Christi Baptismo gratia præstabatur.

Et hic Judas *quidem possedit agrum* Acheldemach* *de mercede iniquitatis* emptum, utpote pro triginta argenteis pro quibus Judas vendiderat Christum : quos quum restituisset et projecisset in templum, dicens, Peccavi, tradens sanguinem innocentem, principes sacerdotum emerunt pro eis agrum figuli in sepulturam peregrinorum, prout apud Matthæum legitur. Hunc agrum Judas dicitur possedisse, quia in eo sepultus est, ut aliqui dicunt : quod certum non est. Idcirco, secundum alios, dicitur agrum hunc possedisse, quoniam fecit eum possideri. Nam argenteos restituendo, causa fuit sive occasio emptionis possessionisque agri illius. Sic Deus ait ad Abraham : Nunc cognovi, id est, cognoscere feci ; et sanctus Job, Abominabuntur me (inquit) vestimenta mea, id est, abominabilem intuentibus facient. *Et suspensus,* utique a se ipso : nam laqueo suspendit se ipsum ; *crepuit medius,* qui Dei et hominum Mediatorem tam vili vendidit pretio, *et diffusa sunt omnia viscera ejus,* id est, intestina ejus effusa atque in terram dilapsa sunt. Sicque per turpissimam illam effusionem enormitas criminum ejus ostendebatur. *Et notum factum est* genus mortis seu scelus Judæ *omnibus habitantibus Jerusalem, ita ut appellaretur ager ille lingua eorum Acheldemach, hoc est ager sanguinis,* utpote emptus pretio sanguinis Christi.

* Haceldama

Matth. xxvi, 15.

Ibid. xxvii, 3 et seq.

Gen. xxii, 12.

Job ix, 31.

Matth. xxvii, 5.

I Tim. ii, 5.

Consequenter ponitur scriptura David, Judam concernens : de qua beatissimus Petrus jam dixit, Oportet impleri Scripturam, etc. *Scriptum est enim in libro Psalmorum : Fiat commoratio ejus deserta, et non sit qui inhabitet in ea ; et episcopatum ejus accipiat alter.* Sciendum, quod Christus et Evangelistæ atque Apostoli, allegando Scripturas veteris Testamenti, interdum sensum magis quam formam verborum allegant. Ita et S. Petrus nunc agit, et duorum psalmorum prophetias nectit in unum. Quarum prima, videlicet, « Fiat commoratio », etc., in psalmo sexagesimo octavo habetur. Verumtamen, quod ibi de Judæis Christi persecutoribus pluraliter dicitur in his verbis, Fiat habitatio eorum deserta, etc., B. Petrus de Juda singulariter hic allegat. Judas enim fuit unus illorum : quorum omnium urbes et domus a Romanis destructæ sunt. Alia pars prophetiarum illarum, videlicet, « episcopatum ejus », id est apostolatum Judæ, « accipiat alter », in psalmo centesimo octavo inducitur.

Ps. lxviii, 26.

Ps. cviii, 8.

Oportet ergo ex his viris qui nobiscum sunt congregati, id est, nobiscum fuerunt et sunt, et inter nos sunt conversati, *in omni tempore quo intravit et exivit inter nos Dominus Jesus :* juxta illud in Psalmo, Viderunt ingressus tuos, Deus, ingressus Dei mei, regis mei ; in Isaia quoque, Simul laudabunt, quia oculo ad oculum videbunt, quum converterit Dominus Sion ; *incipiens* publice prædicare atque miracula facere, *a baptismate Joannis,* id est cito post baptismum quo a Joanne baptizatus est in Jordane, vel post baptismum a Joanne prædicatum ac datum. Joannes equidem baptizando prædicavit Christum venisse, et protinus baptizaturum esse in Spiritu Sancto : per hoc viam præparans Christo, qui ex tunc orsus est publice prædicare, et suam excellentiam per documenta et miracula declarare usque ad diem ascensionis, sicut subjungitur : *usque in diem qua assumptus est a nobis,* id est in cœlum receptus, juxta illud Marci : Dominus Jesus postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum. *Testem resurrectionis ejus nobiscum fieri,* id est apostolicum testem, *unum ex istis.* Testis enim non debet assumi, nisi qui personaliter vidit sive audivit id de quo testimonium ferre debet. Denique resurrectionem Christi S. Petrus specialiter exprimit, quoniam incredibilior videbatur magisque latuit. Unde in die Pentecostes, de ea prædicationem suam exorsi sunt sancti Apostoli.

Ps. lxvii, 25.

Is. lii, 8.

Marc. i, 9.

Ibid. 7, 8.

Ibid. 14 et seq.

Ibid. xvi, 19.

Act. ii, iii.

Et statuerunt duos : id est, Petrus et ceteri ei consentientes, duos fama, sancti-

tate et sapientia eminentes, qui ad apostolatum reputabantur magis idonei, posuerunt simul, ut alter eorum efficeretur Apostolus, utpote ipsum *Joseph qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Justus,* propter evidentem et magnam justitiam suam, *et Matthiam.* Rationabiliter autem laus hujus Joseph exprimitur, ne ob suam culpam putetur ab apostolatu repulsus; non autem laudatur Matthias, quoniam sufficit ei pro laude, quod præ viro illo tam justo ad apostolatus apicem est assumptus. In quo facto etiam divini judicii altitudo perpenditur, quod non is qui hominum ore plus laudabatur, et qui Christi consanguineus fuit, videlicet frater Jacobi Minoris, Apostolus est effectus.

Et orantes, Petrus ac alii, *dixerunt : Tu, Domine, qui nosti corda omnium, ostende quem elegeris ex his duobus unum,*

A *accipere locum,* id est auctoritatem et gratiam, *ministerii hujus,* id est prædicationis, *et apostolatus,* qui est dignitas quædam et donum gratiæ gratis datæ, quemadmodum prophetia, *de quo prævaricatus est Judas,* id est, quem sua transgressione amisit, *ut abiret in locum suum,* id est, ut unus istorum in locum illius succederet aut succedat. Sicque dictio «ut» tenetur hic concomitanter, non causaliter : non enim idcirco transgressus est Judas, ut alter ei succederet, sed ad transgressionem ejus
B istud secutum est. *Et dederunt sortes eis, et cecidit sors super Matthiam.* Fuerunt autem hi duo ex numero septuaginta duorum discipulorum. *Et annumeratus est* Matthias *cum undecim Apostolis,* ita quod duodecimus fuit. Quid autem per sortes istas sit intelligendum, et qualiter liceat sortibus uti, in sermone dicetur.

SERMO PRIMUS

DE SORTIBUS, ET AN LICITE IIS POSSIMUS UTI; ET DE PRÆSENTIA DIVINA UBIQUE CONTEMPLANDA.

C*ECIDIT sors super Matthiam, et annumeratus est cum undecim Apostolis.* Act. I, 26.

Hic primo quærendum est, quid fuerit sors ista, et an liceat sortibus uti. Ad hoc S. Thomas respondet, quod sortes dicuntur, dum aliqua fiunt ex quorum vario et incerto eventu occultum aliquid innotescit, sicut in tractione longioris aut brevioris festucæ. Dum ergo per sortes investigatur quid sit alicui dandum de possessione, vel honore, seu pœna, vocatur sors divisoria. Si autem quæratur quid sit agendum, vocatur sors consultoria. Quod si quæratur quid sit futurum, dicitur sors divinatoria.

Verumtamen, quid hoc loco per sortes intelligi debeat, diversa est sanctorum Doctorum opinio : quoniam divinus et ma-

C gnus Dionysius libro de Hierarchia ecclesiastica docet, quod sors ista non fuit talis cap. v.
qualis in veteri Testamento communiter fuit, sed quidam splendor divinus super Matthiam descendens, et eum in Apostolum esse assumendum ostendens. Hieronymus vero et Beda volunt, quod fuit sors communiter fieri solita, cujus in lege Moysis celebris fuit usus : per quam Josue *Josue* VII, 14-18.
deprehendit Achan furem. Unde et Salomon testatur : Sortes mittuntur in sinum, *Prov.* XVI, 33.
sed a Domino temperantur. Tamen, ut
D sanctus ait Hieronymus, hoc exemplo non est sortibus jam utendum, quia paucorum privilegia communem non faciunt legem. Apostoli namque ex occulto Spiritus Sancti instinctu usi sunt eis : quod non est in consequentiam passim trahendum. Insuper

Venerabilis Beda hic ait : Figuram licuit observare quousque veritas venit ac patuit ; vera hostia, quæ Christus est, in cruce oblata, sed in Pentecoste, veniente super Apostolos Spiritu Sancto, consummata : idcirco Apostoli in electione Matthiæ sortibus usi sunt, ne a lege Moysis discrepare penitus viderentur; post Pentecosten vero, *Act.* vi, 5,6. veritate Evangelii jam propalata, septem diaconi non sorte, sed discipulorum concordi electione, Apostolorumque oratione, et manuum eorum super illos impositione, sunt constituti.

Præterea de hac materia plenius scribit Thomas in secunda secundæ, quæstione nonagesima quinta, inter cetera dicens : Quum actus hominum qui requiruntur et concurrunt ad sortes, non subdantur impressionibus cœlestium corporum aut stellarum; idcirco si sortibus quis utatur quasi actus humani ex cœlestium corporum influxione dependeant, ita quod dispositio eventusque sortium ex stellarum influentia exspectatur, superstitiosum et vanum est, neque caret occulto cum dæmonibus C pacto. Sed remota hac causa, oportet eventum sortium exspectari, vel a fortuna, vel ab aliqua causa spirituali et directiva, utpote intellectiva. Si itaque exspectetur a fortuna (quod in sorte divisoria tantummodo habet locum), non est illicitum, nisi procedat ex causa culpabili, scilicet cupiditate aut simili : ut dum aliqui nequeunt rem concorditer dividere, et ideo sorte utuntur, exponentes fortunæ quis quam partem accipiat. Porro si sortium eventus exspectetur a causa spirituali et intelle- D ctuali mala, puta a dæmone, vitiosum est. Si autem a causa hujusmodi bona, ut immediate a Deo, vel ab eo per angelos sanctos, talis sors, secundum Augustinum, non est in se illicita. Quadrupliciter tamen potest illicita esse. Primo, si absque necessitate recurratur ad eam : tunc etenim ad tentationem pertinet Dei. Secundo, si absque debita reverentia. Hinc loquitur Beda : Si qui necessitate compulsi, Deum putant sortibus consulendum exem- A plo Apostolorum, videant ipsos Apostolos non nisi collecto fratrum cœtu, et fusis ad Deum precibus, id egisse. Tertio, si divina oracula ad terrena convertantur negotia. Quarto, si in ecclesiasticis electionibus, quæ ex inspiratione Spiritus Sancti fieri debent, sortibus quis utatur. In temporalibus vero dignitatibus, quæ ad terrena instituenda seu disponenda ordinantur, secus est : quoniam in illarum electione, interdum licet sortibus uti. Itaque si necessitas alia ab electione ecclesiasticæ di- B gnitatis immineat, licitum est cum debita reverentia et deprecatione divinum judicium sortibus implorare. Cujus rei exempla Augustinus hæc introducit : ut si inter servos Dei sit disceptatio, perplexitas seu ambiguitas, quis eorum tempore persecutionis fugere debeat, quis manere ; aut si duo æque pauperes alicui obvient, quorum uni aliquid dandum sit quod ei dumtaxat dari queat, non dividi. — Hæc de sortibus dicta sint : de quibus etiam in Decreto multa dicuntur.

Amplius, sicut prætactum est, Joseph iste cui in apostolatum Matthias prælatus est, fuit consanguineus Christi, fraterque Jacobi Minoris et Simonis ac Judæ. Itaque per hoc quod Christus huic Joseph Matthiam præposuit, eum constituendo Apostolum, docuit quod ratione consanguinitatis aut ex carnali affectu non sint aliqui ad ecclesiastica beneficia aut officia promovendi. Verumtamen quidam dixerunt, quod Joseph iste fuit Barnabas, qui antequam ab Apostolis Barnabas appellatus *Act.* iv, 36. est, Joseph vocatus fuit. Sed hoc minus verum censetur. Nam Barsabas interpretatur, filius quietis, secundum Hieronymum ; Barnabas vero, filius consolationis. *Ibidem.*

Porro ex textu lectionis expositæ, quæ hodie legitur in officio Missæ, perpendere possumus quod S. Matthias fuit utique vir valde præcipuæ perfectionis approbatæque sanctitatis, tam coram Deo quam coram hominibus. Quod ex duobus pensatur. Primo, ex hoc quod beatissimi Apostoli volentes unum ad apostolatum promoveri,

Act. I, 23. non statuerunt nisi hos duos, videlicet A Joseph atque Matthiam. Estque credendum, quod si in toto illo collegio secum congregato, judicassent seu æstimassent aliquem eis meliorem, et ad tam summum officium eis digniorem et aptiorem, illum utique statuissent. Et tamen in illo collegio tunc fuerunt viri sanctissimi, utpote Stephanus, Barnabas, Philippus diaconus, Silas, multique tales. Secundo, idem certius consideratur ex parte justi, sapientissimi et infallibilis Dei, cujus ordinatione sors cecidit super Matthiam tanquam su- B per meliorem, ut creditur; quamvis hoc certum non sit. Fuit ergo B. Matthias apostolus omni virtute ornatus.

Quem in tribus specialiter imitari debemus. Primo in hoc, quod coram Deo virtuose se habuit in vera sinceritate. Ita et nos in omni loco et tempore, sive soli simus sive cum aliis, cogitare debemus justi ac omnipotentis Dei præsentiam, atque intuitum quo nos incessabiliter ac infallibiliter intuetur; sicque in ejus præsentia nos habere debemus reverenter, timorate C et pure, cum beatissimis prophetis Elia ac
III *Reg.* XVII, 1; XVIII, 15; IV *Reg.* III, 14. Eliseo dicentes : Vivit Dominus, in cujus adspectu sto hodie; et cum Psalmista, Meditatio cordis mei in conspectu tuo, Domi-
Ps. XVIII, 15. ne, semper. Hæc consideratio movet hominem ad bene ac obedienter vivendum,
Ps. CXVIII, 168. Propheta ad Deum dicente : Servavi mandata tua et testimonia tua, quia omnes viæ meæ in conspectu tuo. Ex hac etiam sapientiali consideratione oritur castus pudor, quo homo erubescit se coram Deo indecenter habere, cogitando, appetendo, D loquendo, agendo, aut debita omittendo. Sed, heu ! multi inveniuntur hypocritæ et ficte devoti, qui dum ab hominibus videri se putant, honestatem et devotionem videntur assumere, opusque Dei reverenter efficere ; soli vero exsistentes, pigri et negligentes exsistunt. Isti miserrimi plus formidant et curant homines quam Deum altissimum : ideo juste despiciuntur ab eo, et nisi se emendaverint, damnabuntur.

Secundo, S. Matthiam apostolum sequi debemus in hoc, quod coram hominibus tam irreprehensibiliter se habuit in vera exemplaritate. Nam in tam magno Apostolorum et aliorum discipulorum consortio tam irreprehensibiliter conversabatur, et in tantum cunctis complacuit, quod eum concorditer statuerunt unum duorum quos ad apostolatus officium reputabant magis idoneos. Ita et nos inter proximos nostros exemplariter vivere studeamus, ut neminem scandalizemus, nulli poculum mortis (id est peccandi occasionem) præbeamus directe, et quantum in nobis est : quemadmodum hortatur Apostolus, In omnibus II *Cor.* VI, 4.
exhibeamus nos ipsos sicut Dei ministros in multa patientia, etc.; itemque, Nemini *Ibid.* 3.
demus ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum. Itaque Christianum oportet esse maturum, facetum, atque in omnibus custoditum, ut ad Dei gloriam alii ædificentur in ipso. Quod ad prælatos et seniores ac superiores et doctiores præcipue pertinet.

Tertio, beatum assequamur Matthiam in hoc, quod circa se ipsum tam ordinate, discrete et fructuose se habuit. Ita et nos in omnibus rationabiliter operemur, corpora nostra bene regendo, refrenando et castigando, ut Deo et rationi obediant, mentesque nostras exercitando in sanctis cogitationibus et affectionibus, in orationibus et ceteris actibus bonis, ut quotidie proficiamus in omni virtute et gratia.

Miracula S. Matthiæ quære infra in sermonibus circa evangelium.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

HOC EST PRÆCEPTUM MEUM, UT DILIGATIS INVICEM, ETC. Joann. XV, 12-16.

EVANGELIUM præsens in festivitate quorumdam Apostolorum in Missæ officio legitur, quia in isto evangelio, de præcepto caritatis, et de amicitia hominum cum Deo, de prædestinatione quoque seu electione divina, fit mentio : Apostoli autem præceptum caritatis perfectius ceteris impleverunt, speciales quoque amici Dei fuerunt, et præelecti exstiterunt ab eo. Estque præsens evangelium sumptum ex sermone illo pulcherrimo quem post Cœnam Dominus Jesus fecit Apostolis. In quo inter cetera dixit :

Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem spirituali et infusa caritate. Ideo subditur : *sicut dilexi vos,* qui vestram desideravi ac procuravi salutem. Ita quilibet vestrum debet desiderare et pro posse procurare salutem proximi sui, eum ædificando, hortando, corripiendo, et pro ipso orando. Unicuique enim mandavit Deus de proximo suo, ut in Ecclesiastico legitur. (*Eccli.* XVII, 12.) Sed quum sint alia multa Christi præcepta, cur de præcepto isto dilectionis fraternæ disseruit, Hoc est præceptum meum, etc., quasi non sit aliud ejus præceptum ? Rursus, quum sit aliud præceptum isto præstantius, puta, ut toto corde ametur Deus, cur de isto præcepto quasi de præcipuo et summo præcepto locutus est, Hoc est præceptum meum, etc. ? Et respondendum ad primum, quia ut ait Apostolus : Qui diligit proximum, legem implevit. Nam, Non adulterabis, non mœchaberis, non furtum facies, non falsum testimonium dices, et si quod aliud est mandatum, in hoc verbo instauratur (id est, continetur atque impletur), Diliges proximum tuum sicut te ipsum. (*Rom.* XIII, 8, 9; *Exod.* XX, 14-16; *Lev.* XIX, 18.) Hinc Christus de præcepto isto sic loquitur, quasi ipsum sit solum ejus præceptum. Ad aliud respondetur, quod quum Deus sit causa et ratio ac finis diligendi proximos, hinc etiam in dilectione proximi includitur dilectio Dei; atque ob hoc, de præcepto isto fraterni amoris, quasi de præcipuo præcepto locutus est Christus, in quantum dilectionem Dei includit.

Deinceps docet Salvator quæ sit summa dilectio proximi. *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis,* id est, corporalem vitam suam exponat morti, *pro amicis suis,* id est pro salute seu utilitate carorum suorum. Esse namque et vivere, sunt maxime appetibilia; mors vero omnium horribilium horribilissimum est, teste Philosopho. Ideo pro proximorum salute vitam propriam morti exponere, maximæ dilectionis signum est et effectus. Sed iis iterum objici potest, quoniam pro inimicis mori perfectioris videtur esse dilectionis, quam mori pro amicis. Denique Christus pro inimicis passus ac mortuus est, juxta illud ad Romanos : Commendat caritatem suam in nobis Deus, quoniam quum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est (*Rom.* V, 8, 9); itemque, Quum adhuc inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus (*Ibid.* 10). Ergo Christus majorem habuit dilectionem quam est ista de qua loquitur modo. Respondetur, quod amicus hic sumitur pro dilecto seu caro, quamvis non redamante. Sic etiam Christus omnes dilexit, quantum ad bonum naturale quod habent a Deo, imo in quantum Deus vult omnes salvos fieri voluntate antecedente. Electi quoque pro quibus passus est Christus, quamvis fuerunt inimici Dei ad tempus secundum præsentem justitiam propter sua demerita, tamen ami-

ci ejus fuerunt in prædestinatione æterna A ex sola misericordia.

Vos amici mei, id est mihi dilecti et amatores mei, *estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis,* omnia observando mandata. Observatio namque præceptorum est certum caritatis indicium, quoniam amicorum est eadem velle et nolle. Hinc alibi ait Salvator : Qui habet mandata mea et servat ea, ille est qui diligit me. Unde in prima Joannis habetur : Hæc est caritas Dei, ut mandata ejus custodiamus.

Joann. XIV, 21. — I *Joann.* V, 3.

Jam non dicam vos servos servitute ser- B vilis timoris, quem perfecta caritas ejicit foras : *quia servus* talis, qui solum timet nec diligit dominum suum, *nescit quid faciat dominus ejus,* id est secreta facta ipsius. Videmus enim, quod homines in potestate constituti, secretiora negotia sua non pandunt servis suis de quorum dilectione non præsumunt, a quibus se solum timeri existimant; servis tamen quorum fidelitatem amicitiamque cognoscunt, sua revelant secreta, quoniam tales servi non sunt solum servi, sed aliquid habent de pro- C prietate amicorum ac filiorum. Unde et in Ecclesiastico legitur : Servus fidelis sit tibi dilectus quasi anima tua.

Ibid. IV, 18. — *Eccli.* XXXIII, 31.

Vos autem dixi amicos meos, *quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.* Distributio ista accommoda est, ut sit sensus : Omnia quæcumque audivi a Patre meo vobis esse notificanda secundum exigentiam status atque officii vestri, pro utilitate Ecclesiæ notificavi vobis, videlicet præcepta et evangelica consilia, documenta, et multa divina mysteria. Un- D de alibi Christus dixit Apostolis : Vobis datum est nosse mysterium regni Dei; et rursus ad Patrem, Confiteor (inquit) tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quoniam abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis, id est humilibus meis discipulis. Juxta hanc distributionem fertur in Psalmo : Nihil deest timentibus Deum. Et Joannes ait : Unctio ejus docet vos de omnibus, et nostis omnia.

Marc. IV, 11. — *Matth.* XI, 25. — *Ps.* XXXIII, 10. — I *Joann.* II, 27, 20.

Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. Sive hoc intelligatur de electione æterna, quæ est divina prædestinatio, sive de electione temporali, qua Christus in mundo conversans quosdam ad gratiam et apostolatum vocavit; verum est quod ipse elegit Apostolos, non ipsi eum. Omnes quoque electos Deus ab æterno prædestinavit, elegit atque dilexit, et sicut prior dilexit eos, sic prior elegit eos, nec sine gratia Dei quisquam ad eum convertitur eumve eligit. Propter quod ait Salvator : Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum. Et Propheta : Misericordia ejus præveniet me. *Et posui vos* in officio apostolatus, *ut eatis* ad prædicandum ubique, *et fructum afferatis,* homines convertendo ad fidem et opera bona, personaliter etiam proficiendo in omni virtute et gratia; *et fructus vester maneat,* id est, æternam mercedem accipiat in regno cœlorum, fideles quoque per vos regenerati multiplicentur in mundo, et crescant merito ac numero, et perseverent usque in finem. *Ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo,* id est per me, utpote per virtutem et meritum passionis et conversationis meæ in sæculo isto, *det vobis,* dummodo salubriter et instanter rogetis.

Ibid. IV, 10, 19. — *Joann.* VI, 44. — *Ps.* LVIII, 11.

SERMO SECUNDUS

QUOTUPLEX SIT AMOR ; ET DE LAUDIBUS CARITATIS.

HOC *est præceptum meum, ut diligatis* A *invicem sicut dilexi vos.* Joann. XV, 12.

Dominus noster Jesus Christus, totius unitatis et pacis magister, caritatem mutuam suis valde præcepit discipulis, quia ex caritate unitas animorum, pax cordis, concordia proximorum nascuntur. Ait enim
Ps. CXVIII, 165. Psalmista Deo : Pax multa diligentibus legem tuam ; et Salvator : Pater sancte, serva
Joann. XVII, 11. eos in nomine tuo quos dedisti mihi, ut sint unum, id est per caritatem conjuncti et in bonis concordes. Hinc in prima sua
I *Joann.* III, 11. Canonica ait Joannes : Hæc est annuntiatio B quam audistis ab initio, ut diligatis alterutrum.

Denique multæ sunt causæ propter quas Christus tam specialiter jussit et exigit ut Christiani se mutuo diligant spirituali amore. Prima est, quoniam caritas est summa et perfectissima virtus. Nulla etenim virtus tam proxime et perfecte conjungit Deo mentem creatam ut caritas :
I *Cor.* VI, 17. nam ut ait Apostolus, Qui adhæret Deo, id est, per caritatem ei unitur, unus spiritus est cum eo. Non autem possunt Deum ve- C re diligere, nisi diligant proximos, dicente
I *Joann.* IV, 20. Joanne apostolo : Qui non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt quomodo potest diligere? Imo qui unum hominem quantumcumque iniquum et inimicum odit, nec Deum neque se ipsum nec aliquem hominem vere et spiritualiter amat. Idcirco princeps Apostolorum in prima sua epistola seriosissime nos horta-
I *Petr.* IV, 8. tur : Ante omnia mutuam caritatem in vobis continuam habete, quoniam caritas operit multitudinem peccatorum. Secunda D causa est, quoniam caritas est spiritualis vita animæ, sine qua spiritualiter mortua est, et tanquam vile coram Deo cadaver, nil Deo gratum ac placitum agens. Idcirco dicit Apostolus : Si linguis angelorum lo- I *Cor.* XIII, 1.
quar et hominum, caritatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans aut cymbalum tinniens.

Tertia causa est, quoniam caritas est maxima opulentia animæ, et per eam consequitur homo nobilissima bona. Per caritatem namque anima hominis fit sponsa et amica, heres ac filia Dei, civis regni cœlestis, socia angelorum, domestica Ecclesiæ, membrum Christi. Si autem caritate careat homo, anima ejus diaboli exstat adultera, membrum et famula. Ideo loquitur Augustinus : In caritate pauper est dives, sine caritate omnis dives est pauper. Porro eadem est caritas, qua Deum proximumque diligimus (loquendo de habitu caritatis), quoniam Deus est ratio diligendi proximum. Unde secundum Augustinum, sola dilectio inter filios Dei et servos diaboli, inter cives Jerusalem, id est Ecclesiæ, et inter cives Babylonis, id est iniquos, distinguit. Idcirco asserit Christus : Manda- *Joann.* XIII, 34, 35.
tum novum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos ; in hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. Quarta causa est, quoniam tota Ecclesia militans, utpote universitas Christianorum, est unus exercitus Dei, quem oportet indesinenter præliari contra aciem vitiorum et contra tentamenta omnia dæmoniorum : idcirco necesse est ut fideles sint spiritualiter per caritatem conjuncti atque unanimes, quatenus se invicem juvent orando, hortando, instruendo et inflammando, et ita concorditer instent sanctis operibus : per quod dæmones maxime superantur. Si autem per odium aut alia vitia ab invicem sint divi-

si, et se invicem impugnent atque impediant A a salute, vincuntur facillime : sicut in hominum præliis cernimus, quod nisi concorditer unus exercitus contra alium prælietur, statim succumbit.

Sed quoniam multi putant se proximos suos vere diligere, qui tamen ab omni vero et spirituali amore sunt penitus alieni, dicendum est quid sit caritas seu spiritualis dilectio, et quomodo differat a carnali ac naturali amore. Itaque caritas est amor spiritualis infusus, id est per creationem menti a Deo collatus, per quem super B omnia diligit Deum, potissimum propter puram et propriam ejus bonitatem, se ipsam vero ac proximos universos in Deo, desiderando sibi ipsi ac aliis æternam salutem et omnia necessaria sive utilia ad illam adipiscendam, videlicet gratiam et virtutes, opera bona, satisfactiones pœnitentiales pro peccatis atque in præsenti vita castigari pro eis. Itaque qui se ipsum aut proximos suos cupit in sæculo isto ditari, prosperari et sublimari, delicate vivere, jocari, ridere, longe esse se sciat a C caritate, et carnalem tantum amorem habere. Ex quo patet quam pauci sint qui sobolem suam, propinquos, cognatos ac alios, vere et spiritualiter ament. Oportet ergo ut nobis ipsis et proximis optemus vitam pœnitentialem, corporis castigationem, necessaria victui, arctam viam salutis, tribulationes salubres in sæculo isto :
Act. xiv, 21. quoniam teste Apostolo, Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum
II Tim. iii, 12. cœlorum; et, Omnes qui volunt pie vivere in Christo, persecutionem patientur. D

Porro carnalis amor est sensualis affectio qua quis diligit alium propter voluptatem aut carnalem commoditatem quam habet aut habere potest in eo; vel ad hoc ut taliter divitias, delicias aut honores sæculi hujus acquirat; seu propter corporalem dispositionem in se. Qui amor turpis et vilis est, a spirituali amore mentem omnino impediens.

Tertius est amor naturalis, qui nec vitiosus nec virtuosus est in se, ut quum aliquis diligit alium propter conformitatem naturæ, aut propter propinquitatem, aut bonam dispositionem in naturalibus donis. Hunc naturalem amorem debemus reprimere atque perficere : reprimere, ne fiat carnalis; perficere, ut spirituali amore formetur, caritatemque foveat, et ad finem ordinetur salubrem.

Insuper juxta B. Augustini doctrinam, ex caritate sunt quatuor diligenda, videlicet : Deus, propria anima seu ipsemet homo, proximus quoque, et proprium corpus. Nec solum oportet ista diligere, sed et ordo caritatis in eorum dilectione servandus est, ut primo et incomparabiliter diligamus Dominum Deum, secundo nos ipsos, tertio proximos, quarto proprium corpus. Nam ut ait Salvator : Quid pro- Luc. ix, 25.
ficit homo, si lucretur universum mundum, se ipsum autem perdat ? Oportet quoque proximos plus diligere quam proprium corpus corporalemque vitam : idcirco si salus proximorum requirat, tenemur pro eis vitam morti exponere. Hinc scriptum est : In hoc cognovimus caritatem I Joann. iii, 16.
Dei, quoniam ille pro nobis animam suam posuit; et nos debemus pro fratribus animas ponere. Ecce ex iis duo sequuntur. Primum est, quod quilibet Christianus tenetur sic stare, ut malit mori, et mortem a quocumque sufferre, quam Deum per mortale peccatum offendere. Secundum est, quod malit mori, quam proximum suum mortaliter peccare et condemnari.

Amplius, circa illud, Jam non dicam vos Joann. xv, 15.
servos, sciendum quod duplex est servitus, sicut et duplex timor. Est enim servitus procedens ex servili timore, quo quis Deo deservit non amore boni nec zelo justitiæ, sed ne puniatur et condemnetur. Ista servitus apud Deum nil promeretur, quia ex caritate non movetur nec operatur. Alia ergo est servitus procedens ex filiali timore seu spirituali amore, quo quis Deo ministrat zelo justitiæ, caritate movente, ne separetur a Deo. Et qui taliter servus est Dei, est etiam filius et amicus ipsius, eique dicitur : Euge, serve bone Matth. xxv, 21, 23.

et fidelis, intra in gaudium Domini tui. A

Denique in præfato spirituali amore S. Matthias apostolus corde, ore et opere fuit perfectus, quia pro Deo et proximorum salute se ipsum totum impendit et mori paratissimus fuit. Quum enim Apostoli ad diversa gentilium regna irent ad prædicandum, ipse in Judæa insistebat prædicationis officio ; plurimosque convertens, multa et magna fecit miracula. Illuminavit etenim cæcos, mundavit leprosos, liberavit obsessos ; claudis gressum, surdis auditum, defunctis restituit B vitam.

Legitur quoque in chronica quadam, quæ Treviris invenitur, quod S. Matthias fuit de tribu Juda civitateque Bethlehem, illustri natus prosapia, in lege et Prophetis a pueritia eruditus; lasciviamque devitans, pueriles annos morum gravitate ornavit. In prosperis fuit non elevatus, in adversis constans atque intrepidus, corde mundus, animo prudens, in consilio providus, in solvendis quæstionibus Scripturarum acutus. Quem pontifex Judæorum (ut dicitur) fecit lapidari; aliqui vero dicunt, quod pro Christo crucis patibulo sit affixus. Ejusque corpus a Judæa Romam translatum est, a Roma quoque (ut aliqui dicunt) Trevirim est translatum.

Hunc ergo beatum et sanctum Apostolum in præfatis ejus virtutibus imitemur, ut simus maturi in moribus, atque ab omni inquinamento corporis et animæ abstineamus; discreti quoque, et verba sacræ Scripturæ memoriter retinentes; nec prosperis elevemur, neque per adversa dejiciamur, sed stabiles simus in Deo, nec aliquid vereamur extra eum timore inordinato.

AD RELIGIOSOS

SERMO TERTIUS

DE IMITATIONE VIRTUTUM S. MATTHIÆ ; ET CUJUSMODI STUDIIS EFFICIAMUR ANGELIS, BESTIIS DÆMONIBUSVE SIMILES.

N*ONNE ego duodecim vos elegi, et unus ex vobis diabolus est?* Joann. vi, 71. C

Ita locutus est Christus ante passionem: et propter Judam proditorem dixit, unum duodecim Apostolorum esse diabolum per malitiæ imitationem abundantiamque peccati. Apostolatus quippe est donum gratiæ gratis datæ, quemadmodum prophetia. Hujusmodi vero gratiæ bonis et malis communes sunt. Fuit autem Judas a Christo electus, non utique electione æternæ prædestinationis, sed temporalis vocationis ; D fuit item electus ad apostolatum, non ad felicitatem. Sic et Saul fuit electus Dei : nisi forte quis opinetur eum esse salvatum, ita quod pœnituisse dicatur, præsertim quum audisset se die sequenti interficiendum. Quemadmodum ergo proditor fuit diabolus, et propter diabolicam suam pravitatem a Deo relictus, atque de apostolatu prævaricatus; sic felix iste Matthias propter virtutum suarum perfectiones fuit angelicus, et ad apostolatum loco Judæ promotus. Ejus igitur imitemur virtutes. Erat et ipse in lege doctissimus, patiens in adversis, in prosperis humilis, in tribulationibus ac persecutionibus imperterritus, caritate repletus, zelo fraternæ salutis accensus, et inter septuaginta duos Christi discipulos talis ac tantus, quod gloriosi Apostoli non reputabant inter illos quem-

Luc. vi, 13, 16.

I *Reg.* ix, 17.

I *Reg.* xxviii, 19.

piam esse magis idoneum ad apostolatus officium, nisi eum et Joseph Jacobi Minoris apostoli fratrem, qui ob suam perfectionem eximiam cognominatus est Justus : et tamen huic quoque, divino judicio præpositus est sanctus iste Matthias. In iis itaque virtutibus eum sequamur.

Denique inter angelos ac bruta sic medius constitutus est homo, ut si rationem in cunctis sequatur, et juxta divinæ legis doctrinam Creatori suo instanter atque ardenter cohæreat, angelicus fiat, imo et angelus appelletur; quod si ratione relicta sensualitatem sequatur, et motibus animi sui succumbat, passionum sequens impulsum, brutalis sit et bestia nominetur, imo bestiis incomparabiliter pejor viliorque consistat. Quum ergo religio a relegatione sortita sit nomen, eo quod religiosi ab iis quæ carnis et mundi sunt debeant esse totaliter relegati et penitus sequestrati, oportet nos religiosos a prætactis bestialitatibus et irrationabilium passionum motibus omnifarie abstinere, sublimiterque
Rom. XII, 2; *Ephes.* IV, 23. implere quod ait Apostolus, Nolite conformari huic sæculo, sed renovamini spiritu mentis vestræ : ne propheticum illud con-
Ps. XLVIII, 13, 21. veniat nobis, Homo quum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus; et illud quod per Jeremiam
Jer. XI, 15. prophetam conqueritur Deus, Quid est quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa? Domus Dei est sacrum istud cœnobium Domino consecratum, in quo si negligenter vixerimus, remisse egerimus, passionum affectiones secuti fuerimus, scelera committimus multa in domo Domini sancta. Advertamus quod sapien-
Aristoteles. tissimus ille gentilium dixit : Homo solus, est deus aut bestia, hoc est divinus aut bestialis : quia si conversatur ut solitarius exigit locus, divinus est; si quo minus, bestialis esse censetur.

Sed nunc considerandum, per quos actus efficiamur angeli atque angelici, per quos item diaboli ac diabolici, et per quos bruta sive brutales. Actus certe angelici sunt, solis spiritualibus delectari, illibatum

A Creatori offerre obsequium, vultui majestatis divinæ indesinenter intendere, Deum incessanter laudare; sed et purgare, illuminare atque perficere inferiores, et eis quæ Dei sunt annuntiare. Quanto in actibus istis magis proficimus et perfectiores efficimur, tanto dignius angelici nuncupamur, nomenque angeli plenius participamus : quia per hæc perfectioni angelicæ propinquamus. Si ergo in solo Deo est gloriatio nostra, et in solis spiritualibus virtuosisque actibus delectamur, et Deo in sancti- *Luc.* I, 74, 75.
B tate atque justitia omnibus vitæ nostræ diebus servimus, contemplationi quoque ac laudibus Dei, quantum humana sinit fragilitas, omni hora vacamus; et accedentes ad nos verbo, exemplo ac moribus purgare, illuminare, perficere, et ea quæ Dei sunt salutemque animarum concernunt, non inutilia verba, annuntiare satagimus : tunc rite angeli Domini Sabaoth, angelici- *Malach.* II, 7.
que vocamur.

Idcirco, o fratres, in actibus istis occupemur, crescamus, perficiamur. Non in cibo
C et potu lauto aut superfluo recreemur, quum et beatissimo patre nostro Antonio edocente, siccum panem aut simplicem aquam cum aviditate et voluptate accipere, culpa sit. Non in confabulationibus, risibus, levitatibus inutilibusve operibus sit nostrum solatium; sed qui gloriatur, in *I Cor.* I, 31; *Jer.* IX, 24.
Domino glorietur. Scire et nosse Altissimum, sit gaudium nostrum. Delectemur in *Ps.* XXXVI, 4.
Domino, et dabit nobis petitiones cordis nostri, hoc est postulationes quæ ex cordiali funduntur affectu, et cum intima profe-
D runtur attentione. Vacare et videre quam *Ps.* XXXIII, 9; *I Petr.* II, 3.
dulcis est Dominus, infinitam Omnipotentis bonitatem, pulchritudinem, sapientiam, perfectionem, beatitudinem contemplari, ipsius amore accendi, ejus incomparabili felicitati et excellentiæ toto corde congratulari, actus sunt cellæ, exercitia religiosi, solitariorum effectus. Psalmis, hymnis et orationibus, quantum defectuositas nostra permittit, assidue insistamus.

Præterea, divino Dionysio protestante, *De Divin. nom.* c. IV.
in dæmonibus sunt phantasia proterva, ir-

rationabilis concupiscentia amensque fu- A
Sap. II, 25. ror; atque ut ait Sapiens, imitantur diabo-
lum, qui sunt ex parte ipsius. Quibus et
Joann. VIII, 44. Christus ait : Vos ex patre diabolo estis, et
desideria patris vestri vultis perficere. Dæ-
monum ergo appellatione digni censentur,
et diaboli ac diabolici nuncupantur ii in
quibus abundat phantasia proterva, irra-
tionabilis concupiscentia viget, amens fu-
ror mansionem sortitur. Ideo Moyses san-
Deut. XXIX, 18. ctus admonuit : Non sit inter vos radix
germinans fel et amaritudinem. Paulus
Hebr. XII, 14, 15. quoque apostolus : Pacem (inquit) sequa- B
mini, contemplantes ne qua radix amari-
tudinis sursum germinans impediat, et
per illam inquinentur multi. Teste nempe
Eccli. XXI, 15. Scriptura, Non est sensus ubi abundat
amaritudo. Et rursus frater Christi Jaco-
Jacob. III, 14, 15. bus terribiliter loquitur : Si zelum ama-
rum habetis, et contentiones sunt inter
vos, nolite gloriari, et mendaces esse ad-
versus veritatem; non est sapientia ista a
Deo, sed terrena, animalis et diabolica.
Sap. II, 24. Præterea, quia invidia diaboli mors introi-
vit in orbem terrarum, certum quod invidi C
præcipue imitantur diabolum, qui (evan-
Joann. VIII, 44. gelista Joanne testante) homicida erat ab
initio, et in veritate non stetit. Eodem
quoque sacratissimo Evangelista docente,
I *Joann.* III, 15. agnoscimus quod omnis qui odit fratrem
suum, homicida est. Detractor quoque ho-
micida censetur, ut S. Clemens principem
Apostolorum dixisse fatetur, quia occidit
proximum suum in corde alterius quan-
tum ad esse bonæ opinionis quod habe-
bat in eo. Rursus, quum dæmonum sit officium, homines indefesse tentare, turbare, decipere, certum est eos dæmonum assequi pravitatem, qui proximos scandalizant, qui verbo suggestionis aut opere vitioso conantur aliquem ad peccandum inducere, a profectu retrahere, a beatitudine impedire. Tales sunt qui partialitates inducunt, qui animam proximi sui venantur ad malum, qui peccantem commendant de sua iniquitate, et eum animant ad injusta, qui inobedienti se sociant, applaudunt. Iterum, quum diabolicum sit perseverare et obstinatum esse in vitiis, constat quod indurati in pravis, et qui iniquitatem suam defendunt, excusant, occultant, diaboli sint ministri, membra ac filii.

Propterea ab universis vitiis istis cum infatigabili diligentia caveamus; et contra phantasiam protervam, sit in nobis cor tranquillum ac dulce; contra irrationabilem concupiscentiam, ordinata affectio; contra furorem amentem, mitis imperturbatusque animus; contra invidiam, caritas; contra obstinationem et propriæ iniquitatis excusationem, cor pœnitens, compunctio vera, confessio pura; contra detractionem, verbum commendationis et ædificationis.

Postremo actus brutales præsertim sunt voracitas gulæ, libidinis appetitus, insecutio passionum absque prudentiæ freno. Qui actibus istis fœdantur, bruta vocantur, suntque brutales. Quod ne nobis contingat, sanctæ sobrietati, mundissimæ castitati, saluberrimæ discretioni, virtuosam et indefessam operam demus, ad gloriam Creatoris.

SERMO QUARTUS

DE APOSTOLORUM DEIFICATIONE, EMINENTIA AC POTESTATE.

PRINCIPES populorum congregati sunt cum Deo Abraham, quoniam dii fortes terræ vehementer elevati sunt. Ps. XLVI, 10. D

Postquam Deus factus est homo, homines mirabiliter deificati sunt, non creatam amittendo naturam, neque per resolutionem esse creati ac propriæ speciei in esse

ideale, divinum et increatum, ut quidam A hæretici imperitissime atque rudissime sunt mentiti, sed per divinorum susceptionem charismatum, per supernaturalia dona Spiritus Sancti, per virtutes infusas et actus earum, per actus divinos, perfectos ac gratiosissimos : per quæ omnia naturalis imago adorandæ Trinitatis resplendens in anima rationali, supernaturaliter ac eminenter est reformata, et ipse homo suo est Creatori excellenter assimilatus, ejus-
Rom. VIII, 15. que filius adoptivus et amicus effectus. Quæ assimilatio, deificatio hominis perhi- B betur. Quumque hoc modo multi et innumerabiles ab exordio mundi, præsertim in evangelica lege et tempore gratiæ, deificati noscantur, maxime tamen ita deificati sunt gloriosi Apostoli : qui sunt « principes populorum », quia summi et primi prælati fuerunt Christianorum ; et « cum Deo Abraham », id est Christo Dei Unigenito, Deo æterno, corporaliter quoque « con-
Luc. x, 23. gregati » exstiterunt : quibus et dixit, Beati oculi qui vident quæ vos videtis. Qui et
Joann. VIII, 56. incredulis dixit Judæis : Abraham pater C vester exsultavit ut videret diem meum ; vidit, et gavisus est.

Hi ergo benedicti sanctissimique Apostoli, deificati et « elevati sunt vehementer », tam per excellentias donorum gratiæ gratum facientis, quam per munera gratiæ
Rom. VIII, 23. gratis datæ. Ipsi namque primitias Spiritus, id est dona summa sive præcipua Spiritus Sancti, sortiti sunt, et Sanctis veteris Testamenti securissime præferuntur. Nam Spiritum Sanctum copiosissime susceperunt, nec Prophetæ aliquo modo tantum D fecerunt fructum in mundo sicut Apostoli. Prophetæ quippe vix Israeliticum populum potuerunt inducere ut visiones suas crederent esse vere divinas : imo multi ex populo illo hoc negaverunt, ut Sadducæi et Judæi idololatræ, maxime decem tribus pro parte majori. Gloriosissimi autem Apostoli totum pene orbem terrarum induxerunt ad susceptionem devotissimam librorum legis ac Prophetarum, in quibus Christiani studiosissimi a tempore exstiterunt Apostolorum, in tantum ut etiam Hebræi inde mirentur. Præterea Christus in Evangelio protestatur : Illos dixit deos, ad *Joann.* x, 35.
quos sermo Dei factus est, puta Prophetas. Quanto magis præelectissimi Apostoli « dii » vocandi sunt, quos Unigenitus Dei, Verbum æternum, Deus verus, per semetipsum immediate allocutus est atque edocuit, quibus et repromisit : Paracletus *Ibid.* XIV, 26.
Spiritus Sanctus, quem Pater mittet in nomine meo, ille docebit vos omnia, et suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis ?

Denique sancti Apostoli recte vocantur « fortes dii terræ », id est hominum in terra manentium. Fortes namque fuerunt, quia in omni virtute constantes, solidi ac perfecti. Quibus omnes pene creaturæ fuerunt subjectæ, secundum quod Christus eis asseruit : Ecce dedi vobis potestatem *Luc.* x, 19.
calcandi super serpentes et scorpiones, et supra omnem virtutem inimici. De quibus Psalmista cecinit Deo : Constitues eos prin- *Ps.* XLIV, 17.
cipes super omnem terram ; et denuo : Mihi *Ps.* CXXXVIII, 17.
autem nimis honorati sunt amici tui, Deus ; nimis confortatus est principatus eorum. Nam et angeli sancti eis servire dignati sunt. Et quum Joannes apostolus angelum adorare voluisset, non utique adoratione latriæ, sed duliæ, accepit responsum ab angelo sancto : Conservus tuus sum et *Apoc.* XIX, 10 ; XXII, 9.
fratrum tuorum. Iterum, fortes fuerunt Apostoli, quia (Paulo testante) in promptu *II Cor.* x, 6.
habuerunt ulcisci omnem inobedientiam, inobedientes tradendo in potestatem Sata- *I Cor.* v, 5.
næ in interitum carnis ; et omnia potuerunt *Philipp.* IV, 13.
in eo qui confortavit eos, Omnipotente, cujus fuerunt summi, carissimi familiarissimique amici : a quo et quidquid petierunt, celeriter impetraverunt. Adhuc autem miranda et supernaturalis fuit fortitudo Apostolorum, quibus præcipue Christus subjecit naturalem cursum, virtutem ac ordinem rerum, dando eis potestatem faciendi miracula, prodigia et portenta, totum naturalem rerum cursum ac ordinem transcendentia vel in facto aut certe in modo agendi. Quibus et dixit : Infir- *Matth.* x, 8.

mos curate, mortuos suscitate, leprosos A mundate, dæmones ejicite.

Amplius, ineffabiliter magna fuit Apostolorum potestas seu fortitudo in confectione et administratione ecclesiasticorum sacramentorum, præsertim sacramenti Eucharistiæ ac Pœnitentiæ. Fuit item alia multiplex fortitudo in eis, quia confirmati erant in gratia, erantque potentes in Scripturis, in eloquentia ac sapientia : per quas adversariis prævaluerunt, prout prædixit Salvator, Ego dabo vobis os et sa- (*Luc.* XXI, 15.) pientiam, cui non poterunt resistere et B contradicere omnes adversarii vestri. Erant demum fortes, potissimum ejiciendo compescendoque dæmones, ac idololatriam destruendo. Tam fortes etiam fuerunt in caritate, quod unus eorum in persona omnium fassus est : Certus sum (inquiens) (*Rom.* VIII, 38, 39.) quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei. Postremo fortes fuerunt in omni adversitate, et usque ad sanguinis effusionem pro C justitia certaverunt ; atque in innumerabilibus tribulationibus, gravissimisque tormentis, ac crudelissimis quas pro Christo perpessi sunt mortibus, invictissimi, fortissimi ac victoriosissimi sunt inventi. Quis contulit eis omnem fortitudinem istam, quos constat usque ad Christi passionem tam debiles, imperfectos ac formidolosos fuisse, quod dum Christus capiebatur, omnes fugerunt qui aderant ; et primus inter (*Matth.* XXVI, 56.) eos, qui ceteris firmior atque ferventior videbatur, mortis formidine eadem nocte D suum magistrum ac Dominum contra pollicitationem propriam ter negavit? (*Ibid.* 69 et seq.)

Præterea, quoniam Christus altissimus benedictos Apostolos tot supernaturalibus fortitudinibus, tot donis, charismatibus et excellentiis decoravit, merito « vehementer elevati » dicuntur. Nam et judiciariam potestatem promisit eis Salvator, dicendo : Vos qui secuti estis me, in regeneratione (*Ibid.* XIX, 28.) quum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. Et nunc non solum in triumphanti Ecclesia sunt ineffabiliter elevati, et inter summos angelicos spiritus collocati, sed in militanti quoque Ecclesia inter Sanctos universos sortiuntur primatum, sunt fundamenta et summi doctores, principes ac patroni Ecclesiæ.

Horum unus est B. Matthias, qui inter septuaginta duos Christi discipulos tantæ perfectionis et excellentiæ fuit, quod solus ex eis ad apostolatum assumptus, ac Christi consanguineo justo Joseph prælatus est. In quo prælati religiosorum discant veram servare justitiam, et personarum acceptores non esse, nec ex privato affectu seu causa impertinenti quempiam ad officium promovere aut inde deponere; sed in talibus præ oculis Deum habentes, quem vita, ætate, scientia, utiliorem conspiciunt bono communi, promoveant aut conservent. Simili modo se habeant subditi, ne ex passione privatove commodo, aut alia prava radice, pro alicujus promotione aut depositione laborent, considerantes quod Christus Joanni et Jacobo ceterisque consanguineis suis Apostolis prætulit Petrum, quantum ad archiapostolatum ; justoque Joseph consobrino suo prætulit, quantum ad apostolatum, Matthiam. Porro qui ex ira, impatientia, carnali affectione, aut proprii intuitu commodi, seu simili injusto motivo conantur ad insufficientium promotionem, aut sufficientium depositionem, gravissime peccant, et omnium vitiorum quæ inde sequuntur, fiunt participes : imo nec ad sufficientium promotionem, aut insufficientium depositionem, licet ex causis hujusmodi prætactis illicitis laborare.

Postremo, in præfatis fortitudinibus, donis ac charismatibus satagamus sanctos sectari Apostolos : etsi non in fortitudine faciendi miracula, aut in potestate ecclesiastica vel jurisdictione prælatica, tamen in firmitate virtutum, in robore caritatis, in mentis constantia, in insuperabilitate patientiæ, in gratiæ incremento, in tenacia

æquitatis, in sancta stabilitate cordis in Deo, in ferventi infatigabilique profectu interno. Optimum namque est gratia stabiliri cor. Et Psalmista hortatur : Viriliter agite, et confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Domino. Non vincamur adversis, nec fatigemur laborando pro virtutum profectibus, omnique tentationi viriliter reluctemur : atque pro isto profectu

Hebr. xiii, 9. *Ps.* xxx, 25.

A adipiscendo, indesinenter conemur orando, mentem custodiendo, novissima jugiter recolendo, Christi virtutes, exempla et passionem diligentissime intuendo; sed et Sanctorum quorum celebramus solennia, inspiciendo ac insequendo exempla et documenta, invocando quoque assidue patrocinia eorumdem. Ad laudem et gloriam Creatoris.

IN FESTO

S. GREGORII PAPÆ

SERMO PRIMUS

DE VIRTUTIBUS, LAUDIBUS ET EXCELLENTIIS S. GREGORII.

EGO *autem sicut oliva fructifera in* A *domo Dei.* Ps. LI, 10.

Verba hæc de beatissimo Papa Gregorio congrue exponuntur. Ipse namque veraciter fuit in domo Dei, id est in universali Ecclesia Christi, tanquam oliva fructifera : quoniam verbo et scripto, fama et exemplo, oratione atque operibus pœnitentiæ, per se ipsum et per suos discipulos, copiosissimum fecit in Ecclesia fructum, innumerabilesque convertit ad Dominum.

Sed nunc hujus sanctissimi viri virtutes, laudes et excellentiæ sunt tangendæ. B Prima excellentia ejus est, quod in urbe Romana, ex senatorum prosapia fuit natus, cunctis abundans divitiis, omnibus naturalibus donis ornatus, videlicet valde ingeniosus, mansuetus, pius, amabilis, liberalibus artibus præclarissime eruditus. Secunda virtus et excellentia ejus est, quod a pueritia exstitit timoratus. Nam licet in naturalibus et fortunalibus donis talis esset ac tantus, cogitavit tamen a pueritia relinquere omnia et cœnobium intrare ; vitavit quoque omnem lasciviam carnis, C vanitatem adolescentium levitatemque morum. Porro patre ejus defuncto, patrimonium suum latissimum ad Dei expendit honorem, sex monasteria in Sicilia construens, septimum vero in Urbe. Tertia ejus laus est, gratiosa sua conversio, admirabilisque profectus in monasterio : nam monasterium quod in Roma construxit ingressus est, ubi relictis vestibus sericis auro et argento fulgentibus, pauperem et humilem induit habitum monachorum ; in quo repente in tantum profecit, quod in ipso suæ conversionis initio inter perfectos potuit computari. In tanto quoque abstinentiæ vixit rigore, quod corporis debilitatem magnam incurrit ; sed anima ejus desuper divinæ sapientiæ illustrabatur splendoribus, divinæ caritatis accendebatur ardoribus, cœlestia die ac nocte contemplabatur, et tota absorbebatur ac transformabatur in Deum.

Quarta laus ejus est, felix sua promotio ad summi pontificii dignitatem : cui promotioni mirabiliter ex maxima humilitate renitebatur. Electus quoque in Papam, fugere cupiebat, sed non valebat, quia ne fugeret, portæ die ac nocte custodiebantur. Tandem a quibusdam obtinuit, quod eum in dolio super quadrigam extra Romam duxerunt. Quumque in silvarum antris se abscondisset, columna lucis præfulgida a cœlo dependens super eum apparuit, in qua quidam solitarius angelos ascendentes et descendentes conspexit. Sicque columna illa eum monstrante, a quærentibus est inventus et Romam reductus, atque in summum Pontificem consecratus.

Quinta excellentia ejus est, quod sanctos angelos in forma sensibili sæpe vidit. Quum enim Romæ solennem faceret processionem pro cessatione pestilentiæ, vidit super castrum Crescentii angelum Dei, qui gladium suum cruentatum detersit et in vaginam reposuit. Per quod S. Gregorius intellexit pestem cessasse. Alia vice, dum peregrinos quosdam haberet secum in prandio, consideravit quod unus eorum vultum frequenter mutavit, ita quod nunc pulcherrimus adolescens, nunc venerandus senex apparuit. Introduxit ergo illum in cameram, et interrogavit quis esset. Respondit se esse angelum Dei, et statim disparuit. Rursus, dum pro Trajano imperatore diu defuncto orasset, apparuit angelus ei.

Sexta excellentia ejus est, fervidus zelus animarum, quo in tantum fuit repletus, quod dum adhuc in monasterio suo esset, a domino Papa obtinuit quod ipsum ad convertendos Anglicos tunc usque gentiles misit. In via tamen propter instantiam Romanorum fuit revocatus a Papa. Sed quum ipsemet Papa fuisset effectus, S. Augustinum cum aliis viris sanctis misit in Angliam ; et precibus suis ac meritis, per illos convertit Anglicos ad Christi fidem ac cultum. Ecce quantus fructus. Septima excellentia ejus est, magnitudo sapientiæ et doctrinæ suæ in divinis Scripturis, quas tam profundissime intellexit, tam luculenter exposuit ; et multa saluberrima conscripsit volumina pro ædificatione et informatione Ecclesiæ : quibus nunc usque utuntur fideles, et plurimi corriguntur. Octava excellentia ejus est, quod in papatu tam fructuosissime præsidens fuit. Quotidie namque populum informavit, prælatos Ecclesiæ verbis et epistolis increpavit ac reformavit, ad religionis ingressum plurimos utriusque sexus induxit ; atque sub ejus regimine christianæ legis observantia, fides et religio, maxime viguerunt ubique terrarum, præsertim in Roma. In civitate quoque Jerusalem instituit cœnobium.

Nona laus ejus est, liberalissima pietas A ejus in pauperes, quorum omnium nomina apud se habuit scripta, deditque eis vitæ necessaria : imo usque ad montem Sinai misit viris religiosis eleemosynas largas. Tribus quoque millibus Christi ancillis dedit annuatim pro quotidianis expensis, octoginta (ut legitur) auri libras, atque quotidie ad mensam suam peregrinos fecit adduci. Et quando adhuc in monasterio exstitit abbas, et quidam in specie pauperis petisset sibi ab eo aliquid dari, fecit ei argenteos sex præstari. Quumque eodem die B idem rediret et aliquid peteret, rursus totidem sibi dedit argenteos. Quum autem tertio die rediens, iterum eleemosynam postularet, et S. Gregorius a procuratore suo audisset nil superesse quod dari posset, nisi scutellam argenteam quam mater sua sibi cum leguminibus mittere consuevit, fecit scutellam illam argenteam pauperi dari. Sed ille in specie pauperis fuit angelus Dei.

Decima excellentia ejus est, efficacia sua in orando. Unde angelus dixit ad eum : C Deus misit me ut semper te protegam ; et omne quod petieris, per me impetrabis ab eo. Denique, quum S. Gregorius pietatem et mansuetudinem Trajani imperatoris gentilis diu defuncti reduxisset ad mentem, ecclesiam S. Petri ingrediens, amarissime flevit pro eo, et statim sibi responsum fuit a Deo : Precem tuam suscepi, et Trajano a pœna æterna parco ; sed de cetero non præsumas pro damnato aliquo exorare. Qualiter autem istud de Trajani ereptione a pœnis inferni intelli- D gendum sit, diversi diversimode tradunt. Hoc vero certissimum est, quod per definitivam sententiam non fuit æternaliter condemnatus, si omnino liberatus dicatur.

Undecima excellentia ejus est, maxima patientia quam habebat. Fuit namque in maximis gravissimisque doloribus corporis : febribus enim, podagra, stomachi pœnis, syncopis vexabatur ; persecutiones quoque sustinuit barbarorum atque Mauritii imperatoris : quæ omnia patientissime tulit. Aliæ multæ sunt laudes et excel-

lentiæ ejus; et quamvis omni fuit virtute ornatus, profundissima tamen humilitate fuit singulariter decoratus. Nam et imperatoris vocavit se servum, et primus inter summos Pontifices vocavit se servum servorum Dei. Noluit quod matronæ vocarent se ejus ancillas, et nomen jussionis exhorruit, et laudes hominum vehementer expavit. Quum autem quidam sanctus Pater nomine Joannes, Romam venisset, et coram Gregorio se vellet prosternere, festinavit Gregorius, et primo se coram illo prostravit in terram, nec surrexit nisi abbate illo primo surgente.

Postremo, quam cordialiter S. Gregorius universa contempsit terrena, constat ex eo, quod dum quidam sanctus eremita Deum orasset ut sibi ostendere dignaretur cum quo esset parificandus in regno cœlorum, et responsum accepisset a Deo, quod cum Papa Gregorio, valde ingemuit, eo quod Papa Gregorius abundaret divitiis, et ipse omnia propter Deum dereliquisset. Tunc rursus divinitus dictum est

A ei : Cur contristaris quod cum Gregorio par eris in gloria, quum tu plus diligas cattam tuam quam habes, et in sinu tuo frequenter tractas et palpas, quam Gregorius omnes suas divitias, quas ad hoc solummodo possidet, quatenus eas indigentibus liberaliter eroget? Quo audito, sanctus ille eremita gavisus est, et gratias egit Deo, rogareque cœpit ut cum Gregorio mansionem cœlestem percipere mereretur.

Itaque hunc sanctissimum patrem nostrum
B Gregorium diligamus, veneremur ac imitemur. Discamus ejus exemplo terrena despicere, in adversis patientiam stabilem conservare, nos ipsos in omnibus humiliare, opera quoque misericordiæ pro posse jugiter exercere, et Deo quotidie cum majori deservire affectu. Per orationes devotas et meditationes sacras levemus corda nostra omni hora ad Deum omnipotentem ; per jejunia etiam et alia pœnitentiæ opera castigemus ac refrenemus corpora nostra.

AD RELIGIOSOS

SERMO SECUNDUS

QUOMODO IMITANDUS SIT B. GREGORIUS ; ET QUIS SCOPUS MONACHI.

TU *vero vigila, in omnibus labora, ministerium Dei imple, sobrius esto.* II Tim. IV, 5.

Hæc verba sub persona Timothei episcopi omni sunt scripta episcopo, et implenda ab eo. Quæ beatus Papa Gregorius sublimiter adimplevit. Vigilavit namque mente et corpore, et ultra vires vigilavit humanas : per quod corpus suum extenuavit, quemadmodum in Ecclesiastico fer-
Eccli. XXXI, 1. tur, Vigilia honestatis tabefaciet carnes. Implevit quoque quod ait vir sanctus Deo,

C Media nocte surgebam ad confitendum *Ps.* CXVIII, 62.
nomini tuo ; et quod admonet Jeremias, Consurge, lauda in nocte, in principio vi- *Thren.* II, 19.
giliarum, et effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini Dei tui.

Denique, quam virtuosissima fuerit vita hujus magni Gregorii, scitis, et ejus pandit Legenda : quæ grandem nobis confert utilitatem, si bene pensetur. Nempe ad mundum contemnendum ac relinquendum, atque persistendum in vita religionis assumptæ, ad habendum consolatio-

nem, informationem ac opem in omni tentatione, prodest attendere quod de sancto narratur Gregorio : Quia quum esset vir nobilis senatoria stirpe exortus, valde dives, potens, apicemque philosophiæ adeptus, ac sericis vestimentis auro et gemmis rutilantibus indutus, sprevit hæc omnia, et cœnobium ingressus, vili tectus est ibi monastico habitu. Ecce vir talis ac tantus, ita in mundi hujus honoribus, divitiis deliciisque abundans, fama, nobilitate, scientia et decore tam inclytus, in juventute, imo in adolescentia sua, cœnobium est ingressus.

Si ergo in cœnobio tentatur quis de hoc quod mundum deseruit, quod in sæculo abundare, honorari delectarique posset, quod sponte reliquit tam multa et magna, proponat sibi Gregorium, et ejus comparatione se parum aut nihil egisse perpendat. Imo, si quis totius hujus mundi dominus esset, omni quoque temporali polleret prosperitate, et omni naturalium ornaretur perfectione donorum, atque hæc omnia propter Deum cœnobium intrans relinqueret, adhuc respectu cœlestium præmiorum, *I Cor.* II, 9. quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, nullius esset momenti. Omnia demum quæ propter Deum relinquere possumus, nonne ab ipso accepimus et ejus sunt dona ? sicut sanctus David primo Paralipomenon loquitur : *I Par.* XXIX, 14. Tua sunt omnia, Domine, et quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi. Porro, etiam in præsenti vita multa majora ac digniora a Deo recepimus, quam propter eum deserimus. Propter quod Christus omnia propter se relinquenti spopondit : *Matth.* XIX, 29. Centuplum accipiet. Pro temporalibus namque spiritualia dona, superna charismata, perfectiones supernaturales recipimus, pacemque pectoris, consolationes secretas, visitationes piissimas ac divinas.

Secundo, exemplo S. Gregorii ad fervidissimum et indesinentem provocamur accendimurque profectum. Legitur quippe, quod in conversionis suæ exordio mox tantum profecit atque ad tantam pervenit

A perfectionem, quod tunc in perfectorum numero poterat computari. O vere felix Gregorius, qui quanto major fuit et excellentior in donis naturæ, in bonis fortunæ, in muneribus gratiæ, in ecclesiastica dignitate, et in omnium reputatione, tanto *Eccli.* III, 20. plus in omnibus humiliavit se ipsum! Non cornua sibi assumpsit, *Amos* VI, 14. nec quempiam quasi inferiorem contempsit. Et quamvis ex propriis facultatibus cœnobium in quo mansit, fundaverit, non tamen ex hoc sumpsit fiduciam aut libertatem illicitam. B Attendant hæc, qui ingressi cœnobium, jactant se aliqua secum tulisse ; aut ratione nobilitatis, sive scientiæ aut alicujus hujusmodi doni inflantur, et alios aspernantur : quorum mens excæcata non pensat, quod alii ex sua humilitate, patientia, devotione, caritate, diligentia, incomparabiliter digniores sint coram Deo, quam ipsi ex suis naturalibus, acquisitis aut fortuitis donis. Propter quod etiam in Ecclesiastico habetur : Melior est homo qui minuitur sapientia, et permanet in timore *Eccli.* XIX, 21. C Dei, quam qui abundat sensu, et transgreditur legem Altissimi.

Insuper sanctus pater Gregorius, cur ad monasticam professionem venisset quotidie pensans, et quam reverenter Altissimo obsequi oporteat intuens, studuit incessanter proficere, omnemque horam fructuose expendere, orationibus, meditationibus, compunctionibus semper vacare. Corpus quoque suum in animæ servitutem *I Cor.* IX, 27. vehementer redegit : in hoc solo ex nimio quodam fervore discretionem oblitus, et D immoderate se habens, quod corpus suum nimis debilitavit. Tutissimum etiam ac firmissimum sibi faciens fundamentum virtutum, ad profundissimam se in primis dedit humilitatem, in qua usque ad finem vitæ suæ permansit ac crevit. Hinc statim in suæ conversionis initio ad contemplationis gratiam est perductus : ut sedens in cella, *Thren.* III, 28. levavit sese super se ; et in Deum rapiebatur assidue, dulcedinem Creatoris degustans, dissolvique cupiens et esse cum Christo, *Philipp.* I, 23. universis carnalibus ac ter-

renis sibi in fastidium versis, secundum A quod ipsemet in exordio tangit dialogorum : Animus (inquiens) meus ex occupationis suæ molestia tactus, reminiscitur qualis aliquando in cœnobio fuit, qualiter ei cuncta labentia subter erant. Et quum detineretur adhuc in corpore, per contemplationem tamen, corporis claustra excessit; ipsamque mortem aliis formidabilem, jam tanquam vitæ januam concupivit.

In his igitur hunc virum sequamur sanctissimum. Nemo nostrum quasi prioribus confidens operibus aut longitudini tem- B porum, remissius agat : imo quotidie enitamur copiosius illustrari, profundius humiliari, timoratiores diligentioresque fieri. Quo autem copiosius illuminabimur, eo utique vigilantiores erimus ad evitandum omne peccatum, ad obtinendum gratiæ ac virtutum augmentum, ad excrescendum in cordis munditia et caritatis sinceritate. Attendamus ergo continue cur huc venerimus, quid Deo voverimus, quid exigat nostra professio, quam inexcusabiles erimus et confusi, si inventi fuerimus negli- C gentes. Sicque indefesse supra cordis nostri stemus custodiam, atque ad fontem puritatis ac principem lucis, Deum incircumscriptum, levemus ubique oculos cordis, adspiremus et afficiamur ad ipsum, et intus cum ipso deambulare ac exerceri assuescamus. Erubescamus, instar brutorum passionibus agitari, et instar sæcularium zelum amarum, corque distractum et animum maculatum habere. Verum in sanctitate et justitia Deo perseveranter deserviamus, omnem loquacitatem, otio- D sitatem, carnalitatem, evagationem, turbulentiam inquietudinemque vitantes, et corde attento, fixo, reformato, accenso, sacrificium laudis, thymiama orationis, holocaustum propriæ abnegationis Domino jugiter offerentes ; tamque sublimiter ac frequenter gustemus quam dulcis est Deus, *1 Petr. II, 3.* ut cuncta carnalia et caduca nobis in fastidium convertantur : ad cœlestem beatitudinem tam fervide anhelantes, ut ex sententia decantemus, Quemadmodum de- *Ps. XLI, 2.* siderat cervus ad fontes aquarum, etc.

Præterea sanctus Papa Gregorius non solum circa se ipsum, sed et circa creditum sibi gregem Domini diligentissime vigilavit, pro communi bono Ecclesiæ extreme laborans, verbis, scriptis, exemplis, oratione, consilio, et omni modo sibi possibili : sicque ministerium suum fructuosissime ac strenuissime adimplevit, sicut de hoc in sequenti diffusius dicetur sermone. Quod et superioribus religiosorum incumbit agendum. Nos vero qui aliis non præsidemus, cogitationum et affectionum nostrarum regamus familiam, vires animæ omnemque motum et actum membrorum rationi subdamus, verborum ac operum congeriem gubernemus secundum Scripturam ac Ordinis regulam. Pro communi quoque bono Ecclesiæ, pro vivis ac mortuis, pro propinquis, commissis et benefactoribus instanter ac fervide deprecemur ; fama et exemplis, verbis etiam tempore opportuno ædificemus alios, et mutuo nos ipsos ; et Deo sic complacere conemur, ut orationes nostræ ac actiones ei ita complaceant ut et aliis prosint.

SERMO TERTIUS

DE SOLLICITUDINE OMNIBUS NECESSARIA, ET DE AMBITIONE DETESTANDA.

QUI præest, in sollicitudine præsit. Rom. XII, 8.

Omnem hominem Deo placere et salutem consequi cupientem, oportet esse spirituali sollicitudine (quæ est diligentia prudentialis) sollicitum : quia in medio

ambulat laqueorum, et invisibilibus circumdatus est hostibus, summoque Judici totius vitæ suæ daturus est rationem, nec *Eccle.* IX, 1. scit an amore sit dignus an odio, quid item finaliter fiet de eo; et quoniam pauci damnationem evadunt, difficile quoque *Jacob.* III, 2. est salvari, et in multis offendimus om- *Gen.* VIII, 21. nes, pronique sumus ad omne malum, sed et frequenter peccamus quotidie, et undique occurrunt occasiones peccandi ; et quia post vitam hanc rigorosissima vitiorum est ultio, perpetua scilicet in inferno, longa vero ac dura in purgatorio; et quoniam æternæ felicitatis amissio est post vitam præsentem irrecuperabilis. Hæ sunt causæ sanctæ et virtuosæ sollicitudinis. Quas qui diligenter pensaverit, timoratus erit et custoditus, compunctus, devotus, fervens et operosus, omnem de facili vitans dissolutionem, otiositatem, acediam.

Denique horum consideratio beatum Papam Gregorium fecit summe sollicitum. Scivit namque omnem prælatum tanto oportere sollicitiorem exsistere, quanto al- *Sap.* VI, 6. tior est ejus prælatio, quo pluribus præest, et quanto pro pluribus redditurus est rationem ; quo etiam intolerabilior ei instat damnatio si negligens fuerit aut carnalis, inexemplaris aut scandalosus. Unde et S. Gregorius considerationi districtionis divini judicii singulariter fuit intentus, atque ex ea factus est summe sollicitus, præsertim tempore suæ prælationis. Fuit ergo summe sollicitus circa suæ prælationis exordium. Scitis quippe, o fratres, quam vehementissime ac multipliciter, et quodammodo importune, suæ restiterit promotioni, quam ineffabiliter tantæ præsidentiæ assumptionem et onus expaverit, quantis astutiis excogitaverit erui inde. Non eum attraxit tantæ excellentia dignitatis, nec honor tam summus, non fama, non gloria mundi, non dominandi libertas, nec opulentia rerum ; sed divinæ districtionis considerationi atque humanæ fragilitatis ac insufficientiæ ponderationi mansit intentus, quum tamen esset vir ita perfectus.

Ex hoc, si rite adspicimus, si dissimula- A re non volumus, si non nos ipsos palpamus, saluberrime informamur, multipliciter admonemur. Ecce vir talis ac tantus, tam perfectus ac peritissimus, tam summe refugiebat summi pontificii dignitatem, apostolatusque apicem, et super totum mundum prælationem. Quid ergo est, quod nos pauperculi et pusilli, nos defectuosi et imperiti, ad præsidentiam adspiramus, ducatum appetimus fratrum, et modici desiderio regni seducimur? O quanta est obtenebratio ista ! Qualis est abnegatio ista, B qualis mortificatio sui ipsius ? Si mortui sumus mundo, quomodo adhuc apparere et sciri optamus in eo ?

Consideremus quanta gratiæ detrimenta, quam multa et magna spiritualis profectus dispendia ex hac stolidissima ambitione nascantur. Nonne opera nostra tanto sunt puriora et Deo amplius complacentia, quanto sincerius fiunt ad Dei honorem, rectiorique intentione diriguntur ad summum ac ultimum finem absque reciprocatione et reflexione ad proprium commo- C dum? Porro, tanto sunt sordidiora et Deo ingratiora, quanto plus in eis ad nos ipsos reflectimur, et aliquid proprii honoris, carnalis utilitatis inordinatæve libertatis intendimus. Nec dubium quin ambitionis labe fœdatus, ejusque tenebris involutus, pene in omnibus quæ exercet, ad se ipsum et ad ea quæ sua sunt reflectatur, ita quod vix unquam pure in Deum fertur. Habet quoque mirabiles ac lamentabiles suspiciones, æmulationes, blanditur ac invidet; in se ipso etiam sæpe affligitur et tabescit. D Talis cor suum nunquam simplificat, neque ut sua requirit professio crescit, sed magis decrescit; et nunc inordinate lætatur, nunc inordinate tristatur, nec unquam quiescit in Domino. Attendit præsentia, non futura; et quum sit miser et miserabilis, pauper, *Apoc.* III, 17. cæcus et nudus, locupletem se arbitratur, atque idoneum regere alios, quum nesciat gubernare se ipsum : siquidem a propriis vanitatibus tam graviter præcipitatur, vincitur, conculcatur. Præterea, si adipiscatur quod obtinere molitur, non erit justus

in suo regimine, sed potius personarum A acceptor; nec Dei honorem ac subditorum salutem quæret sinceriter, imo defluet, ac negliget semetipsum aliosque inaniter. Quod totum in religioso tanto vilius, iniquius ac damnabilius perhibetur, quanto plus propter Christum abnegavit se ipsum, et quanto præ ceteris magis ad quotidianum obligatur profectum.

Porro beatus pater Gregorius ab hoc scelere immunissimus, in omni præsidentia sua diligentissimus ac laboriosissimus fuit, exponendo Scripturas, componendo ser- B mones ac diversos tractatus, prædicando ad populum, illuminando Ecclesiam. Et quos non potuit verbo exhortari, corripere, castigare, docere præsentes, per scripta admonuit, increpavit, correxit, instruxit absentes : sicut de hoc multa leguntur in Decreto de ipso. Nec a sanctis istis operibus poterat per corporis sui infirmitates aut impiorum persecutiones averti. Consideravit namque dignitatem conditionis humanæ, et quanta Unigenitus Dei Patris pro humani generis assumpserat, egerat C atque perpessus erat salute, et quam districtam exiget rationem a præsidentibus pro animabus eis commissis, pro quibus proprium sanguinem non dubitavit effundere, ac acerbissimum et ignominiosissimum mortis genus subire.

Denique et quilibet nostrum ista sollicite intuens, semper sollicitus sit, nec suæ negligat salutis negotium : admoneat, corripiat, disciplinet, discutiat et expurget quotidie semetipsum ; non judicet temere alium, sed prudenter se ipsum, inveniet- D que se tantis defectuositatibus et ærumnis repletum, tot culpis et difficultatibus obtinendi perfectionem obnoxium, tot periculis expositum, tot hostibus circumvallatum, quod satis et supersatis habebit agere circa se ipsum, nec ei vacabit stulte ac superflue occupare se circa conservum. Itaque imitemur fideliter sanctum patrem nostrum Gregorium, omnium exemplar virtutum, qui et ante pontificium suum fraternæ salutis zelo tam fervide arsit, quod ad Anglorum tunc adhuc paganorum conversionem mitti se procuravit. In hoc igitur nos ipsum sectemur pro viribus, et quanto minus pro aliorum conversione ac profectu laboramus prædicando, tanto plus pro hoc laboremus orando, virtuose vivendo, exemplariter nos habendo ; atque ut valeamus a sancto, justo ac pio Creatore obtinere quod petimus, instantissime enitamur eum honorare in omnibus, eique intime familiares et amicissimi fieri.

Postremo, S. Gregorius fuit visceribus pietatis affluentissimus ac totus repletus, ac patientissimus in adversis. Nam opera misericordiæ tam corporalia quam spiritualia, longissime atque latissime fecit. In gravissimis quoque suis infirmitatibus quotidianis persecutionibusque diversis mansit immobiliter patiens, constans, et Deo gratias agens. In quibus omnibus ipsum pro posse sectemur, omni pereunti ac periclitanti intime condolentes, et graves personas pie ferentes, ac mutuo in omni caritate et pietate nos tolerantes, juxta quod scriptum est : Alter alterius onera *Galat.* VI, 2.
portate, et sic adimplebitis legem Christi. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, in- *Ibid.* V, 26.
vicem provocantes, invicem invidentes. Quod si pacem pectoris affectamus, ambitionis insaniam de cordibus nostris penitus propulsemus, de qua sanctus ait Bernardus : O ambitio, ambientium crux, quomodo omnes torquens, omnibus places ? Sanctus quoque Gregorius : Numerari, inquit, culpæ non possunt, quæ ex ambitione nascuntur. Quæ ut longe a nobis sint, soli Deo, summo fini, incomparabili bono, humili et tranquilla mente jugiter inhærere conemur. Ad laudem et gloriam ejus.

IN FESTO
S. PATRITII EPISCOPI

SERMO UNICUS

DE S. PATRITIO, ET DE PURGATORIO EJUS.

S*CITOTE quia mirificavit Dominus Sanctum suum.* Ps. IV, 4.

Verba hæc recte de sanctissimo viro B. Patritio exponuntur, quoniam Deus omnipotens illum per præclara miracula specialiter honoravit, et admirabilem fecit. Primo enim S. Patritius convertit regem Scotorum et multos de populo ejus, obtinuit quoque regno illi quod nullum venenosum animal ibi vivere potuit. Quumque multa miracula fecisset in Scotia, intravit regnum Hiberniæ, in quo etiam multis fulsit miraculis. Sed Hiberni tanquam homines semisilvestres, nullo modo acquieverunt prædicationibus S. Patritii, dicentes se nullatenus credituros, quantacumque patraret coram eis miracula, nisi demonstraret eis ad oculum pœnas injustorum quas habent post vitam præsentem, quatenus per hoc experimentaliter scire possent esse vitam post vitam istam, et esse providentiam atque judicium Dei. Tunc beatus pater Patritius Deum rogavit, ut propter bonitatem et misericordiam suam immensam, dignaretur sibi ostendere modum per quem posset illos incredulos certificare de pœnis injustorum post vitam hanc. Deus autem piissimus sanctum virum illum exaudivit clementer, ostenditque ei locum in solitudine quadam, in quo quum S. Patritius terram per fossionem
A aperiri fecisset, statim apparuit ibi subterraneum iter ad purgatorium ducens. Revelavitque Deus B. Patritio, quod qui de pœnis vitæ sequentis esset ambiguus, illum locum intrando experiretur easdem; porro qui introirent, nisi in omni pœna et afflictione manerent in fide constantes, et Christi auxilium implorantes, redituri non essent. Itaque multi ingrediebantur, nec revertebantur. Tandem, post mortem beati patris Patritii, quidam vir nomine Nicolaus, quum Deum gravissime ac multipli-
B citer offendisset, locum illum introiit, et Deo auxiliante in cunctis suppliciis sibi illatis firmus manens in fide, et invocans Christum, reversus est, universaque quæ vidit ac pertulit, aliis recitavit. Est autem in loco illo collegium, in quo ingredi purgatorium cupientes, per eleemosynas, orationes, jejunia, per confessionem et sacram communionem se præparant ad intrandum. — De hac autem materia specialis libellus habetur communiter, in quo ista historia plenius continetur.

C Ecce quanta est certitudo ac firmitas veritatis fidei christianæ, quia in regno tam propinquo, in loco tam solenni atque famoso monstratur ad oculum via introeundi purgatorium, a cujus pœnis per fidem Christi et invocationem ipsius liberantur ingressi; deficientes autem a Chri-

sti invocatione et fide, non revertuntur. A Ex quo luce clarius innotescit, esse vitam aliam post præsentem, et quod Deus æternus habeat providentiam actuum humanorum, faciatque judicium de operibus singulorum ; quod item per christianæ fidei veritatem, et evangelicæ legis observantiam evadant homines tam purgatorii quam inferni tormenta : et tamen excæcati ac miseri homines non formidant, vitam suam non corrigunt, metuendissimum Dei judicium non advertunt neque verentur. Porro, sicut Petrus Blesensis in suis scribit B epistolis, in regno Siciliæ (unde et ipse exstitit oriundus) infernales sunt montes, ex quibus erumpit ignis tartareus, qui usque ad octo aut novem milliaria se diffundit ac projicit, terram undique comburens et sterilem reddens.

Præterea, sicut Hiberni et Scoti, præsertim Hiberni, valde difficillimi erant ad susceptionem fidei Christi, sic quum fidem per purgatorii ostensionem sumpsissent, ultra modum ferventes et fortes fuerunt in fide ad longum tempus, et fuit in C illis regnis admiranda devotio, quemadmodum etiam ex Vita et Itinerario S. Brendani probatur.

Consideremus ergo quotidie pœnas injustis in futura vita paratas, quæ utique multo intensiores sunt quam pœnæ vitæ istius quantumcumque gravissimæ. Quis pro toto mundo vellet per unum diem nudo corpore in ardenti jacere fornace? Quomodo ergo poterimus sustinere in medio infernalium incendiorum jacere et ardere in sempiternum, aut etiam per tempus notabile purgatorii pati incendia, quæ omnium hujus sæculi ignium excedunt ardorem et afflictionem? Verumtamen nequaquam sufficit ad salutem, ex solo servili timore pœnarum vitare peccata, et facere bona : imo ex caritate oportet hoc facere, quoniam sine caritate nihil est Deo acceptum, et æternæ meritorium vitæ.

Insuper aliqui serviunt Deo timore pœnæ, aliqui mercedis amore, aliqui solo et puro intuitu dilectioneque Dei, videlicet absque reflexione mentis ad proprium commodum; et istud est magis perfectum ac Deo gratissimum. Itaque, sicut Deum summe amare debemus propter puram et infinitam bonitatem ipsius, sic eidem debemus cum maxima reverentia deservire, propter incomparabilem dignitatem et majestatem ipsius immensam : quoniam vere dignissimus et superdignissimus est omni honore et cultu, atque in infinitum majori reverentia dignus, quam ei tota universitas rationalium ac intellectualium creaturarum possit impendere. Hinc cum omni humilitate Deo servire semper debemus, scientes quam vile et modicum sit nostrum obsequium comparatione dignitatis ac majestatis suæ incircumscriptæ. Cui est honor et gloria in æternum. Amen.

IN FESTO
S. BENEDICTI ABBATIS

AD RELIGIOSOS

SERMO PRIMUS

DE VIRTUTIBUS S. BENEDICTI; ET DE SUI IPSIUS DISCUSSIONE, VANITATEQUE CAVENDA.

I*NGREDERE, benedicte Domini : cur foris stas?* Gen. XXIV, 31.

A Specialis et felicissimus pater noster, re et nomine Benedictus, Deo vocante et invitante ingressus est in vita præsenti in militantem Ecclesiam, in proprii cordis secretum, in devotorum congregationem, in eremum et speluncam, in Fratrum conventum, in sanctuarium Dei; deinde post vitam hanc ingressus est in mansionem ac gloriam cœli. Ingressus est autem in militantem Ecclesiam, primo per susceptionem Baptismi, et gratiæ quæ confertur in eo. Ingressus est quoque in proprii cordis secretum, discutiendo quotidie conscientiam suam, et advertendo in se divinum instinctum, sicut ait Psalmista, Audiam quid loquatur in me Dominus Deus; (Ps. LXXXIV, 9.) acquiescendo quoque in omnibus rectæ rationis judicio, et intra se inquirendo quid Deo magis complaceat, qualiterque quis melius vivere possit, quomodo omni tentationi ac vitio oporteat reluctari.

His modis etiam quilibet nostrum ingredi debet omni hora cordis sui arcanum, examinando cum grandi diligentia conscientiam suam, an sinceriter ambulet coram Deo, an in cunctis sit recta sua intentio, an caritative se habeat ad proximos suos, an in observantiis regularibus pervigil exstet, an superiori suo debitam reverentiam obedientiamque exhibeat, an condignum quotidie sortiatur profectum, an paratus sit Deo occurrere, separari a corpore, ac tribunali summi Judicis præsentari. Amplius, sic nos ab exterioribus abstrahamus, sic intra nos ab inquietudine phantasmatum, cogitationum inanium, affectionum carnalium cessemus ac sileamus, ut perci- B piamus ac advertamus quid Deus loquatur in nobis, an Spiritus ejus testimonium perhibeat spiritui nostro quod filii Dei (Rom. VIII, 16.) simus, instinctuique divino ad meliora semper hortanti obtemperemus : in qua re gratia discretionis spirituum indigemus, ne forte fallamur. Ideo inter instinctum divinum, angelicum, diabolicum, et humanum seu naturalem, discamus discernere, ne a Satana in angelum lucis transformato decipiamur, (II Cor. XI, 14.) sed rectæ rationis sequamur judicium; et quomodo melius, fructuosius, C ordinatius conversari possimus, intus investigemus ex his quæ cognovimus ex Scripturis et ex Ordinis nostri regula seu

statutis, in quibus de hoc plenissime in- A
formamur. Faciamus omni hora quod in ea esse agendum regula docet, Scriptura testatur, superior mandat, requirit professio.

Insuper, sanctus pater Benedictus ingressus est devotorum congregationem. Quum enim in studio multos per vitiorum abrupta incedere et in vanitatum profundo mergi vidisset, scholas tales reliquit, et alibi quibusdam religiosis se socians, cum illis religiosius vixit; tamque devote, exemplariter et religiose conver- B
sabatur, quod ab omnibus tenere amabatur. Quumque ibidem meritis suis grande fecisset miraculum, precibus redintegrando capisterium fractum (sicut gloriosissimus evangelista Joannes aurum et gemmas particulatim confractas atque dispersas, beatissimus quoque confessor ac præsul Servatius lapidem ruptum), et pro tanto prodigio sanctus hic Benedictus adhuc puer, ab omnibus in admiratione et honore protinus haberetur; ipse tanquam vere prudens ac humilis, sui ipsius tantam ve- C
nerationem non ferens, locum petiit et intravit ignotum, desertum ingrediens, tribusque annis in specu latens, et Deo ibidem devotissime vacans.

Ecce ex his multipliciter informamur, imo et increpamur. Increpatur quippe ex his curiositas nostra, quia postquam reliquimus sæculum et ingressi sumus cœnobium, adhuc philosophiæ studio, medicinæ codicibus ac jurium libris inordinate occupamur et delectamur, et forsitan magis quam studio Scripturarum devotiona- D
liumque librorum, non recordantes quod S. Hieronymo dictum est: Ciceronianus es, non Christianus. Hæc igitur omittentes, ea potissime legamus volumina quorum lectione clarius discamus imperfectum nostrum inspicere, spiritualiter crescere, compungi, accendi, atque quotidie custoditius conversari : quatenus indesinenter quæramus
Hebr. vi, 9. non solum bona, sed etiam meliora ac viciniora saluti. Non sit nostrum, quorum est tam alta professio, circa communia languere, sed æmulari charismata meliora. I *Cor.* xii, 31.

Verum inter hæc quid agimus, ubi manebimus, qui tam vehementissime a glorioso patre nostro Benedicto distamus? Quia oblatum ab hominibus honorem non solum non aspernamur ac fugimus, imo laudari ac honorari in præsenti insipienter optamus, etiam nonnunquam de bonis quibus caremus, non pensantes illud Apostoli, Soli Deo honor et gloria; et, Qui gloria- I *Tim.* i, 17.
tur, in Domino glorietur. Nec sufficit nobis I *Cor.* i, 31.
ista fatuitas, nisi et interdum jactemus nos ipsos, et præsumamus de viribus nostris, commendemusque nos sive explicite sive implicite, non jam (ut sanctus ait Bernardus) in multa patientia, sed in mul- II *Cor.* vi, 4.
ta arrogantia. Et si quid specialis devotionis et gratiæ forsan aliquando nobis desuper misericorditer infundatur, jam illud occultare nequimus, quum scriptum sit, Secretum meum mihi; sed inaniter prodi- *Is.* xxiv, 16.
mus donum cœleste, magis ad proprium quam ad Dei honorem : sicque meremur illud amittere, nec amplius tale quid impetrare. Ecce quanta et quam deploranda est nostra calamitas, nostra fragilitas, imo insipientia ac vanitas nostra. Sed pœniteamus et caveamus de isto; ac S. Benedicti exemplo, in humilitatis abysso fundemus nos firmiter et amemus nesciri, ac interim lateamus donec Deus nos prodat, sicut prodidit Benedictum devoto presbytero.

Deinceps, sanctus pater Benedictus ingressus est Fratrum conventum : ad quorum instantiam instituit cœnobia multa, et Fratribus suam communicavit præsentiam, ut quod in occulto didicerat, alios manifeste doceret. Spiritualem etenim vitam alios edocere ineptus est et indignus, qui non est experimentaliter hanc edoctus : idcirco nec nos alios instruere aut injungere alicui præsumamus quod ipsi non fecimus.

Porro, tam in spelunca quam extra ingressus est B. Benedictus sanctuarium Dei, id est abyssum Sapientiæ increatæ, contemplationis secretum, revelationum altitudinem divinarum : quia incerta et occulta *Ps.* l, 8.

sapientiæ suæ patefecit ei Altissimus, cordiumque arcana revelavit, et spiritu prophetiæ ipsum replevit, ita quod non solum sancto suo disciplo Mauro sed et Totilæ impiissimo regi prophetavit determinate quot annis essent victuri. Et erat contemplator altissimus. Quod et præsertim constat ex visione illa mirifica quam in ascensu animæ S. Germani in cœlos habuit, in qua quasi sub uno solis radio totum mundum vidit collectum. Sed et in divitias gloriæ Dei fuit uberrime raptus, et in lumine Creatoris ita expansus, quod faciliter in ejus luce conspicere quivit quidquid sub illo fuit. Si ergo desideramus et nos in sanctuarium Dei nunc introire, discamus cum electissimo Benedicto in cella quiescere, humana colloquia discrete vitare, nos ipsos in omnibus superare, humiliare, subjicere, subjectione et abjectione gaudere, nihil carnalis aut mundanæ consolationis appetere, nulla moveri A injuria, nulla vinci molestia; in adversis quasi in omnibus divitiis gloriari, humanis laudibus, prosperitatibus, adulationibus non delectari, emolliri aut dejici, sed affligi; nos ipsos interius et exterius custodire, et cum summa diligentia peccata effugere, profectuique studere, silentio et quieti operam dare, atque in omni loco ac opere cor ad Deum ubertim levare.

Postremo, felicissimus Benedictus ingressus est gaudium Domini sui, adeptus beatitudinem regni æterni, in quo est tanto B gloriosius coronatus, quanto hic fuit purius conversatus, majori caritate accensus, pluresque animas Deo lucratus; quo item in omnibus humiliavit profundius semetipsum. Tam præclarissimi igitur patris patrocinia invocemus, ejus intueamur virtutes, sequamur vestigia, ut cum ipso post vitam hanc labilem, sortiamur interminabilem, suffragantibus nobis meritis et precibus ejus.

SERMO SECUNDUS

QUOD TENTATUS IN DEO DEBEAT CONFIDERE, CORPUS CASTIGARE, AC DEVOTE PSALLERE ; DE VIRTUTIBUS ITEM MONACHORUM ERUDITIO MULTA.

B*ENEDICTUS qui venit in nomine Domini.* Ps. CXVII, 26. C

Verba ista ad litteram de Christo conscripta, de beatissimo patre nostro Benedicto congrue exponuntur, quoniam fuit gratiose benedictus, id est multiplici gratia decoratus ac repletus, a Spiritu Sancto. Fuit namque et est pater religiosorum, institutor ac legislator multorum; fuit eremita et anachoreta, soloque pane contentus in eremo; fuit potens in verbo ac opere, faciens miracula multa et magna, imo et maxima, soli Omnipotenti possibilia. D Cordium quoque vidit secreta, et spiritu splenduit prophetiæ, copiosumque fructum fecit in mundo. Porro tota ipsius vita informativa est monachorum, potissime quædam ipsius gesta. Inter quæ unum est illud, quod dum quadam vice avicula coram ejus facie volitasset, mox ad ejus memoriam venit femina quam vidit in sæculo; protinusque diabolus animum ejus in amore illius tam valide inflammavit, quod pene eremum egredi, concupiscentia agitante, decrevit; sed Deo miserante ac illustrante, ad mentem suam reversus, se exuit, et inter spinas ac vepres tam diu nudum se volutavit, quod toto corpore vulneratus surrexit, et per corporis lacerationem animum redintegravit.

Ecce ex isto salubriter edocemur propriam fragilitatem cognoscere, nec un-

quam præsumere, aut vana securitate resolvi, sed in Deo dumtaxat sperare. Si enim vir tam sanctus et innocens, tantam incidit tentationem tam subito quod pene eremum concupiscentia victus deliberavit relinquere : quid nos imperfecti et corrupti faceremus, si Deus permitteret nos valenter tentari? Ideo timeamus, in Deo speremus, ejus protectionem, conservationem et confortationem jugiter invocemus. Secundo, ex prætacto facto docemur tentationibus viriliter reluctari. Mox quippe ut S. Benedictus suam tentationem ac læsionem ex ea advertit, non sibi pepercit, sed usque ad sanguinis effusionem corpus suum punivit, sicque gratiæ copiosam promeruit subventionem. Sic et corpus nostrum jejuniis, vigiliis, disciplinis, abstinentiis edomemus; orando, plorando, dominicam passionem atque novissima recogitando, tentationibus resistamus. Et si fortiter quis tentatur, consultum est ut spirituali patri aut viro discreto ac virtuoso hoc ipsum aperiat, et illius utatur consiliis : hac etenim humilitate ac manifestatione debilitat et confundit diaboli elationem et suggestionem occultam.

Insuper de S. Benedicto legitur, quod monachum qui ad orationem stare nequivit, imo orantibus aliis oratorium exiit, vidit a diabolo in forma nigri pueruli per vestimenti fimbriam extrahi. Quo docemur, opus esse diaboli, a divinis sine necessitate exire. Idcirco caveamus hoc malum, et stabiles ac intenti stemus in choro, pravumque usum vitemus. Et mirum atque deflendum, quod quidam tam cito in divino lassantur seu attædiantur Officio, qui in colloquio manent per horam et horam infatigati ac fervidi. Videant sibi tales, ne forte in eis amor carnalis et sæcularis affectio præponderent amori divino : quoniam quod magis amatur, de illo quisque libentius loquitur, et circa illud hilarius ac infatigabilius occupatur. Discamus ergo inania aspernari, in spiritualibus delectari, in orationibus, hymnis ac psalmis indefesso persistere animo, et oblectari in actu tam sancto. Nempe qui devote orat aut psallit, dulcem quamdam mentis refectionem solet sentire, et spirituali jucunditate perfundi ex apprehensione Dei ac sensus verborum. Propter quod dixit Psalmista : Exsultabunt labia mea quum cantavero tibi; itemque, Ad ipsum ore meo clamavi, et exsultavi* sub lingua mea. Qui autem sic orat aut psallit, vix fatigatur, etiam si quotidie legat psalterium unum aut duo (sicut nec fatigantur, qui tota die sedent confabulando in vino): quoniam delectatio operantem conservat in opere, et gratia Dei mentem confortat. Singuli quoque versus psalmorum, sunt quasi faculæ quædam igne Spiritus Sancti incensæ, ac sensu cœlesti repletæ. Idcirco ex prolatione et attentione debemus assidue inflammari, delectari, atque sæpissime recenter illuminari ac elevari, ut per singulos versus flamma interioris caloris de corde nostro erumpens, in cœlum coram Deo ascendat, dirigaturque tanquam incensum nostra oratio in conspectu divino, quemadmodum loquitur Jeremias : Factus est sermo Domini in corde meo quasi ignis exæstuans.

Ps. LXX, 23. *Ps.* LXV, 17. * exaltavi *Ps.* CXL, 2. *Jer.* XX, 9.

Præterea, quantum loquacitas et incauta locutio sint cavendæ, hinc liquet, quod duabus monialibus linguæ incontinentibus, et superiorem suum per verba incauta interdum ad iram provocantibus, remandavit : Corrigite linguam, alioqui excommunico vos. Sic quoque, quantum obedientia placeat Domino, ostensum est per hoc quod S. Maurus adhuc puer, ad S. Benedicti præceptum ad extrahendum puerum nomine Placidum ex flumine currens, super aquas quasi super terram cucurrit, puerumque extraxit demersum.

Præterea, quoniam teste B. Gregorio, sanctus vir Benedictus aliter docere non potuit quam vixit, ex sua doctrina ac Regula possumus virtutum suarum perfectionem inspicere. Attendamus ergo nonnulla quæ scribit in Regula. Ecce inter cetera loquitur : Quidquid boni inchoas, a Deo perfici instantissima oratione deposcas.

Ad Deum per laborem obedientiæ redi, a A quo per inobedientiam recessisti. Quicumque Christo militaturus, propriis voluntatibus abrenuntias, præclara atque fortissima arma assume. Primus humilitatis gradus est, obedientia absque mora : ut mox quum aliquid a majore fuerit imperatum, quasi divinitus imperetur, statim exoccupatis manibus obediatur, imperfecto relicto quod agebatur. Obedientia namque tunc acceptabilis erit Deo et dulcis hominibus, si quod jubetur, non tarde, non trepide, non tepide, aut cum mur- B mure, aut cum responsione nolentis efficiatur. Nam si cum malo quis animo obediat, et quamvis ore non murmuret sed corde : quanquam impleat jussionem, Deo tamen non erit acceptum, quia cor respicit murmurantis. Et pro tali facto nullam consequitur gratiam, verum etiam murmurantium pœnam incurrit, nisi cum satisfactione emendaverit. Ecce qualiter nos oporteat obedire. Porro de observantia silentii ait : A bonis eloquiis interdum propter taciturnitatem tacendum est : quanto C magis a malis ? Ideo rara detur loquendi licentia, propter taciturnitatis gravitatem, discipulis, quamvis bona, sancta et ædificatoria verba velint conferre, quoniam
Prov. x, 19. scriptum est : In multiloquio non effugies peccatum. Ideo si qua requirenda sunt, a Priore cum omni humilitate et subjectione reverentiæ requirantur. Scurrilitates vero et verba otiosa in risum moventia, æterna clausura in omnibus locis damnamus, et ad tale eloquium non permittimus os aperire discipulum. Quid ad istud di- D cturi sunt, qui non solum ad verba otiosa, sed etiam pungitiva, detractoria, injuriosa, contumeliosa, discordiæ seminativa aut mendosa, os suum aperiunt ?

Insuper de modo orandi et psallendi disseruit : Consideremus qualiter oporteat nos esse et stare in conspectu Dei et angelorum ; sicque psallamus, ut mens nostra voci nostræ concordet. Si dum hominibus potentibus aliqua volumus suggerere, non præsumimus hoc nisi cum humilitate et reverentia facere : quanto magis Deo cum omni humilitate et puritate devotionis supplicare oportet? Et non in multiloquio, sed in cordis puritate, et lacrimarum compunctione sciamus nos exaudiri. Ad horam quoque divini Officii, mox ut auditum fuerit signum, relictis quæ erant præ manibus, festinetur cum maturitate, nec aliquid Dei operi præponatur. Oratorium quoque hoc sit quod dicitur, nec ibi aliud quidquam geratur. Expletoque opere Dei, omnes cum summo silentio exeant ; nec unus in sua oratione impediatur alterius improbitate, seu clamosa deprecatione.

At vero de vitio proprietatis penitus amputando sæpius loquitur, inter cetera dicens : Præcipue hoc vitium radicitus amputetur de cœnobio, ne quis præsumat aliquid dare aut accipere sine jussione superioris, neque habere proprium, nullam omnino rem, neque codicem, neque tabulas, neque graphium, et nihil omnino : quippe quibus nec propria corpora, nec voluntates licet habere in propria potestate. Amplius, de sobrietate testatur : Sufficere credimus ad refectionem quotidianam duo pulmenta, ut qui non ex uno poterit edere, ex altero reficiatur : remota præ omnibus crapula, ut nunquam subrepat monacho indigeries, quia nihil sic contrarium est omni Christiano ut crapula.

Alia multa cunctis religiosis utilissima scribit in Regula, sicut de mutua Fratrum dilectione et obeditione, et qualiter debeant juniores senioribus assurgere ac deferre.

Postremo de diligentia, cura, exemplaritate, doctrina, discretione, pertinentibus ad abbatem, plura conscribit quæ ad omnem religiosorum pertinent præsidentem, inter cetera dicens : Sciat abbas culpæ pastoris incumbere, quidquid utilitatis Paterfamilias in ovibus minus potuerit invenire.

Tanti igitur patris vestigia et doctrinas fideliter, perseveranter ac fervide semper sectemur, ejusque intercessione ac meritis exaudiri a Domino deprecemur. Ad laudem et gloriam Omnipotentis.

IN FESTO

ANNUNTIATIONIS B. V. MARIÆ

ENARRATIO IN LECTIONEM PROPHETICAM LOCO EPISTOLÆ

LOCUTUS EST DOMINUS AD ACHAZ, ETC. Is. VII, 10-15.

RECTE lectio ista prophetica legitur A
hodie in officio Missæ, quoniam quod Lucas evangelista in hodierno evangelio recitat esse factum, hoc in lectione hac prophetali Isaias propheta annuntiavit futurum. Itaque Isaias ait :

Locutus est Dominus per Isaiam *ad Achaz* regem Juda, *dicens : Pete tibi,* id est ad tuam informationem et certificationem, *signum,* id est aliquem miraculosum effectum, *a Domino Deo tuo, in profundum inferni,* id est circa inferiora terræ seu inferi, ut quod terra in aliqua B
sui parte scindatur, et grandi hiatu inferi pateant, seu defunctus resurgat; *sive in excelsum supra,* id est in cœlo, ut quod solitus cursus solis et lunæ mutetur aut
Josue x, 12, 13. quiescat ad tempus, quemadmodum tempore Josue factum est. Advertendum, quod Achaz iste pravissimus fuit idololatra, atque incredulus vero Deo et Isaiæ ejus ministro. Unde quum Deus per Isaiam prædixisset huic Achaz, cito esse terminanda regna Syriæ et Samariæ, et Achaz non credidisset, rursus Deus præcepit ei- C
dem Achaz ut peteret sibi signum quantumcumque magnum, quatenus per illud certificaretur de omnipotentia Dei, et veritate suæ prænuntiationis de præfata terminatione regnorum illorum.

Et dixit Achaz ad Isaiam : *Non petam signum, et non tentabo Dominum.* Hoc addidit callidus ille Achaz, ne ex inobedientia videretur dixisse « Non petam ». Quasi dicat : Si quærerem signum, Deum tentarem : quod in Deuteronomio prohibetur. *Deut.* VI, 16.
Verumtamen Achaz non excusatur. Nam ideo non petivit signum, ne verus Deus in suo miraculoso glorificaretur effectu. Quum etenim idololatra esset Achaz, non veri Dei sed idolorum suorum glorificationem optavit. Dicitur tamen Deus verus, Dominus Deus ipsius Achaz, ratione creationis et universalis imperii, ob quam ipse solus omnium rerum Deus ac Dominus perhibetur.

Et dixit Isaias, videns regem Achaz et fautores ejus esse obstinatos ac perfidos : *Audite ergo, domus David,* id est tu, Achaz, et domestici tui ac propinqui increduli, qui ex semine David estis exorti : *Numquid parum vobis est molestos esse hominibus?* id est, utique modicum reputatis, quod molesti estis mihi ceterisque Prophetis et justis, vobis Deo jubente loquentibus et peccata vestra increpantibus, quia nos persequimini. Nec mirum, *quia molesti estis et Deo meo,* id est, tanta est vestra perversitas, quod etiam Deum altissimum molestatis, hoc est, tam graviter peccando offendistis, quod quasi per modum molestati se habet detestando ve-

stra facinora. Itaque, sicut ira, furor, ac similes passiones conveniunt Deo, non quantum ad passionis affectum, sed quoad effectus similitudinem (quoniam puniendo per modum irati se habet) ; sic et molestatio adscribitur Deo, quum utique nullum horum in simplicissimo, invariabili ac superbeatissimo Deo habeat locum.

Propter hoc. Istud refertur ad id quod in principio hujus dicitur lectionis, « Locutus est Dominus ad Achaz », etc., non ad verba immediate præhabita, quia non ideo datur eis sequens signum quoniam hominibus et Deo fuerunt molesti. *Dabit Dominus ipse vobis signum,* rememorativum præteriti, non prognosticum futuri. *Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel,* id est nobiscum Deus. Istud juxta beatissimorum
Matth. I. 20-23; *Luc.* I. 26 et seq. evangelistarum Matthæi ac Lucæ doctrinam, impletum est dum sacratissima virgo Maria, Gabriele archangelo nuntiante, Unigenitum Dei concepit ac genuit. Qui rite vocatur a cunctis Christianis Emmanuel, quoniam ipse in unitate personæ est
Baruch III. 38. Deus et homo, et inter homines visus est,

A atque cum eis est conversatus. In Sacramento quoque ac aliis modis indesinenter nobiscum esse dignatur.

Butyrum et mel comedet, id est, veraciter homo et infantulus erit, solitis puerorum vescens cibariis, utpote butyro et melle; *ut sciat reprobare malum,* id est vitia detestari, et hæreticorum errores dicentium eum non veram sed phantasticam carnem assumpsisse, damnare, *et eligere bonum,* id est virtutes peccatis præferre, atque catholicæ veritatem fidei approbare,
B quia butyrum et mel manducando, ostendit se veram assumpsisse humanitatem. Ad hoc quoque usus est cibo ac potu, quatenus ad ætatem perfectam deveniens, publice prædicaret, errores et vitia reprobando, virtutes et scientiam salutarem docendo. Verumtamen quod ait « ut », tenetur concomitanter, non causaliter, quoniam Christus ab incarnationis suæ exordio habuit scientiam discernendi inter bonum et malum : ideo constat, quod non ideo manducavit butyrum et mel, ut sciret reprobare ma-
C lum et eligere bonum; sed reprobatio ista atque electio manducationem illam sunt consecutæ.

SERMO PRIMUS

QUAM DECUERIT DEI MATREM ESSE VIRGINEM, ET INSTITUTIO ITEM PIA, VARIA AC MULTIPLEX.

E*CCE virgo concipiet et pariet filium.* Is. VII, 14.

Decentissimum fuit Dominum nostrum Jesum Christum, unicum Filium Dei, ex virgine nasci. Primo, ut generatio sua humana conformaretur generationi suæ divinæ, quantum possibile fuit. Decuit ergo quod sicut Christus Filius Dei habuit patrem sine matre in cœlis, ita haberet matrem sine patre in terris. Secundo, quia hoc fuit infinita dignatio Filii Dei, quod
D naturam humanam ad suam personalitatem assumpsit, illam sibi immediate jungendo in unitate personæ. Ideo summe condecuit naturam illam a Filio Dei assumptam, ex omni parte ornari et pulchrificari. Ad quod pertinebat, ut ex purissimis sacræ Virginis sanguinibus formaretur. Tertio, quoniam Filius Dei venit in mundum reformare et redintegrare corrupta ac vitiata : ideo decuit eum nasci ex inviolata et integerrima Virgine, quatenus Matris

suæ integritas nequaquam corrumperetur A ex nativitate sua ex ea. Quarto, ex quo Christus est verus Dei Filius verusque Deus, atque ob hoc infinitæ penitus dignitatis, nullatenus decuit Matrem suam dignissimam, aliquam dignitatis ac puritatis suæ jacturam aut minorationem incurrere ex incarnatione et nativitate sua ex ipsa, sed potius eam per incarnationem et nativitatem unigeniti Filii Dei ex ea, obtinere ineffabile dignitatis ac puritatis augmentum. Ideo decens erat ut virgo conciperet, virgo pareret, virgo post partum maneret, B imo in partu et post partum ineffabiliter purior esset quam ante.

O quam inæstimabilis est dignitas hujus electissimæ Virginis, quæ eumdem habet filium cum Deo Patre æterno, quæ illum veraciter genuit a quo Spiritus Sanctus æternaliter procedit! Certe quanto Filius Dei suam majestatem immensam amplius exinanivit, faciendo se filium Virginis hujus, tanto plus per hoc eam dignificavit. Hinc Virgo ista sanctissima, est dignitatis quodammodo infinitæ, in quantum est ve- C ra Genitrix veri Dei. Propterea Virginem istam præ omnibus mulieribus benedictam, debemus post Deum et Dominum nostrum Jesum Christum, præ cunctis creaturis diligere, venerari et invocare. Sed ille eam sincerissime veneratur, qui ejus humilitatem, pietatem, mansuetudinem, caritatem, ceterasque virtutes sectatur, eamque jugiter deprecatur ut has sibi a Christo virtutes impetrare dignetur.

Præterea ex lectione ista prophetica multiplex salubre documentum elicere possu- D mus. Primum, quod misericordia Dei circa homines est ineffabilis valde. Nam Achaz rex fuit totus vitiosus, Deo incredulus et ingratus: et tamen ipse Dominus Deus omnipotens ex pietate sua immensa admonuit ipsum Achaz ut peteret signum a se, sive in cœlo sive in inferis, quatenus qui solis Dei verbis non credidit, miraculosis saltem effectibus crederet.

Secundum est, quod magna est impietas ingratorum. Quorum nonnulli tam perversi et callidi sunt, quod pravitates suas specie quadam virtutum ornant, palliant et abscondunt. Sic enim nonnulli suam dissolutionem dicunt hilaritatem, suam pigritiam vocant discretionem, suam crudelitatem appellant justitiam, suam avaritiam et immoderatam sollicitudinem dicunt esse prudentiam. Conformiter Achaz iste suam inobedientiam dixit esse justitiæ zelum, divinæque legis observationem, dicendo: Non petam, et non tentabo Dominum. *Is.* VII, 12. Nam eo ipso quo Deus præcepit sibi petere signum, debuit obedire. Vitemus ergo vulpinam istam astutiam et omnem hypocrisim, quam Christus in Evangelio valde specialiter reprobat et condemnat (nec de aliquo vitio tantum increpat Pharisæos et Scribas quemadmodum de hypocrisi: sæpissime etenim loquitur, Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ); *Matth.* XXIII, 13 et seq. atque in sinceritate et veritate coram Altissimo ambulemus. Idcirco in libro Sapientiæ præcipitur: In simplicitate cordis quærite eum. *Sap.* I, 1. Et primo Paralipomenon sanctus David effatur: Scio, Domine Deus meus, quod probes corda, et simplicitatem diligas. *I Par.* XXIX, 17. Quæ omnia intelligenda sunt de simplicitate columbina, non asinina, hoc est de simplicitate quæ dicitur per exclusionem fictæ duplicitatis et dolositatis, non de simplicitate quæ dicitur per exclusionem circumspectionis prudentiæ. Insuper peccata nostra non excusemus, sed humiliter fateamur et aggravemus, ad emendationem nos exponentes, atque ad satisfactionem et correctionem nos offerentes, cum Psalmista dicentes: Iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper; *Ps.* L, 5. itemque, Quoniam ego in flagella paratus sum. *Ps.* XXXVII, 18.

Tertium documentum est, quod Deus justus, sanctus et sapiens, incomprehensibiliter odit peccatum, tanto videlicet magis quanto ipse sanctior, justior sapientiorque consistit. Ut enim ex textu lectionis hujus propheticæ patuit, tantum Deus detestatur peccatum, ut se asserat ex peccatis hominum molestari, contristari, confi-

gi, laborare atque deficere : quum tamen A ipse incommutabilis et tranquillissimus Deus, in se ipso æternaliter æque quietus, æque gloriosus et deliciosus consistat. Gen. vi, 5-7. Hinc etenim in Genesi legitur : Videns Deus quod multa esset malitia hominum nimis, pœnituit eum quod fecisset hominem, et tactus dolore cordis intrinsecus, dixit : Delebo hominem quem creavi, a facie terræ. Per Isaiam quoque loquitur Is. xliii, 24. Deus populo indurato : Præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis; et per Mala- Malach. ii, 17. chiam ait : Laborare fecistis Dominum in B sermonibus vestris iniquis. Et rursus per Ibid. iii, 8. Malachiam loquitur Deus : Si affiget homo Deum, quia vos configitis me? Hinc etiam Jeremias propheta dixit pessimo populo Jer. xliv, 22. Judæorum : Non poterat vos Dominus ultra portare propter malitiam studiorum vestrorum. Itaque, quoniam Deus tam indicibiliter odit peccata, vitemus omne peccatum. Primo et maxime ex puro Dei amore. Secundo, propter infinitam bonitatem sanctitatemque Dei : propter quod omnino cavendum est quidquid displicet C ei, et quidquid inhonorativum est ejus. Tertio, quoniam Deus tam multa beneficia præstitit nobis, et maxime quoniam propter nos factus est homo, et pro nobis crucifigi dignatus est, atque æternam nobis beatitudinem recuperavit ac præparavit. Quarto, quia peccata tam incomparabiliter nocent nobis : quia per ea perdimus caritatem et gratiam Dei in præsenti, et gloriam sempiternam in cœlis; efficimur quoque servi filiique diaboli, et infernalem meremur calamitatem. Itaque diem istum solennem devotissime in Dei obsequio, laudibus et orationibus expendamus, vana et inutilia verba vitantes.

Postremo, inter miracula gloriosæ Virginis legitur, quod S. Leo Papa, qui fuit filius patricii Romanorum, in adolescentia sua vitio incontinentiæ ad tempus subjacuit, et tamen in incontinentia sua multum displicuit sibi. Ideo Mariam piissimam fervide invocavit ut gratiam castitatis sibi a suo Filio acquirere dignaretur, fuitque Virgini sanctæ valde devotus. Post aliquot dies Virgo piissima apparuit ei, dicens : Precem tuam suscepi, et de cetero castus eris, atque ad summi pontificatus apicem proveheris. Quod totum ita impletum est. Quumque beatus vir ille esset Pontifex summus et celebraret, manumque ejus femina quædam oscularetur, vehemens carnis tentatio ipsum invasit. Quam dum non posset abjicere, manum propriam sibi secrete abscidit, et lecto decubuit. Quumque a Romanis rogaretur celebrare, et jam opus quod fecit non posset diutius occultare, convertit se ad Virginem misericordissimam, rogavitque eam lacrimose et affectuosissime valde, ut sibi succurrere non differret. Tunc piissima benignitatis regina S. Leoni apparuit, et manum abscisam loco priori restituens, eum perfecte curavit.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

MISSUS EST ANGELUS GABRIEL A DEO, ETC. Luc. i, 26-38.

GLORIOSUS evangelista Lucas in evan- D gelio hodierno compendiose describit præsentis solennitatis historiam, qualiter scilicet annuntiatio de incarnatione Filii Dei facta sit Virgini præelectæ. Itaque Lucas sic ait :

Missus est angelus Gabriel. Cujus nomen celebre est in novo ac veteri Testamento : quoniam apud Danielem mentio Dan. viii, 16; ix, 21. fit de eo; similiter Lucas describit qualiter Luc. i, 11-19. ipse Zachariæ sacerdoti apparuit, et Joannis nativitatem, gratiam officiumque præ-

dixit. *A Deo* immediate, non ab angelo superiori, sicut frequenter inferiores a superioribus mitti dicuntur: quod dum fit, a Deo mittuntur mediate, ab angelis superioribus immediate; *in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth,* quæ parva civitas fuit. Nam Christus in omnibus humilia et abjecta elegit: ideo non in Jerusalem civitate Judæorum metropoli, sed in Nazareth oppidulo Galilææ concipi voluit. Nam et ipsa Galilæa tam despecta fuit Judæis, quod principes Judæorum dixerunt ad Nicodemum, Scrutare Scripturas, quia a Galilæa non surgit Propheta: ut apud Joannem legitur. Et tamen Christum in Nazareth esse concipiendum Isaias prænuntiavit. Siquidem in Isaia, ubi nostra habet translatio, Flos de radice ejus (scilicet Jesse) ascendet, Hebraica continet veritas: Nazaræus de radice ejus ascendet.

Joann. VII, 52. — *Is.* XI, 1.

Ad virginem desponsatam viro cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen virginis Maria. Cur Filius Dei voluerit incarnari ex virgine desponsata, rationes variæ assignantur. Prima, ne pudicissima Virgo de incontinentia diffamaretur. Secunda, ne Christus de fornicaria natus diceretur. Tertia, ne Judæi Christum juste contempsisse tanquam illegitime genitum viderentur. Quarta, ut diabolus minorem haberet occasionem putandi Jesum esse Messiam, eo quod de conjuge esset natus, quum sciret Christum de virgine nasciturum. Quinta, ne virgo Maria tanquam adultera lapidaretur. Nam et de sacerdotali fuit tribu: cujus tribus puellæ fornicantes lapidabantur, sicut adulteræ tribuum aliarum, ut patet in Levitico. Denique Joseph Virginis hujus sponsus, vir justus, fuit de domo (id est semine atque familia) David regis: de cujus tribu etiam erat Virgo beata. Nam de tribu eadem communiter fuit uterque conjugum in veteri Testamento; præsertimque puellæ succedentes in parentum hereditate, nubere prohibebantur nisi viris propriæ tribus, ne sortium distributio misceretur et confunderetur, eundo a tribu in tribum. Porro virgo Maria unica fuit suo patri: propter quod ei in hereditate successit.

Cf. Lev. XXI, 9; *Deut.* XXII, 20, 21. — *Matth.* I, 19. — *Num.* XXXVI, 6-10.

Insuper, hoc maximæ fuit dignationis et exinanitionis, quod Unigenitus Dei contentus fuit annuntiari eodem angelo quo Joannis nativitas fuit denuntiata, et item, quod non nisi unum angelum misit ad annuntiandum suæ incarnationis mysterium. Ad hoc etenim venit Filius Dei in mundum istum, ut in omnibus humilitatem doceret verbo et opere, atque per eam nos oportere ad æternam redire salutem: ideo uno consuetoque nuntio fuit contentus.

Et ingressus angelus ad eam: utique (ut creditur) in locum secretum et clausum, in quo clauso super se ostio oravit Patrem cœlestem in abscondito, et contemplationi vacavit; estque probabile quod Virgo præclara pro totius mundi salute et Christi adventu oravit in hora illa; *dixit,* cum grandi reverentia ac humili apparatu sacratissimam Virginem Dei sui mox futuram Genitricem salutans, imo et ejus dignitatem admirans: *Ave, gratia plena,* id est, sine væ sis tu, o Maria, quæ es plena in anima tua gratia gratum faciente, virtutibusque infusis, et donis ac fructibus Spiritus Sancti, tanquam persona excellenter heroica. Non tamen fuit tam plena, quin erat protinus magis replenda; et usque ad finem vitæ suæ in sæculo isto quotidie mirabiliter crevit in gratia, in omni perfectione virtutum atque donorum. *Dominus,* Deus unus ac trinus, *tecum* tanto singularius quanto gratiosius. Nempe quo gratia Virginis exstitit plenior, eo consistentia Dei cum ea et in ea fuit singularior atque præclarior. *Benedicta tu in mulieribus,* hoc est præ cunctis mulieribus magis a Deo electa et benedicta: quia majoribus donis tam gratiæ gratum facientis quam gratiæ gratis datæ, a Deo fuit repleta sive replenda, et ad majorem beatitudinem erat præordinata. Fuit enim dignitatis quodammodo infinitæ, quemadmodum in sermone præhabito est ostensum. Itaque, quum benedictio Dei sit collatio munerum ejus et multiplicatio eorum-

Matth. VI, 6. — *Cf.* p. 392 B.

dem, tanto benedictior est Maria, quanto eminentiora et singulariora a Deo sortita est gratiæ dona. Ipsa quoque tam magnifice ab angelo salutabatur non solum ob id quod tunc fuit, sed et ob id quod mox erat futura, et quod in prædestinatione fuit divina.

Quæ quum audisset, id est, quum Virgo beata audisset præhabita verba de excellentia sua, *turbata est in sermone ejus,* hoc est, in tam excellenti, inopinata et antea nusquam audita salutatione angelica sibi facta, vehementer est admirata et mota. Turbatio ista nec imperfectionis fuit, nec culpæ, sed magnæ admirationis virgineique pudoris, et quædam immutatio potentiæ affectivæ præcipua. Quum etenim felicissima Virgo in oculis suis minima esset atque humillima, et laudabiliter pudorata, de tanto suo mirabatur præconio, eo plus quo tale quid minus sensit de se. Considerandum quoque, quod Virgo sancta fertur turbata in verbis angeli, non in visione ipsius, quia (ut dicitur) solita fuit conspicere angelos. Verumtamen aliqui probabiliter dicunt, quod Gabriel archangelus apparuit ei hac vice cum lumine multo abundantiori, et apparatu ac habitu elegantiori, prout magnitudo ac dignitas causæ suæ legationis exegit : idcirco etiam in ejus visione fuit aliqualiter tunc turbata.

Et cogitabat qualis esset ista salutatio. Non dubitavit quin esset vera atque angelico ore prolata, quoniam gratiosa et sapiens Virgo non caruit gratia discretionis spirituum. Cogitavit tamen qualis esset hæc salutatio, quid prætenderet, quo tenderet. Et hoc fuit prudentiæ, quod non statim respondit, sed cogitavit qualis salutatio ista tam solennissima esset, qua se reputavit indignam, considerans se secundum id quod fuit in se et ex se. Juxta
I *Cor.* xv, 9. quem modum dixerat Paulus : Non sum dignus vocari Apostolus. *Et ait angelus ei : Ne timeas, Maria.* Nominatim exprimit Virginem sacram, et blande ac familiariter alloquitur consolaturque eam, teneritudini virgineoque pudori ac turbationi

A ejus quasi compatiens. Et quamvis turbatio, admiratio, timor et pudor S. Mariæ non fuerunt culpabiles ; angelus tamen hortabatur ut abjicerentur, quatenus diviniores perfectioresque actus succederent, utpote contemplatio divinorum, gratiarum actio, tranquillissima quoque serenitas mentis in Deo. Cur autem timere non debuit, subditur : *Invenisti enim gratiam apud Deum,* id est, Deo accepta es, pietatem et gratiam quam quæsisti adepta es, imo et multum plus. Nam, *Ecce* rem

B novam et maximam, *concipies in utero,* salvo virginitatis signaculo, de Spiritu Sancto, *et paries* integra manens *filium,* id est Unigenitum Dei, qui erit et unigenitus tuus, *et vocabis nomen ejus Jesum,* quod interpretatur salvator. Unde angelus dixit ad Joseph, Matthæi primo : Vocabis nomen ejus Jesum ; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. *Matth.* I, 21.

Hic erit magnus, hoc est, filius iste qui secundum deitatem est majestatis, perfectionis et gloriæ infinitæ, erit secundum

C suam humanitatem etiam valde magnus per dona gratiæ et gloriæ, imo sanctissimus, sapientissimus, et toto universo dignior ac carior Deo propter hypostaticam seu suppositalem unionem suæ humanitatis cum Verbo æterno. Unde ob hanc magnitudinem spiritualem Christus in utero Virginis magnus fuit et vir, juxta illud Jeremiæ : Novum creavit Dominus super terram, Mulier circumdabit virum. *Et Filius Altissimi vocabitur,* hoc est, Unigenitus æterni Patris dicetur, tanquam verus *Jer.* XXXI, 22.

D et naturalis, coæqualis et consempiternus Filius ejus, non adoptivus.

Et dabit illi Dominus Deus, id est, Deus Pater seu Trinitas dabit Christo secundum naturam suam humanam, *sedem,* id est regiam dignitatem atque judiciariam potestatem, *David patris ejus,* id est, quam David rex, pater Christi hominis, habebat in typo seu figuraliter. Quidquid enim potestatis et eminentiæ fuit in David, multo plenius et excellentius fuit in Christo : propter quod dixit, Data est mihi omnis *Matth.* XXVIII, 18.

potestas in cœlo et in terra. Hinc Christus A vere rex Israel fuit, plenariamque potestatem et jurisdictionem super Judæos accepit in spiritualibus ac corporalibus, quamvis ea usus non fuerit in corporalibus et temporalibus rebus. Propter quod *Joann.* XVIII, 36. dixit Pilato : Regnum meum non est de *Ibid.* VI, 15. hoc mundo. Et quum voluissent eum Judæi facere regem, fugit. Denique, secundum doctrinam Sanctorum, eo ipso quo Christi humanitas hypostatica unione conjuncta est Verbo æterno, prælata est omni *Ibid.* III, 35. enti creato. Unde ipse Christus ait : Pater B diligit Filium, et omnia dedit in manu ejus. *Et regnabit in domo Jacob,* id est in cordibus verorum et electorum Israelitarum, non solum corporaliter a Jacob patriarcha descendentium, sed universorum quoque fidelium virtutes ejus sequentium, *in æternum :* videlicet, nunc in Ecclesia militanti per fidem, deinde absque fine in Ecclesia triumphanti per gloriam. *Et regni ejus non erit finis,* id est, gubernationis ac præsidentiæ Christi terminus nunquam erit. Vel, « regni ejus », id est C Ecclesiæ seu populi fidelis, « non erit finis », quia usque ad finem mundi durabit, deinde ad cœlestem patriam transferetur, nec terminum sortietur. Hinc apud Isaiam *Is.* IX, 7. prædictum est : Super solium David et super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud in judicio et justitia, amodo et usque in sempiternum. Daniel quoque ait : *Dan.* VII, 14. Dedit ei (videlicet Deus Pater Christo) potestatem et honorem et regnum, et omnes populi, tribus et linguæ servient ei ; potestas ejus, potestas æterna, quæ non D auferetur, et regnum ejus quod non corrumpetur.

Dixit autem Maria ad angelum : Quomodo fiet istud, quod Filium Dei concipiam, *quoniam virum non cognosco,* id est, non cognoscere decrevi et vovi ? Jam enim, secundum doctores, virginitatem promisit; tamen, ut loquitur Augustinus, sub honestissima conditione, videlicet nisi Deus aliter de ea disponeret. Quærit autem de modo, non de facto secundum se, quia non dubitavit de facto, sed de observatione virginitatis sollicita, sciscitata est operis modum. Verumtamen, juxta Ambrosium, legit Maria illud in Isaia, Ecce *Is.* VII, 14. virgo concipiet ; modum vero non legit. Ex quo probatur, quod erudita fuit in lege atque Prophetis. Nam et Origenes testatur, quod habuit legis scientiam. Nec mirum, quoniam ab infantia sua usque ad nubiles annos commorata fuit in templo.

Et respondens angelus, dixit ei : Spiritus Sanctus superveniet in te, id est, supernaturaliter operabitur in te, fecundam te faciendo, et ex tuis purissimis sanguinibus corpus Christi formando ; *et virtus Altissimi,* id est omnipotentia Patris summi, *obumbrabit tibi,* id est, suam potestatem immensam tuæ capacitati contemperabit, ut ejus influentiam et efficientiam ferre queas. Sicque immediate per se exercebit in te, quod facit in aliis per causas secundas et naturales, utpote per commixtionem maris ac feminæ. Unde ad innuendum quod Christus de Matre sit natus, viro eam non fecundante, sed divina potestate in ea agente, scriptum est in Isaia : Ascendet coram eo sicut virgul- *Ibid.* LIII, 2. tum, et sicut radix de terra sitienti. Virgultum etenim oritur absque seminis projectione in terram; similiter radix de terra sicca. *Ideoque et quod nascetur ex te sanctum,* id est, Christus secundum deitatem suam essentialiter sanctus, ex te nasciturus, qui secundum naturam humanam cunctis prædestinatis est sanctior, *vocabitur Filius Dei* unicus, naturalis, æternus, cui soli ista conceptio tam admirabilis servabatur.

Præterea, quia in verbis iis superbenedicta Trinitas distincte exprimitur, constat Virginem summam ante hanc allocutionem angelicam, habuisse superbeatissimæ Trinitatis fidem explicitam ac distinctam notitiam : alioqui quod angelus per hæc verba insinuavit, non intellexisset, sed dicere potuisset quod in Actibus quidam respondisse leguntur Apostolo sciscitanti, Si Spiritum Sanctum accepistis creden- *Act.* XIX, 2.

tes ? Sed neque si Spiritus Sanctus est A audivimus.

Deinceps, ut Virgo sacra magis exhilaretur, et ejus devotio amplius inflammetur, sicque jucundissima ac devotissima mente consentiat, et Filium Dei concipiat, proponit ei angelus supernaturale exemplum, ut mirabilis conceptio futura, per mirabilem conceptionem præteritam approbetur. *Et ecce Elisabeth cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua,* non obstante duplici naturali impedimento quod habuit, puta senectutis, et natu- B ralis sterilitatis. *Et hic mensis,* scilicet Martius, in quo tibi hæc loquor, *est sextus* a mense in quo concepit, *illi* Elisabeth, *quæ vocatur sterilis :* quia sic diu fuit vocata, quoniam per tot annos fuerat infecunda ; *quia non erit impossibile apud Deum omne verbum,* id est, quidquid sermone exprimi potest, a Deo fieri potest, dummodo ratio entis ei competere queat, hoc est, si contradictionem non implicet. Potestas etenim Dei est penitus infinita, cui omnia sunt æque C facilia, et quæ non potest in tot et tanta, quin possit in infinities plura atque majora.

His auditis, pia ac docilis Virgo cito consensit. *Dixit autem Maria : Ecce ancilla Domini* ego sum, idcirco ad omnia ei placentia offero me paratam. *Fiat mihi secundum verbum tuum,* id est, Filium Dei concipiam operante Spiritu Sancto, ut promisisti. Quo dicto, in instanti Filium Dei concepit, ita quod in eodem instanti formatum fuit corpus Christi, et anima ejus creata corporique infusa, atque utrumque Verbo æterno unitum. Consideranda est demum in responsione hac Virginis sacrosanctæ, profundissima ejus humilitas, quoniam tam sublimiter salutata, tam incomparabiliter feminis cunctis prælata, tam mirabiliter commendata, atque in matrem Filii Dei se audiens præelectam, nequaquam est gloriata inaniter, aut exaltata insipienter ; sed tanto plus humiliavit se ipsam, quo amplius commendabatur ab angelo, et sublimabatur a Deo, non aliud quam ejus ancillam se vocans. Sic quoque post Christi ascensionem, ejus se appellavit ancillam, quemadmodum in epistolis suis ad S. Ignatium patet. Quemadmodum enim vani homines ex suis laudibus stolide intumescunt, sic virtuosi ex suis laudibus magis se ipsos humiliant, certi quod boni nil habeant nisi a Deo, cui unusquisque tenetur tanto gratior esse atque subjectior, quanto plura et potiora ab eo sortitus est bona.

SERMO SECUNDUS

QUAM CELEBRIS AC VENERANDA NOBIS ESSE DEBEAT ANNUNTIATIO DOMINICA.

HÆC *dies boni nuntii est : si tacuerimus, sceleris arguemur.* IV Reg. vii, 9. D

IV *Reg.* vi, 25-29. Legitur quarto Regum, quod filii Israel in civitate Samariæ a Syris obsessi, ad tantam devenerunt caristiam, quod mulieres præ magnitudine famis proprios pueros occiderunt et comederunt. Tandem *Ibid.* vii, 3 et seq. quatuor viri leprosi in illa urbe manentes, magnitudine famis compulsi, exierunt nocte in campum, ut ad Syros confugerent et reficerentur ab eis. Quumque venissent in campum, invenerunt Syros fugisse, et eorum tentoria victualibus plena ; indeque quum manducassent, dixerunt : Hæc dies boni nuntii est, eamus et nuntiemus in aula regis. Quod quum fecissent, egressus rex Israel et populus ejus, invenerunt copiam victualium, vestimentorum, armo-

rum, aliarumque opum. Si ergo dies illa A fuit dies « boni nuntii », seu bonæ annuntiationis, in qua nuntiata fuit illa evasio filiorum Israel a Syris hostibus suis, atque adeptio rerum temporalium copiosa: quanto magis dies ista, dies est nuntii boni, in qua Gabriel archangelus missus a Deo, nuntiavit Virgini gloriosæ incarnationem et partum Filii Dei ex ea? Per quam incarnationem totum genus humanum ab invisibilibus liberatum est hostibus, ac spiritualibus repletum divitiis, hoc est variis charismatibus Spiritus Sancti. Itaque B hodie celebrat sancta mater Ecclesia illam annuntiationem, qua Deus omnipotens per angelum Gabrielem annuntiavit Virgini sanctæ Christi incarnationem seu conceptionem.

Denique Annuntiatio ista celebris nobis est, et omni veneratione dignissima. Primo, ex parte principalis annuntiantis. Tota enim supergloriosissima Trinitas fuit principalis annuntians. Et certum est quod Deus Trinitas est Dominus universorum, cujus majestatis et excellentiæ nullus est C finis. Videmus in sæculo isto, quod homines habent pro magno, quando excellentes personæ aliquid boni annuntiant eis per se aut per suos ministros (ut si rex aut dux quidpiam suo annuntiet militi). Nonne gratias agunt dignationi et favori sui principis circa se, et serviunt ei pro posse? Quanto magis magnum reputare debemus, quod Deus altissimus, omnium Dominus, incomparabilis excellentiæ princeps, annuntiavit nobis per suum ministrum tam desiderabilissimum bonum, videlicet D Christi incarnationem ob nostram salvationem? De tam ineffabili ergo dignatione et pietate Dei circa nos, gloriemur in eo, et gratiarum actiones ei præcordialissimas offeramus, atque pro posse ei vicissitudinem rependamus, eum diligendo ardenter, timendo filialiter, serviendoque ei perseveranter ac reverenter. Non enim sufficit ore regratiari, sed oportet Altissimum per observantiam præceptorum omnium venerari, quoniam ipse per Isaiam de quibusdam conqueritur: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me. *Is.* XXIX, 13; *Matth.* XV, 8.
Christus quoque in Evangelio increpat tales, dicendo: Quid dicitis mihi, Domine, Domine, et non facitis quæ dico? *Luc.* VI, 46. Nec sufficit unum aut pauca observare præcepta, sed omnia, quum Jacobus apostolus in sua protestetur epistola: Quicumque totam legem impleverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus. *Jacob.* II, 10. Istud est contra multos, qui in juventute sua luxuriæ et ceteris juventutis vanitatibus, in senectute vero avaritiæ serviunt.

Secundo, Annuntiatio ista celebris et veneranda est nobis ex parte annuntiati, seu rei annuntiatæ, videlicet incarnationis unigeniti Filii Dei, et ceterorum mysteriorum ipsius atque magnalium quæ in evangelio hodierno tanguntur, quum dicitur: Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur; *Luc.* I, 32. et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, etc. Hæc etenim benedicta incarnatio Filii Dei recolenda et venerandissima nobis est. Primo, quoniam in se ipsa prorsus sancta et gloriosa est. Secundo, quoniam propter nos facta est. Ideo quanto Unigenitus Dei in hac incarnatione magis se propter nos exinanivit, tanto se nobis amabiliorem honorabilioremque fecit, et tanto plus ei regratiari ac deservire condigne tenemur. Tertio, quoniam fructuosissima ac saluberrima nobis est. Nam Christi incarnatio, nostra est deificatio, et nostræ naturæ admiranda dignificatio et exaltatio gratiosa. Ipse etenim factus est homo, ut nos efficiamur dii, id est divini. Ipse factus est filius Virginis, ut nos efficiamur filii Dei Patris. Ipse se usque ad infima inclinavit, servivit, et mori dignatus est, ut nos sublimemur usque ad summa, et angelis parificemur in gloria, æternaliterque regnemus, et immortales ac impassibiles simus cœlesti in patria. Ecce quantum tenemur Christo regratiari, et quam devote Annuntiationem suæ incarnationis celebrare debemus. Sed quoniam incarnatio ejus nobis nil proderit, imo majoris damnationis occasio erit,

nisi spiritualiter vivere studeamus, Christi A sectando vestigia; idcirco temporalia atque carnalia parvi pendamus, concupiscentias sensualitatis frenando, avaritiam acediamque vincendo. Sit ergo principalis et summa nostra affectio ad spiritualia bona, ad Dei amorem, ad proficiendum in omni virtute et gratia Spiritus Sancti, atque finaliter ad obtinendum beatitudinem sempiternam. Non enim habemus hic locum manentem. Et ut Jacobus ait apostolus, Quid est vita hæc nostra, nisi vapor ad modicum parens? Propterea sanctus B Job dixit: Parce mihi, Domine, nihil enim sunt dies mei.

Hebr. XIII, 14. *Jacob.* IV, 15. *Job* VII, 16.

Tertio, Annuntiatio ista celebris nobis ac veneranda consistit ex parte ejus cui facta est, scilicet Virginis gloriosæ, quæ est regina, mater et advocata nostra. Quæ sicut nobis est specialissime diligenda ac honoranda, sic ejus sublimationi et gratiæ debemus præcipue congratulari. Valde etenim in hac annuntiatione est sublimata a Deo, reverendissime quoque salutata ab angelo, atque in gratia Spiritus Sancti, in C omni virtute et donis ipsius ineffabiliter ditior perfectiorque effecta. Unde dicere possumus ei illud Judith: Benedictus Dominus, qui creavit cœlum et terram, qui nomen tuum hodie ita magnificavit, ut non deficiat laus tua de ore hominum usque in sempiternum.

Judith XIII, 24, 25.

Quarto, Annuntiatio ista solennis est nobis ex parte annuntiantis instrumentalis, puta archangeli Gabrielis, qui inter angelicos spiritus magnus est et famosus, de quo in Scripturis novi ac veteris Testamenti fit mentio. Quem et specialiter amare debemus ac honorare, quoniam in his quæ ad nostram pertinent liberationem et salutem ac informationem, præ ceteris angelis sanctis legitur exhibuisse obsequium et missus a Deo fuisse. Nam et Danielem prophetam de Christi adventu, passione atque mysteriis erudivit; virginem quoque Mariam in evangelio hodierno legitur instruxisse, et fuit paranymphus ipsius.

Dan. VIII, 16 et seq.; IX, 21 et seq. *Luc.* I, 26 et seq.

Legitur, quod miles quidam ordinem intravit Cisterciensem, et fuit miles ille omnino illitteratus, ita quod nec Salutationem scivit angelicam. Deputatus itaque fuit ei quidam de monachis, ut eum instrueret. Sed ille nil discere potuit, præter, Ave, Maria. Et verba illa tanto frequentius atque ferventius protulit, quanto minus quid aliud legeret scivit. Quumque mortuus et sepultus fuisset, crevit super sepulcrum ejus arbor, in cujus singulis foliis scriptum fuit aureis litteris: Ave, Maria. Ad quod miraculum plurimi concurrentes, tandem aperuerunt ejus sepulcrum. Quo facto, viderunt arborem illam crevisse radicitus ex ore defuncti. Ex quo innotescit, quam gratum ac placitum Deo sit et Virgini benedictæ, Salutationem istam angelicam devote legere et frequenter.

Itaque beatissimam Dominam nostram affectuosissime ac sæpissime salutemus, ejus humilitatem, mansuetudinem, castimoniam imitemur, ad eam confugiamus, et ejus auxilium jugiter deprecemur.

SERMO TERTIUS

CUR INIMICITIÆ SINT INTER MARIAM ET DIABOLUM, ET QUIBUS ARMIS EXPUGNANDA SIT VIRTUS DIABOLI.

D*IXIT Dominus ad serpentem: Inimicitias ponam inter te et mulierem; ipsa conteret caput tuum, et tu in*- D *sidiaberis calcaneo ejus.* Gen. III, 14, 15.

Sacra historia libri Geneseos docet quemadmodum diabolus per serpentem dece-

perit primos nostros parentes, Adam et Evam : sic tamen quod primo decepit Evam, et deinde per eam fefellit et virum. Hinc Deus justissimus, sub nomine serpentis maledicens diabolo, inter cetera *Gen.* III, 15. ait : « Inimicitias ponam inter te et mulierem ». Hæc mulier est Virgo sanctissima, cui et Christus in cruce pendens dicebat : *Joann.* XIX, 26. Mulier, ecce filius tuus. Itaque inter hanc mulierem præ cunctis mulieribus incomparabiliter benedictam, atque diabolum, posuit Deus inimicitias. Quæ inimicitiæ ex parte diaboli injustæ ac pessimæ sunt; sed ex parte Virginis sanctæ, sunt justæ ac optimæ.

Porro multis ex causis dicuntur inimicitiæ inter feminam istam ac diabolum positæ. Primo, quoniam mulier ista et diabolus sunt sibi invicem summe dissimiles in se ipsis, atque contrarii : dissimilitudo autem parit aversionem, contrarietatem et displicentiam. Siquidem mulier ista inter omnes puras creaturas exstat humillima, mansuetissima, misericordissima, caritate ceterisque virtutibus ac donis Spiritus Sancti plenissima; diabolus vero superbissimus, inimicissimus, crudelissimus, invidissimus vitiosissimusque consistit. Idcirco se mutuo maxime odiunt : sic tamen quod Virgo beata odit diabolum odio justo, non quantum ad suam naturam in se, sed quoad culpam ipsius. De quo *Ps.* CXXXVIII, 22. odio virtuoso ait Propheta : Perfecto odio oderam illos; itemque, Iniquos odio habui. *Ps.* CXVIII, 113. Porro diabolus odit Virginem sacram odio pessimo, quantum ad ejus personam sive naturam : cujus beatitudini ineffabiliter invidet, et quam penitus non esse aut damnatam esse desiderat, aut desideraret si esset possibile. Sic utique, quanto aliquis Christianus fuerit virtuosior, tanto plus odit eum diabolus, et tanto plus cupit ejus ruinam, fortiusque conatur (quantum permittitur) ut suis tentationibus superet eum. Ideo omnis Christifidelis devotus, Deo placere, perseverare, proficere cupiens, debet semper esse coram Deo sollicitus, custoditus, et contra diabolum

A præmunitus, armatus ac præliari paratus. Propter quod princeps Apostolorum in prima sua epistola : Sobrii (inquit) estote *I Petr.* V, 8. et vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret. Ecclesiasticus quoque ait : Fili, accedens ad servitutem Dei, sta *Eccli.* II, 1. in justitia et timore, et præpara animam tuam ad tentationem. Sed et Paulus apostolus plenius nos informat, dicendo : Confortamini in Domino; induite armatu- *Ephes.* VI, 10, 11, 14, 16. ram Dei, ut possitis stare adversus insidias

B diaboli; induti loricam justitiæ, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea exstinguere. Denique arma ista sunt virtutes, orationes, eleemosynæ, meditationes de passione Christi, de districtione divini judicii, de pœnis inferni, et cetera opera bona, quibus debemus vigilanter insistere ne vincamur, sed æternaliter coronemur. Non autem co- *II Tim.* II, 5. ronatur a Deo diademate salutis æternæ, nisi qui certaverit legitime. Et hoc debet nos ad virilem conflictum contra diabo-

C lum vitiorumque aciem inflammare, quod diabolus tam vehementissime odit nos, et de nostra ruina ac perditione tam maxime gloriatur. Ideo oravit Propheta : Illumina, *Ps.* XII, 4, 5. Domine, oculos meos, ne unquam obdormiam in mortem (id est, in peccati consensum quiescam, cessando a motu ac prælio contra diabolum), nequando dicat inimicus meus, Prævalui adversus eum. Itaque armemus nos humilitate contra spiritum et peccatum superbiæ, mansuetudine contra iram, castitate contra incontinen-

D tiæ tentationem, liberalitate et misericordia contra avaritiam et ferocitatem, caritate contra invidiam, devotionis fervore contra acediam, timore Dei contra dissolutionem.

Secundo, inter Virginem gloriosam et diabolum dicuntur inimicitiæ positæ, propter contrarietatem effectus eorum. Nam Virgo piissima non cessat pro hominibus exorare, peccatoribus subvenire, multis salutem acquirere, Ecclesiam defensare, dæmones confutare, confundere atque dejicere. Diabolus vero non cessat hominibus

adversari, eos tentare, multos trahere ad A condemnationem, molestare Ecclesiam, et pro posse resistere Virgini benedictæ. Sed ipsa undique prævalet ei, et conterit caput ipsius; estque terribilis cunctis dæmoni-
Cant. VI, 9. bus, sicut in Canticis legitur : Quæ est ista quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata? Sic et quilibet Christianus debet pro viribus suis reniti diabolo, et omnia opera ei contraria operari, sibi ipsi in primis proficiendo in gratia, deinde aliis ad salutem cooperando, pro ipsis orando, B eos hortando et dum peccant corripiendo, seque in omnibus exemplarem præbendo.

Tertio, inter Virginem Christiferam atque diabolum inimicitiæ positæ asseruntur, quoniam sicut a diabolo cœpit generis humani perditio (juxta illud Sapientis,
Sap. II, 24. Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum), ita a Virgine gloriosa cœpit salvatio. Ea namque consentiente incarnatus est Filius Dei, et ipsa verum et perfectum concepit ac peperit Salvatorem. Hæc ergo est mulier illa fortissima, omni vir- C tute plenissima, de qua Salomon loquitur :
Prov. XXXI, 10, 17, 19, 25. Mulierem fortem quis inveniet? Accinxit fortitudine lumbos suos, manum suam misit ad fortia, fortitudo et decor indumentum ejus.

Præterea, quoniam Deus altissimus et æternus, cujus sapientiæ non est finis, hanc feminam ab æterno elegit ut inter eam atque diabolum inimicitias poneret;
Galat. IV, 4. idcirco adveniente temporis plenitudine in quo fuit implendum quod fuit a Deo in æterna sua sapientia præordinatum, misit D angelum Gabrielem ut salutaret et alloqueretur hanc Virginem, dicendo ad eam quæ in evangelio hodierno leguntur. In-
Luc. I, 28. grediens ergo ad eam angelus, dixit : Ave, gratia plena, Dominus tecum. Decentissimum etenim fuit, eam omni gratia esse repletam, quæ fontem totius gratiæ, Deum gloriæ, Filium Dei, fuerat conceptura. Imo, ut sanctus ait Anselmus, decuit eam tanta puritate nitere, qua sub Deo major nequit intelligi. Quid enim omnipotens ac liberalissimus Dei Unigenitus (qui dat omnibus *Jacob.* I, 5.
affluenter, et non improperat; qui aperit *Ps.* CXLIV, 16.
manum suam, et implet omne animal benedictione) non daret ei quam sibi præelegit in matrem?

Insuper, quum ipsa jam Dei Filium concepisset et portaret eum in utero, quis cogitare queat aut eloqui, quantis supernarum charismatibus gratiarum implebatur quotidie, quam delicate et copiose, imo et deliciose nutriebatur spiritualiter in mente ab eo, quem corporaliter aluit suo in utero? Vere, sicut beatus dicit Ambrosius, incomprehensibilis incomprehensibiliter operabatur in matre. Implebat animam ejus sapientiæ salutaris splendoribus, caritatis divinæ ardoribus, divinarum contemplationum suavitatibus. Habuit namque optimum fundamentum virtutum omnium in se, utpote profundissimam et inconcussibilem humilitatem, per quam capax fuit gratiæ admirandæ. Fuit quoque casto pudore repleta, summe morigerata, valdeque taciturna, imo in verbis parcissima, quum tamen, ut S. Brigitta protestatur, fuerit ultra modum facunda.

In præfatis ergo virtutibus eam sequi conemur. Si enim illa incomparabilis atque sanctissima tam profundissime se ipsam in omnibus humiliavit, quæ Mater Dei effecta est, domina mundi, regina cœli, angelorumque imperatrix, quæ nunquam peccavit : quantum nos peccatores vilissimi innumerabilibus vitiis inquinati, qui et quotidie tam frequenter offendimus Dominum Deum nostrum, nos ipsos humiliare, dejicere, aspernari et pro nihilo reputare debemus, imo omni bruto arbitrari deteriores ac viliores? Quia certissime quicumque in mortali est culpa, pejor ac vilior omni est bestia. Quod si hoc ita est, quanta eorum est vilitas atque impietas, qui innumerabilia commiserunt peccata, et quotidie adjiciunt vitiis vitia? Unus canis amat dominum suum, a quo quotidie accipit sustentaculum vitæ, frustum panis; estque nutritori suo fidelis, et domum ejus custodit, contra adversarios ejus la-

trat : et miser homo, ingratus ac infidelis A est Creatori suo, a quo tot bona suscepit, a quo incessanter conservatur in esse et vivere, et providetur de necessariis vitæ. Itaque hæc pensemus, et coram Deo de nostris immunditiis, vitiis, ingratitudinibus, perversitatibus erubescamus, ingemiscamus, nec differamus nos emendare; veniam postulemus, et compositi simus in moribus, moderati in verbis, ac timorati in omnibus. Sed et Virginem benignissimam jugiter deprecemur, ut omnem hanc gratiam nobis a suo Filio Deo vero impe- B trare dignetur.

Legitur, quod quidam paterfamilias dives et uxor ejus, beatissimam Virginem in magna veneratione habentes, consueverunt in omnibus ejusdem Virginis solennitatibus vicinos sacerdotes atque plebanos convocare, ut cum suo plebano in parochia sua ad laudem Dei et Matris ejus devote divina Officia ac Missarum solennia celebrarent. Quibus expletis, valde delicate illos refecerunt. Quumque in quodam festo sacerdotes peragerent Missarum solennia, C contigit ex coquorum negligentia, quod caldarium fervens caderet, et prædilectum filium patrisfamilias illius ita combureret quod protinus exspiravit, parentibus ejus in ecclesia exsistentibus et illud penitus ignorantibus. Propter quod dolente familia, ancilla intravit ecclesiam, et rem suæ dominæ dixit occulte. Mater vero modeste et reverenter egrediens quasi domi aliquid ordinatura, videns filium suum defunctum, doluit valde, atque eum cum lacrimis super consuetum posuit lectum, præcipiens omni familiæ, ne ante recessum hospitum revelarent cuiquam rem gestam, ne solennitas verteretur in luctum. Deinde ad ecclesiam rediens, Missarum solennia peraudivit. Quibus peractis, maritus ejus et ipsa sacerdotes hilariter susceperunt, atque lautissime tractaverunt. Quumque in mediis epulis essent jucundi, maritus præsentiam filii sui exegit, quia per suam bonam risibilitatem et affabilitatem eos ad risum atque lætitiam provocare solebat. Mater autem absentiam filii quantum poterat excusavit. Sed patre instanter exigente ut filius adduceretur, mater quasi excitandi gratia vadens, prorupit in fletum. Veniensque ad lectum, invenit filium suum omnino incolumem, eumque cum gaudio magno adduxit per omnia sanum, nec aliquod combustionis signum habentem, atque eventum rei sub testimonio familiæ omnibus recitavit. Quo cognito, admirati sunt omnes, Christo ejusque Genitrici gratias devote agentes.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUARTUS

QUAM PLENA FUERIT GRATIA AC VIRTUTIBUS MARIA ; ET QUOMODO ILLAM FIDE, SPE AC CARITATE DEBEAMUS IMITARI.

ASCENDET *sicut virgultum coram* D *Deo, et sicut radix de terra sitienti.* Is. LIII, 2.

Verba ista ad litteram de Christo prædicta sunt, de ejus videlicet conceptione virginea, et nativitate mundissima. Quemadmodum enim virgultum oritur et ascendit seu crescit ex terra non seminata, neque humano artificio aut labore parata aut fecundata ; et sicut radix ex sicca

pullulat terra : sic Unigenitus Dei a Virgine est conceptus, atque ex ea natus, ea a nullo homine fecunda effecta, nec semine viri tacta. Quam supernaturalem conceptionem decuit per angelum nuntiari,
Luc. I, 28. qui dixit ad Virginem sanctam : Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Nempe si Deus ab exordio mundi plures utriusque sexus gratia adimplevit : quanto magis istam quam sibi elegit in matrem, in qua et cum qua habitare in terra decrevit? Fuit itaque gratia plena, quia virtutibus ac donis, fructibus et beatitudinibus fuit copiose referta : et sicut omnium erat altissima, ita et humillima.

Fuit ergo in primis plena fide, quoniam in se ipsa fuit experta quod fidei est : imo quod comprehendere ratione nequivit, in se ipsa factum persensit. Etenim se virginem esse et nihilo minus Dei Filium concepisse certissimum scivit, nec tamen ipsam Dei incarnationem potuit penetrare. Ex revelatione quoque superna cognovit se esse in gratia, et in gratia tam præclara : quod sine fidei veritate esse non posse cognovit. Cetera etiam Filii sui scivit my-
Ibid. II, 19. steria, quæ omnia in suo corde conservavit ac contulit. Insuper, in spe non potuit vacillare, quæ se scivit fontem totius beatitudinis peperisse : unde et a cunctis
Ibid. I, 48. generationibus beatificandam se prophetavit. Nec ignoravit se super omnium supernorum spirituum ordines exaltandam. Nec dubium quin ardentissima fuit in caritate, quum sciret se tam summe præelectam a Deo, et tam incomparabilia beneficia sibi esse collata ab eo, ipsamque Dei bonitatem tam sublimiter fuerit contemplata, atque suavitatem ipsius tam summe experta. Insuper, quum inter Deum et nos nil separet, nec donorum ejus infusionem a nobis quidquam impediat, nisi nostra peccata : quis excogitare sufficiat quanta fuerit gratia plena, quam altis virtutum excellentiis decorata Virgo dignissima, in qua nulla penitus culpa, nulla unquam negligentia habuit locum ? Hinc innotescit quod inæstimabiliter quotidie crevit in

A omni dono Spiritus Sancti, in omni gratia et virtute, in beatitudinibus et fructibus Spiritus. Estque in ea summe impletum quod ait Salvator : Habenti dabitur, et abun- *Matth.* XXV, 29.
dabit. Quo enim quis perfectior ferventiorque exstiterit, eo quotidie potest plus et facilius valde proficere, et nisi negligens fuerit, magis atque facilius proficit ; sed quidam ex negligentia sua paulatim evacuantur.

Imitemur ergo aliqualiter saltem gloriosissimæ Virginis fidem, tamque certissime B evangelio Christi credamus, ac si præsentialiter omnia quæ in eo scripta sunt, corporaliter quantum fieri potuit vidissemus. Correspondeat quoque in nobis altitudini fidei altitudo conversationis devotæ, ut opere veraciter ostendamus fidem nos habere certissimam, et tam magna et ineffabilia bona præstolari a Deo. Si enim juxta Sanctorum doctrinam, vere christianus non est, ex cujus conversatione non elucescit veritas fidei christianæ, ita quod quicumque ejus inspexerit vitam, fateri C cogatur sanctam esse legem quæ talem instituit vitam ; qui non implet quod Archi-
apostolus cohortatur, Hæc est voluntas *I Petr.* II, 15.
Dei, ut benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam; qui
inter iniquos tanquam luminare vitæ non *Philipp.* II, 15.
fulget (unde et Paulus nos admonet, Ver- *Tit.* II, 8.
bum sanum, irreprehensibile, ut is qui ex adverso est vereatur, nihil mali habens loqui de nobis) : quanto magis talis indignus est, religiosus aut monachus nuncupari ?

D Denique, quum fides sine operibus mor- *Jacob.* II, 26.
tua asseratur, fides uniuscujusque tantum habet de vivacitate, quantum de correspondentia et efficacia operum virtuosorum. Ut ergo fidem per omnia vivam nos habere monstremus, eam sanctis actibus undique perornemus. Et nonne miseranda est negligentia ista, quod quum indubitanter credamus nullum bonum manere
a Deo irremuneratum, nullumque vitium *Job* XXIV, 12.
impunitum, et posse nos omni hora tantum præmium thesaurizare in cœlo, et

Deum altissimum totam vitam nostram A indesinenter conspicere, atque tam arduum esse nostræ salutis negotium, quod pro nobis Unigenitus Dei Patris incarnatus, in mundo hoc conversatus ac crucifixus est, ita quod oportet nos post vitam istam brevissimam in æternum salvari, aut perpetuo condemnari; hujus quoque fidei jam plura habeamus testimonia, pluresque testes prorsus idoneos, quam ipsi qui credamus consistimus : quod omnibus istis non obstantibus, adhuc negligentes ac desides sumus, præsertim quum videamus B ad oculum, eos qui juxta Christi legem ac fidem Deo servierunt perfecte, tam glorificatos et exaltatos esse ab Omnipotente, qui invisibilem illorum beatitudinem nobis per tot et tanta demonstravit visibilia et infallibilia signa? Resipiscamus ergo, et sanctis omni hora abundemus operibus, eaque prompte ac fervide inchoemus. Propter quod secundo Parali-
II Par. xv, 7. pomenon dicitur : Confortamini, et non dissolvantur manus vestræ, quia erit merces operi vestro. C

Præterea constantes et firmi simus in spe, quia ex parte Dei non erit nostræ
II Petr. i, 10. salutis defectus. Idcirco, per opera bona certam faciamus nostram vocationem. Et
Rom. viii, 18. quum non sint condignæ actiones et passiones temporis hujus ad futuram gloriam
Ps. xxx, 25. ac mercedem, viriliter agamus et confortetur cor nostrum, ac patientissime quidquid adversitatis occurrerit, toleremus. Si-
II Cor. iv, 17. quidem quod in præsenti est leve ac modicum tribulationis nostræ, æternum gloriæ
Sap. iii, 15. pondus operatur in nobis, et bonorum D laborum gloriosus atque æternus est fructus. Siquidem pro modico isto obsequio quod impendimus Deo, speramus nos felices futuros, feliciter regnaturos, summæ Deitatis visuros clare essentiam, pleneque fruituros ejus dulcedine : non quidem per centum aut mille annos, aut decem millia annorum dumtaxat, sed vere ac securissime in æternum. Sed heu, quanta est ingratitudo ac tarditas nostra! Quia et sæculares ac pauperes hujus mundi ferventius, fortius patientiusque laborant ac sustinent pro transitorio lucro, quam pro Deo ac præmio sempiterno. Pœniteamus ergo, et intueamur quam ferventissime et instanter prædecessores nostri sancti Patres laboraverunt, eosque quotidie cum recenti sectemur fervore.

Insuper ardentes ac robusti, crescentes et puri simus in caritate, summum et incomparabile illud bonum a quo sumus creati et conservamur in esse, cujus beneficiis incessabiliter utimur, quod incomparabilis amabilitatis est, tam ardenter sinceriterque amemus ut ejus amore vulneremur ac langueamus, atque cum Sponsa Regis æterni dicere simus condigni :
Fulcite me floribus, stipate me malis, quia Cant. ii, 5.
amore langueo. Videamus et verecundemur, quia filii hujus sæculi, amatores immundi, plus amant sua objecta vana et vilia, carnalia et impura, quam nos Dominum Deum nostrum, bonum omnifarie ac perfectionaliter infinitum, cujus supersplendidissima essentia est supersubstantialiter bona, pura et interminata. Nonne plures in sæculo ita invicem sensuali afficiuntur amore, ut vix queant quiescere aut dormire vel manducare, et nocturnis horis discurrant ut saltem ad modicum colloquantur; quidquid etiam agant aut patiantur, sui memores sint objecti? Et quomodo nos in summi boni amore sumus tam imbecilles ac frigidi, ut et tempore divinorum, tempore orationum ac psalmodiæ et celebrationis, undique distrahamur, nec figamur in eo; atque tam bestialiter repleamus nos cibo ac potu, ut somnolenti, pigri garrulique reddamur, et plurimum a cultu impediamur divino? Ingemiscat ergo cor nostrum, et sursum se erigat; incomparabilem Dei bonitatem, amabilitatem, pulchritudinem, sanctitatem, sapientiam, pietatem, suavitatem, beatitudinem contempletur, contemplando accendatur, accendendo delectetur, delectando colat ac totis viribus semper honoret Dominum Deum excelsum ac adorandum: ita ut quidquid aggrediatur aut operetur, memor sit

ejus, et conquiescat in ipso suo ultimo A fine, superoptimo bono.

Postremo, quoniam Deus, Dei Unigenitus, qui dignatus est beatissimæ Virginis esse filius, ipsam gloriosissimam Virginem, Matrem suam mundissimam, fecit præ cunctis puris creaturis indicibiliter honorabilem atque amabilem; idcirco post Deum eam singularissime diligamus, cultuque hyperduliæ affectuosissime veneremur, laudemus, invocemus, sectemur : tum quoniam in se ipsa tam præamabilis, tam prædecora, perfecta, divina et excel- B lens consistit, et maxime quoniam mater est veri Dei; tum quia per eam Deus tot bona, tot beneficia, tantam misericordiam nobis exhibuit ; tum quia et ipsa nobis tam benefica, tam misericordissima ac fidelissima fuit et est, et quoniam ipsa est mater nostra, advocata, protectrix atque in universis adjutrix nostra, et post Deum singularis spes nostra, utpote spei nostræ secundarium præcipuumque objectum post Deum. Cujus inæstimabili beatitudini totis congratulemur præcordiis. Ejus quoque modestiam, humilitatem, patientiam et pudorem sequamur in omnibus.

SERMO QUINTUS

QUOD CONSILIA EVANGELICA OBSERVARIT MARIA, ET QUAM PERFECTISSIMUM MONASTICÆ CONVERSATIONIS SIT EXEMPLAR.

B*ENEDICTA tu in mulieribus.* Luc. C I, 28.

Beatissima ac præstantissima Maria, fecundissima atque deifera Virgo, summe heroica et perfecta, totius monasticæ conversationis omnisque religionis exstitit forma et præclarum exemplar; evangelicis quoque consiliis nondum datis, hæc ipsa consilia adimplevit egregie. Mansit namque in puritate virginea. Et si in magnis quibusdam Sanctis singulariter admiramur et collaudamus, quod virginitatem in statu matrimoniali et juvenili ætate con- D servaverunt, hoc quoque fecit et ipsa. Sed et virginitatem creditur ac probatur vovisse, quamvis secundum Augustinum, sub conditione honestissima, utpote, nisi Deus aliter de ea disponeret; et forsan ex instinctu intellexit divino, Deo placere ut eam absolute promitteret, nec aliter secum esse divinitus disponendum. Nec tamen fecit incaute virum accipiendo, quia ex inspiratione aut revelatione divina cognovit viri illius propositum castum. Sic ergo consilium continentiæ adimplevit plenissime, imo et excellentissime : quippe quæ nunquam inordinatum passa est fomitis motum ; internæque castitatis ejus vigor sic effluxit penetravitque alios, quod nullus eam concupiscere potuit : in tantum vis suæ castitatis exstinxit in aliis circa eam suum contrarium, puta libidinem. Hæc plane excellentissima atque mundissima castitas eam summe condecuit, quæ Deum puritatis ac sanctitatis immensæ fuit electa concipere, parere, contrectare et educare.

Insuper consilium voluntariæ paupertatis tam plene implevit, quod quum ex parentibus satis divitibus esset nata, et unica suo patri, magna quoque munera suo unico filio obtulissent tres Magi in die *Matth.* II, Epiphaniæ; tamen in die præsentationis 11. filii sui in templo, pauperum oblationem *Luc.* II, 24. immolavit pro eo. Et si patrimonium suum sibi servasset, non videtur qualiter filius ejus rite dixisset : Filius hominis non ha- *Matth.* VIII, bet ubi caput suum reclinet. Implevit ergo 20.

quod Filius ejus postea prædicavit, dicen-
Luc. XI, 41. do : Quod superest, date eleemosynam ;
Matth. VI, 34. et, Nolite solliciti esse in crastinum. Et quod docuit sacratissimus Joannes Bapti-
Luc. III, 11. sta : Qui habet (inquiens) duas tunicas, det non habenti ; et qui habet escas, similiter faciat. Præterea, si sancti eremitæ fratres ac monachi, qui olim in Ægypto habitaverunt ac alibi, nobis multum merito præferuntur, quia sic pauperes erant quod de aliorum eleemosynis non sustentabantur, nec hereditaria aliqua habebant in generali, imo de laboribus manuum suarum viventes, de eisdem quoque laboribus subvenerunt pauperibus, captivis, infirmis ; in his etiam beatissimæ Virginis præfulget paupertas : quippe de suis vivens ac Filium alens laboribus, quod supererat communicavit egenis.

Præterea consilium propriæ abrenuntiationis ac obedientiæ præ omnibus religiosis perfectius adimplevit : quoniam propriam voluntatem nunquam secuta est, secundum quod propria voluntas proprie dicitur ea quæ ita est volentis, quod non est communis et concors voluntati divinæ ac superiorum. Tam obedientissima etiam fuit, quod nulli superiorum unquam inobediens fuit.

Discretissima demum taciturnitas ejus ex Evangelio comprobatur, quia rarissime invenitur locuta : et sicut quibusdam Sanctis legitur revelatum, quum eloquentissima esset, parcissime loquebatur. Fuit item sapientiali pudore repleta, omne inhonestum ac turpe coram Deo in tantum abhorrens, quod nunquam tale quid perpetravit ; et quum esset in sæculo corpore, et inter conjugatos versaretur, ab omni tamen sæculari affectu, ab omni conjugalium labe immunissima exstitit. In somno vero et cibo ac potu atque vestitu, in omni incessu et apparatu tam moderatissima fuit, tamque supernaturaliter regebatur in his a Spiritu Sancto, quod nunquam excessit in aliquo horum. At vero in orationibus ac laudibus Dei, in meditationibus divinorum, in contemplatione et dilectio-
A ne, gustu et amplexu summi et invariabilis boni, tam præclarissima, stabilissima ac ferventissima fuit, ut omnes miro et indicibili modo excesserit. Quid ergo religiosæ atque monasticæ vitæ defuit ei, quæ circa nil temporale sollicitabatur aut occupabatur superflue, nec per occupationem externam ab exercitatione impediebatur interna; quæ etiam summe exemplaris atque pacifica fuit in omni sua vita cum aliis ?

In his igitur sacratissimam Virginem se-
B ctari conemur. Primo in continentia ; parumque arbitremur ab actu abstinere venereo, sed ab omni quoque illicito motu, ab omni imaginatione immunda, a carnali omni affectu, ab indecenti adspectu, ab incauto contactu, et quidquid ad stimulum carnis, ad sensualem affectum solet aut potest incitare, vitemus. Nec quisquam reiteret quod semel expertus est sibi esse periculosum, sed omnem sibi amputet occasionem ruinæ. Nec sub palliatione spiritualis amoris admittatur carnalis affe-
C ctio, contactus, osculum sive amplexus, ex quibus quis expertus est in se ipso incidisse se stimulum carnis : qui semper culpabilis exstat, quando ex prævia imaginatione, apprehensione seu cogitatione procedit ; quæ apprehensio interdum ex corporali adspectu seu attactu procedit. Talis etenim causa potest aliquo modo vitari. Ex apprehensione equidem primo causatur appetitio, et ex appetitione stimulatio. Dum ergo quis stimulari se sentit, aut carnaliter affici, apprehensionem
D talis objecti statim abscindat, cogitationes suas vertendo ad salutares ac spirituales materias, ut sunt passio Salvatoris, acerbitas mortis, rigor divini judicii, amaritudo æterni supplicii, præsentia Creatoris, beatitudo cœlestis. Erubescamus coram Altissimo cogitare aut imaginari quod verecundaremur coram hominibus fari, et thalamum cordis nostri coram sancto et omnipotente Deo semper ornatum et pulchre depictum, hoc est virtuosis affectibus, mundis, honestis atque salubribus cogita-

tionibus informatum, habere nitamur, ut A in ipso commorari delectetur Spiritus Sanctus, cujus præsentiæ ubique reverentiam impendamus. Et quum deliciæ Dei sint esse nobiscum, non offendamus, nec inhonoremus, nec expellamus tam supernobilissimum hospitem ab interioribus cordis nostri, per indecentes cogitatus, pravos affectus, per negligentias aut apprehensiones phantasticas, sed justa ac sapientialia meditemur. Siquidem beatus vir qui in sapientia commoratur, et qui in justitia meditatur, atque in sensu circumspectio- B nem cogitat Dei, illud Ecclesiastici pensans : Oculi Domini multo lucidiores super solem, circumspicientes omnes vias hominum; idque Psalmistæ adimplens, In lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte. Hinc et Apostolus nos hortatur : De cetero, fratres, quæcumque vera, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque justa, hæc cogitate, et Deus pacis erit vobiscum.

Prov. VIII, 31. — *Eccli.* XIV, 22. — *Ibid.* XXIII, 28. — *Ps.* I, 2. — *Philipp.* IV, 8, 9.

Insuper benedictissimæ Virginis spontaneam paupertatem sectemur, omnem evel- C lentes ex cordibus nostris cupiditatem : quæ nisi radicitus exstirpetur, magis fervet in minimis, ita ut religiosus ita non agens, sæpe immoderantius afficiatur circa rem vilem, quam sæculares circa magna quæ possident. Unde et quidam irreformati religiosi, propter parvissima quæ eis negantur aut auferuntur seu pejorantur, crebro brutaliter passionantur, inhonestissime corrixantur, præsidenti etiam indignantur. Quibus non prodest parentes exterioraque omnia, quamvis multa et ma- D gna fuerint, reliquisse, quando ad parva tam inordinate afficiuntur, et ipsa distorta cupiditas (propter quam evellendam, omnia exteriora et mundana consuluntur relinqui, ac corporaliter deseruntur) manet ac viget in anima. Totum ergo cordis nostri affectum convertamus ad Deum, et figamus ac simplificemus in eo, vana et vilia aspernantes, atque dicentes : Mihi adhærere Deo bonum est; itemque, Quid enim mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram? Deus cordis mei et pars mea Deus in æternum. Non appetamus superfluum aut curiosum quid habere in cella, nec in necessariis corporis aliud quam necessitatem et utilitatem quæramus, voluptatem et vanitatem spernentes, neque cor nostrum in talibus effundentes, quia hoc a profectu ac sinceritate divini amoris internæque puritatis impedit vehementer.

Ps. LXXII, 28. — *Ibid.* 25, 26.

Postremo, præstantissimæ Virginis obedientiam amplectamur, statutis patrum, observantiis regulæ, verbis præsidentis fideliter obtemperantes, nec in obediendo ad id quod proprii velle est respicientes, quoniam obedientia tanto est purior et Deo placentior, quo minus habet de proprio.

Taciturnitatem demum gloriosissimæ Virginis imitemur, silentium diligenter servantes, ut nec verbis nec signis simus leves sive superflui; omnemque orationem intelligibilem sensum habentem, sine necessitate et absque licentia prolatam, sciamus esse fractionem silentii, et de ea proclamemus culpam nostram, exprimentes quoties, quando et cum quibus ita excessimus. Nonne qui custodit os suum et linguam suam, custodit ab angustiis animam suam? Simus etiam verecundi, modesti et sapientiali pudore repleti, omnem peccati fœditatem coram vultu Altissimi abhorrentes; moderati quoque in cibo, potu ac somno, et inter alios exemplares atque pacifici, orationibus ac meditationibus sacris semper intenti.

Prov. XXI, 23.

SERMO SEXTUS

DE VITANDA ARROGANTIA MONACHORUM : ET DE FIDE, HUMILITATE CARITATEQUE MARIÆ.

A ECCE *ancilla Domini; fiat mihi secundum verbum tuum.* Luc. I, 38.

Luc. XIV, 11. Vere sicut ait Salvator, Qui se humiliat, Prov. XXIX, 23. exaltabitur; et humilem spiritu suscipiet gloria. Hinc beatissima et incomparabilis virgo Maria, quum esset humillima, facta est omnium sublimissima; quum esset in propriis oculis minima, in Dei oculis fuit maxima; seque vilissimam reputans, a Deo est reputata dignissima. Quid ergo, o frater pusille, o homo defectuose, o religiose qui adhuc passionibus variis agitaris, et quotidianis negligentiis instar aliorum, B Job XV, 12, 13. imo præ multis aliis, sordidaris, quid te elevat cor tuum, et quasi magna cogitans, attonitos habes oculos? Quid tumet contra Deum aut contra ejus vicarium, tuum prælatum, patrem ac judicem, spiritus tuus? Quumque innumeris defectuositatibus, pe- Eccli. VI, 2. riculis et ærumnis sis plenus, extollis te Jacob. IV, 6. in cogitatione tua velut taurus. Nonne Deus superbis resistit, humilibus autem dat Soph. I, 9. gratiam? Nonne prædixit, Visitabo super I Petr. V, 6. omnem qui arroganter ingreditur? Humiliare ergo sub Omnipotente et sub ejus vicario quem tibi præposuit, ut ei sicut Eccli. VII, 19; X, 7. sibi obedias. Humilia valde spiritum tuum, quia abominabilis est Deo omnis superbus. Deprime sensum tuum, cervicem tuam Job XXXVI, 19. inclina, et humili mente incede. Depone magnitudinem tuam absque tribulatione; nec aliquid arrogantiæ in verbo, incessu, apparatu aut opere tuo appareat. Non enim ædificat hoc, sed scandalizat: et ocu- Is. II, 12. li Domini super omnem superbum et ar- II Petr. II, 4. rogantem, ut humilietur. Si Deus superbientibus angelis spiritibus tam nobilibus non pepercit, putas quod tibi sacco stercoreo infinitis culpis, fragilitatibus, immunditiis, calamitatibus, ignorantiis, inconsiderationibus pleno parcet, si tot causis humiliandi te ipsum non obstantibus superbire præsumpseris, et ambitioni dederis in te locum, aut humanam cupieris gloriam, quum Dominus Jesus Christus testatus sit de se ipso, Claritatem ab ho- Joann. V, 41. minibus non accipio? Et denuo: Quomodo Ibid. 44. (inquit) potestis vos credere, qui gloriam ab invicem accipitis? Cur tu tibi ipsi inaniter complaces, quasi sis aliquid, quum de Filio Dei locutus sit Paulus: Etenim Rom. XV, 3. Christus non placuit sibi; et rursus, Chri- Hebr. V, 5. stus non clarificavit semetipsum, ut pontifex fieret. Et tu ingeris te et stolide quæris; blandiris, et simulas te ut præsis? Esto Apoc. II, 10. fidelis atque obediens usque ad mortem, et dabit tibi Deus coronam vitæ. Si sanctissima, innocentissima, perfectissima virgo Maria se tam profundissime humiliavit, nos qui sumus, qui extollamus nosmetipsos? Nonne qui se putat aliquid esse Galat. VI, 3. quum nihil sit, ipse se seducit?

Præterea electissima Dei virgo Maria, quamvis omni fuerat virtute præclarissime redimita, C tres tamen virtutes eam specialissime aptaverunt ut Unigenitus Dei ex ea incarnari et nasci dignaretur, puta fides, humilitas, caritas. Ad opus namque tam supernaturale, tam admirabilissimum, summum ac divinissimum exigebatur fides in ea, in qua et per quam debuit fieri. Unde et supernaturalia ac miraculosa, fidei præsertim attribuuntur. Et Christus in Evangelio sæpius ait: Sicut credidisti, Matth. VIII, 13; XV, 28. fiat tibi; et iterum, Omnia (inquit) pos- Marc. IX, 22. sibilia sunt credenti. Propter quod Pau- D lus: Si habuero (ait) omnem fidem, ita ut I Cor. XIII, 2. montes transferam. Fuit itaque in Maria fidei magnitudo in excellentiæ termino, ita quod nunquam quisquam mortalium tan-

tam habuit fidem ut ipsa. Habuit quippe A fidem cum purificatissimæ mentis intelligentia limpidissima, et copiosissimis ac efficacissimis rationibus credendorum, ita quod fides ipsius inter notitiam Beatorum aliorumque fidem viatorum se habuit medio modo. Stetit enim indesinenter perfusa exuberantissima luce sapientiæ Dei, et contemplatione omnipotentiæ atque invariabilis veritatis ejus fuit inæstimabiliter decorata, regionique luminis increati, immensi, supersplendidissimi fuit incessabiliter immorans et intenta. Hanc igitur B sanctissimæ Virginis in fide firmitatem *Galat.* I, 8. sequamur in tantum, ut nec angelo oppositum evangelizanti credamus.

Amplius, quum Unigenitus Patris, Patri consubstantialis, consempiternus, æqualis, sit dignitatis penitus infinitæ, ita quod omnis creatura ab ejus excellentia distat immense ; propter quod omnis humana persona quantumcumque perfecta, in infinitum fuit indigna sive inferior ut Dei Filius fieret filius ejus, habendo respectum ad eminentiam majestatis divinæ : C hinc puellam quæ Dei Mater fieri debuit, oportebat prorsus esse humillimam, ut suam agnosceret inferioritatem, seque quantum possibile fuit mulieri, humiliaret, atque per hoc Dei dignationem sibi *Luc.* I, 48. alliceret. Ideo dixit : Quia respexit humilitatem ancillæ suæ. Iterum, quum Virginem Dei Filium concepturam, oportuerit esse purissimam omnique gratia et sanctitate fulcitam, et ipsa humilitas mentem coaptet ac dignificet ad gratiam ac virtutes ; hinc sicut oportuit eam esse omni virtute D et gratia summe perfectam, sic et in humilitate necessarium fuit eam profundissimam esse.

Præterea, quum caritas directe, formaliter et immediate faciat unionem cum Deo, sitque virtus suprema, et aliarum virtutum vita ac forma, et Deo gratissima, sine qua nulla virtus est ei accepta ; hinc prædignissima Virgo per caritatem præcipue et immediatius aptabatur ad Dei maternitatem, et ut comparentalis esset Patri æterno, eumdem cum illo filium habendo. Fuit itaque in caritate Dei excellentissime fervens. Porro, quoniam præelecta fuit a Deo ut per eam totum salvaretur genus humanum, totique mundo proflueret salus, indubitanter credendum est, quod in caritate proximorum ferventissima fuit, ac zelo salutis animarum tota mirabiliter inflammata, communeque bonum summe desiderans, et pro illo instantissime intercedens.

Rectissime ergo de femina ista deiformi Deus altissimus in exordio mundi dixit serpenti, et in serpente diabolo : Inimicitias ponam inter te et mulierem ; *Gen.* III, 15. ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus. Quemadmodum enim in diabolo cunctis vitiis pleno præsertim abundant superbia et invidia, sic in Maria humilitas atque dilectio. Et sicut in diaboli elatione initium sumpsit omnis per- *Tob.* IV, 14. ditio, sic in humiliatione Mariæ initiata est nostra felicitas. Et sicut invidia diaboli *Sap.* II, 24. mors culpæ, et per illam mors naturæ introivit in orbem terrarum ; sic per caritatem Mariæ vita gratiæ, et per illam vita gloriæ plenaque immortalitas recuperata est mundo. Ipsa igitur sua humilitate et caritate caput serpentis invidiosissimi ac superbissimi prorsus contrivit et conterit.

Confugiamus ergo in omni necessitate, tribulatione et pressura ad eam, sub protectione alarum ejus nos abscondamus ; atque ut suscipi ac defendi mereamur ab ea, humilitatem et caritatem ejus viriliter imitemur. In Dei amore incalescat omni hora cor nostrum ; incomparabilem quoque et penitus incircumscriptam altitudinem ac excellentiam ejus limpide contemplantes, recognoscamus nos nihil esse coram eo, seu respectu ipsius, cum electissimo propheta Domini David psallentes : Substantia mea tanquam nihilum *Ps.* XXXVIII, 6. ante te. Nempe quo Omnipotentis sanctitatem et perfectionem immensam clarius intuemur, eo propriam imperfectionem, defectuositatem et impuritatem, vilitatem et contemptibilitatem plenius speculamur

humiliusque fatemur ; tuncque aperiuntur menti nostræ duo libri, in quorum uno contemplamur excellentiam ac beatitudinem Dei, in alio deficientiam atque miseriam nostram. Unde, quum Abraham patriarcha loqueretur cum Deo, et ejus *Gen.* XVIII, 27. majestatem attenderet, pulverem ac cinerem se esse asseruit.

Postremo, ut valeamus et nos diaboli caput conterere, studeamus semper in cunctis prorsus humillimi, amorosi ac fervidi esse, Omnipotentis adjutorio inhærere, præstantissimæ Virginis opem deposcere, Creatoris præsentiam cogitare, orationi, psalmodiæ et omni exercitio spirituali indefesso corde insistere ; et quo majora sunt festa, eo devotiores, temperantiores custoditioresque simus, præsertim dum plures occurrunt occasiones ruinæ. Et ita omne quod hactenus egimus, pro modico reputantes, satagamus quotidie adjicere ad virtutes, meritisque ditari, et perfectioni studere. Salutationem quoque angelicam quanto frequentius, tanto attentius affectuosiusque dicamus, cum mentali sapore atque ferventi Virginis sanctæ amore : imo quidquid terroris seu tentationis occurrerit, statim angelicam Salutationem assumamus, dicentes : Ave, Maria. Ad laudem et gloriam majestatis divinæ. Amen.

IN DIE

CŒNÆ DOMINI

ENARRATIO IN EPISTOLAM

CONVENIENTIBUS VOBIS IN UNUM, ETC. I Cor. XI, 20-32.

MERITO ista epistola legitur die hoc, A quia in ea describitur qualiter Dominus noster Jesus Christus in hoc sacratissimo die Sacramentum corporis et sanguinis sui instituit, celebrandumque posteris dereliquit. Itaque ad Corinthios ait Apostolus :

Convenientibus vobis Corinthiis *in unum,* id est corporaliter simul in materialem ecclesiam, ad communicandum, *jam non est,* id est, non contingit, *dominicam Cœnam manducare,* id est Eucharistiam sumere, quam in Cœna sua novissima Christus B instituit. Hoc dicit Apostolus, quia non acceperunt Eucharistiæ sacramentum debito modo, puta jejuni, et cum reverentia condecenti. Et quamvis ad communicandum convenerunt, non tamen propter hoc solum, sed etiam ad epulandum. Ideo subditur : *Unusquisque enim* vestrum *suam cœnam,* id est proprios cibos, *præsumit,* id est, parat et secum assumit, *ad manducandum* in ecclesia ante Eucharistiæ sumptionem. *Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est :* id est, aliqui vestrum C inopiam patiuntur et famem, videlicet pauperes qui non habent quod secum portent; aliqui autem vestrum abundant, seque ingurgitant, utpote ditiores. Et quoniam epulatio ista derogavit honori ecclesiæ, quæ dedicata est Deo ad ejus obsequium, non ad epulandum, ideo increpat eos Apostolus, quod in ecclesia sine necessitate edebant.

Numquid domos non habetis ad manducandum et bibendum? quasi dicat, Imo. *Aut ecclesiam Dei contemnitis,* id est inhonoratis, manducando et bibendo in ea : quod in domibus vestris facere vos oportet; *et confunditis eos qui non habent* cibaria sufficientia aut pretiosa, qui de sua tenuitate verecundantur dum vestram abundantiam intuentur? *Quid dicam vobis,* qui tam reprehensibiles estis? quasi dicat : Multum erratis. Verumtamen *laudo vos* in aliis bonis quæ agitis et egistis ; *in hoc* de quo vos jam reprehendi, *non laudo* vos.

Ego enim accepi a Domino, id est, ex divina revelatione didici, *quod et tradidi vobis,* id est, quod docui vos de sacramento Eucharistiæ, et qualiter sit sumendum : quod nunc quoque resumo et scribo; *quoniam Dominus noster Jesus Christus in qua nocte tradebatur,* id est vespere noctis qua traditus est in manus peccatorum ad crucifigendum, *accepit panem* azymum atque triticeum, quo tunc vescebantur Judæi in esu agni paschalis, in manu sua ; *et gratias agens,* in quantum homo, Deo Patri, *fregit* panem jam consecratum, id est dimensiones seu species panis, non corpus consecratum, *et dixit* discipulis :

Accipite et manducate quod trado et porrigo vobis; *hoc est corpus meum.* Hæc verba proferendo, consecravit Salvator corpus suum. Sed an semel tantum vel bis protulerit ea, et quid demonstret pronomen « hoc », multaque alia hic possent inquiri: quæ quoniam alibi satis habentur, omitto. (*Cf.* t. XXIV, p. 214 et s.) *Quod pro vobis tradetur,* id est, pro vestra salute morti exponetur. *Hoc facite,* id est, consecrationem hujus sacramenti continuate. Quod pertinet ad sacerdotes dumtaxat. Vel, « hoc facite », id est, corpus meum accipite atque comedite, *in meam commemorationem,* id est in actualem memoriam dilectionis meæ ad vos, et acerbissimæ passionis meæ pro vobis, imo et omnium quæ pro vestra salute feci ac pertuli.

Similiter, sicut de acceptione panis jam dictum est, *et calicem* cum vino qui fuit in eo, Christus in manu sua accepit, suumque sanguinem consecravit, *postquam cœnavit,* id est agno paschali comesto, *dicens: Hic calix,* id est contentum in calice isto, videlicet sanguis meus, qui verbis consecrationis prolatis continetur in calice, *novum testamentum est,* id est novæ et evangelicæ promissionis stabilimentum. In veteri enim Testamento promittebantur bona temporalia atque carnalia; in novo autem cœlestia, spiritualia et æterna, quæ nobis per passionem et sanguinem Christi promittuntur præstanda, si grati et justi fuerimus. Vel, « novum testamentum est », id est, novæ et evangelicæ doctrinæ seu novi Testamenti est confirmativus. *In meo sanguine,* id est virtute et merito effusionis sanguinis mei. Per effusionem enim sanguinis Christi procurata et præparata sunt nobis bona cœlestia, quorum promissio stabilitur in fide et merito sanguinis passionisve Christi. Ipsum quoque novum Testamentum in sanguine Christi ratificatur, juxta illud ad Hebræos: (*Hebr.* IX, 17.) Testamentum in mortuis confirmatum est. *Hoc facite,* id est, calicem istum accipite et potate, *quotiescumque sumitis* eum, id est contentum in eo, videlicet sanguinem, *in*

A *meam commemorationem:* sicut de corporis sumptione jam dictum est.

Quod Apostolus consequenter exponit subdendo: *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc,* id est corpus Christi, quod panis et cibus est animæ, *et calicem,* id est sanguinem Christi, *bibetis, mortem Domini annuntiabitis,* id est, Christi passionem ad memoriam reducetis, et aliis præsentabitis seu dicetis, *donec veniat* Christus ad judicandum vivos ac mortuos in fine mundi. Unde probatur, quod fides

B christiana et celebratio sacramenti istius usque ad finem mundi durabit.

Itaque quicumque celebrans sive communicans, *manducaverit panem hunc* supersubstantialem, *vel biberit calicem Domini indigne,* utpote in mortali exsistens peccato scienter, *reus erit corporis et sanguinis Domini,* id est, sic peccat damnabilisque parebit, ac si Christi sanguinem effudisset eum interficiendo. Non tamen intelligendum est hoc semper secundum omnimodam æqualitatem, sed secundum

C similitudinem magnam. *Probet autem se ipsum homo,* id est, interiora sua discutiat et expurget, *et sic de pane illo edat, et de calice bibat,* id est, corpus Christi manducet, ejusque sanguinem potet. In primitiva namque Ecclesia dabatur fidelibus sacramentum Eucharistiæ sub utraque specie, scilicet panis ac vini. Postea vero ordinavit Ecclesia ne detur populo sub specie vini, propter effusionis periculum. *Qui enim manducat* corpus Christi, *et bibit* sanguinem ejus *indigne,* utpote a morta-

D libus non immunis, *judicium* reprobationis, id est meritum æternæ damnationis, *sibi manducat et bibit,* id est, communicando acquirit, quia mortaliter peccat, *non dijudicans corpus Domini,* id est, corpus Christi ab aliis cibis non discernens, sed tam irreverenter et intimorate ac imparate illud accipiens, quasi esset simplex panis aut alius quivis cibus. Ecce quam terribiliter loquitur sanctus Apostolus, ut nos ab indigna communione cohibeat.

Ideo, id est propter irreverentem sacra-

menti istius sumptionem, sunt *inter vos* A *multi infirmi* corporali languore, *et imbecilles,* id est longa invaletudine quasi consumpti, *et dormiunt multi,* id est, corporaliter moriuntur in ultionem tanti peccati. Quemadmodum enim in veteri Testamento aliqui gravissime sunt puniti, qui statim post legis divinæ lationem per Moysen, transgressi sunt eam, ut patet de filiis Aaron igne consumptis, et homine qui ligna collegit in sabbato, ac adoratoribus vituli aurei ; ita in novo Testamento, in primitiva Ecclesia multi graviter sunt plagati, qui evangelicam legem transgrediebantur, ut patet in libro Actuum de Anania et Saphira, et de excommunicatis, qui tunc a dæmonibus corporaliter vexabantur, interdum usque ad mortem. Et ita fiebat tunc sæpe de communicantibus indigne. Talia quippe ad divinæ legis confirmationem atque ad aliorum terrorem fiebant, et item ad declarationem providentiæ ac justitiæ Dei.

Lev. x, 1, 2; Num. xv, 32-36; Exod. xxxii, 1-28.
Act. v, 1-10.
Cf. I Cor. v, 5.

Deinceps docet Apostolus qualiter valeamus iram et judicium Dei evadere. *Quod* C *si nos ipsos dijudicaremus,* id est reprehenderemus, propria peccata considerando, detestando ac puniendo per pœnitentiæ opera, *non utique judicaremur* judicio reprobationis, id est, non condemnaremur a Deo (de quo judicio fertur in Joanne, Qui credit in Filium Dei, non judicatur) : quia ut ait Nahum propheta, Non consurget duplex tribulatio : pro quo alia quædam habet translatio, Non judicabit Dominus bis in id ipsum ; vel, ut aliqui dicunt, et Septuaginta interpretes, Non vindicabit Dominus bis in id ipsum in tribulatione.

Joann. iii, 18.
Nahum i, 9.

Subinde tangitur divinæ correctionis utilitas. *Dum autem judicamur a Domino,* id est, propter peccata nostra temporaliter castigamur a Deo (qui ait, Ego quos amo, arguo et castigo), *corripimur,* id est, paternaliter emendamur, *ut non cum hoc mundo damnemur,* id est, ne cum vanis B et mundanis hominibus, super quos non est virga Dei, æternaliter pereamus. De talibus etenim loquitur Deus in Psalmo : Dimisi eos secundum desideria cordis eorum ; ibunt in adinventionibus suis. Verumtamen multi pro suis peccatis a Deo in vita hac puniuntur, et ultra hoc in æternum damnantur, quoniam ultionem et visitationem Dei non sustinent patienter, nec pœnitent. Unde auctoritas ista Apostoli, similiter auctoritas Nahum prophetæ jam allegata, intelligendæ sunt de iis qui ex divinæ justitiæ ultione in vita hac emendantur ac pœnitent, convertuntur atque in bonis operibus finaliter perseverant. Hinc Pharao et ejus exercitus, Sodomitæ et alii multi, de pœna temporali transierunt ad pœnam æternalem, quemadmodum istud in Decreto diffusius edocetur, ubi et verba Hieronymi intricata, optime exponuntur.

Apoc. iii, 19.
Job xxi, 9.
Ps. lxxx, 13.

SERMO PRIMUS

DE SACRA COMMUNIONE : QUÆ PRÆPARENT, ET QUIS INDIGNE ACCEDAT.

QUICUMQUE *manducaverit panem* D *hunc vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini.* I Cor. xi, 27.

Ecce in verbis iis Vas electionis, divinus Apostolus, multum horribiliter loquitur contra indigne celebrantes, aut indigne communicantes, quatenus abstrahat nos a communione indigna, atque alliciat ad præparationem idoneam et communionem condignam. Denique, quam terribiliter Paulus apostolus ab indigna communione

nos cohibet, tam horribiliter ipsemet Christus a cessatione seu abstinentia commu- A
Joann. vi, 54. nionis nos revocat, dicens : Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Quid ergo inter has horribiles comminationes agendum est misero peccatori? Si accedit, periculum damnationis imminet ei ; si non accedit, vita gratiæ in præsenti et vita gloriæ in futuro cariturus asseritur. Præterea, quis audeat se dignum præsumere aut putare ad celebrandum mysterium tantum, aut ad accipiendum B
corpus Salvatoris, quod Joannes Baptista,
Matth. xi, 11. quo major inter natos mulierum non sur-
Ibid. iii, 14. rexit, tangere vix audebat? Et si beatissi-
Marc. i, 7. mus Joannes ille veraciter dixit, Non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus : quomodo nos peccatores defectuosi atque miserrimi, dignos æstimare nos possumus manducare corpus ipsius? Nonne
Jacob. iii, 2. in multis offendimus, et si dixerimus quia
I Joann. i, 8. peccatum non habemus, nos ipsos sedu-
Eccle. ix, 1. cimus? Insuper ignoramus an amore digni simus, an odio. Videmur ergo periculo C
nos committere accedendo.

Hic videnda sunt tria. Primum est, quid inter hæc duo agere debeamus. Secundum, qualiter debeat se homo disponere ad celebrandum seu communicandum. Tertium est, quomodo possit homo dici dignus ad communicandum aut celebrandum.

De primo hoc dico, quod quum virtus sit medietas quædam inter duo extrema vitiosa (propter quod communiter dicitur, quod virtus consistit in medio), cir- D
ca celebrationem et communionem vitanda sunt duo extrema hæc prava : præsumptuosus et audax accessus, itemque pusillanimis et formidolosus recessus ; et observandum est medium istud virtuosum, reverentialis et devotus aggressus. Non ergo debet aliquis esse nimis præceps, audax aut præsumptuosus ad celebrandum aut communicandum, nec etiam nimis formidolosus aut pusillanimis ad hoc, ita ut cesset ; sed debet facere quod in se est, id est diligentiam suam, præparando se pro posse ad tanti sacramenti susceptionem.

Itaque nunc declarandum est secundum, videlicet qualiter præparare se debeat homo ad communicandum aut celebrandum.

Et ad hoc breviter atque communiter respondetur, quod debet conscientiam suam diligenter examinare, confessionem integram facere, satisfactionem injunctam complere, emendationem toto corde proponere ac continuare : sicque cum humilitate, devotione et caritatis fervore accedere, et post Sacramenti susceptionem, Deo gratus esse et custoditus. Verumtamen plenius respondendo, dicendum quod homo ante Sacramenti sumptionem aut celebrationem debet attendere quatuor. — Primo, se ipsum, qualis sit intus in anima coram Deo, discutiendo (ut tactum est) conscientiam suam : quid mali commiserit, quid boni omiserit, qualis fuerit in cogitando, appetendo, loquendo, agendo aut negligendo, et an scandalizaverit quemquam ; qualiter sensus suos interiores et exteriores custodierit, quomodo præcepta Dei et Ecclesiæ adimpleverit. — Secundo, debet perpendere quale et quantum sit istud sacramentum, quod celebrare aut sumere cupit. Est autem sacramentum istud dignissimum, quia in hostia altaris continetur et est verissime totus Christus Deus et homo. Quamvis enim ex vi conversionis, sub speciebus panis non sit nisi corpus Christi, ex concomitantia tamen sunt ibi etiam sanguis ejus ac anima atque divinitas, et per consequens totus Christus, qui in quantum Deus, est dignitatis et excellentiæ prorsus immensæ, et secundum humanitatem suam, sanctior præstantiorque consistit omnibus simul creatis. Cum summa ergo humilitate et reverentia, cum ingenti timore, ferventi amore, cum devotione præcipua et puritate interna oportet accedere, nihil de propriis viribus præsumendo, sed in sola Dei misericordia confidendo, orationibus insistendo, Christi

beneficia, præsertim dilectionem ejus ad A nos, et passionem ipsius pro nobis, cordialiter recolendo. — Tertium est, ut attendat propter quid Christus Filius Dei istud instituit sacramentum, videlicet : ut suæ dilectionis et passionis, ac omnium quæ pro nostra assumpsit, fecit pertulitque salute, memores simus mente grata, amorosa et stabili ; item, ut per oblationem et sumptionem sacramenti istius Deo Patri laus, honor et gloria offerantur, dæmones compescantur, et animarum nostrarum saluti multipliciter succurratur. B Hoc etenim saluberrimum sacramentum cibus est animarum. Et quidquid cibus corporeus facit in corporibus quæ aluntur, hoc efficit sacramentum istud spiritualiter in animabus eorum qui eo digne reficiuntur. — Quartum est, considerare cui sacramentum istud offertur, videlicet Deo Patri, cujus sanctitatis et majestatis nullus est finis. Ideo cum omni veneratione et condecentia offerendum est ei hoc sacramentum. Istud tamen specialiter spectat ad celebrantes.—Itaque juxta modum jam C tactum, disponat se quilibet ad hujus sumptionem seu celebrationem sacramenti dignissimi.

Jam circa tertium, est videndum qualiter possit homo esse aut fieri dignus ad communicandum seu celebrandum. Ad quod primo poterit responderi, quod sicut homo in caritate exsistens, dicitur promereri æternam beatitudinem de condigno, in quantum actio sua meritoria procedit non solum ex libero arbitrio et caritate infusa, sed item ex actuali motione Spiritus D Sancti, seu Spiritu Sancto actualiter ad actum movente (sic enim principium actionis motivum, est dignitatis immensæ, scilicet Spiritus Sanctus) ; sic in quantum præparatio et devotio ad communicandum aut celebrandum, est non solum ex caritate, sed et a Spiritu Sancto movente, communicans seu celebrans ad sacramenti hujus sumptionem redditur dignus. — Secundo respondetur, quod dignitas sumendi hoc sacramentum, attendi potest uno modo ex parte sumentis; et sic digne accedit, qui debita conscientiæ suæ discussione præmissa, confessioneque facta, non est sibi conscius de mortali, et omne mortale peccatum proponit omnino vitare, et cum actuali devotione disponit se modo præhabito. Secundo attenditur dignitas ista ex parte sumpti, videlicet Sacramenti, cujus tanta est dignitas ut ad ejus sumptionem nullus sit dignus. — Tertio respondetur, quod duplex est dignitas, utpote absoluta, et dignitas secundum modum certum, vel acceptationem alicujus. Primo modo nemo est dignus ad sacramentum hoc suscipiendum. Secundo modo dignus est ad illud qui in caritate exsistit, seque pro posse disponit : quoniam Deus dignanter acceptat hoc pro idoneitate sufficienti. — Itaque timeant Christiani sacramentum hoc indigne suscipere, ne rei sint corporis et sanguinis Christi. Examinent conscientias suas, an plene proponant omnia vitare peccata, præsertim mortalia de quibus confessi sunt, omnem videlicet incontinentiam, avaritiam, pompam, acediam, iram, gulam, invidiam, et cetera universa. Sed, proh dolor ! vereor quod pauci sunt tales, quia tam cito post Pascha ad pristinas redeunt vanitates et iniquitates : imo in ipsis diebus paschalibus super cibum et potum se gulose effundunt, et quasi canis famelicus implent se illis. De quibus loquitur Deus : Non permanebit spiritus meus in hominibus illis, quoniam caro sunt, id est carnales. *Gen.* VI, 3.

Postremo, sacramenti hujus susceptio digne sumentibus fructuosa est et valde salubris. Quemadmodum enim corporea alimenta corpus hominis roborant, conservant, et ad debitam quantitatem perducunt, restaurant quoque deperditum, atque lætificant cor humanum ; ita hoc sacramentum, quod est cibus vivificus et panis cœlestis, communicantem condigne spiritualiter roborat in omni virtute et gratia, et conservat eum in bonis, atque ad debitum virtutum incrementum perdu-

cit; præteritas quoque negligentias facit A hominem recuperare, et mentem ipsius delectat. Discernamus ergo hunc cibum ab aliis, eumque cum devotione accipiamus præcipua, ut impleamur omni ipsius effectu, virtute et gratia.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

ANTE DIEM FESTUM PASCHÆ, ETC. Joann. XIII, 1-15.

SANCTUS evangelista Joannes in hodierno evangelio recitat ac describit documenta et exempla ac sacramenta quæ Christus in novissima Cœna proposuit, exhibuit, et omnibus nobis consideranda, sumenda ac imitanda reliquit. Ait itaque :

Ante diem festum Paschæ, id est die paschalem Judæorum festivitatem immediate præcedente, videlicet feria quinta : in cujus vespere incepit paschalis solennitas Judæorum, quia in vespere diei illius comederunt agnum paschalem, sicque dies Parasceves fuit prima dies solen- C nitatis illius, loquendo de integris ejus diebus; non tamen fuit celeberrima, sed sabbatum sequens. Et vocabatur Parasceves, quia in ea parabant cibos pro die illa sabbatoque sequente, quod adeo celebre fuit quod nec cibos parabant in eo. *Sciens Jesus quia venit hora ejus,* id est, quod tempus suæ passionis instaret, *ut transeat ex hoc mundo ad Patrem,* id est, per passionem, resurrectionem et ascensionem tendat a sæculo isto et a mortalitate vitæ præsentis ad summum cœlum : in quo D Deus Pater specialiter esse et habitare asseritur, quoniam ibi clarius se ostendit et excellentius operatur, quum tamen essentialiter, præsentialiter ac potentialiter vere ubique sit, utpote incircumscriptibilis et immensus, omnia implens, penetrans, circumplectens, conservans et supertranscendens. Transivit autem Christus ad Patrem secundum naturam suam humanam, quia secundum deitatem immobilis et coimmensus est Patri. *Quum dilexisset* B *suos qui erant in mundo,* id est prædestinatos, et præsertim suos discipulos sanctasque feminas eum corporaliter spiritualiterque sequentes, qui erant centum viginti, ut legitur in Actibus (quibus dixit, Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos); *usque in finem dilexit eos,* id est perfecte et perseveranter usque ad mortem quam pro eis sustinuit. Unde et dixit: Animam meam pono pro ovibus meis. Idcirco ait Apostolus : In fide vivo Filii Dei, qui dilexit me et tradidit semetipsum pro me. *Act.* I, 15. *Joann.* XV, 9. *Ibid.* X, 15. *Galat.* II, 20.

Et cœna facta, id est ad effectum perducta. Nondum tamen fuit finita, ut patet ex iis quæ apud Joannem post verba hujus evangelii sequuntur. *Quum diabolus jam misisset in cor,* id est, dudum cordi proditoris per suggestionem inspirasset, *ut traderet eum,* scilicet Christum, *Judas Simonis Iscariotæ,* id est proditor nomine Judas, qui fuit de vico Carioth dicto : et dicitur Judas Simonis, quia filius fuit viri sic appellati, ut dicitur; qui die hanc cœnam præcedente vendidit Christum, scilicet feria quarta post Palmarum, atque exinde quærebat opportunitatem ut traderet eum Judæis sine turbis. *Sciens* Jesus *quia omnia dedit ei Pater in manus,* id est, potestati suæ omnem creaturam subjecit, et cunctis creatis eum præposuit, quia (ut dictum est) eo ipso quo Christi humanitas unita est hypostatica seu personali unione Verbo æterno, prælata est omni enti creato : propter quod dixit, Data est mihi omnis potestas in cœlo *Joann.* XIII, 12. *Matth.* XXVI, 15, 16; *Luc.* XXII, 6. *Matth.* XXVIII, 18.

et in terra. *Et quia a Deo exivit,* id est, A per incarnationem missus fuit a Deo in mundum. Exivit quoque a Patre per generationem æternam. Propter quod loquitur:
Joann. xvi. Exivi a Patre, et veni in mundum. Michæas
Mich. v, 2. quoque ait : Egressus ejus a principio, a diebus æternitatis. *Et ad Deum vadit,* id est, ad Patrem protinus reverteretur, secundum expositionem prætactam. Unde
Ps. xviii, 7. in Psalmo prædictum est : A summo cœlo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus.

Surgit a cœna, id est, de loco cœnæ B surrexit, cœnam interrumpendo. *Et ponit vestimenta sua,* id est, aliqua vestimenta deposuit, ut convenientius exhiberet obsequium : quia humano modo habere se voluit. *Et quum accepisset linteum,* quo fuit discipulorum pedes tersurus, *præcinxit se* linteo illo. *Deinde misit aquam in pelvim, et cœpit lavare pedes discipulorum,* scilicet Apostolorum : qui pedes forsan satis immundi atque lutosi fuerunt, quoniam nudis pedibus incesserunt discipuli, sicut et Christus ; *et extergere* pedes C illorum lotos *linteo quo erat præcinctus.* In quo elucescit profundissima humilitas
Apoc. xix, Christi, qui quum esset Rex regum et Do-
I Cor. i, 24. minus universorum, Deus et homo, virtus et sapientia Dei Patris, ante idiotas illos pauperesque discipulos genua sua curvavit, pedes eorum lavit ac desiccavit. — Denique evangelista Joannes, ut magnitudinem hujus humilitatis dignationisque Christi insinuaret et exaggeraret, præmisit de Juda traditore, de excellentia quoque, scientia atque potentia Christi : quia D ex hoc quod talis ac tantus, tam potens et sapiens, non solum bonorum discipulorum, sed et proditoris sui, quem novit, pedes lavit ac tersit, probatur humilitatis hujus immensitas.

Venit ergo ad Simonem Petrum. Quidam dixerunt, quod Christus cœpit lotionem hanc ab inferioribus discipulis, ita quod ultimo venit ad Petrum. Augustinus vero probabilius dicit, quod incepit a Petro tanquam a principaliori, quia si ab aliis incepisset, non est verisimile quin quidam eorum tam humile Christi obsequium expavissent et recusassent sicut et Petrus, illosque Christus informasset quemadmodum Petrum : qua informatione audita, Petrus non recusasset, sicut nec alii recusaverunt, informatione Petro facta audita. Itaque Evangelista primo recitat factum istud in generali, dicendo : « Cœpit lavare », etc. Deinde exprimit idem in speciali eo quo factum est ordine, dicens : « Venit ergo ad Simonem Petrum ».

Et dicit ei Petrus, ex magna humiliatione sui, et grandi reverentia Christi : *Domine, tu mihi lavas,* id est, lavare vis et disponis, *pedes?* quasi dicat : Tu qui es Matth. xvi,
Christus, Filius Dei vivi, rex Israel ; qui 16.
tot peregisti miracula ; qui tam sanctus, potens ac sapiens es : mihi piscatori et peccatori, mihi idiotæ, impotenti ac fragili, in tam abjecto et infimo vis deservire obsequio; ante genua mea te inclinas, tuis sanctis ac venerabilibus manibus pedes meos immundos ac sordidos tangere vis et purgare ? Hoc nullatenus decet. O quam magnus fuit Jesus in oculis Petri, quum dixit, « tu » ! et quam parvus fuit Petrus in oculis propriis, quando dixit, « mihi » ! *Respondit Jesus et dixit ei : Quod ego facio,* id est, facere volo et incipio, *tu nescis modo,* id est, causam atque mysterium hujus facti mei nondum cognoscis, ideo opus istud non scis : quoniam scire, est rem per causam cognoscere ; *scies autem postea* quare hæc facio, utpote ut præbeam vobis perfectæ humilitatis exemplum. Ideo quoque Christus lavit pedes discipulorum antequam Sacramentum corporis ac sanguinis sui eis donavit, ut insinuaret quod spiritualis lotio seu purgatio affectuum animæ debet Sacramenti perceptionem præcedere.

Dicit ei Petrus : Non lavabis mihi pedes in æternum, id est, nunquam hoc sustinebo, quia omnino indignus sum. Hoc protulit Petrus ex quodam fervore et zelo non satis discretis, atque ex humilitate non satis per prudentiam regulata. *Re-*

spondit ei Jesus : Si non lavero te, non habebis partem mecum. Hoc de lotione corporali ac spirituali potest intelligi. De corporali sic : « Si non lavero te », id est, nisi obedieris mihi in hoc, ut permittas tibi lavari pedes a me, « non habebis partem mecum », id est, non eris particeps gloriæ meæ in cœlo : quia inobedientia illa fuisset mortale peccatum, et propter hoc fuisset Petrus damnatus, nisi fortasse postea inde pœnituisset ; et sic verbum Christi fuisset conditionaliter intelligendum, videlicet, si Petrus in tali persisteret voluntate. Secundo, de spirituali lotione exponitur sic : « Si non lavero te », id est, nisi per sanguinis mei effusionem, a reatu originalis peccati ac ceteris culpis redemero atque purgavero te, « non habebis partem mecum », id est, salutem non obtinebis. Nam et sancti patres in limbo, propter solum originalis peccati reatum retardabantur a gloria, clausaque fuit janua regni cœlestis quousque merito passionis Christi est reserata.

Dicit ei Simon Petrus tanta comminatione vehementer exterritus : *Domine, non tantum pedes meos* tibi expono lavandos, *sed et manus et caput,* id est totum corpus, quia a te et a participatione gloriæ tuæ volo nullatenus separari. *Dicit ei Jesus : Qui lotus est,* id est, in Baptismo purgatus, *non indiget nisi ut pedes lavet,* id est, affectiones suas purificet, ne circa terrena et caduca inordinate afficiatur; *sed est mundus totus.* Hoc dupliciter potest exponi. Primo sic : « Sed est mundus totus », id est, in Baptismo ab omni peccato tam originali quam actuali, mortali ac veniali, omnino purgatus est quoad pœnam et culpam. Tamen, si post Baptismum per tempus notabile vixerit, non erit absque venialibus culpis. Propterea indiget pedes lavare, id est se ab affectibus venialium emundare quotidie, quoniam justus septies cadit in die. (*Prov.* xxiv, 16.) Secundo sic : « Sed est mundus totus », id est, si laverit pedes seu affectus suos modo prætacto, tunc est ab omni culpa liber ac pu-

A rus, saltem frequenter, et ad aliquod tempus. Verumtamen, quia circumdatus est corruptibili corpore, terramque calcat, id est, in terrenis negotiis occupatur, indiget jugiter pedes lavare. De quibus in Canticis dicitur : Lavi pedes meos. (*Cant.* v, 3.) Vel sic : « Qui lotus est », id est, per gratiæ infusionem purificatus est a mortali, « non indiget nisi ut pedes lavet », id est, ab istis terrenis infimisque affectibus se expurget; « sed est mundus totus », id est anima et corpore, si hoc egerit, implens illud Aposto-
B li : Mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus. (II *Cor.* vii, 1.)

Et vos, discipuli mei, *mundi estis* a culpa mortali, quamvis nondum sitis perfecti, *sed non omnes,* quia unus vestrum impiissimus est. *Sciebat enim quisnam esset qui traderet eum,* id est, traditorem suum tunc ibi præsentem Christus cognovit. *Propterea dixit : Non estis mundi omnes.*

Postquam ergo lavit pedes eorum, accepit, id est reinduit, *vestimenta sua. Et quum recubuisset iterum,* id est, resedisset
C ad mensam. — Mystice, quando Christus lavit nos a peccatis nostris per passionem et sanguinem suum, deposuit vestimenta sua, id est, corpus suum tradidit adversariis, ut per mortem separaretur ab anima. De quo Isaias quærit : Quare rubrum est indumentum tuum? (*Is.* lxiii, 2.) Postquam vero passione completa nos lavit, recepit proprium corpus, quia divina potestate illud resuscitavit et animæ suæ reunivit. Tuncque recubuit, quia ad dexteram Patris se collocavit.

D *Dixit eis : Scitis quid fecerim vobis,* id est, quid per ista quæ corporaliter feci, lavando tergendoque pedes vestros, spiritualiter designavi ? Et protinus subdit : *Vos vocatis me magister et Domine ; et bene dicitis* in hoc : *sum etenim.* Sum namque magister vester vos instruendo, et sum Dominus vester, quia prælatus vester, imo creator et Deus vester ; et quia meis obeditis præceptis, atque discipulariter creditis, et documentis meis acquiescitis, idcirco rite vocatis me magistrum ve-

strum ac Dominum. De hoc Christianorum A magistro ac Domino ab Isaia fuit prædi-
Is. xxxiii, 22. ctum : Dominus judex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster ; ipse veniet et salvabit vos.

Si (pro Quia) *ergo ego lavi pedes vestros, Dominus et magister, et vos debetis alter alterius lavare pedes,* id est in corporalibus ministrare, atque ad litteram mutuo pedes lavare et humilitatem invicem exhibere. Istud est præceptum affirmativum, sicut et illud Deuteronomii
Deut. vi, 13. sexto : Per nomen Domini Dei jurabis. B Quemadmodum ergo non tenemur ad jurandum nisi in casu necessitatis, sic nec ad lotionem pedum confratrum seu proximorum. Verumtamen extra casum necessitatis, implendum est istud præceptum ex debito congruentiæ et condecentia humilitatis, dum rationabilis se offert occasio aut laudabilis consuetudo. Spiritualiter vero implendum est istud quotidie, ut scilicet unus alterius pedes lavet, id est, affectum ipsius purgare conetur orando, hortando, docendo, corripiendo, et exempla riter conversando. Denique Christus pedes lavit discipulorum, ne dedignemur fratribus et proximis, quamvis inferioribus et abjectis, etiam in rebus vilibus et despectissimis ministrare, portando, tergendo, fovendo, et consimilia faciendo. *Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis,* id est, non verbo tantum, sed opere quoque vos docui quid agere debeatis. In corporalibus namque plus movent facta quam verba. Hinc in Actibus habetur : Cœpit Act. i, 1.
Jesus facere et docere.

SERMO SECUNDUS

DE MIRABILIBUS IN COENA CHRISTI EXHIBITIS ; DE HUMILITATE QUOQUE AC CARITATE EJUS IMITANDIS.

A*NTE diem festum Paschæ, sciens Jesus quia venit hora ejus ut transeat ex hoc mundo ad Patrem,* etc. Joann. xiii, 1. C

In Cœna novissima Dominus noster Jesus Christus multa mirabilia ac præclarissima egit. Primum est, quod in ea ostendit sapientiam suam, et se summum ac perfectissimum esse prophetam. Nam discipulos suos saluberrime de multis ad salutem necessariis erudivit : prout quatuor Evangelistæ describunt et infra tangetur. Sed et pulcherrimum atque altissimum D eis fecit sermonem, in quo multa profunda de incomprehensibili Deitate ac superbeatissima Trinitate edocuit. Et spiritu prophetiæ se esse plenissimum, in eodem declaravit sermone. Nam passionem suam et passionis suæ horam prædixit, trinam quoque Petri negationem, et discipulorum fugam, ac Judæ Iscariotæ proditionem. Insuper prædixit suam resurrectionem, apparitionem, ascensionem, Spiritus Sancti missionem, Apostolorum illuminationem, confortationem et prædicationem, evangelicæ legis divulgationem per totum mundum, et persecutiones quas sui discipuli pro ipso erant passuri. Et quidquid prædixit, probavit rei eventus, operibusque plenissime constat impletum, quum tamen omnia illa penitus supernaturalia essent. Per quod certissime constat veritas fidei christianæ.

Secundum (quod Christus in Cœna novissima fecit) est, quod in ea omnipotentiam suam demonstravit, panem et vinum convertendo in corpus et sanguinem suum, Apostolis quoque præstando vim

consecrandi corpus suum et sanguinem, A
imprimens eis characterem ordinis sacer-
dotalis, et sacerdotes evangelicæ legis eos
Luc. XXII, 19; I *Cor.* XI, 24. efficiens, quando dixit, Hoc facite in meam
commemorationem; insuper imponendo
terminum veteri Testamento, et novum
Testamentum instituens, sacramentum Eu-
charistiæ ejusque usum et ritum, et no-
vum spirituale atque perfectum sacerdo-
tium instituendo: ipse enim fuit altissimus
Hebr. III, 3-6. legislator, Unigenitus Dei, tanto dignior
Moyse, quanto filius servo præstantior est.

Tertium est, quod multa saluberrima B
dedit Apostolis (imo universis credentibus)
documenta: et specialiter verbo ac facto
docuit eos duas virtutes, videlicet humili-
tatem, quæ omnium virtutum est funda-
mentum, et caritatem, quæ est vertex,
regina et turris virtutum. Humilitatem
Luc. XXII, 26. quippe docuit verbis, dicendo: Qui major
est vestrum, fiat sicut junior*; et qui præ- (* minor)
cessor est, sicut ministrator. Itemque:
Ibid. 27. Ego in medio vestrum sum sicut qui mi-
nistrat. Facto autem docuit humilitatem,
aquam mittendo in pelvim, seque coram C
discipulis incurvando, et pedes eorum la-
vando atque tergendo. Quod fuit ineffabi-
lis prorsus humilitas, quod ipse videlicet
Rex regum, Creator universorum, Unigeni-
tus Patris æterni, ita se habuit et talia ges-
sit. Quumque reale istud dedisset effi-
cacissimum documentum, rursus verbis
Joann. XIII, 14, 15. humilitatem edocuit, dicens: Si ego lavi
pedes vestros, Dominus et magister vester,
et vos debetis alter alterius lavare pedes;
exemplum enim dedi vobis, ut quemad-
modum ego feci, ita et vos faciatis. D

Quum ergo nequaquam dignus sit chri-
stianus vocari, qui Christi virtutes non
satagit imitari, studeamus pro posse hu-
militatem assequi Christi, despiciendo nos
ipsos, et alios nobis in nostris cordibus
præferendo. Nullus intumescat in proprio
corde, reputando se magnum aut aliis me-
liorem, sed proprias defectuositates, peri-
culositates et culpas, negligentias et igno-
rantias jugiter intueatur et bene penset ac
ponderet, atque a Deo districte judican-
dum se reminiscatur, nec aliquid boni se
habere nisi a Deo, cui tam sæpe ac gravi-
ter fuit ingratus. Et tunc utique humilis
erit et vilis in oculis suis, imo omni bruto
se arbitrabitur viliorem; et erit coram Ju-
dice summo omnia considerante formido-
losus, proximis quoque suis obsequiosus.
Hinc loquitur Christus: Si quis mihi mi- *Joann.* XII, 26.
nistrat, me sequatur. Et in prima sua
Canonica ait Joannes apostolus: Qui se I *Joann.* II, 6.
dicit in Christo manere, debet sicut ille
ambulavit, et ipse ambulare. Hinc prin-
ceps Apostolorum: Omnes (inquit) humi- I *Petr.* V, 5, 6.
litatem invicem insinuate, quoniam Deus
superbis resistit, humilibus autem dat gra-
tiam. Humiliamini ergo sub potenti manu
Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis.

Præterea humilitas ad Christianos maxi-
me pertinet, quoniam lex Christi est lex
totius humilitatis, et tota vita Domini no-
stri Jesu Christi ab exordio suæ nativitatis
usque ad finem suæ salvificæ passionis,
omni fuit humilitate repleta ac decorata.
Quid superbis, o terra et cinis? Quid te *Eccli.* X, 9.
elevat cor tuum, et quasi magna cogitans *Job* XV, 12; XXV, 6.
attonitos habes oculos, o homo putredo, et
filius hominis vermis? Ecce Deus univer-
sorum, Rex angelorum, Sanctus Sancto-
rum, propter te exinanivit se usque ad *Philipp.* II, 7.
abjectissima opera servitutis; et tu vas im-
munditiæ, saccus stercorum, infinitis cul-
pis atque miseriis plenus, adhuc extollis
te ipsum, adhuc reputari, honorari ac do-
minari desideras? Numquid servus major *Joann.* XIII, 16.
est domino suo? Ignoras quod princeps
tenebrarum diabolus, rex est super omnes *Job* XLI, 25.
filios superbiæ? Sit itaque omnis Christia-
nus cordialiter humilis coram Deo, in ver-
bis quoque et factis, in vestitu et incessu
sit humilis coram hominibus, ut ædifi-
cet eos.

Insuper caritatem docuit Christus in
Cœna verbo, quum dixit: Desiderio desi- *Luc.* XXII, 15.
deravi hoc pascha manducare vobiscum
antequam patiar. Et alibi: Hoc est præ- *Joann.* XV, 12, 9.
ceptum meum, ut diligatis invicem sicut
ego dilexi vos; manete in dilectione mea.
Itemque: Mandatum novum do vobis, ut *Ibid.* XIII, 34, 35.

diligatis invicem sicut dilexi vos; in hoc A cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.

Opere quoque docuit caritatem, proprium corpus et sanguinem, imo se totum dando discipulis sub speciebus sacramentalibus in salutarem animarum cibum et potum; deinde se totum offerendo pro nobis Deo Patri in ara crucis, hoc est, propriam vitam exponendo pro nobis in mortem, et acerbissimam atque turpissimam mortem ferendo, ut nos ab æterna damnatione redimeret, et ad angelicam felicita- B
Is. LIII. 12, 5. tem reduceret, juxta illud Isaiæ : Tradidit in mortem animam suam, et cum sceleratis reputatus est; cujus livore sanati sumus. Nonne summa et perfectissima caritas est, quando quis alteri dat se ipsum ita quod idem est dator et donum, et pro alterius liberatione et salute sponte sustinet captionem, miseriam ac mortem durissimam? Et certe sic Christus dilexit
Ephes. v, 25, 26. nos, dicente Apostolo : Christus dilexit Ecclesiam, et tradidit semetipsum pro ea, ut illam sanctificaret. Unde et ipse con- C
Joann. x, 15. testatur : Animam meam pono pro ovibus meis. Nec solum ita dilexit Ecclesiam, sed et unumquemque fidelem, imo et quemlibet hominem juxta aliquem modum. Pro-
Galat. II, 20. pter quod ait Apostolus : In fide vivo Filii Dei, qui dilexit me et tradidit semetipsum pro me. Circa quod dicit Chrysostomus : Hic est affectus servi fidelis, ut quod Christus pro omnibus passus est, pro se solo eum reputet passum. Et merito, quoniam tanta est caritas et misericordia Filii Dei Domini nostri Jesu Christi ad homi- D nes, quod antequam permitteret aliquem perire, quantum in se est adhuc mallet potius mori pro eo. Ecce quantum tenemur Christum diligere, eique gratias agere, et totis ipsum viribus honorare. Ideo quidquid displicet ei et inhonorativum est ejus, omni cum diligentia semper vitemus. Corda nostra levemus ubique ad ipsum, orando, et salubria meditando, atque ipsius passionem ac cetera beneficia ejus assidue recolendo; vanitates et impietates sæculi contemnamus, carnalia desideria refrenemus, ad æternam beatitudinem suspiremus.

Postremo, quoniam Christus tam singulariter docuit et præcepit verbis et factis in Cœna novissima caritatem, quæ omnium virtutum mater est, finis, forma ac vita; idcirco in caritate Dei et proximorum semper stare, proficere et perseverare summe ac specialissime curemus, conemur ac provideamus: imo ad hoc omnia opera nostra bona finaliter ordinemus, quoniam sine caritate nulla virtus viva Deoque placita exstat, nec aliqua actio meritoria est gratiæ ac salutis. Et ad hoc primo requiritur, omne mortale peccatum vitare, quoniam omne mortale peccatum caritati contrariatur et eam exstinguit, quamvis invidia ei specialiter opponatur. Deinde requiritur observatio præceptorum Christi atque Ecclesiæ. Unde quum apud Joannem Christus dixisset, Manete in dilectione mea; protinus addidit : Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea. *Joann.* xv, 9. *Ibid.* 10.

Itaque Deum propter propriam ejus bonitatem super omnia toto amemus corde, deinde propter beneficia ejus atque promissa, et præcipue quoniam ipse prior dilexit nos. I *Joann.* IV, 10, 19. Proximos quoque tam amicos quam inimicos, in Deo et propter Deum vere ac spiritualiter diligamus, caritatisque opera ipsis fideliter impendamus, desiderando ferventer eorum salutem, orando pro ipsis, et bona eis præbendo exempla, hortando quoque et corripiendo eos cum discretione, ut pariter consequamur salutem.

SERMO TERTIUS

DE FERVORE CARITATIS CHRISTI QUA SE TOTUM IMPENDIT NOBIS, ET QUOMODO NOS ILLAM IMITEMUR.

DESIDERIO desideravi hoc pascha manducare vobiscum antequam patiar. Luc. XXII, 15. A

Ista sunt verba Christi. Dominus noster Jesus Christus, qui secundum divinitatem
I Joann. IV, 8, 16. suam essentialiter caritas est, et caritas infinita, qui etiam secundum suam humanitatem præ universis et singulis fuit omni caritate plenissimus, affectuosissimam habuit mentem ad nostram æternam salutem, et quidquid accepit de nostro, hoc totum convertit tunc, et nunc usque indesinenter convertit, ad nostrum profectum B et ad beatitudinem nostram. De nostro quippe accepit corpus et sanguinem absque peccato. Et hoc ipsum corpus suum ac sanguinem multipliciter nobis rependit, pro nobis expendit, et incessanter nobis impendit, sicut plenius nunc tangetur.

Porro die isto, dum Christus cum præelectis Apostolis agnum manducavit pa-
Luc. XXII, 15. schalem, inter cetera dixit eis : « Desiderio desideravi hoc pascha », id est, agnum istum paschalem cum ardenti et grandi affectu optavi « manducare vobiscum » an- C tequam mortem pro vobis sustineam. Desideravit itaque Christus hoc tam ferventer, non propter corporalem illum agni paschalis esum ac cibum, sed propter id quod agnus ille paschalis et figurativus seu typicus designavit, et propter multa quæ in illa Cœna exercere decrevit. Etenim agnus ille legalis et typicus præfiguravit Dominum Jesum Christum, qui (ut cantat Ecclesia) verus est Agnus, pro nobis oblatus. De quo beatissimus Joannes
Joann. I, 29. prædixit Baptista : Ecce Agnus Dei, qui D tollit peccata mundi.

Conformiter per manducationem illius paschalis legalisque agni, præfigurabatur manducatio corporis Christi in Sacramento. Desideravit itaque Christus tam fervide cum discipulis pascha illud comedere, quatenus typico illo agno comesto, figuram mutaret in veritatem, et umbram in lucem, instituendo sui corporis et sanguinis Sacramentum, atque se ipsum dando discipulis in escam saluberrimam animarum : sicque finem imponendo sacramentis veteris Testamenti ac Moysis legi, et novum Testamentum ac sacerdotium evangelicæ legis instituendo. Propter ista divina ac præclarissima opera ac mysteria, Christus Dominus affectuosissime concupivit cum suis discipulis Cœnam habere novissimam ; et etiam propter alia documenta et opera, quæ tunc discipulis suis exhibuit. De quibus in expositionibus epistolæ ac evangelii hujus diei, sermonibusque annexis, prædictum est.

Præterea, jam diligentius contemplemur caritatem, liberalitatem et misericordiam Christi ad nos, quia (ut tactum est) quidquid de nostro accepit, hoc totum ad nostrum convertit profectum, ad nostrum subsidium, ad nostram salutem. Primo namque in ipsa Cœna corpus suum et sanguinem, quod de nostro accepit ex Virgine illibata, nobis rependit, dando illud suis discipulis in cibum et potum vivificum. Secundo, illa pro nobis expendit in pretium nostræ redemptionis : quia in mortem tradidit corpus suum et sanguinem suum effudit, ut per hoc a jugo diaboli, a servitute peccati, a pœnis eripiamur inferni, gratiam quoque Spiritus Sancti in hac vita, et gloriam æternalem obtineamus in vita futura. Propter quod sacratissimus ait

I *Petr.* I, 18, 19. princeps Apostolorum : Non corruptibili- A bus auro vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine Agni immaculati Christi. Paulus quoque apostolus : Empti (I *Cor.* VI, 20.) (inquit) estis pretio magno. Tertio, Christus indesinenter nobis impendit hæc eadem omni die, et ad libitum nostrum. Non enim suffecit incomprehensibili suæ caritati, et ineffabili suæ liberalitati ac profundissimæ pietati, quod semel obtulit (*Ephes.* V, 2.) semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis in ligno crucis, sed in sapientia sua immensa ex- B cogitavit ac propalavit admirabilem modum, quo quotidie in altari ubique terrarum offertur pro nobis Patri altissimo hostia placationis, sacrificium laudis, oblatioque salutis. Per quod summo Deo uni ac trino maxima veneratio, laudatio, gratiarum actio exhibentur; et ipsis fidelibus gratiosissime ac misericordissime subvenitur, quia per hoc eorum dimittuntur peccata, et superna eis infunduntur gratiarum charismata, inordinatique motus compescuntur in eis, et confortantur in C via hujus exsilii, quatenus tam felici sacramento refecti et confortati, ad cœlestem queant pertingere patriam : propter quod, sacramentum hoc appellatur viaticum. Vocatur quoque et est efficacissima medicina contra animæ passiones et vitia.

Hanc igitur Christi dilectionem, liberalitatem et misericordiam ad nos diligentissime consideremus, jugiter recolamus, atque pro posse incessabiliter imitemur, quemadmodum ad Ephesios hortatur bea- D tus Apostolus : Imitatores Dei estote, sicut (*Ibid.* 1. 2.) filii carissimi ; et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis. Insuper attendamus, et si opus fuerit, impleamus quod S. Joannes apostolus in sua ait Canonica : In hoc cognovimus caritatem Dei, quoniam (I *Joann.* III, 16.) ille pro nobis animam suam posuit; et nos debemus pro fratribus animas ponere, hoc est mortem pati pro proximis, si eorum hoc salus requirat. Si ergo debemus ita diligere proximos, multo plus opus est ut unusquisque de bonis sibi a Deo concessis, caritative, pie et liberaliter proximis suis subveniat, consilium, correptionem, informationem, consolationem ipsis pro posse impendat. Amplius, ad sacram communionem unusquisque disponat se, et reverenter ac devote accedat; post communionem quoque gratus Deo et corde custoditus permanere nitatur, ne per ingratitudinem et negligentiam suam, damnationem incurrat majorem, prout de hoc in sermone circa epistolam dictum est plenius.

Postremo, hos sacratissimos dies, videlicet diem Cœnæ, passionis, sepulturæ resurrectionisque Christi, cum singulari et stabili expendamus devotione, ut tantam in eis a Deo gratiam acquiramus, quod toto demum anno virtuosius conversemur. Omnis ergo dissolutio morum, omnis loquacitas, risus et jocus, omnis curiositas et vanitas in vestitu, omnis carnalis affectio, prorsus abjiciantur. Unde et sanctus ait Bernardus : Hi sunt dies quos observare debemus, dies pleni pietate et gratia; quibus etiam sceleratorum hominum mentes ad pœnitentiam provocantur. Tanta siquidem vis est eorum quæ his recoluntur diebus, ut possint ipsa quoque lapidea scindere corda, et pectus omne, licet ferreum, emollire sufficiant. Iterum ait Bernardus : Universi Christiani sacra hac septimana aut præ solito aut præter solitum pietatem colunt, pietatem exhibent, humilitatem sectantur, induunt gravitatem, ut Christo passo quodammodo compati videantur. Quis enim tam irreligiosus, ut non compungatur ? Quis tam insolens, ut non humilietur ? Quis tam iracundus, ut non indulgeat ? Quis tam lubricus, ut non abstineat? Quis tam flagitiosus, ut non contineat? Quis tam malitiosus, ut non pœniteat his diebus? Ex quibus S. Bernardi verbis probatur, quam longe sint ab omni pietate et gratia Christi, ab omni virtute christianæ religionis, ab omni re nominis christiani, qui modo prætacto non

faciunt, sed his quoque diebus servant A rancorem, cupiunt ultionem, leves, dissoluti et garruli esse non metuunt, nec ad sacram se communionem sincere disponunt. Pro quibus caritative et pie orare debemus, ut convertantur, et omnes simul consequamur salutem, virtute et merito omnium eorum quæ sanctissimis his diebus Filius Dei pro nostra salvatione facere et pati dignatus est. Cui cum Patre æterno et Spiritu Sancto sit honor et gloria in æternum. Amen.

PASSIO D. N. JESU CHRISTI

JUXTA TEXTUM QUATUOR EVANGELISTARUM PIISSIME ENARRATA, ET IN TRIGINTA TRES ARTICULOS APTE DISTINCTA

ARTICULUS PRIMUS

QUARE DOMINUS JESUS PATI VOLUERIT ; ET DE INVIDIA PERSECUTIONEQUE PHARISÆORUM.

R*ECONCILIATI sumus Deo Patri per mortem Filii ejus.* Rom. v, 10.

In his verbis duo tanguntur. Primum est pacificatio generis humani cum Deo Patre æterno, quum dicitur : « Reconciliati sumus Deo ». Secundum est causa per quam facta est pacificatio ista, quum subditur : « per mortem Filii ejus ». Protoplastus etenim homo, primus parens noster
Gen. III, 6. Adam, in paradiso terrestri transgrediendo præceptum Dei, amisit atque demeruit sibi ipsi et toti suæ posteritati originalem justitiam, et infecit et corrupit humanam naturam in sua radice, hoc est in se ipso, in quo fuit tanquam in principio totius humanæ propaginis. Sicque se ipsum ac universam suam posteritatem æterna felicitate privavit, et damnationi fecit obnoxios : ita quod propter originale illud peccatum a primo parente commissum, pœna damni, hoc est carentia divinæ ac beatificæ visionis, infligebatur posteris ejus, et nunc usque infligitur parvulis non baptizatis ante usum rationis morientibus, quibus meritum Domini nostri Jesu Christi non communicatur nec applicatur per sacramentum Baptismi.

Itaque per primum et originale illud primi parentis nostri peccatum, totum genus humanum incurrerat quamdam offen- A sam et iram Dei, et indiguit ei reconciliari. Quæ reconciliatio fieri nequivit per primum parentem, nec per aliquem posterorum ipsius exsistentem hominem purum seu puram creaturam : quoniam nulla pura creatura potuit esse idonea et condigna satisfacere pro culpa illa communi totius generis humani, nec potuit ei generalem gratiam reformationis recuperare aut promereri, nec ad amissam felicitatem potuit reducere eam : prout super tertium Sententiarum declarant doctores, et An- B selmus in libro suo qui dicitur Cur Deus homo, Guillelmus quoque Parisiensis in suo ejusdem nominis libro docent.

Ideo ipsemet Unigenitus Dei Patris verus Deus, nolens genus humanum in toto perire, dignatus est humanam naturam in unitate personæ assumere, et in ea atque per eam genus humanum redimere ac salvare. Et hoc est quod in præassumpto themate ait Apostolus : « Reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus ». Unde rursus ad Corinthios protestatur : Sicut *I Cor.* XV, 22.
C in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur : id est, quemadmodum demerito originalis peccati Adæ universi posteri ejus necessitatem moriendi in corpore, et reatum culpæ privationemque gloriæ seu felicitatis perpe-

tuæ incurrerunt; ita virtute ac merito A
passionis et obedientiæ Christi, liberantur
a malis præfatis, et vitam gratiæ in præ-
senti ac vitam gloriæ æternaliter in cœle-
sti patria consequuntur, imo et corporis
immortalitatem in futura generali resur-
rectione adipiscentur. Hinc ad Romanos
Rom. v, 12. scribit Apostolus : Per unum hominem
peccatum in hunc mundum intravit, et
per peccatum mors. Sic utique per unum
hominem, scilicet per Dominum Jesum
Christum, liberatio a peccato et vita gra-
tiæ collatæ sunt mundo : sicut in Joanne B
Joann. I, 17. habetur, Gratia et veritas per Jesum Chri-
stum facta est. Idcirco beatissimus Joannes
Baptista Christum intuendo ac demonstran-
Ibid. 29. do, locutus est : Ecce Agnus Dei, qui tollit
peccata mundi. Hinc rursus dixit aposto-
Rom. v, 19. lus Paulus : Sicut per unius hominis (vide-
licet Adæ) inobedientiam peccatores con-
stituti sunt multi, ita per unius (utpote
Jesu Christi) obedientiam justi constituun-
tur multi.

Præterea, quoniam primus homo per
malitiosam diaboli invidiam deceptus fuit, C
placuit pietati divinæ eidem et toti suæ
posteritati misericorditer subvenire, et hu-
manum genus redimere per passionem et
mortem generalis Salvatoris universorum.
Et hoc ipsum incepit Deus omnipotens a
principio mundi Patriarchis et quibusdam
electis et sanctis hominibus revelare, vi-
delicet Adæ, Seth, Enoch, Noe, ac aliis; et
per illos cœpit hoc etiam aliis multis ho-
minibus prænuntiare in lege naturæ usque
ad Moysis tempus; et manifeste prænuntia-
vit illud sanctis patriarchis Abrahæ, Isaac D
et Jacob, quorum unicuique repromisit, In
Gen. XXII, 18; XXVI, 4; XXVIII, 14. semine tuo benedicentur omnes gentes :
ut patet in Genesi. Deinde in lege scripta,
hoc est in lege Mosaica, quam filiis Israel
dedit per Moysen, istud evidentius et co-
piosius prænuntiavit per verba et signa,
per sacrificia et figuras, per diversa oracu-
la atque mysteria; ac per multos sanctos
Prophetas de adventu, nativitate, passione
et morte Christi, et de ceteris ejus myste-
riis, operibus, signis et miraculis, multa
abundanter et clare prædixit. Propter quod
Filio Dei incarnato, atque adhuc in utero
Virginis exsistente, pater sanctissimi Jo-
annis Baptistæ Zacharias cecinit, dicens :
Benedictus Dominus Deus Israel, quia vi- *Luc.* I, 68-70.
sitavit et fecit redemptionem plebis suæ,
et erexit cornu salutis nobis in domo David
pueri sui, sicut locutus est per os sancto-
rum, qui a sæculo sunt, Prophetarum ejus.
Hinc quoque dignissima ac mundissima
virgo Maria, dum Dei Filium concepisset,
locuta est : Suscepit Israel puerum suum, *Ibid.* 54, 55.
recordatus misericordiæ suæ, sicut locutus
est ad patres nostros, Abraham et semini
ejus in sæcula.

Quumque advenisset temporis plenitudo *Galat.* IV, 4.
a Deo æternaliter prævisa ac præordinata,
hoc est in ultima mundi ætate, cœpit Deus
Pater implere ea quæ de unigenito Filio
suo promisit atque prædixit, et misit eum
in mundum, conjungens ei naturam hu-
manam in utero Virginis gloriosæ. Ex qua
tunc natus est Christus Dominus, Deus et
homo, Rex gloriæ, mundi Salvator, quem-
admodum Isaias propheta prædixit : Puer *Is.* IX, 6.
natus est nobis, et filius datus est nobis,
et vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Con-
siliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi,
Princeps pacis. — Deinde Christus novam
et evangelicam legem daturus, quum jam
factus esset triginta annorum cœpit pu- *Luc.* III, 23.
blice prædicare, atque miracula innume-
rabilia ac soli divinæ virtuti possibilia
operari, ita quod fama ejus undique dif-
fundebatur, et universi ejus sapientiam
ac virtutes et signa admirabantur, dicen-
tes : Nunquam sic apparuit in Israel, hoc *Matth.* IX, 33.
est, nunquam aliquis in Israelitico populo
tot et tanta fecit prodigia. Ejus quoque
eloquentiam sapientiamque mirantes, di-
xerunt : Nunquam sic locutus est homo *Joann.* VII, 46.
sicut hic loquitur. Et ut S. Lucas evan-
gelista testatur : Omnes admirabantur in *Luc.* IV, 22.
verbis gratiæ quæ procedebant de ore
ipsius. Erat enim docens sicut potestatem *Matth.* VII, 29.
habens, non sicut Scribæ et Pharisæi eo-
rum, hoc est, efficaciter et potenter præ-
dicavit ac edocuit, et suam doctrinam per

vitæ suæ sanctitatem et per miracula roboravit atque authenticavit : quod Scribæ et Pharisæi nequaquam fecerunt. Hinc Scribæ, id est doctores seu legisperiti Judæorum, et Pharisæi, id est religiosi eorum, qui erant avari, ambitiosi ac cupidi laudis humanæ, conceperunt adversus Christum displicentiam et rancorem : præsertim quoniam omnium terrenorum contemptum et humilitatem verbis docuit et exemplis, et plebs tota, eis relictis, currebat post Christum. Quum autem publice increpavit peccata ac scelera pontificum et sacerdotum, seniorum et magistratuum, Scribarum et Pharisæorum, cœperunt concorditer Domino nostro Jesu Christo graviter adversari, invidiose insidiari, ac blasphematorie obloqui, universaque facta ejus pervertere, et quidquid egit ac dixit interpretari in pejus, dicentes : In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia ; insanit, dæmonium habet ; homo vorax, potator vini, amicus peccatorum et publicanorum, blasphemat; ac multa similia, prout beatissimi Evangelistæ describunt. *Luc.* XI, 15; *Joann.* X, 20: *Matth.* XI, 19; IX, 3.

Insuper, quum invidia sit dolor et tristitia de prosperitate et felicitate alterius, quanto Christus quotidie magis ac magis crevit fama, miraculis, et numerositate turbarum eum sequentium, et quanto majori

A sapientia ac eloquentia fulsit, tanto miseri illi graviori contra eum accendebantur invidia, et implacabilius insaniebant in eum. Quumque Lazarum militem nobilem et famosum resuscitasset a morte quarto die a sua defunctione, invidissimi et obstinatissimi illi non valuerunt se diutius refrenare, sed pro eo quod ex tanto miraculo debuerant merito converti, compungi atque ad pœnitentiam emolliri, deteriores et obstinatiores effecti sunt. Nam collegerunt statim concilium, et dixerunt : Quid facimus, quia hic homo multa signa facit ? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum ; et venient Romani, et tollent nostrum locum et gentem. Et sicut evangelista Joannes describit, ab illo die cogitaverunt et firmiter decreverunt interficere eum quum primum opportune id possent, quemadmodum sancti Evangelistæ enarrant. *Joann.* XI, 1 et seq. *Ibid.* 47, 48. B *Ibid.* 53.

Sed quoniam in descriptione passionis Domini nostri Jesu Christi, singuli Evangelistæ aliqua omiserunt, et quæ unus C omisit, alter refert ac supplet ; ideo nunc propono textum et historiam dominicæ passionis ex quatuor Evangelistis collectam et sumptam, secundum ordinem rei gestæ, præstante Spiritu Sancto, exponere, sicut etiam a quibusdam carissimis instanter rogatus sum.

ARTICULUS II

DE CONSPIRATIONE JUDÆORUM IN MORTEM DOMINI POST LAZARI RESUSCITATIONEM, ET DE HONORE ILLI EXHIBITO A TURBA CUM PALMIS OCCURRENTE.

RESUSCITATIO Lazari creditur facta a Christo per unam quindenam ante diem Parasceves in qua cruci appensus est; et ut asserit Augustinus, quamvis multa et præclara miracula fecerit Christus, nullum tamen miraculum fecit Judæos ita insanire ac furere contra Christum, ut resuscitatio Lazari : quia miraculum il- *Joann.* XI.

D lud fuit celeberrime ac apertissime factum in multorum præsentia Judæorum, et ipse Lazarus fuit persona notabilis, non solum militaris, sed etiam ex regia stirpe natus. Unde et propter tantum miraculum multi Judæorum crediderunt in Jesum. Ideoque impiissimi principes sacerdotum proposuerunt et Lazarum interficere, ne plu- *Joann.* XI, 45; XII, 11. *Ibid.* XII, 10.

res ipsum adspicientes converterentur ad A Christum.

Joann. xi, 47, 48. Tunc ergo, ut tactum est, collegerunt concilium, et dixerunt : Quid facimus, id est, quid agendum est nobis, quia hic homo multa signa facit? Nam et paulo ante Lazari suscitationem, illuminaverat *Ibid.* ix, 1 et seq. Jesus cæcum a nativitate, id est cæcum natum. Si dimittimus eum sic, id est, si permittimus hominem istum (videlicet Jesum) diutius in populo libere conversari, prædicare atque miracula facere, sicut fecit hucusque, et sicut nunc usque per- B misimus, omnes credent in eum, id est multi de omnibus qui eum amaverunt et sequebantur, et specialiter universi vulgares; et venient Romani, qui tunc dominabantur toti mundo, et tollent nostrum locum et gentem : id est, urbem nostram metropolim, puta Jerusalem, destruent, et nos cum nostro populo captivabunt ac transferent ad aliam terram, aut interficient nos tanquam rebelles Romano imperio, pro eo quod sine scitu et consensu imperatoris acceperimus alium regem, vi- C delicet Jesum. Jam namque Romani præceperant ut nulla gens eis subjecta, susciperet quemquam pro rege absque ipsorum consensu.

Per hos tam impios et perversos Judæorum superiores, intelliguntur ac designantur pravi prælati, et eorum iniqui vicarii, qui sibi commissos non regunt nec instruunt salubriter et per virtuosa exempla, nec pati volunt ut ab aliis efficaciter informentur ac gubernentur. Tales enim iniqui magis quærunt propria commoda D et suum honorem, quam subditorum salutem aut divinæ reverentiam majestatis. Ideo, sicut præfati Judæorum superiores inviderunt Christo et persecuti sunt eum, sic ipsi melioribus se obloquuntur ac invident, atque molestias inferunt.

Ibid. xi, 54. Jesus ergo jam non in palam ambulabat apud Judæos, sed abiit in regionem juxta desertum, in civitatem quæ dicitur Ephrem, et ibi morabatur cum discipulis suis. Non utique ex timore aut impotentia fugit persecutores suos Judæos, sed quoniam tempus suæ passioni a Deo præordinatum, nondum fuit impletum; et etiam ad dandum nobis exemplum, quod debeamus interdum perversitati et persecutioni adversariorum nostrorum cedere, et ab eis nos elongare, quando hoc fieri potest sine detrimento boni communis et absque periculo subditorum, ac sine dispendio, nocumento ac scandalo pusillorum. Hinc in Evangelio dixit Salvator : Quum persecuti vos fuerint in una civitate, fugite in aliam. *Matth.* x, 23. Debemus quoque cedere aliorum improbitati, non litigando cum eis, sed potius nos subtrahendo ab ipsis. Propter quod in Proverbiis scriptum est : Honor est homini quum separat se *Prov.* xx, 3. a lite. Apostolus quoque : Noli (inquit) *II Tim.* ii, 14. verbis contendere; ad nihilum enim utile est, nisi ad subversionem audientium.

Quum autem Jesus novem diebus aut circiter moratus fuisset cum suis discipulis in præfata urbe nomine Ephrem, et festum Paschæ Judæorum proximum esset, *Joann.* xi, 55. cœpit cum discipulis suis reverti versus Jerusalem, quoniam scivit tempus suæ passionis jam imminere. Et redeundo per *Luc.* xvii, 11-14. Samariam ac Galilæam, sanavit simul decem leprosos, ut apud Lucam legitur. Quumque progrederetur de oppido nomine *Matth.* xx, 29-34. Jericho, illuminavit duos cæcos, ut habetur in Matthæo; et in eodem itinere passionem suam aperte prædixit discipulis suis : Ecce (inquiens) ascendimus Jerosolymam, et *Luc.* xviii, 31. consummabuntur omnia quæ scripta sunt per Prophetas de Filio hominis.

Deinde, ut Joannes scribit, ante sex dies *Joann.* xii, 1, 2. Paschæ, videlicet sabbato ante Ramos palmarum, venit et introivit Bethaniam, ubi erat Lazarus quem suscitavit a mortuis. Fecerunt autem ei ac suis discipulis cœnam ibi : quæ cœna non fuit in domo Marthæ, ut infra dicetur, sed in domo Simonis leprosi, quem Christus jam ante *Matth.* xxvi, 6; *Marc.* xiv, 3. curavit a lepra, quamvis adhuc vocaretur leprosus. Lazarus autem unus erat ex discumbentibus cum Jesu. Atque ut Augustinus testatur, Lazarus tunc referebat

de his quæ viderat in inferno et in limbo; A et ex suppliciis quæ conspexit, et forsitan expertus fuit, erat tam vehementer perterritus, quod post suam resuscitationem nunquam (ut legitur) risit. In eadem quoque cœna fuit (ut creditur) sacratissima virgo Maria, et aliæ devotæ matronæ Christum a Galilæa secutæ, videlicet Maria Jacobi, et Salome, et Joanna, atque Susanna. Probabile etiam reor, quod ad commendationem miraculosæ resuscitationis Lazari a mortuis, ipse Lazarus in cœna illa sederit juxta Jesum, et in eadem cœna Martha ministraverit. Quamvis enim cœna illa non fuit in domo sua, et ipsa fuisset a Simone leproso invitata ad cœnam illam, tamen propter reverentiam Christi voluit ministrare, et de agendis disponere, quoniam prudens femina erat, et Simonis illius cognata, ut fertur. Sic quoque honestæ et prudentes matronæ quandoque ministrant in domibus cognatorum suorum a quibus sunt invitatæ. Præterea, in eadem cœna *Joann.* XII, 3. S. Maria Magdalene unxit caput et pedes Christi pretioso unguento, ut inferius exponetur.

Ibid. 12. Die autem sequenti, videlicet die Ramis palmarum, processit Dominus Jesus cum sua electissima comitiva a Bethania versus Jerusalem. *Matth.* XXI, 1 et seq. Quumque venisset in villam nomine Bethphage, ad montem Olivarum, misit duos ex discipulis ad portam urbis Jerusalem, ut inde sibi adducerent asinam et pullum ipsius. Quibus adductis, sedit primum super asinam: per quam figurabatur Synagoga, id est congregatio Judæorum jugo legis Mosaicæ assueta, quemadmodum asina illa solita erat portare onera varia ad eos quibus deserviebat. Deinde sedit super pullum indomitum, et oneribus deferendis nondum assuefactum: per quem gentiles lascivi et divinæ legis jugo non subditi designabantur. Sedit itaque Dominus Jesus super utrumque animal successive, ad significandum quod multa millia Judæorum, et multo plures gentilium, erant ei subjiciendi, ac evangelicæ legis jugo subdendi. Quod autem sedit super pullum, manifeste habetur in Joanne, ubi sic legitur: Invenit Jesus asellum, et sedit super eum. *Joann.* XII, 14. In Marco quoque scriptum est: Duxerunt pullum ad Jesum, et sedit super eum. *Marc.* XI, 7. Similiter in Luca recitatur: Jactantes vestimenta sua supra pullum, imposuerunt Jesum. *Luc.* XIX, 35. Porro, quod sedit super utrumque animal, constat ex eo quod scriptum est in Zacharia: Exsulta satis, filia Sion; ecce rex tuus veniet tibi justus et salvator, ipse pauper et ascendens super asinam et super pullum filium asinæ. *Zach.* IX, 9. B Idem quoque insinuatur apud Matthæum, quo fertur: Adduxerunt asinam et pullum, et imposuerunt super eos vestimenta sua, et eum desuper sedere fecerunt. *Matth.* XXI, 7. Verumtamen quidam dixerunt quod Jesus non sedit nisi super pullum, et quod in tam brevi itineris spatio non potuit super animal utrumque sedere. Sed in hac re magis credendum est præallegatis Scripturis canonicis.

Luc. XIX, 37, 38. Quumque venisset Jesus ad descensum montis Oliveti, a quo loco civitas Jerusalem C manifeste totaliter videbatur, cœperunt omnes turbæ descendentes cum Jesu, turbæ quoque quæ præibant et quæ sequebantur, et qui ex Jerusalem venerunt obviam ei, Deum alta et consona voce laudare, cum gaudio grandi clamantes: Hosanna, hoc est, salva nos, fili David; benedictus qui venit in nomine Domini; pax in cœlo, et gloria in excelsis. Sicque cum maxima solennitate et copiosa processione introduxerunt Jesum in Jerusalem.

Ibid. 45, 46; *Matth.* XXI, 12, 13. Et ingressus in templum, ejecit venden- D tes et ementes de illo, et mensas nummulariorum cathedrasque vendentium columbas evertit, dicens: Nolite domum Patris mei facere domum negotiationis, quoniam scriptum est, Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem fecistis illam speluncam latronum. *Is.* LVI, 7. Per quod edocemur, quod in ecclesiis Deo consecratis non sit aliud agendum nisi ad quod institutæ et consecratæ sunt, utpote ad vacandum orationibus ac laudibus Dei, et celebrationibus divinorum ac prædicationibus

sanctis et ecclesiasticis sacramentis. Idcirco væ illis qui in ecclesiis vacant fabulationibus, levitatibus et lascivis adspectibus, et qui illuc conveniunt ad tractandum sæcularia ac terrena negotia et causas humanas. Hi namque sacrilegi sunt, locis Deo consecratis taliter abutendo. Vitentur ergo consuetudines pessimæ atque damnabiles. An non sufficiunt vobis, o miseri talia perpetrantes, alia loca et tempora ad peccandum, ad fabulandum ac tractandum terrena negotia, nisi in locis Altissimo consecratis et tempore divini Officii
Is. XLVI, 8. talia faciatis? Redite ergo, o prævaricatores, ad cor, et divini rigorem judicii for-
Matth. XII, 36. midate. Si enim de omni verbo otioso reddenda est ratio Judici summo, qualem rationem poteritis dare ei de confabulationibus et ceteris vitiis vestris in ecclesia et in divino Officio perpetratis? — Porro, ut Matthæus refert evangelista, in templo
Ibid. XXI, 14. tunc accesserunt ad Jesum cæci et claudi, et sanavit eos.

Quumque tantam reverentiam exhibuissent Christo vulgares et turbæ communes; principes sacerdotum, Scribæ et Pharisæi vehementissime turbabantur, et dolentes ac pleni invidia, dixerunt ad invicem :
Joann. XII, 19. Videtis quia nihil proficimus? id est, propositum nostrum de interficiendo hominem istum non perducimus ad effectum, imo ipse de die in diem plus crescit et exaltatur. Ecce totus mundus abiit post eum, id est, tanta hominum multitudo jam credit et sequitur eum, ut quasi totus mundus videatur assequi eum. Sicque quod aiunt, totus mundus abiit post eum, est hyperbolica locutio, qua aliquid dicitur per excessum, ad insinuandum magnitudinem rei : juxta quem modum Dominus
Is. XIII, 11. ait per Isaiam de Babylone, Visitabo super orbis mala. Sicque de quacumque urbe multum magna ac populosa, communiter dicitur quod sit unus mundus. Tunc quo-
Matth. XXI, 15, 16. que principes sacerdotum et Scribæ, videntes mirabilia quæ fecit, et pueros clamantes in templo, Hosanna filio David, indignantes dixerunt ad Jesum : Audis quid isti dicunt? Quibus ipse respondit :
Utique. An non legistis, Quia ex ore infan- *Ps.* VIII, 3.
tium et lactentium perfecisti laudem? Quidam vero Pharisæorum dixerunt ad eum : *Luc.* XIX, 39, 40.
Magister, increpa discipulos tuos. Respondit : Dico vobis, quod si hi tacuerint, lapides clamabunt.

Quumque Salvator die illo prædicasset in templo, exiit urbem Jerusalem circa *Matth.* XXI, 17; *Marc.* XI, 11.
vesperam, et cum discipulis suis rediit in Bethaniam, et ibi in domo Marthæ docuit eos de regno Dei.

Sequenti die cum discipulis revertebatur mane ad Jerusalem, et esuriens vidit *Matth.* XXI, 18, 19; *Marc.* XI, 12-14.
in via arborem fici, et venit ad eam, si forte inveniret fructum in ea : quo non invento, maledixit ficulneæ illi, et aruit statim. Esuriit autem non ex infirmitate aut necessitate naturæ, sed libera voluntate, ad promerendum nobis satietatem refectionis beatæ ac sempiternæ. In Christo namque natura inferior corporalis ac sensitiva, fuit perfecte subjecta non solum suæ deitati, sed etiam superiori parti animæ suæ, videlicet rationi ac voluntati. Ideo ex parte et actione vegetativæ et inferioris ac sensitivæ naturæ, non causabatur in Christo fames aut sitis, somnus aut lassitudo, nisi ex prævio rationis judicio ac voluntatis suæ imperio. Illam quoque esuriem Christus assumpsit, ad designandum quod ipse jugiter sitit et appetit nostram salutem. Hinc quoque accessit ficulneam ad quærendum in ea fructum, non quod ignoraret non esse tunc fructum in arbore illa, sed ad insinuandum quod assidue quærit et exigit a nobis fructum virtutum et opera bona. Requirit etenim ab unoquoque ut secundum exigentiam et tenorem suæ vocationis vivat, et ambulet digne Deo. Quod si non egerimus ita, imputatur nobis ab ipso pro culpa. Hinc etiam maledixit ficulneæ non fructum sed folia tantum habenti, non quod culpa erat in arbore illa (quia nec tunc erat ei tempus fructificandi), sed ad designandum quod homines merentur maledici a Deo, qui fructum bonorum operum non producunt,

nec agunt quæ noscunt esse agenda, sed verba tantummodo habent. Propter quod dixit beatissimus Joannes Baptista : Jam securis ad radicem arboris posita est ; omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur. Propterea Judas apostolus in sua epistola ait de infructuosis ac vitiosis hominibus : Hi sunt arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ ; quibus procella tenebrarum conservata est in æternum.

Matth. III, 10.

Judæ 12, 13.

Deinde secunda hac feria introivit Christus cum discipulis suis in Jerusalem et in templum et prædicavit ibidem, atque in die hoc rursus ad Bethaniam rediit, et tertia feria in Jerusalem et in templum regressus est. Sicque infra hos duos dies copiosissime prædicavit coram pontificibus, sacerdotibus, Scribis, Pharisæis ac plebe, et multas parabolas eis proposuit ; ac superiores illos acerrime increpavit de diversis sceleribus, præsertim de eorum hypocrisi, dicendo eis sæpissime : Væ vobis, Scribæ et Pharisæi, hypocritæ. Propter quod tanta erant inflammati invidia, ira et impatientia, quod injecissent manus in Jesum, nisi populum timuissent. Unde et tunc diversimode ei insidiabantur, interrogando an liceret eis tributa solvere Cæsari, ac alia multa quæ sancti Evangelistæ describunt. Sicque tertia feria rursus in Bethaniam cum discipulis fuit reversus, et mansit ibidem usque ad feriam quintam, ut infra dicetur.

Matth. XXI, 23 et seq. ; *Marc.* XI, 15 et seq.

Matth. XXIII, 13 et seq.

Ibid. XXI, 46.

Ibid. XXII, 15 et seq.

ARTICULUS III

DE VENDITIONE CHRISTI A SUO DISCIPULO, ET DE CONCILIO JUDÆORUM.

MATTHÆUS evangelista passionem Domini nostri Jesu Christi describere incepit a verbis Christi quæ protulit feria tertia hebdomadæ in qua crucifigi dignatus est. Quum enim in illa tertia feria prædicasset in templo, et exivisset de Jerusalem, ac suis discipulis seorsum multa prædixisset de fine sæculi et futuro generali judicio, adjecit :

Matth. XXIV, XXV.

Scitis quia post biduum Pascha fiet. Ac si diceret : Scire debetis, et utique scitis, quod post hanc feriam tertiam et feriam quartam sequentem, inchoabitur paschalis solennitas feria quinta ad vesperam. Et in hora illa vespertina immolabatur agnus paschalis, sicut præceptum fuit in lege Moysis. In Exodo namque Dominus jussit per Moysen, ut quartadecima luna mensis primi, id est in quartadecima die novæ lunationis seu novilunii primi mensis apud Hebræos, filii Israel immolarent ac manducarent agnum paschalem, cum panibus azymis, id est non fermentatis. Et hic primus mensis anni, secundum computationem Judæorum, est Martius, ut aliqui dicunt, et secundum alios, est Aprilis. Quid autem de hoc magis videatur tenendum, alibi plenius scripsi, præsertim super Genesim et Exodum ; nec opus est hic difficultati hujusmodi immorari, sed simpliciter est procedendum, prout convenit loqui ad populum. Incepit itaque festum paschale apud Hebræos ad vesperam diei seu lunationis præfatæ, videlicet feria quinta Martii seu Aprilis, de sero, et duravit per septem dies immediate sequentes ; et per totum illud tempus vescebantur pane non fermentato. *Et Filius hominis tradetur.* Nam nocte Cœnam et agni paschalis esum immediate sequente, traditus est Christus a Juda proditore, et comprehensus a Judæis, ut infra patebit. *Ut crucifigatur.* Crucifixio etenim Christi secuta est ejus traditionem. Et quamvis Judas forsan non

Ibid. XXVI, 2.

Exod. XII, 6 et seq.

Cf. t. I, p. 168 D', 560 C et s.

tradidit Christum directe ob hoc vel ad hoc ut crucifigerent eum Judæi, tamen ad hoc tradidit eum illis, ut juxta voluntatem suam tractarent sive occiderent ipsum.

Deinceps describitur qualiter Christus Matth. xxvi, 3. sit venditus. *Tunc congregati sunt principes sacerdotum et seniores populi in atrium principis sacerdotum, qui dicebatur Caiphas.* Ista congregatio non fuit feria quinta, in qua agnus paschalis comedebatur, sed feria quarta immediate præcedente. Fecerunt quoque et antea congregationem pontifices isti et seniores, Scribæ ac Pharisæi, videlicet statim post Lazari Cf. p. 427 A'. resuscitationem, ut dictum est, et tunc inter se consuluerunt quid acturi essent de Joann. xi, 50. Christo. Quumque Caiphas dixisset, Expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat, mox firIbid. 53. miter statuerunt interficere Christum. Et quoniam Christus interim per tres dies continuos, scilicet in die Palmarum et feriis secunda et tertia, ipsos graviter offenderat suis sermonibus, et maximum concursum populi ipsum sequentis libenterque audientis habebat; ideo in hac quarta feria inter se contulerunt qualiter possent suum propositum opportune atque celeriter perducere ad effectum, quemadmodum per Jeremiam in persona Christi Jer. xi, 19. prædictum fuit : Super me cogitaverunt consilia, dicentes, Venite, mittamus lignum in panem ejus, id est, dolore et morte crucis cibemus et impleamus eum, et eradamus eum de terra viventium. Præterea, secundum legem Moysis debuit apud Judæos esse unus summus sacerdos seu pontifex, usque ad obitum suum, ut patet * Numeris in Exodo atque Levitico *; sed nunc apud Exod. xxix, 29; Num. xxxv, 28, 32. Judæos defecerat legitima pontificum successio, quia in potestate gentilium, et præcipue Romanorum, erant redacti, a quibus et annuatim summum sacerdotium emerunt. Sicque in populo Judæorum fuerunt tunc plures principes sacerdotum seu pontifices : non quod uno et eodem anno præfuerunt plures pontifices, sed successive. Et anno quo ista fiebant, præfuit Caiphas.

A Sic ergo *et consilium fecerunt quomodo* Matth. xxvi, 4; Marc. xiv, 1. *Jesum dolo tenerent,* id est, secrete, improvise et insidiose capere possent, *et occiderent.* Quemadmodum in libro Sapientiæ habetur : Dixerunt impii, Circumveniamus Sap. ii, 12, 15. justum, quoniam contrarius est operibus nostris, et improperat nobis peccata legis, et gravis est nobis etiam ad videndum. Hinc quoque Christus in Psalmo prædixit : Adversum me susurrabant omnes Ps. xl, 8. inimici mei; adversum me cogitabant mala mihi. *Timebant vero plebem. Dicebant* Luc. xxii, 2. Matth. xxvi, 5. B *autem : Non in die festo,* id est, non capiamus nec occidamus eum durante hoc festo paschali; *ne forte tumultus fieret in populo.* Sciebant namque quod plebs communis libenter audivit Christum : ideo metuebant quod plebs nequaquam permitteret Jesum manifeste occidi, sed vi eriperet eum. Timebant etiam quod plebs insurgeret contra eos. Ideo Lucas ait : Timebant vero plebem. Rursus sciebant quod quidam de populo aversi erant a Jesu, quemadmodum apud Joannem legitur : C Murmur multus erat de eo in turba : qui- Joann. vii, 12. dam enim dicebant, Quia bonus est; alii vero dicebant, Non, sed seducit turbas. Hinc pontifices et seniores hi formidabant ne forte una pars populi contra aliam insurgeret propter Jesum, præsertim in festo, in quo plurimi in Jerusalem convenerunt. Itaque impii isti timuerunt plebem et temporale ac humanum periculum, non Deum neque æternam damnationem. Quorum pravitatem atque vestigia sequuntur homines invidiosi, fraudulenti, vindicativi D et callidi, qui quod manifeste et juste nequeunt perpetrare, conantur occulte et dolose implere, et in studiis ac machinationibus suis non verentur Dei offensam, sed humanam potentiam.

Intravit autem Satanas in Judam, qui Luc. xxii, 3. *cognominabatur Iscariotes, unum de duodecim.* Judas iste nequissimus, cognominatus est Iscariotes et Iscariot, quia (ut legitur) oriundus fuit a vico seu villa sic dicta, in tribu Issachar sita. Intravit autem in mentem Judæ Satanas, qui eum ten-

tavit : non quod labebatur in essentiam A
animæ Judæ, sed suggerendo ei quod ven-
deret Jesum. Nec jam primo intravit in
Judam, quia et ante vicerat eum. Nam diu
ante passionem suam Christus dixit Apo-
Joann. VI, 71. stolis : Nonne ego vos duodecim elegi, et
unus ex vobis diabolus est? ut apud Jo-
annem habetur. Sed hac vice intravit in
Judam per novum effectum, et miserri-
mum illum plenius possidendo. Nec per
hoc excusatur Judas quod diabolus eum
intravit, quoniam sponte admisit diabo-
lum, et ejus suggestioni non coactus con- B
sensit. Quocontra scribit apostolus Pau-
Ephes. IV, 27. lus : Nolite locum dare diabolo. Jacobus
Jacob. IV, 7. quoque apostolus : Resistite (inquit) dia-
bolo, et fugiet a vobis.

Luc. XXII, 4. *Et abiit* a Bethania, feria quarta : in
qua Salvator mansit ibidem, quoniam su-
am venditionem noluit impedire. « Abiit »
ergo miserrimus ille mercator, ad venden-
dum Dominum suum; et a sanctissima illa
congregatione ac societate Christi atque
Apostolorum et aliorum sanctorum ac san-
ctarum qui tunc erant in domo Marthæ, C
ivit ad ecclesiam malignantium, ad con-
venticulum pessimorum, ad filios tene-
brarum. Sicque recessit a Christo mente
per majorem aversionem et culpam, ac
corpore per localem distantiam. *Et locutus
est cum principibus sacerdotum, et magi-
stratibus* templi, id est ceteris sacerdoti-
bus, Scribis atque rectoribus ministrorum
templi ac populi, *quemadmodum illum
traderet eis,* id est, exhibuit se paratum
tradere Jesum in manus ipsorum in ali-
quo loco et tempore ad hoc magis oppor- D
tunis, videlicet in loco secreto, noctur-
noque tempore, secundum quod postea
Matth. XXVI, 15. fecit. *Et ait illis : Quid vultis mihi dare,
et ego vobis eum tradam?* Ac si diceret :
Scio cur estis congregati, et desiderio ve-
stro cooperari paratus sum. Sicque sce-
leratissimus Judas non vocatus accessit,
quum tamen communis doctrina sit, Ad
consilium ne accesseris antequam voce-
ris ; et sine verecundia obtulit se paratum
vendere ac tradere suum magistrum, a
quo tanta beneficia fuit sortitus. Nec de
tanta infidelitate erubuit, quia impletum
fuit in eo illud Jeremiæ : Frons mulieris Jer. III, 3.
meretricis facta est tibi; noluisti erube-
scere. Hanc inverecundiam Judæ sequun-
tur homines habituati in vitiis, qui prava
consuetudine ita infecti, victi et excæcati
sunt, quod de sua turpitudine, immundi-
tia atque malitia pudorem non habent,
sed potius jactant se inde et gloriantur.
De quibus legitur apud Isaiam : Peccatum Is. III, 9.
suum quasi Sodoma prædicaverunt, nec
absconderunt. Et in Proverbiis legitur :
Lætantur quum malefecerint, et exsultant Prov. II, 14.
in rebus pessimis.

Qui audientes (principes sacerdotum Marc. XIV, 11.
cum suo consortio) verba hæc Judæ, *ga-
visi sunt,* sperantes se hoc modo posse
desiderium suum aptius adimplere. Nam
hic modus eis congruentior videbatur.
Propter quod opportunitate ista eis ob-
lata, mutaverunt propositum suum quo
paulo ante dixerunt : Non in die festo. *Et* Ibid. 2.
pacti sunt, id est promiserunt, *pecuniam* Luc. XXII, 5.
illi dare. Et *constituerunt,* id est exhi- Matth.
buerunt, *ei triginta argenteos,* quemad- XXVI, 15.
modum per Zachariam est prædictum :
Appenderunt mercedem meam triginta Zach. XI,
argenteos, decorum pretium quo appre- 12, 13.
tiatus sum ab eis. *Et spopondit,* id est, Luc. XXII, 6.
Judas promisit eis quod traderet ipsis Je-
sum. *Et exinde,* id est ab illa hora, *quæ-* Matth.
rebat opportunitatem, id est modum suo XXVI, 16.
proposito convenientem, *quomodo illum* Marc. XIV,
traderet sine turbis, hoc est in loco et 11; Luc. XXII, 6.
tempore ubi et quando Christus non ha-
beret secum nisi paucos discipulos suos,
utpote in nocte : quia in die populus con-
fluxit ad Christum. Incitamentum hujus
venditionis fuit, ut creditur, quoniam Ju-
das doluit de effusione unguenti super
Christum facta a beatissima Maria Magda-
lene, quod (ut in Joanne scribitur) venun- Joann. XII,
dari potuit trecentis denariis, voluitque 4, 5.
damnum illud recuperare in Christi ven-
ditione. Præterea, quoniam innocens Fi-
lius Dei propter nos venditus est feria
quarta, inolevit apud Christianos lauda-

bilis consuetudo qua multi quartis feriis A abstinent a carnium esu. Ex eadem quoque causa ordinavit Ecclesia ut quarta feria, post feriam sextam (in qua occisus est Christus) habeatur præcipua inter dies pœnitentiæ et abstinentiæ atque jejunii. Denique hanc Christi venditionem a suo discipulo clare prædixit sanctus David in
Ps. XL, 10. Psalmo, in Christi persona loquendo : Etenim homo pacis meæ, in quo speravi, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.

Insuper, multiplex fuit facinus Judæ. B
Joann. XII, 6. Nam ut in Joanne legitur, fur erat, et ea quæ devotæ personæ dederunt pro sustentatione Christi discipulorumque ejus, furabatur et exportavit. Secundo, quia magistro suo ingratissimus fuit. Christus enim
Matth. X, 4. promovit eum ad apostolatum, et fecit eum suum procuratorem, et misit eum ad prædicandum, baptizandum, et ad faciendum miracula; et tamen de omnibus his ingratus, vendidit suum magistrum. Tertio, quia Filium Dei maxime vilipendit. Non enim solummodo vendidit eum, sed C tanquam rem vilissimam exposuit eum venalem ad libitum emptorum, dicendo, Quid vultis mihi dare? etc., sicut hi qui habent rem quam parum appretiantur, solent dicere de eadem emptoribus : Quid vultis dare pro hac re? Quarto, quoniam mundi Salvatorem, verum Deum, venundedit. Quinto, quoniam venditum tradidit suis crudelissimis inimicis. Sexto, quoniam impiissime promisit quod vitiose asseruit, quod scilicet traderet Jesum in manus emptorum hostiumque suorum. D Septimo, quia tradidit Christum ad occidendum, et ita exstitit homicida, imo et Christicida ac Deicida. Octavo, quoniam Christum, qui summa veritas est, vendendo, pessimam simoniam commisit. Nono, quoniam desperavit de venia. Decimo,
Ibid. XXVII, 5; *Act.* I, 18. quia suspendit se ipsum.

Præterea, ex ruina Judæ tam gravi atque multiplici, instruimur ad cautelam, ad timoratam custodiam, ad humilitatem perpetuam, atque ad omnium temerariorum judiciorum repressionem. Si enim discipulus Christi, apostolus Dei, canonicus collegii unitatis, qui cum ceteris Christi Apostolis prædicavit Judæis, et plurimos baptizavit, ac signa fecit, tam gravissime ac multipliciter cecidit, et æternaliter periit, qui tot et tanta Christi miracula vidit continue, et efficacissimam ejus doctrinam audivit assidue : quis nostrum poterit esse securus? Hinc ait Chrysostomus : Si ille qui cum Christo fuit, qui miracula fecit, et tantam audivit doctrinam, a philargyria in tantum deductus est barathrum, multo magis nos timere oportet ne capiamur hoc vitio.

Postremo, ex lapsu Judæ docemur quam vehementissime maledicta avaritia induret atque obtenebret cor humanum, quæ ex apostolicæ dignitatis fastigio ad tantam vitiorum voraginem traxit infelicissimum Judam. Ideo Innocentius loquitur : Radix omnium vitiorum exsistit cupiditas. I *Tim.* VI, 10.
Hæc enim sacrilegia committit et furta, rapinas exercet et prædas, homicidia gerit et bella, simoniace vendit et emit, inique petit et rapit, injuste negotiatur et fœneratur, instat dolis et imminet fraudibus, dissolvit pactum et violat juramentum, corrumpit testimonium et pervertit judicium. Itaque juxta doctrinam Apostoli, qui I *Cor.* X, 12.
stat, videat ne cadat; nec aliquis se extollat, nec temere judicet alium, sed proprium vereatur periculum et metuat casum. Hinc Climacus dicit : Judas erat in choro Apostolorum, et Latro in societate prædonum; et tamen subito est facta mutatio. Ideo nos oportet abstinere ab incauto judicio.

Amplius, quoniam Dominus Jesus Christus in toto Evangelio exemplis et verbis maxime docuit nos omnia terrena despicere, et bona cœlestia ac æterna toto corde requirere et amare, propterea omnis avaritia est cunctis Christianis potissimum fugienda : præsertim quum et Apostolus protestetur, quod radix sit omnium malo- I *Tim.* VI, 10.
rum cupiditas. Et rursus : Avaritia, in- *Coloss.* III, 5; *Ephes.* V, 5.
quit, idolorum est servitus. Unde in Ec-

Eccli. x, 9, 10. clesiastico scriptum est : Avaro nihil est scelestius, nihil est iniquius quam amare pecuniam ; avarus enim animam suam habet venalem. Hinc quoque Climacus loquitur : Avarus est Evangelii subsannator. Ideo cogitemus quod oportet nos cito hunc A mundum et omnia quæ in eo sunt, omnino relinquere, et in alio sæculo in æternum manere : sicque tanto ferventius quæramus bona spiritualia ac divina quam temporalia et terrena, quanto æternitas est longior tempore hujus vitæ.

ARTICULUS IV

DE PASCHATE TYPICO SERVATO, DE PRÆMONITIONE PRODITORIS A CHRISTO FACTA, ET DE PEDUM LOTIONE.

EXPOSITIS iis quæ gesta sunt feria quarta, exponenda nunc sunt quæ Christus fecit ac docuit feria quinta.

Marc. xiv, 12. *Et prima die Azymorum, quando pascha immolabant,* id est quinta feria, scilicet die Cœnæ, quando ad vesperam auferebant Judæi a domibus suis omnem panem fermentatum, et azymis panibus vesci cœperunt, paschalemque agnum edebant, Matth. xxvi, 17 : Marc. xiv, 12. *accesserunt ad Jesum discipuli* ejus, *dicentes : Quo vis eamus, et paremus tibi pascha?* id est, ad quem locum jubes nos ire, ut in eo paremus tibi agnum paschalem quem nobiscum es comesturus? Matth. xxvi, 18 ; Marc. xiv, 13. *At Jesus dixit eis : Ite in civitatem* Jerusalem. Voluit enim Filius Dei in isto servare præceptum legis, quamvis esset supra legem et dominus legis, ut daret nobis obediendi exemplum. Luc. xxii, 10. Et *ecce introeuntibus vobis in civitatem* Jerusalem, quæ fuit metropolis regni, et antonomastice vocabatur civitas apud Judæos, quemadmodum Roma dicitur urbs apud Latinos, *occurret vobis homo amphoram aquæ portans ; sequimini* Ibid. 11. *eum in domum in quam intrat, et dicetis patrifamilias domus,* quia *Magister dicit tibi,* id est, quod ego omnium vestrum magister, ei per vos dico et mando : Cf. Marc. xiv, 14. *Ubi est diversorium* meum, id est, locus ad quem nunc divertere debeo, et deputandus nunc usui meo, *ubi pascha,* id est agnum paschalem, *cum discipulis meis* B *manducem?* Quasi dicat : Ostende discipulis meis cameram aptam, in qua parent mihi agnum ad comedendum. *Et ipse demonstrabit vobis cœnaculum grande, stratum,* id est bene paratum. Marc. xiv, 15. *Et ibi parate nobis pascha.* Luc. xxii, 12. Christus prædicendo ista, quæ erant in se futura pure contingentia, ostendit se talia certitudinaliter præscire : imo universa præterita, præsentia et futura scivit, etiam secundum naturam assumptam.

Denique de isto patrefamilias quidam C dixerunt quod fuit vir pauper ; sed magis videtur quod fuit vir valde dives et potens, quia tam magnam habuit domum, quod in una ejus camera sedere poterant centum viginti homines. In isto namque cœnaculo, in quo Dominus et Salvator comedit cum Apostolis agnum paschalem, postea latuerunt discipuli frequenter a die Joann. xx, 19. resurrectionis Christi usque ad diem Pentecostes, in quo Spiritum Sanctum acceperunt, Act. ii, 1-4. ut in Actibus legitur : erant ibi Ibid. i, 15. enim pariter fere centum viginti homines. D Et etiam quoniam non obstante persecutione ac prohibitione pontificum et aliorum majorum, qui jam prohibuerunt Judæis familiarem conversationem cum Jesu, Joann. ix, 22. tam magnanimiter et audacter suscepit et hospitavit Jesum cum discipulis suis in propria domo, et omnibus eis præbuit alimenta. Unde videtur fuisse unus ex oc-

cultis Christi discipulis, quemadmodum A Joseph ab Arimathea et Nicodemus. Voluit enim Salvator, etiam aliquos habere discipulos divites, potentes ac nobiles, ne videretur tales homines penitus reprobare atque relinquere, et ne ipsi desperarent. Propterea in Job ait Scriptura : Deus potentes non abjicit, quum et ipse sit potens. Verumtamen paucos habuit tales discipulos, ad designandum quod valde pauci talium sunt electi. Propter quod sacratissima Virgo dixit : Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles. Hinc et Aposto- B lus hortabatur Corinthios : Videte vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles sunt inter vos. Ex horum consideratione, prudentes sæculi hujus, divites, nobiles ac potentes, merito debent se valde humiliare et omnino timorati exsistere; et nequaquam extollant se, nec pauperes et abjectos contemnant, sed potius venerentur tanquam amicos et filios Dei ; neque in sua sæculari prudentia, temporali opulentia, car- C nali nobilitate audeant inaniter gloriari. Nam et sanctus ait Gregorius : Hos elegit Deus, quos despicit mundus. Gloriosus quoque Hieronymus protestatur, quod vix unus de centum aut de mille talibus aptus est regno cœlesti. Itaque vir iste fuit Christi discipulus : ideo nomine magistri cognovit Christum significari, quia sic consuevit a suis discipulis nuncupari, quibus et dixit : Nolite vocari magistri ; unus est enim magister vester Christus.

Joann. XIX, 38, 39. — *Job* XXXVI, 5. — *Luc.* I, 52. — I *Cor.* I, 26. — *Matth.* XXIII, 10.

Euntes autem discipuli, scilicet Petrus D et Joannes, qui erant inter Apostolos præcipui, *invenerunt sicut dixit illis* Jesus, id est, sicut eis prædixit quod occurreret eis homo lagenam bajulans aquæ, et quod præfatus paterfamilias demonstraret eis grande cœnaculum. *Et paraverunt pascha* in loco prædicto. Misit autem Christus duos ex discipulis suis ad agnum parandum. Primo, ad socialis vitæ commendationem. Nam ut Salomon loquitur, Frater qui adjuvatur a fratre, est quasi civitas munita. Et utique bona est illa societas in qua unus ædificat alium, ubi unus alterum instruit et accendit, consolatur et allicit ad virtutes. Fugienda ac detestanda est illa societas in qua unus trahit alium ad peccandum, in qua est concordia ad inique agendum, ubi socii sibi invicem cooperantur ad condemnationem æternam. Secundo, misit duos discipulos, ad commendandum fraternam ac mutuam caritatem. Tertio, ad innuendum quod duo sunt caritatis præcepta ab invicem tam inseparabilia, quod unum sine alio impleri non valet. Misit quoque specialiter istos duos, Petrum videlicet et Joannem, propter dignitatem ac reverentiam illius suæ novissimæ Cœnæ, et eorum quæ facturus erat in ea. Item ad figurandum quod ad manducandum condigne verum pascha in Sacramento contentum, debeamus nos præparare per exercitia vitæ activæ, quæ significatur per Petrum, hoc est per opera misericordiæ et per pœnitentiæ actus, et etiam per exercitia vitæ contemplativæ, quæ per Joannem exprimitur, hoc est per orationes, meditationes et ferventem amorem. Itemque ad insinuandum quod in Cœna illa novissima erat finis imponendus sacrificiis veteris Testamenti, quod signabatur per Petrum, qui fuit specialiter apostolus circumcisionis seu Judæorum, quorum millia multa convertit ; et quod tunc instituendum fuit sacrificium novi Testamenti, quod per Joannem notatur, qui evangelium conscripsit et prædicavit in Asia.

Luc. XXII, 13 ; *Marc.* XIV, 16. — *Prov.* XVIII, 19.

Vespere autem facto, scilicet quinta feria, die ad occasum tendente, *venit* Jesus a Bethania, a qua cœpit exire post meridiem aut circiter, et duodecim Apostoli cum eo. Jam dictum est, quod præmisit Petrum et Joannem, ut in Jerusalem pascha pararent : quomodo ergo venit cum duodecim Apostolis ? Ad quod respondendum videtur, quod Petrus et Joannes, facta dispositione de agni paschalis præparatione, iverunt obviam Christo. Vel, « venit cum duodecim » Apostolis, id est

Marc. XIV, 17.

cum majori parte Apostolorum, qui simul A fuerunt duodecim. Frequenter etenim in Scripturis ponitur pars pro toto, et econverso. Creditur quoque quod beatissima virgo Maria et Maria Magdalene ac aliæ devotissimæ feminæ Christi discipulæ, secum exierunt Bethaniam, et cum ipso venerunt usque ad portam Jerusalem, deinde recesserunt ab ipso, prout ipse disposuit. Et non sine grandi dolore recesserunt ab invicem : imo dulcissima et affectuosissima Mater Jesu cum inæstimabili dolore et anxietate ac planctu discessit a Filio suo B supercarissimo, quem certissime scivit statim passurum; et bene cogitavit quod eum amplius non videret, nisi constitutum in passione atque in manibus adversariorum suorum. Consideremus ergo cum interna compassione et intima attentione, cum quali et quanta afflictione ac lacrimarum effusione, benignissima Mater virginea ab unico prædilectissimo Filio suo separabatur in hora illa.

Luc. XXII, 14. *Et quum facta esset hora, discubuit,* id est, hora vespertina agnum paschalem co- C medit, juxta legis præceptum, *et duodecim Apostoli cum eo :* qui in eadem mensa erant cum Jesu, atque ut legitur, juxta morem terræ illius super terram seu pavimentum cœnaculi, non in sedibus elevatis a terra, sedebant. Insuper aliqui dicunt, quod ibi etiam erant septuaginta discipuli, vel quidam illorum, in alia mensa. Hoc tamen nullus tangit Evangelistarum, sed potius insinuare videntur, quod ibi non erant cum Christo nisi Apostoli, qui et secum exierunt post Cœnam, et fugerunt D ab eo dum capiebatur : inter quos tunc nullus septuaginta discipulorum fuisse videtur.

Ibid. 15. *Et ait illis,* videlicet Christus Apostolis : *Desiderio desideravi,* id est, valde cordialiter concupivi, *hoc pascha,* videlicet agnum istum paschalem, *manducare vobiscum antequam patiar* mortem. Hujus autem tam vehementis et sancti desiderii multæ fuerunt rationes et causæ. Primo, quoniam ista fuit novissima refectio quam cum suis in hoc mundo et in statu mortali fuerat habiturus. Amici autem ab invicem recessuri, cum multo solent affectu ultimam refectionem simul accipere. Alia et principalior causa fuit, quia in Cœna hac voluit instituere dignissimum evangelicæ legis sacrificium, utpote sui corporis ac sanguinis Sacramentum et sacrum Missæ officium, imo et Ordinis sacramentum seu sacerdotium novæ legis. Dicendo enim Apostolis, Hoc facite in meam commemorationem, fecit eos sacerdotes, et novum Testamentum instituit. Tertio, quia in Cœna hac voluit veteri Testamento et sacrificiis ejus imponere finem. Quarto, propter cetera documenta et virtutum exempla quæ tempore hujus Cœnæ dedit Apostolis, et per eos universis fidelibus. *Luc.* XXII, 19 ; I *Cor.* XI, 24, 25.

Dico enim vobis, quia ex hoc, id est ab hora ista deinceps, *non manducabo illud,* videlicet pascha legale seu agnum paschalem, *donec impleatur in regno Dei,* id est, quousque in Ecclesia militanti veraciter fiat ac perficiatur, et pateat quod pascha illud spiritualiter designavit. Præfiguravit enim sacramentum Eucharistiæ, quod Christus in Cœna instituit. Præfiguravit quoque immolationem Christi in cruce. Quorum utrumque statim secutum est hanc manducationem agni paschalis. Sicque quod ait, « donec », excludit totum tempus sequens, ac si dicat : De cetero nunquam plus comedam agnum paschalem. Juxta quem sensum evangelista Matthæus ait, quod Joseph non cognovit Mariam donec peperit filium suum primogenitum, id est nunquam postquam genuit Jesum, sicut nec ante. *Luc.* XXII, 16. *Matth.* I, 25.

Et accepto calice, gratias egit, et dixit : Accipite et dividite inter vos, hoc est, post esum agni benedixit potum, quem dedit Apostolis ad bibendum. Ideo benedictio ista non fuit consecratio sanguinis sui, aut conversio vini in sanguinem Christi. Nam ista benedictio consecrationem corporis sui sanguinisque præcessit, ut infra patebit. Propterea benedictio ista non fuit nisi benedictio potus secundum quod cibus et *Luc.* XXII, 17. *Cf.* p. 443 A.

potus benedicuntur ad mensam. Et pertinuit benedictio ista ad vetus pascha, hoc est ad agnum paschalem atque legalem. Sequens vero benedictio, qua sanguinem suum consecravit et confecit ex vino, ad novum pertinuit pascha, id est ad Sacramentum ac sacrificium novæ ac evangelicæ legis. Et ita verificatur quod asserit Glossa, et ex Evangelii textu colligitur, quod scilicet Christus in Cœna calicem bis accepit et benedixit : semel ante consecrationem corporis sui, et semel post eam. Ex hoc quoque exemplo docentur fideles, ut ante refectionem benedicant escam et poculum.

Luc. XXII, 18. *Dico enim vobis, quod non bibam de generatione vitis,* id est de vino, quod ex vite producitur, *donec regnum Dei veniat,* id est, quousque Ecclesia instituatur et per sacramenta formetur : quia per Christi passionem et resurrectionem est Ecclesia instituta, quoniam de latere Christi dormientis in cruce dicuntur profluxisse sacramenta Ecclesiæ, et per resurrectionem ipsius roborata est fides Ecclesiæ primitivæ ac militantis. Sicque Salvator, post suam resurrectionem, cum discipulis bibit de vino : quemadmodum in Actibus
Act. X, 40, 41. princeps Apostolorum testatur, quod Deus dedit Christum manifestum fieri non omni populo, sed nobis qui manducavimus et bibimus cum illo postquam resurrexit a mortuis. Vel sensus est, quod post Cœnam istam non amplius bibit vinum in statu mortali et vita passibili, utpote eo modo quo nunc potavit. Porro Ecclesia militans, id est congregatio fidelium, dicitur regnum Dei, quia in cordibus fidelium regnat Deus per fidem et caritatem, per quas ipsi fideles obediunt Deo. Deus quoque per suos vicarios seu prælatos præest fidelibus et regnat in eis, et Spiritus Sanctus est principalis rector Ecclesiæ, eam infallibiliter regens.

Matth. XXVI, 21. *Et edentibus illis,* id est Apostolis cum Christo manducantibus pascha, *dixit : Amen,* id est vere, *dico vobis, quia unus vestrum me traditurus est.* Sicut Salvator prædixit suam passionem, ita nunc prædicit suam traditionem, ut sciamus quod nihil improvise accidit ei, et ne traditor putaret suum crimen esse Christo incognitum, et etiam quatenus ipse Christus, quantum in se fuit, revocaret Judam a suo iniquo proposito, atque ad pœnitentiam eum induceret. *Matth.* XX, 18, 19.

Et contristati valde. Primo, quia ex caritate doluerunt de tanta impietate. Secundo, quia ad confusionem et dedecus omnium eorum pertinuit quod unus eorum tantum facinus perpetraret. Tota enim congregatio dehonestatur ex magno excessu unius membri aut suppositi sui. Virtus quoque et vitium unius de communitate, in totam communitatem aliquo modo redundat, quum totà congregatio aut communitas sit unum mysticum corpus. Tertio, quia in isto maxime condoluerunt suo carissimo Domino ac magistro, cujus passio ex hoc ignominiosior reddebatur, quod a proprio discipulo tradebatur. Quarto, quia ex fraterna caritate doluerunt de lapsu et damnatione illius qui scelus hoc fuerat commissurus. *Cœperunt singuli dicere,* se excusando : *Numquid ego sum, Domine?* Quasi dicant, Non. Primo unusquisque de undecim Apostolis inquisivit et examinavit de hoc conscientiam propriam, an tale aliquid cogitasset. Secundo inter se de hoc inquirebant, secundum quod in Luca habetur : *Et ipsi cœperunt inter se quærere, quis esset ex eis qui hoc facturus esset.* Apud Joannem quoque scriptum est : *Adspiciebant ergo ad invicem discipuli, hæsitantes,* id est dubitantes, *de quo diceret.* Tertio ipsum Dominum interrogaverunt. Nam ut Marcus refert, *Cœperunt ei dicere sigillatim,* id est unus post alium, et unusquisque eorum seorsum : *Numquid ego* sum, Domine? *Ibid.* XXVI, 22. *Luc.* XXII, 23. *Joann.* XIII, 22. *Marc.* XIV, 19.

At ipse respondens Dominus, *ait : Unus ex duodecim* Apostolis *qui intingit mecum manum in paropside,* id est in scutella seu vasculo ex quo agnum comedimus. Et forsan, quando Christus protulit verbum hoc, solus traditor posuit manum *Matth.* XXVI, 23; *Marc.* XIV, 20.

suam cum manu Christi in paropside, ceteris præ tristitia a manducatione ad tempus cessantibus, et proditore ex inverecunda audacia adhuc edente, quasi crimen illud non pertineret ad eum. Hoc tamen non consideraverunt Apostoli alii. *Hic me tradet. Filius quidem hominis vadit,* id est, per traditionem a suo discipulo occidetur, et de vita præsenti tolletur, atque ad Patrem cœlestem redibit, *sicut scriptum est de eo* in Psalmo, quo legitur : Etenim homo pacis meæ, in quo speravi, etc. *Væ autem homini illi,* id est, æterna damnatio debetur et imminet ei, *per quem Filius hominis tradetur,* nisi pœniteat. Sicque per hæc verba Christus non prædixit proditori suam damnationem absolute, quasi pœnitere non posset, sed magis sub conditione, videlicet nisi se emendaret : ideo non obligavit proditorem ad desperandum. *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille,* id est, minus malum esset proditori, se non esse natum, quam committere tantum crimen atque incidere tantam damnationem. Quamvis enim esse sit melius quam non esse, tamen esse in tanta impietate atque miseria, est pejus quam prorsus non esse. Unde in Ecclesiastico legitur : Melior est mors quam vita amara; et rursus, Bonum est mori sine filiis, quam relinquere filios nequam. Denique, quamvis per comparationem ad decorem universi, melius sit esse ipsos damnatos, et eos manere in suis miseriis, in quantum in eis relucet divina justitia, et gaudium Beatorum ex eorum calamitate aliquo modo augetur, juxta quod scriptum est, Lætabitur justus quum viderit vindictam ; ipsis tamen damnatis, quoad se ipsos, minus malum esset, penitus non esse natos seu nunquam fuisse, quam esse damnatos.

(Matth. XXVI, 24 : Marc. XIV, 21. — Ps. XL, 10. — Eccli. XXX, 17. — Ibid. XVI, 4. — Ps. LVII, 11.)

Præterea, circa hoc quæri posset : Si bonum fuisset Judæ proditori quod natus non fuisset, cur Deus fecit eum ? Respondendum, quod Deus facit id quod suam condecet bonitatem, nec hoc dimittit propter creaturarum malitiam et abusum. Ideo, quamvis ipse præsciat reprobos perituros, attamen condit eos, non ut pereant, sed ut salventur. Ipse enim vult omnes homines fieri salvos. Reprobi autem propria libertate se avertunt a Deo. (I Tim. II, 4.)

Respondens autem Judas, qui tradidit eum, dixit : Numquid ego sum, Rabbi ? Ex quo alii Apostoli interrogaverunt sigillatim, Numquid ego sum, Domine ? etiam Judas interrogavit, ne de crimine notaretur. *Ait illi* Jesus : *Tu dixisti,* id est, in tua interrogatione protulisti verba tuum crimen exprimentia. Si enim ab interrogatione illa, « Numquid ego sum, Rabbi ? » removeatur hoc signum, « numquid », et accipiatur quod remanet, scilicet, « ego sum, Rabbi », id est, o Magister, ego sum qui tradam te, vere exprimitur quis traditurus fuerat Christum. Sicque Christus dicendo ad Judam, « Tu dixisti », dedit ei intelligere, se scire quod ab ipso esset tradendus. Alii tamen Apostoli, Christo sic ordinante, ita non intellexerunt hæc Christi verba. Noluit enim Christus quod ipsi scirent quis traditor esset, ne contra illum insurgerent, et ne in mensa pacis oriretur litigium, et etiam quia Salvator noluit suam impedire traditionem. Hinc quoque non expressit in speciali a quo esset tradendus, præsertim quia occultum crimen Judæ noluit aliis publicare. (Matth. XXVI, 25.)

His verbis addit Joannes evangelista : *Erat ergo recumbens,* id est quiescens, *unus ex discipulis ejus in sinu Jesu,* scilicet ipse Joannes, *quem diligebat Jesus,* non solum, quia et alios diligebat, sed specialiter, id est magis familiariter, quia majora dilectionis indicia monstravit Joanni. *Innuit ergo huic Simon Petrus, et dixit ei* nutu, non verbis : *Quis est de quo dicit* Jesus, quod tradetur ab uno nostrum ? *Respondit Jesus* basse, ita quod solus Joannes audivit : *Ille est cui ego intinctum panem porrexero. Et quum intinxisset panem,* id est buccellam non consecratam, in paropsidem vel in vinum, *dedit Judæ Simonis Iscariotæ* proditori. Quo facto, Joannes non indicavit Petro re-

(Joann. XIII, 23. — Ibid. 24. — Ibid. 26.)

sponsum, vel quia Christus prohibuit hoc
Joanni, vel menti ejus inspiravit ne in-
dicaret; vel quia Joannes præ tristitia vix
potuit loqui, aut modice obdormivit. Pe-
trus autem tam fervidus fuit in Christi
amore, quod insurrexisset in proditorem,
Joann. XIII, 27. si scivisset quis esset. *Et post buccellam,*
id est statim post prædicti panis intincti
sumptionem a Juda, *introivit in eum Sa-
tanas,* id est, aliquid de novo, et abundan-
tius quam ante, operabatur in proditore,
totaliter occupando eum, ita quod a pro-
posito pessimo non poterat revocari.

Ibid. 2, 4. *Et cœna facta,* id est partim completa,
videlicet agno paschali comesto, *surgit, et
ponit,* id est, partim exuit, *vestimenta
sua,* utpote vestem superiorem, præparan-
do se ad lavandum pedes discipulorum.
*Et quum accepisset linteum, præcinxit
se.* Hic describitur qualiter Filius Dei ex
profundissima humilitate lavare dignatus
est pedes Apostolorum. Et huic historiæ
non oportet hic immorari, quia in die Cœ-
Ibid. 5, 6. næ populo prædicatur. *Deinde misit aquam
in pelvim,* et *venit ad Simonem Petrum,*
quia incepit a Petro, quem in multis ho-
noravit præ aliis, quoniam voluit eum
facere suum generalem ac summum vica-
rium atque prælatum supra totam Eccle-
siam, et principem Apostolorum. *Et dicit
ei Petrus* ex tanta Christi humilitate ac
dignatione obstupefactus ac territus : *Do-
mine, tu mihi lavas pedes?* Quasi dicat :
Hoc nullatenus decet, quum tu sis Filius
Dei et rex Messias in lege promissus,
mundi Salvator et innocens Agnus Dei,
carens omni peccato, Dominus et magister
omnium nostrum; ego autem sum homo
peccator, pauper et vilis piscator, servus
Ibid. 7. et discipulus tuus. *Respondit Jesus, et di-
xit ei : Quod ego facio, tu nescis modo,* id
est, nondum agnoscis ob quam causam ve-
lim vestros lavare pedes; *scies autem post-
ea,* id est, postquam lavero pedes vestros,
exponam vobis spiritualem causam operis
hujus : quia non volo pedes vestros lavare
propter corporalem pedum purgationem,
sed ad dandum perfectæ humilitatis ex-
A emplum; et item ad designandum quod
spiritualis lotio cordium, seu purificatio
affectionum ab omni sorde peccati, sit ne-
cessaria ad salutem, atque ad corporis et
sanguinis mei perceptionem, quam vobis
post pedum ablutionem volo conferre.

Dicit ei Petrus : Non lavabis mihi pe- Joann. XIII, 8.
des in æternum, id est, nunquam hoc sus-
tinebo, ut tu, Rex cœlorum, Unigenitus
Dei, tantum humilies et inclines te coram
me. Fervens amor interdum caret oculo
discretionis : ideo S. Petrus videtur in ver-
B bis his se habuisse aliqualiter indiscrete,
non acquiescendo infallibili suo magistro,
cujus judicium debuit proprio præferre
judicio, et cito obtemperasse, quamvis ex
quadam carnalitate, humilitate atque ex
magna reverentia Christi ita habuerit se.
*Respondit ei Jesus : Si non lavero te, non
habebis partem mecum,* id est, nisi obe-
dieris mihi in isto, non eris particeps glo-
riæ meæ in regno cœlesti, nec de plenitu-
dine mea accipies partem gratiæ meæ, nec
eris membrum mystici corporis mei, nec
C verus discipulus meus : quoniam inobe-
dientia illa fuisset mortalis culpa, in qua
si Petrus mansisset, perisset. Potest et ita
exponi : « Si non lavero te », id est, nisi
intus purgavero te per gratiam a peccato,
et nisi pretio sanguinis mei redemero te a
reatu originalis peccati et a ceteris tuis
malis, « non habebis partem mecum ». De
hac lotione scriptum est in Apocalypsi :
Christus dilexit nos, et lavit nos a peccatis Apoc. I, 5.
nostris in sanguine suo. *Dicit ei Simon* Joann. XIII, 9.
Petrus tantæ comminationis tonitruo ve-
D hementer perterritus : *Domine, non tan-
tum pedes meos, sed et manus et caput,* id
est, non tantum tibi offero pedes meos ad
lavandum a te, sed et totum corpus, quia
pro nulla re mundi, neque pro toto mun-
do volo separari a te. Ecce quam cito fuit
B. Petrus salubriter territus, et ad saluta-
rem pœnitentiam emollitus, atque a pro-
prio sensu ad extremum oppositum im-
mutatus. Induratus autem et reprobus
Judas, audita metuendissima illa Christi
comminatione, Væ homini per quem tra-

dar, etc., non est compunctus, territus aut conversus. Studeamus igitur sancti apostoli Petri docilitatem, compunctionem pœnitentiamque sectari, et omnem proditoris inconvertibilitatem, indurationem et inverecundiam detestari ac jugiter evitare. Nam ut primo Regum Samuel ait propheta : Quasi peccatum ariolandi est repugnare, et quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere. (I *Reg.* xv, 23.)

(*Joann.* xiii, 10.) *Dicit ei Jesus : Qui lotus est,* id est baptizatus, vel intus gratiose purgatus a vitiis, *non indiget nisi ut pedes lavet,* id est, hoc solum ei necessarium est ad salutem, ut omnem immunditiam suorum affectuum purget, de suis quotidianis peccatis efficaciter pœnitendo ac satisfaciendo quotidie. Dicuntur autem affectiones spiritualiter pedes, quoniam sicut per pedes corporeos itur ac pervenitur ad locum optatum, ita per affectiones itur ac pertingitur potissimum ad finem beatum aut miserum. Puræ etenim affectiones perducunt ad æternam salutem; affectiones vero perversæ, injustæ, impuræ, ad perpetuam trahunt damnationem. Ratio quoque vitii et virtutis, et meriti ac demeriti, in vi affectiva et affectionibus præsertim consistit, secundum quod Augustinus testatur, dicendo : Peccatum est adeo voluntarium, quod si non esset voluntarium, non esset peccatum. *Sed est mundus totus,* id est, ab omni mortali culpa immunis ac purus est, qui puros habet affectus et voluntatem mundatam. Talis namque est in caritate et gratia, sine quibus affectiones animæ non sunt puræ. Et quamvis quædam peccata mortalia sint in intellectu, ut infidelitas, hæresis, imprudentia, insipientia; talibus tamen peccatis semper annexa est aliqua immunditia voluntatis et affectionis.

Et vos, Apostoli, *mundi estis* nunc ab omni mortali peccato, qui de culpis vestris præteritis per Baptismum et pœnitentiam estis loti; *sed non omnes,* quoniam unus vestrum, videlicet traditor, est totus immundus, avarus, sacrilegus, simoniacus, obstinatus. *Sciebat enim* Jesus *quisnam esset qui traderet eum : propterea dixit, Non estis mundi omnes.* Et ita per verba ista rursus admonuit Judam, faciendo quod in se erat pro conversione illius; sed ille incorrigibilis mansit. (*Joann.* xiii, 11.)

Postquam ergo lavit pedes eorum, videlicet duodecim Apostolorum, quia et proditoris sui pedes vilissimos ex inæstimabili humilitate dignationeque lavit, et ante genua sceleratissimi transgressoris procumbere non despexit, nec tam obdurati, ingratissimi ac inimicissimi hominis inquinatissimos pedes purgare ac tangere et tractare suis sanctissimis manibus abhorruit. Quamvis autem Apostoli alii non sine grandi humilitate, admiratione ac reverentia permitterent pedes suos lavari a Christo, tamen audita B. Petri increpatione, contradicere non audebant; nec infelicissimus ille Judas ex tanta Christi dignitate, dignatione, humilitate, beneficentia circa se fuit compunctus, aut a tradendi proposito revocatus. *Accepit,* id est reinduit, *vestimenta sua,* expleto obsequio. *Et quum recubuisset iterum,* id est, ad mensam reposuisset se ad instruendum discipulos, atque ad instituendum sui corporis et sanguinis Sacramentum, *dixit eis : Scitis quid fecerim vobis,* id est, quid corporalis lotio ista significet, et cur laverim pedes vestros? Scire namque est rem per causam cognoscere. Deinde exponit causam. *Vos vocatis me magister et Domine; et bene dicitis* in hoc : *sum etenim.* Christus quippe secundum utramque suam naturam est magister et Dominus suorum fidelium : quia secundum naturam divinam est interior mentis instructor et sapientiæ infinitæ magister, et Dominus universorum jure creationis, gubernationis et conservationis rerum in esse; secundum naturam quoque humanam, ut Deitati unitam, fuit multiplici sapientia plenus, et discipulos proprio ore edocuit, dataque fuit ei omnis potestas in cœlo et in terra, et erat ac est legislator, rex ac pontifex plebis suæ. Et ita Salvator (*Ibid.* 12.) (*Ibid.* 13.) (*Matth.* xxviii, 18.)

non dixit hæc verba ex aliqua elatione, A sed veritatis amore, et pro nostra ædificatione. Nam subditur :

Joann. XIII, 14. *Si* (pro Quia) *ergo ego lavi pedes vestros,* exsistens *Dominus et magister* vester, vobis incomparabiliter major ac dignior, *et vos debetis alter alterius lavare pedes,* id est, vobis invicem caritative ac humiliter deservire, et obsequiosi esse etiam inferioribus, et si ratio postulet, mutuo quoque vestros lavare pedes. Ibid. 15. *Exemplum enim dedi vobis* in ista lotione, per quam et alia pietatis obsequia designavi, *ut quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis.* B Servus namque et discipulus debet libenter se conformare suo domino ac magistro in actibus virtuosis, et ejus sequi vestigia, Ibid. 16. quoniam *non est servus* in quantum servus, *major,* id est dignior, *domino suo,* potissimum Christo, *neque apostolus major est eo qui misit illum.* Imo omnes ineffabiliter inferiores et minores sumus Jesu Christo, nostro Domino ac magistro. Si ergo tantæ excellentiæ Dominus et magister ita se humiliavit ac deservivit : quanto C magis nos defectuosi et modici, debemus in omnibus obsequiosi esse ac humiles, nec aliquem aspernari; imo et adversariis ac sceleratissimis peccatoribus libenter atque humiliter obsequi loco et tempore opportuno, nec desperare de aliquo?

Ibid. 17. *Si hæc* documenta et exempla mea *scitis, beati eritis si feceritis ea,* id est, præcepta hæc et documenta ista impleveritis, obediendo mihi humiliter et vestigia mea sequendo : quia non sufficit scire, imo (ut ait Salvator) servus sciens voluntatem Luc. XII, 47. domini sui, et non faciens, plagis vapulabit multis. Hæc namque scientia est practica, ideo ordinatur ad opus, et auget culpam in eis qui non faciunt quæ sciunt esse agenda. Unde et Jacobus ait apostolus : Scienti bonum facere et non facienti, Jacob. IV, 17. peccatum est illi. Et Psalmista : Intellectus bonus omnibus facientibus eum. Ps. CX, 10. Hinc et princeps Apostolorum : Melius (inquit) II Petr. II, 21. erat non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum reverti.

Studeamus ergo imitari vestigia Christi, ut digni simus ab ipso christiani vocari. Nam ut in epistola sua ait Joannes apostolus, Qui se dicit in Christo manere, debet I Joann. II, 6. sicut ille ambulavit, et ipse ambulare. O quantum distant ab hac Christi doctrina, qui tam cito offenduntur a proximis, ita ut eos vix possint adspicere aut affari! Quando isti dignarentur inimicorum et persecutorum suorum pedes lavare? Ex consideratione ergo tantæ humilitatis et dignationis ac beneficentiæ Christi, omnis elatio, amaritudo, indignatio et desiderium ultionis recedant in æternum a nobis; et non vincamur a malo, sed vincamus in Rom. XII, 21. bono malum.

ARTICULUS V

DE INSTITUTIONE SACRAMENTI EUCHARISTIÆ, DE CAUSIS INSTITUTIONIS, DE HUJUS SUMPTIONE, ET DE ULTIMO SUAVISSIMOQUE SERMONE DOMINI.

DOMINUS noster Jesus Christus, in sa- D cratissima illa Cœna novissima, specialiter docuit nos duas virtutes, videlicet humilitatem et caritatem, exemplo seu opere, et verbis. Humilitatem enim docuit primo per exemplum, pedes discipulorum lavando; deinde per verba, dicendo, Si Joann. XIII, 14. ego lavi pedes vestros, Dominus et magister vester, etc., prout præcedenti articulo patuit. Deinde docuit perfectissimam caritatem : primo per opera, dando discipulis suis corpus suum et sanguinem in cibum

Joann. XIII, 34. et potum : deinde per verba, Mandatum (inquiens) novum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos. Itaque sequitur in ordine textus et historiæ dominicæ passionis :

Matth. XXVI, 26-28; Marc. XIV, 22-24; Luc. XXII, 19, 20; I Cor. XI, 23-25. *Cœnantibus autem eis,* puta Apostolis cum Christo, *accepit Jesus panem* triticeum et azymum, non fermentatum, in manu sua, *et gratias egit* secundum quod homo, Deo Patri, a quo omne bonum procedit, *benedixit,* id est, sua divina, infinita et omnipotente virtute, panem illum convertit in proprium corpus, *ac fregit, deditque discipulis suis, et ait : Accipite et comedite : hoc est corpus meum, quod pro vobis* tradetur *. Circa hæc possent multæ et maximæ difficultates moveri : sed omnibus illis relictis, solum tangenda sunt hic ea quæ expedit sermocinari ad populum. *Hoc facite in meam commemorationem,* id est, Sacramentum istud consecrate, celebrate ac sumite in assiduam memoriam caritatis meæ ad vos, ac amarissimæ passionis quam nunc sustinebo pro vestra redemptione. *Similiter, accepto calice postquam cœnavit,* id est post esum agni paschalis, *gratias egit* Deo Patri, *et dedit eis,* non vinum, sed sanguinem suum, quem confecit et consecravit ex vino, ipsum vinum transsubstantiando in sanguinem suum, sua omnipotente ac divina virtute, qua totum mundum produxit ex nihilo, *dicens : Bibite ex hoc* calice *omnes : hic est enim sanguis meus, qui pro vobis* et *pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

* datur

Dicunt autem doctores communiter, et De Eccl. hier. c. III. divinus Dionysius scribit hoc, quod Dominus Jesus dedit etiam Judæ proditori suum corpus ac sanguinem, quoniam crimina Judæ erant occulta, et illa Christus noluit publicare : si autem non dedisset ei sicut et ceteris Apostolis corpus suum et sanguinem, prodidisset facinora ejus. — Dicunt quoque doctores communiter, quod Christus personaliter sumpsit hoc Sacramentum, non propter indigentiam aut profectum sui ipsius, sed ad dandum aliis salubre exemplum, atque ut nullus fidelium, quantumcumque perfectus aut sanctus, subtrahat se a sacra communione, nec tanti Sacramenti parvi pendat perceptionem.

Attendamus igitur diligentissime et frequenter ardentissimam caritatem Domini nostri Jesu Christi ad nos. Nam ipse ex sua æterna et divina dilectione ad genus humanum, assumpsit nostram naturam in unitate personæ. Deinde quod ex Virgine gloriosa pro nostra salute assumpsit, totum in nostrum convertit usum et profectum, auxilium et salutem : quoniam in hac Cœna corpus suum dignissimum ac sanguinem pretiosissimum contulit nobis in cibum salvificum et in saluberrimum potum : in cibum (inquam) et potum animarum nostrarum. Deinde in crucis patibulo obtulit se ipsum pro nobis Deo Patri in oblationem et hostiam suavitatis. Ephes. V, 2. Nec caritati suæ suffecit quod ita se semel dedit discipulis, et quod semel se immolavit in cruce pro nobis; sed ex incomprehensibili caritate ac sapientia ordinavit et jussit ut corpus suum et sanguis a sacerdotibus quotidie in Ecclesia consecrentur, et Deo Patri in Missæ officio immolentur pro communi totius Ecclesiæ bono, pro fructu multiplici, pro diversis causis piissimis, pro copioso subsidio vivorum ac mortuorum, et ut etiam cunctis fidelibus detur corpus dominicum. Ecce quam pretiosissima refectio! Ecce quantum honoravit et exaltavit nos Dominus et Salvator. Ideo ait Chrysostomus : Vide quali es honoratus honore, et quali mensa potiris, quod angeli sancti mirantur, nec sine pavore audent respicere propter invisibilem coruscationem ac dignitatem sacramenti istius. Sed, proh dolor! dici jam potest illud ex Psalmo : Homo quum in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis. Ps. XLVIII, 13, 21. Non enim attendimus beneficia Dei et excellentiam gratiæ nobis collatæ, neque advertimus multitudinem magnitudinemque donorum Christi; sed per ingratitudinem et per peccata carnalia, et vilem

ac impiam vitam, vilificamus nos ipsos, et facimus nos brutis viliores ac deteriores.

Itaque consideremus devote, cur Dominus et Salvator sacramentum istud instituit, et illud a sacerdotibus celebrari atque a cunctis fidelibus accipi jussit. Nam (ut tactum est) primo hoc fecit, ut ex sacramenti istius celebratione, oblatione ac sumptione jugiter memores simus perfectæ et ardentissimæ caritatis Christi ad nos. Summa namque et ardentissima ac liberalissima caritas est, dum idem est dator et donum, hoc est, dum aliquis donat alteri semetipsum, et maxime quum præstat se alteri in cibum et refectionem, et quando totum hoc agit non propter proprium commodum, sed propter alterius profectum, indigentiam atque salutem. Ideo quotiescumque videmus sacramentum hoc celebrari et Deo Patri in officio Missæ offerri, et quotiescumque illud accipimus, recordemur tantæ caritatis Christi ad nos, et quod ex nimia dilectione sua ad nos, nostram assumpsit naturam, et dignatus est fieri homo : sicque accendamur ejus amore, et in pura dilectione ipsius crescamus, omnem carnalem amorem et cupiditatem omnemque rancorem omnino abjicientes ac detestantes.

Secundo instituit et celebrari offerrique ac sumi præcepit Christus hoc sacramentum, quatenus ex celebratione, immolatione et sumptione hujus præstantissimi sacramenti, recordemur amarissimæ passionis ipsius, et omnium quæ ipse pro nostra salute assumpsit, fecit ac pertulit : et sic ex toto cordis affectu gratias ei agamus, et mente et ore et opere ei grati esse conemur, et propter ejus amorem ac passionem libenter sustineamus opprobria et adversa, vigilias, jejunia, abstinentias, disciplinas, et consimilia pœnitentialia opera quæ solent corpori esse molesta. In omni ergo officio Missæ et in sacra communione reminiscamur cum ingenti devotione beneficiorum Domini nostri Jesu Christi, et specialiter suæ salutiferæ pas-
A sionis ac acerbissimæ mortis, quas tam caritative ac patientissime tulit pro nobis. Et certe væ illis qui in celebratione Missæ stant coram divinæ majestatis præsentia, et coram divinissimo Sacramento, corde ingrato, distracto et indevoto, et sine reverentia ac timore : præsertim his qui tunc hinc inde libidinose adspiciunt, curiose et superbe se gerunt, nec curant agere ea propter quæ institutum est sacramentum hoc ac Missæ officium.

Tertio instituit Dominus Jesus hoc sa-
B cramentum propter multiplicem nostram utilitatem. Est enim hoc sacramentum cibus et potus animarum. Ideo ea quæ corporales cibi ac potus operantur in corpore, operatur hoc sacramentum in animabus celebrantium ac communicantium, nisi sit defectus ex parte ipsorum, hoc est, nisi per ingratitudinem, negligentiam, aliave peccata, ponant obicem gratiæ Dei atque sacramenti hujus effectibus. Itaque, sicut corporei cibi ac potus corpora roborant, vitam conservant, et ad congruam quanti-
C tatem perducunt, deperditum quoque restaurant, et comedentes ac bibentes efficiunt hilares et ad operandum idoneos : ita hoc sacramentum altissimum animas celebrantium ac communicantium spiritualiter roborat, et ad incrementa perducit virtutum, vitamque gratiæ conservat in esse, et spiritualem confert lætitiam, atque præteritas negligentias facit recuperare ; iram, concupiscentiam, invidiam ac cetera vitia facit vitare, et ad omnem actum salubrem efficit aptum ; caritatem inflam-
D mat, devotionemque nutrit. Et totum istud est verum de his qui corpus et sanguinem Salvatoris digne celebrant sive suscipiunt, qui scilicet timorate se curant habere coram Deo, et semper solliciti sunt ne ingrati aut rebelles sint Christo. Qui vero negligentes sunt et carnales, nec solliciti sunt ad vitandum ad minus omne peccatum mortale, propter suam perversitatem, ingratitudinem et abusum, incurrunt graviorem damnationem indigne celebrando aut communicando : imo, ut ait Apostolus,

I *Cor.* XI, 27. 29. Quicumque manducaverit panem hunc vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini, et talis homo judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini, id est, sacramentum hoc non discernens ab aliis cibis, sed irreverenter illud accipiens quasi alium quemlibet cibum. Et talis magis meretur dici canis vilis et impudicus, quam Christianus.

Quarto instituit Christus hoc sacramentum in nostrum finale viaticum, quod in extrema infirmitate ab omnibus ad hoc dispositis devotissime est sumendum, et eos qui sumunt, specialiter munit contra insidias dæmonum, animasque confortat ad peragendum iter illud terribile ad Judicem summum, et eas perducit ad finem beatum. Propterea sacramentum hoc rationabiliter appellatur viaticum.

Quinto Christus hoc sacramentum instituit in magnum et copiosum subsidium defunctorum, quorum animæ in purgatorio exsistentes, valde specialiter ac multipliciter adjuvantur ac liberantur tanti oblatione ac merito sacramenti.

Sexto instituit illud, ut sit quotidianum, summum ac sufficientissimum sacrificium militantis Ecclesiæ ac evangelicæ legis : cujus sacrificii figuræ fuerunt omnia sacrificia legis scriptæ ac legis naturæ, *Exod.* XII, 5 et seq.; XVI, 14 et seq.; *Gen.* XIV, 18. præsertim agnus paschalis et manna, sacrificium quoque Melchisedech, qui obtulit panem et vinum.

Septimo et principalissime instituit Filius Dei sacramentum hoc, in perpetuum honorem et gloriam Patris æterni, imo totius superbeatissimæ Trinitatis : cui per sacramenti hujus consecrationem, oblationem ac sumptionem, tota Ecclesia incessanter offert et exhibet summum honorem, laudem et gloriam, ejusque majestatem, omnipotentiam, caritatem, pietatem ac beneficia, in usu et oblatione sacramenti istius confitetur, veneratur atque extollit.

Præterea nunc breviter est tangendum, qualiter sacramentum istud sanctissimum sit sumendum. Et quia, ut dictum est, Unigenitus Dei ad præparandum agnum paschalem, misit gloriosos præcipuosque *Luc.* XXII, 8. apostolos Petrum (per quem designatur vita activa) et Joannem (per quem figuratur vita contemplativa) : idcirco ad perceptionem sacramenti istius nos præparare debemus per exercitia vitæ activæ, id est per opera misericordiæ, per actus satisfactorios et pœnitentiales ; et item per exercitia vitæ contemplativæ, per mentis expurgationem, per conscientiæ examinationem, per sanctas meditationes, per veram contritionem, per confessionem plenariam, per orationes, contemplationes et laudes Altissimi.

Et succincte loquendo, qualiter debeamus manducare hoc sacramentum, docemur ex his quæ in Exodo scripta sunt de modo comedendi agnum paschalem. De quo ibidem inter cetera legitur : Non comedetis *Exod.* XII, 9. ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed assum igni. Per quod datur intelligi, quod ad sumptionem Sacramenti debeamus nos præparare, non per sapientiam humanam ac sæcularem, quæ significatur per aquam, neque per superficialem attentionem aut conscientiæ indiscussionem, quorum utrumque notatur per cruditatem, sed per caritatis fervorem et sapientiam spiritualem, diligentiamque intensam, quæ omnia significantur per ignis assationem.

Insuper præceptum fuit ut agnus paschalis manducaretur cum lactucis agrestibus, quæ sunt herbæ valde amaræ. Per *Ibid.* 8. quod datur intelligi, quod ad Sacramenti susceptionem disponere nos debemus per cordialem de nostris peccatis dolorem et amaram compunctionem. Ad hoc enim quod sit vera contritio, necesse est ut plus doleamus de nostris peccatis, de Dei offensa, de summi et incommutabilis boni amissione, quam de quocumque temporali damno aut corporali incommodo : secundum quod tenemur Deum super omnia incomparabiliter diligere; quemadmodum etiam malum culpæ incomparabiliter pejus est malo pœnæ. — Fuit quoque præceptum ut comederent agnum paschalem accincti *Ibid.* 11.

renes : ad innuendum quod celebrantes ac suscipientes hoc sacramentum, debeant vivere continenter, imo castissime, quoniam sacramentum istud spiritualissimum divinissimumque consistit. Ideo vitia carnis summe prohibita sunt universis hoc incomprehensibile sacramentum celebrantibus et sumentibus. — Iterum jussum *Exod.* XII, 11. fuit ut stando et cum celeritate comederent agnum paschalem. Per quod insinuatur quod accepturi hoc sacramentum, debent per justitiam et rectam intentionem esse ad Deum erecti, et ea quæ placent Deo, velociter sine acedia adimplere.

Postremo præceptum fuit ut comedentes *Ibidem.* agnum paschalem, haberent in pedibus calceamenta, baculosque tenerent in manibus. Per quæ figurabatur quod accepturi hoc sacramentum, debent se munire sanctorum Patrum exemplis, atque inniti fidei sanctæ matris Ecclesiæ, et esse dispositi ad profectum virtutum, quo de peregrinatione hujus exsilii itur ac pervenitur ad patriam illam cœlestem beatitudinemque supernam.

Quilibet ergo ante hujus sacramenti perceptionem, meditetur ac penset ineffabilem hujus sacramenti dignitatem ac sanctitatem, ac propriam defectuositatem et culpam, sicque non nisi cum grandi reverentia, timore et caritate accedat.

Denique universi qui sacramentum istud suscipiunt, vigilantissime studeant Christo grati consistere ; nec ad pristina redeant *Matth.* XXVI, 15. vitia, ne sicut infelicissimus Judas vendidit Christum, sic et ipsi recidivando a se abjiciant Salvatorem.

Quum autem Dominus Jesus Christus modo præfato plenissime ac excellentissime docuisset caritatem per facta, consequenter docuit eam simili modo per ver- *Joann.* XIII, 34. ba, docendo : *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem* sancta et spirituali dilectione, *sicut dilexi vos* dilectione hujusmodi : non quod nostra dilectio valeat esse æqualis dilectioni Christi, sed quod ejus dilectionem debeamus sequi pro pos- A se. Est autem spiritualis dilectio, per quam unusquisque desiderat sui ipsius ac proximorum suorum veram salutem, et omnia quæ accommoda aut necessaria sunt ad obtinendum beatitudinem æternam, atque ad proficiendum in caritate et omni virtute. Qui autem diligit se ipsum aut alios carnali aut mundano amore, videlicet propter propriam vel alterius voluptatem, divitias aut temporales honores, non vere amat, sed odit se ipsum ac proximum : quia hoc appetit sibi ac proximo quod est B contrarium suæ ac proximorum saluti. Et tamen, proh dolor! multi parentes hoc modo amant sobolem suam, et multi mariti uxores suas, ac plurimi cognatos ac socios suos : idcirco ad Christi discipulatum et gregem non pertinent.

Propter quod Christus subjungit : *In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem :* *Joann.* XIII, 35. id est, ex hoc patebit cunctis considerantibus vos, quod sitis veraciter christiani, si viderint ac senserint per exteriora C indicia, quod inter vos habeatis mutuam caritatem, videlicet spiritualem amorem, pacifice inter vos conversando, atque vos invicem provocando ad profectum virtutum, et caritative juvando ad sempiternam salutem per fraternam correptionem, exhortationem, exemplaremque vitam. Per hæc namque et consimilia probabiliter scitur quod caritas sit in eis qui taliter conversantur ; quamvis nec de se ipso neque de aliquo possit quis certitudinaliter agnoscere quod sit in caritate, absque revela- D tione divina. Christus ergo fuit et est magister caritatis, pacis et unitatis ; et qui caritatem, pacem et unitatem concordiæ amplectuntur, conservant ac aliis monstrant, sunt vere Christi discipuli, christianitatisque nomine digni. Ideo rursus dixit in sermone quem fecit post Cœnam : Hoc *Ibid.* XV, 12. est præceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos. Paulus quoque apostolus : Estote (inquit) imitatores Dei, sicut *Ephes.* V, 1, 2. filii carissimi, et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos ; et rursus,

Ephes. IV, 3. Solliciti sitis servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Hinc ait et princeps Apostolorum : Ante omnia mutuam in vobismetipsis caritatem continuam habentes, quoniam caritas operit multitudinem peccatorum. Nempe, ut asserit Augustinus, duo amores duas efficiunt civitates : nam amor sui crescens usque ad contemptum Dei, civitatem efficit Babylonis, id est regnum diaboli, ecclesiam malignantium, corpusque Antichristi ; amor autem Dei crescens usque ad contemptum sui ipsius, facit civitatem Dei, regnum Christi, ecclesiam electorum. Unde iterum asserit Augustinus : Sola caritas distinguit inter filios Dei filiosque diaboli. Idcirco qui caritatem non habet, sciat se esse membrum ac servum diaboli. Qui autem vult scire an habeat caritatem, perpendat quod ait Apostolus : Caritas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate.

I Petr. IV, 8.

I Cor. XIII, 4-6.

Luc. XXII, 24. *Facta est autem contentio inter eos,* videlicet inter Apostolos, *quis eorum videretur esse major.* Dicunt quidam, quod contentio ista fuit humilitatis, ita quod ex humilitate contendebant et certabant se invicem prævenire honore ac servitute. Chrysostomus vero et alii multi dicunt, quod fuit contentio cujusdam elationis, ita quod humanum aliquid passi sunt, et inter se disquirebant quis futurus esset eorum prælatus, Christo eis sublato. Ex quo enim audierunt a Christo quod passio sua instaret, solliciti erant quis loco Christi eis præesset ; et forsitan unus voluit istum præesse, alius illum, sicut adhuc in electionibus fieri solet. Verumtamen non puto quod aliquis eorum fuit tam imperfectus, carnalis et ambitiosus, quod voluit se ipsum ad præsidendum ingerere, aut contentiose asseruit se aliis aptiorem esse ad præsidendum.

Ibid. 25. *Dixit autem eis* Jesus, reprimendo talem eorum contentionem, et declarando quis dignior esset ad prælationem : *Reges gentium dominantur eorum,* id est, terreni reges ac principes cum fastu superbiæ et libidine dominandi præsident subditis suis communiter : nam potius quærunt proprium commodum et honorem, quam subditorum prosperitatem et bonum reipublicæ. *Et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur,* id est, qui potentiores sunt ceteris, magis laudantur a suis ministris, et talibus plurimi blandiuntur. *Vos autem non sic,* id est, tales esse non debetis ; *sed qui major est in vobis,* id est aliquo dono Dei eminentior, utpote nobilior, sapientior aut virtuosior, *fiat sicut junior*,* id est, se ipsum valde humiliet et modicum reputet, considerando se quoad ea in quibus est defectuosus, et junioribus similis aut imperfectior eis ; dona quoque quæ habet, Deo humiliter adscribendo, non se inde inaniter extollendo. *Et qui præcessor est,* id est, qui alios antecedit auctoritate, prudentia aut virtute, fiat *sicut ministrator,* id est, per caritatem et humilitatem serviat inferioribus. Unde in Ecclesiastico scriptum est : Quanto major es, humilia te in omnibus. Hujus autem documenti præbuit Christus se exemplum, subdendo : *Nam quis major est,* id est dignior, *qui recumbit,* id est, qui sedet ad mensam aut quiescit in cathedra, *an qui ministrat* taliter recumbenti ? *Nonne qui recumbit ?* Quasi dicat : Utique. Nam in quantum recumbens et ministrationem ab alio sumens, est major. Similiter qui ministrat, in quantum ministrans, exstat inferior : loquendo de ministerio indigentiæ ac servilitatis proprie dictæ, non de ministerio prælationis, quo Pontifex summus ceterique episcopi ac prælati dicuntur servi fidelium. *Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat,* id est, quamvis revera sim major vobis, tamen in tantum humilio me, quod vobis deservio : nam et pedes vestros nunc lavi, et in isto debetis me imitari.

Luc. XXII, 26.

* minor

Eccli. III, 20.

Luc. XXII, 27.

Ecce ex his docemur omnem ambitionem odire ac devitare, et malle subesse et obedire, quam præesse sive jubere. Præsumptuosum namque et stultum est,

se ipsum ad præsidendum ingerere, præsertim in spirituali regimine, et signum quod homo non timeat judicium Dei, qui faciet judicium durissimum in his qui præsunt. (Sap. vi, 6.) Atque ut sanctus ait Gregorius, numerari culpæ non queunt quæ ex ambitione nascuntur; et quem nunc delectat esse judicem hominum, postea non delectabit videre judicem Deum. Hinc rursus dicit Gregorius : Quoties hominibus præesse affecto, toties Deum meum præire desidero; et unusquisque præsidens toties ad apostasiæ crimen delabitur, quoties in se ipso honorari conatur, aut in honore sibi exhibito delectatur. Consideret ergo unusquisque quod non sufficiat ad regendum se ipsum, et quod nihil in mundo periculosius sit quam curam habere animarum. Hinc quoque ait Chrysostomus : Principes mundi ideo fiunt, ut dominentur subditis suis; principes autem Ecclesiæ, ut serviant sibi commissis, et ut proprias utilitates postponant, quatenus subditorum utilitates procurent, imo nec mori recusent pro illorum salute. Primatum sæcularem appetere, etsi ratio non est, tamen causa aliquando est. Principatum autem Ecclesiæ concupiscere, nec ratio est, neque causa : quia nec justum, nec utile est. Quis enim sapiens velit se subjicere servituti et tanto periculo, nisi forte qui non credit Dei judicium, vel qui Deum non metuit impios puniturum? Unde denuo scribit Chrysostomus : Quicumque cupit primatum cœlestem, primo sequatur humilitatem terrestrem; qui autem desideraverit primatum in terra, inveniet confusionem in cœlo; primatus fugientem se desiderat, desiderantem se horret. Ecce ex his constat, quod etiam periculosum sit sæcularem appetere dignitatem, officium aut primatum : quia nec illo primatu aut officio dignus est, nisi qui vere prudens ac virtuosus exsistit.

Deinde Christus commendavit Apostolorum suorum fidelitatem atque constantiam quas habuerunt hucusque. (Luc. xxii, 28.) *Vos autem,* Apostoli, et principales discipuli mei, *estis qui permansistis mecum in tentationibus meis,* id est in persecutionibus quas a Judæis sustinui. Unde et Thomas ante hæc condiscipulis dixit : Eamus et nos, et moriamur cum illo. (Joann. xi, 16.) Et quando Christus dixit hæc verba in Cœna, Judas proditor exierat.

Et ego dispono vobis regnum, id est, (Luc. xxii, 29.) pro mercede tantæ fidelitatis et aliorum meritorum vestrorum, dare intendo vobis locum et gloriam in regno cœlesti. Unde ut apud Joannem legitur in sermone post Cœnam, dixit : Vado parare vobis locum, et iterum veniam et assumam vos ad me ipsum. (Joann. xiv, 2, 3.) *Sicut disposuit mihi Pater,* id est, sicut Pater æternus præparavit mihi secundum meam humanitatem esse in regno cœlesti : non sine præcedentibus tribulationibus multis, quia oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam. (Luc. xxiv, 26.) *Ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo,* (Ibid. xxii, 30.) id est, in cœlesti paradiso reficiamini beatifica visione divinæ essentiæ, atque æternæ et increatæ suavitatis fruitione, secura quoque et perpetua possessione hereditatis supernæ, non corporeo cibo aut potu, sed spirituali : quæ per corporalia metaphorice designantur, quia a rudibus aliter capi non queunt. *Et sedeatis super thronos,* id est, in judiciaria potestate collocemini ac loco judiciali, *judicantes duodecim tribus Israel,* id est homines universos, qui in finali judicio judicabuntur. Quorum judices erunt Apostoli, et viri perfecti apostolicam sanctitatem secuti : non proferendo sententiam, quæ a solo Christo est proferenda; sed judicabunt assessoria dignitate, tanquam amici et secretarii Judicis summi. Denique istum honorem et præmium istud accidentale promisit Salvator etiam ante hanc Cœnam Apostolis, quando Petrus dixit ad eum : Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te, quid ergo erit nobis? (Matth. xix, 27.)

Sed ne sancti Apostoli ex hac sua commendatione extollerentur, aut periculosa securitate resolverentur et fierent negligentes, Christus mox prænuntiat eis prælium tentationis quod eis instabat. (Luc. xxii, 31.) *Ait*

autem Dominus Jesus *Simoni,* videlicet A Petro, qui a tempore suæ circumcisionis
Joann. I, 42. vocatus est Simon, sed a Christo vocatus est Cephas ac Petrus : *Simon, ecce Satanas,* id est diabolus, qui omni adversatur virtuti, et cunctis Dei ministris repugnat (satanas enim interpretatur adversarius), *expetivit vos,* id est, licentiam petiit impugnandi vos Apostolos : quoniam sine permissione ac licentia Dei et angelorum sanctorum non potest homines impugnare. Vel, « expetivit vos », hoc est, exquisite et avide quæsivit vos ad sub- B vertendum ex sua invidia atque malitia ; *ut cribraret sicut triticum,* id est, tentationis suæ agitatione ac impetu concuteret, et extra statum gratiæ projiceret vos : quemadmodum frumenta concutiuntur in cribro, ut pura grana seu farina egrediatur et conservetur, et furfur seu palea maneat in cribro. Sic sanctis Apostolis evadentibus ac superantibus tentamenta diaboli, proditor ejus remansit in cribro tentationis. Hanc tentationem Apostolorum Christus prædixit specialiter Petro, C tanquam futuro pastori Ecclesiæ : quoniam ad pastores spectat esse bene provisos et cautos adversus tentatorum insidias, et alios super hoc admonere ; et item ad temperandum S. Petri audaciam, ne præ ceteris de viribus suis incaute præsumeret ; tertio, ut tam Petrus quam alii diligentius se armarent armatura virtutum contra bella tentationum instantium.

Luc. XXII, 32. *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Quare magister bonus et pastor fidelis non dixit, Ego rogavi pro D vobis, ut non deficiat fides vestra ? Aut numquid pro solo Petro rogavit ? Et respondendum, quod utique specialiter rogavit tam pro persona Petri, quam pro ejus Ecclesia, puta Romana. Primo, quoniam Christus scivit B. Petrum ceteris Apostolis, de quibus loquebatur, gravius esse casurum per trinam veritatis negationem : ideo magis necessarium fuit Petro orationis Christi auxilium. Secundo, quia Petrus futurus mox erat præsul totius Ecclesiæ, et generalis ac plenus Christi vicarius super universos fideles : ideo Dominus Jesus specialiter fuit pro Petro sollicitus, et major fortitudo in fide ac gratia copiosior fuerunt necessariæ Petro. Tertio, quoniam Christus decrevit Ecclesiam Petri specialiter conservare in fidei sinceritate, deficientibus aliorum Apostolorum Ecclesiis. Rogavit ergo Christus pro Petro, ut fides ejus nec in toto nec diu deficeret, nec ipsa Romana Ecclesia a fide corrueret, quamvis ipse Petrus ad modicum tempus dubitativus fuit in fide.

Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos, id est, quando suscepto Spiritu Sancto fueris plene conversus ad Deum ac confirmatus in gratia, corrobora proximos tuos tuo regimini committendos, in fide et omni virtute, per verba et exempla atque miracula. Quasi dicat Salvator : Tunc memor sis pietatis et gratiæ desuper tibi concessæ ; et sicut Deus fecit misericordiam tecum, ita fac cum proximis tuis, atque ex propriæ infirmitatis ac ruinæ experientia, disce aliis misereri ac subvenire. Porro quam fideliter electissimus iste Petrus hoc fecerit, in Actibus Apostolorum describitur ; et ipse Petrus in prima sua Canonica hortatur cunctos ad istud agendum, dicendo : Unusquisque sicut ac- I Petr. IV, 10.
cepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei.

Permittit autem Deus suos fideles tentari. Primo, quatenus tentationibus viriliter resistendo, mereantur æternaliter coronari a Deo : quia ut ait apostolus Paulus, Non II Tim. II, 5.
coronatur nisi qui legitime certaverit. Secundo, ut per laborem tentationis mereantur etiam in præsenti degustationem internæ quietis ac divinæ consolationis, juxta illud ad Corinthios : Scitote quoniam sicut II Cor. I, 7.
socii passionum estis, sic eritis et consolationis. Ideo Propheta gratias agit Deo, inquiens : Secundum multitudinem dolo- Ps. XCIII, 19.
rum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. Tertio, quatenus ex tentationum et adversitatum

angustia et pressura excitentur et assue- A scant ad Deum confugere, ejusque opem requirere, atque in eo dumtaxat sperare. Matth. xi, 28. Unde in Matthæo ait Salvator : Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Quarto, ut ex tentationis impulsu experiantur propriam fragilitatem, et humilient se ipsos. Quinto, ut ex tentationis conflictu cautiores reddantur, et magis experti atque periti ad consulendum suis proximis dum tentantur. Unde Eccli. xxxiv, 9, 10. in Ecclesiastico habetur : Qui non est tentatus, quid scit? Vir in multis expertus, B cogitabit multa ; qui autem non est expertus, pauca recognoscit. Sexto, ne vana securitate et torpore ac negligentia resolvantur. Sunt et aliæ multæ causæ, videlicet : ut aliis compati discant, et resistendo in gratia crescant, ac prævalendo ponantur proximis in exemplum, quemadmodum Tob. ii, 12. Job et Tobias.

Luc. xxii, 33. *Qui,* videlicet Petrus, *dixit ei : Domine, tecum paratus sum et in carcerem et in mortem ire.* Quasi dicat : Non est mihi periculum propter tentationem quæ im- C minet, nec propter hanc timeo, quia paratus sum tecum quamcumque persecutionem, imo et mortem pati. Hoc Petrus dixit incaute, non pensando fragilitatem humanam; et tamen quando hæc dixit, sic sensit, et putavit se non posse ab hac voluntate deficere. Ideo dicit Glossa : Conscius Petrus præsentis affectus, et nescius futuri casus, non credidit se a suo proposito et Ibid. 34. affectu posse corruere. *At ille,* videlicet Jesus, *dixit : Dico tibi, Petre, non cantabit,* id est, cantum suum non complebit, D *hodie,* id est in hac nocte (quæ est pars diei naturalis, qui continet spatium viginti quatuor horarum; dies autem artificialis est latio solis super nostrum horizontem), *gallus, donec ter abneges nosse me,* id est, ter me negabis saltem ore, etsi non corde. Petrus etenim semel negavit Christum, et hoc in domo Annæ, ante primum gallorum cantum; deinde negavit eum bis ante cantum galli secundum, ut in Marco apertius Marc. xiv, 30. legitur : In hac nocte, priusquam gallus bis vocem dederit, ter me es negaturus. — Advertendum præterea, juxta ea quæ scripta sunt in Luca et Joanne, sequendo ordinem narrationis, videri quod Christus prædixerit Petro hanc trinam negationem ante egressum de loco Cœnæ; sed juxta ordinem narrationis Matthæi et Marci, apparet quod post egressum de illo cœnaculo istud prædixerit Petro. Idcirco videtur dicendum, quod vel bis prædixit hoc Petro, vel in descriptione hujus historiæ non servatur ordo rei gestæ, quemadmodum nec alibi sæpius in Scripturis.

Et dixit eis : Quando misi vos sine sacculo et pera et calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt : Nihil. Luc. xxii, 35, 36. Dominus et Salvator, ante suam passionem et publicam persecutionem, misit Apostolos ad prædicandum Judæis, et jussit ut non portarent secum sacculum, hoc Ibid. x, 3, 4. est bursam cum pecuniis, neque peram, id est repositorium ciborum, in via : quoniam scivit quod hi quibus prædicaturi erant, darent eis sufficientiam victualium; sicque nil de necessariis vitæ tunc defuit eis. Sed post suam passionem, durante Judæorum persecutione in eos, permisit eis portare bursam cum pecunia pro necessariis emendis, et peram cum alimentis. Unde subjungitur :

Dixit ergo eis : Sed nunc, qui habet sacculum, tollat, id est, secum portet; *similiter et peram. Et qui non habet* pecuniam, *vendat tunicam suam,* hoc est vestimentum seu aliud quodcumque sibi satis necessarium, *et emat gladium.* Hoc ad literam intelligendum videtur de gladio corporali, quia subjungitur : At illi dixerunt : Domine, ecce duo gladii hic. At Ibid. xxii, 38. ille dixit eis : Satis est. Sed quæstio oritur, cur Dominus voluit discipulos suos habere tunc gladium materialem, quum reprehenderit Petrum de extractione usque gladii. Matth. xxvi, 52. Respondetur, quod voluit eos habere gladios duos, ad ostendendum propriam patientiam et illorum fidelitatem : quorum utrumque patuit per hoc, quod Joann. xviii, 6, 10, 11. dum Judæi corruerunt retrorsum in ter-

ram, et Apostoli vellent eos percutere gladio, non permisit. Insuper propter mysticam rationem voluit gladios duos adesse, ad præfigurandum videlicet quod Ecclesia sua duplici gladio esset regenda, utpote spirituali, qui est ecclesiastica auctoritas seu censura, et gladio corporali per reges et principes sæculares. Vel duplici gladio spirituali, hoc est, jure canonico et jure civili. De hoc duplici gladio plenius scribunt Hugo in libro de Sacramentis, et Alexander de Hales super tertium Sententiarum.

Luc. XXII, 37. *Dico enim vobis, quoniam adhuc hoc* B *quod scriptum est* de me apud Isaiam, *oportet impleri in me : Et cum iniquis deputatus est.* Sic enim Isaias prophetavit *Is.* LIII, 12. de Christo : Tradidit in mortem animam

A suam, et cum sceleratis reputatus est. Nam Christus inter latrones suspensus est ; et de eo dixerunt Judæi coram Pilato : Si *Joann.* XVIII, 30. non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum. *Etenim ea quæ sunt de me, finem habent,* id est, cito jam implebuntur et finem accipient ea quæ de mea passione sunt prophetata, et tertio die immortalis, impassibilis et glorificatus resurgam.

At illi dixerunt : Domine, ecce duo *Luc.* XXII, 38. *gladii hic* sunt. Et secundum Chrysostomum, erant duo magni cultelli quibus utebantur Apostoli in præparatione agni paschalis aut piscium mactatione. *At ille dixit eis : Satis est,* id est, gladii duo sufficiunt ad agendum et designandum ea propter quæ volo gladios vos habere.

ARTICULUS VI

DE EGRESSU DOMINI AD MONTEM OLIVETI, DE TRISTITIA AC PAVORE EJUS, DE ORATIONE QUOQUE EJUS ET AGONE.

Matth. XXVI, 30. E*T hymno dicto,* id est gratiis persolu- C tis post consummationem convivii. Per quod docemur, quod universi fideles, facta refectione, debent gratias agere Deo, sicut et benedicere cibo ante comestionis exordium. Denique Christus legitur ter gratias egisse tempore Cœnæ : primo, post *Cf.* p. 437 D'. esum agni paschalis, ut patuit supra ; secundo, in institutione sacramenti Eucharistiæ, hoc est in consecratione corporis et sanguinis sui ; tertio, in fine convivii. *Luc.* XXII, 39. *Exierunt in montem Oliveti, secundum consuetudinem* suam, quia per locum il- D lum solebat Jesus in Bethaniam ire, et in ipso monte, vel horto monti vicino, consuevit nocturnis temporibus orationi vacare. Iverunt autem Jesus et Apostoli secum gregatim, ut legitur, sicut pergit gallina inter pullos. Christus namque magister totius virtutis, medium semper elegit. Non ergo iverunt directe processionaliter. Et exeundo de cœnaculo, continuavit Dominus Jesus per viam sermonem illum pulcherrimum quem inchoavit in Cœna : quem sermonem describit Joannes.

Tunc dicit illis Jesus : Omnes vos scan- *Matth.* XXVI, 31. *dalum patiemini in me in ista nocte,* id est, peccabitis, ex timore humano a me fugiendo. *Scriptum est enim* in Zacharia : *Percutiam pastorem,* id est, Christum, *Zach.* XIII, 7. qui est pastor bonus, capi et male tractari permittam, *et dispergentur oves gregis,* *Joann.* X, 11, 14. id est, Apostoli, qui sunt oves gregis et ovilis dominici, diffugient. In Zacharia autem sic legitur : Percute pastorem. Sed sensus redit in idem. Illa tamen prophetia non fuit causa ruinæ Apostolorum, sed potius signum et argumentum.

Sed quia ex hac Christi prænuntiatione erant Apostoli maxime contristati, mox subdit consolatoria verba : *Postquam au-* *Matth.* XXVI, 32. *tem resurrexero, præcedam vos in Gali-*

læam, id est, statim post mortem meam A resurgam, et quum resurrexero, cito vobis apparebo in Galilæa, in monte ibidem sito: de qua provincia ego et vos pro maxima parte estis oriundi, et inde me estis secuti; ideo decet ut specialiter ibi vobis appaream. Attamen in Jerusalem in cœnaculo apparuit eis prius quam in Galilæa; sed de apparitione in Galilæa facit specialiter mentionem, propter causam præfatam.

Matth. xxvi, 33. *Respondens autem Petrus, ait illi: Etsi omnes,* scilicet Apostoli, præter me, *scandalizati fuerint in te,* te relinquendo et B in te peccando, *ego nunquam scandalizabor.* Non ex adulatione aut fictione dixit hoc Petrus, imo pro tunc sic intendebat: idcirco non mentiebatur formaliter, sed materialiter tantum, quoniam postea fecit contrarium. Locutus est autem Petrus tam audacter, ex quadam inconsideratione propriæ fragilitatis, seu quadam virium suarum præsumptione, et ex vehementia suæ affectionis ad Christum. Et quoniam tantum præsumpsit de constantia sua præ aliis Apostolis, justo Dei judicio permissus C est gravius scandalizari ac cadere quam illi, ut ex proprio casu fieret cautior atque humilior, et ad compatiendum consulendumque aliis peritior et item proclivior. Sed quæritur, qualiter Petrus ausus fuit tam absolute contradicere verbis Christi, quem credidit esse Filium Dei, nec posse mentiri. Respondetur, quod forsan putavit Christum loqui comminatorie, non affirmatorie. Nec ipse Petrus neque Apostoli alii debuerunt ita accipere verba Christi, quasi nequaquam possent scandalizatio- D nem illam vitare, alioqui putassent se necessitatos ad peccandum; sed debuerunt ea intelligere quasi sub conditione prolata, utpote, quod scandalizandi essent, nisi se debite observarent: prout Antisiodorensis plenius scribit in Summa sua.

Marc. xiv, 30. *Et ait illi Jesus: Amen dico tibi, quia tu hodie in nocte hac, priusquam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus.* Istud in articulo præcedenti expositum est.

Ibid. 31; Matth. xxvi, 35. *At ille amplius loquebatur: Etsi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter et omnes discipuli,* id est reliqui decem Apostoli ibi præsentes, *dixerunt,* qui adhuc erant imperfecti, et si verba hujusmodi protulissent ex humili confidentia divini auxilii, forsan præservati fuissent a culpa fugæ.

Egressus est Jesus de Jerusalem *trans torrentem Cedron,* id est Cedrorum. Nam inter Jerusalem et montem Oliveti, in quo crescebant et stabant olivæ, sita fuit vallis Josaphat (in qua Josaphat rex Juda fuit sepultus: propter quod vallis Josaphat vocabatur), et per vallem illam currebat torrens, qui dicebatur torrens Cedron seu Cedrorum, quoniam cedri, quæ sunt arbores pulchræ et altæ, stabant in ripa torrentis; atque per viam illius torrentis Jesus perrexit. Et *venit cum discipulis in villam quæ dicitur Gethsemani,* et jacuit prope montem Oliveti, *ubi erat hortus* modicum extra villam: *in quem introivit ipse et discipuli ejus,* quoniam hortus ille fuit locus orationi contemplationique aptus. Joann. xviii, 1. Matth. xxvi, 36; Joann. xviii, 1.

Et assumit Petrum et Jacobum et Joannem secum, qui erant ei specialiter familiares, et secum fuerunt in camera in qua suscitavit filiam Jairi archisynagogi, et in monte Thabor quando fuit transfiguratus. Petrum namque voluit ordinare pastorem totius universalis Ecclesiæ, et Jacobum Zebedæi scivit primo esse passurum martyrium inter Apostolos, Joannem autem voluit facere summum evangelistam, et suæ dignissimæ Matris custodem. Marc. xiv, 33. Ibid. v, 37; ix, 1.

Et cœpit contristari et mœstus esse, et pavere et tædere. Notanter dicunt Evangelistæ, quod « cœpit contristari et mœstus esse », etc., quoniam passiones istæ fuerunt in eo ex prævio rationis judicio, ita quod potestative ac libere propter rationabiles causas assumpsit eas. Primo, ad ostendendum in se veritatem humanæ naturæ, ad destruendum errores hæreticorum quos scivit futuros, videlicet Manichæorum et Marcionitarum, qui dixerunt eum assumpsisse corpus phantasticum et non verum. Secundo, ut hanc tristitiam et formidinem Matth. xxvi, 37; Marc. xiv, 33.

propter nos sustinendo, mereretur nobis A gratiam copiosam ac virtutem resistendi inordinatis tristitiis, doloribus atque timoribus ac tædiis, et refrenandi hujuscemodi passiones. Tertio, ut nos finaliter ab omnibus talibus passionibus liberaret : quod electi in futura beatitudine consequentur, et præsertim in die novissimo, quando in corpore et anima glorificabuntur. Quarto, pro consolatione justorum, ne scilicet desperatione frangantur aut tædio opprimantur, si interdum se senserint præfatis tristitiæ et doloris, terroris ac tædii pas- B sionibus affici, eo quod Christus caput eorum dignatus est passiones istas sponte assumere ac perferre : quæ tamen, secundum Hieronymum, fuerunt in Christo magis propassiones quam passiones, quia nequaquam impediebant usum rationis aut actum virtutis in Christo. Quinto, pro nostra instructione, ut discamus compati proximis, et de eorum malis tristari : secundum quod Dominus et Salvator tristitiam illam assumpsit ac pertulit, non solum propter acerbissimas afflictiones et ama- C rissimam mortem sibi mox imminentes, sed propter casum discipulorum suorum et infelicissimi Judæ æternam damnationem, et propter finalem Judæorum obdurationem ac derelictionem ; et quia prævidit quod major pars generis humani deberet suæ dolorosissimæ passioni esse ingrata, nec consequi fructum ejus, imo quod plurimi occasione suæ passionis deberent ex sua ingratitudine gravius condemnari.

Itaque, sicut Thomas scribit super tertium Sententiarum, et in tertia parte Sum- D mæ suæ, quintadecima quæstione, aliter fuerunt passiones istæ in Christo quam in nobis. Primo, quantum ad earum objectum : quia in nobis ad illicita sæpe moventur, in Christo nunquam movebantur nisi ad licita. Secundo, quia in nobis frequenter præveniunt rationis judicium, sed nunquam in Christo. Tertio, quia in nobis multoties impediunt, perturbant atque obtenebrant rationem, et sibi alliciunt eam ; nunquam autem in Christo, sed in eo fuerunt tantum et taliter et tamdiu, quantum et qualiter et quamdiu voluit ipse et ratio sua præcepit, quoniam tota pars sensitiva fuit in Christo rationi plene ac summe subjecta.

Præterea de ista materia scribit Bonaventura super tertium Sententiarum : Triplex est tristitia. Una quæ est præter rationis imperium, ut est primus motus tristitiæ, et passio tristitiæ pure naturalis : quæ non fuit in Christo, quoniam nulla motio passionis prævenit in eo rationis judicium sive imperium. Alia est tristitia, quæ est contra rectæ rationis judicium, quæ est vitiosa et immoderata tristitia : quæ nequaquam fuit in Salvatore. Unde et Salomon loquitur : Non contristabit justum quidquid ei acciderit. (*Prov.* XII, 21.) De hac duplici tristitia prædixit Isaias de Filio Dei : Non erit tristis neque turbulentus. (*Is.* XLII, 4.) Tertia est tristitia ordinata, rationi subjecta, dum quis tristatur ratione suadente atque dictante ipsum debere tantum ac taliter contristari : et talis fuit in Christo tristitia, præsertim de malo culpæ aliorum. Unde et in Marco legitur : Contristatus est Jesus super cæcitate cordis eorum. (*Marc.* III, 5.) Hæc quippe tristitia ex caritate procedit. Quemadmodum enim debemus de bonis actibus proximorum gaudere, ita debemus de eorum peccatis tristari. Potest etiam tristitia esse de malo pœnæ.

De timore quoque, secundum Alexandrum de Hales et Bonaventuram, est distinguendum. Nam quidam est timor gratuitus : qui est triplex. Unus est timor filialis ac reverentialis. Qui fuit in Christo, sicut Isaias prædixit : Replebit eum spiritus timoris Domini. (*Is.* XI, 3.) Non tamen fuit in Christo timor iste secundum quod respicit malum culpæ (quoniam Christus certus fuit se non posse peccare), sed prout respicit bonum admirationis ac reverentiæ, quemadmodum angeli sancti dicuntur Deo adsistere cum timore. Alius est timor initialis ; tertius, servilis. — Secundus est timor libidinosus, videlicet humanus atque mundanus : quem constat non fuisse in

Matth. x, 28. Christo. De quo ipse præcepit: Nolite timere eos qui corpus occidunt. Et Salomon : *Prov.* xxviii, 1. Justus (inquit) quasi leo confidens, absque terrore erit. — Tertius est timor naturalis: qui triplex est. Primus est sensitivi appetitus rationem prævenientis : qui non fuit in Christo, eadem ratione qua nec tristitia quæ est præter rationem. Secundus est sensitivi appetitus rationem subvertentis : qui in Christo nullatenus fuit. Tertius est timor ex ratione assumptus : qui fuit in Christo.

Fuit quoque in Christo dolor corporalis exterior, et item dolor animalis interior, et etiam dolor partis intellectivæ. Et unusquisque dolorum istorum maximus fuit in Domino, qui in omnibus membris corporis ac singulis viribus animæ patiebatur, prout declarabitur infra. Iterum fuit in Domino dolor passionis et dolor compassionis. Sed quis horum dolorum major in eo exstiterit, inferius ostendetur.

Matth. xxvi, 38. Dixit ergo Salvator : *Tristis est anima mea,* id est ego ipse secundum naturam assumptam, sumendo partem (videlicet animam) pro toto, *usque ad mortem,* id est, vehementissime tristis sum : juxta morem loquendi quo aliquid dicitur maxime esse pœnale, dum dicimus illud esse pœnosum usque ad mortem. Quemadmodum enim Filius Dei assumpsit præfatam tristitiam propter causas præhabitas, ita assumpsit tristitiam maximam, sicut et amarissimam mortem, ut per hoc nobis promereretur abundantiorem virtutem ac gratiam. Potest etiam sic exponi : « Tristis est anima mea usque ad mortem » inclusive, id est, tristitia ista durabit quousque in cruce spiritum tradam. Sicque Origenes exponit. Sed advertendum, quod tristitia quam Christus assumpsit propter acerbitatem pœnarum et mortis quas protinus erat passurus, non duravit in eo hoc modo : imo tristitiam illam potestative removit a se, quando post trinam orationem sanguinisque sudorem, obviam ivit adversariis suis. Tristabatur autem etiam propter gravissimam afflictionem suæ carissi-

A mæ Matris et discipulorum ac discipularum suarum, imo et omnium martyrum et electorum suorum, quibus omnibus vehementer condoluit, intuendo ac considerando quæ et quanta erant passuri pro eo : et talis tristitia mansit in Domino usque ad mortem.

Sustinete hic, id est, hoc in loco me exspectate, patientiamque habete, *et vigilate mecum,* id est, caritatem et fidelitatem vestram ad me ostendite, in hac hora communicando tribulationibus meis, et B adsistendo compatiendoque mihi in tanta angustia, sicut decet discipulos et amicos. O quam grave et desolatorium erat, tam dulcissimum Dominum videre tam tristem et angustiatum, qui alios semper consuevit tam constanter atque suaviter consolari ! Imo legitur, et in revelatione quadam S. Brigittæ recitatur, quod Dominus Jesus erat tam pulcher, delectabilis et jucundus in adspectu, verbis ac moribus, quod multi, præsertim desolati ac mœsti, frequenter dixerunt : Eamus et videamus Jesum C Mariæ filium, quatenus ex ejus intuitu consolemur.

Et progressus pusillum, avulsus est ab eis, tribus prædictis Apostolis, *quantum jactus est lapidis,* recedens ab illis per spatium tantum; et per id quod ait, « avulsus est ab eis », insinuare videtur quod Apostoli isti cupiebant cum eo transire, sed ipse se avellebat ab illis. Sic autem retraxit se ab illis, non quod ex illorum consortio poterat ejus attentio minui aut devotio impediri, sed ad dandum nobis D documentum atque exemplum, hoc est, ut doceat nos quod oratio debeat esse secreta, ut Christi exemplo confugiamus ad locum secretum et quietum tempore orationis, quantum nobis possibile est. Unde ait Matthæus : Tu autem quum oraveris, intra in cubiculum tuum, et ora Patrem tuum in abscondito. Verumtamen quædam sunt orationes quas oportet facere in loco communi, videlicet in materiali ecclesia et publice coram plebe. *Matth.* xxvi, 39 ; *Luc.* xxii, 41. *Matth.* vi, 6. *Ibid.* xxvi, 39 ; *Marc.* xiv, 35 ; *Luc.* xxii, 41.

Et procidit in faciem super terram ; et

positis genibus, orabat. Primo enim prostravit se toto corpore coram Patre æterno in terram, humiliando se maxime coram illo; deinde genua flexit, et oravit *ut si fieri posset, transiret ab eo hora,* id est amarissima passio horæ jam imminentis, *et dixit: Abba,* quod interpretatur *Pater, omnia* quibus non repugnat ratio entis, *tibi possibilia sunt,* quum sis infinitæ potentiæ (quæ non potest in tot et tanta, quin quantum in se est, possit in infinities plura atque majora); *transfer calicem hunc a me,* id est, ab instanti passione me eripe. Istam orationem fudit Christus, ad ostendendum in se veram humanitatem et naturalem mortis horrorem. Sicque oratio ista processit ex motu sensitivi naturalisque appetitus, mortem et passionem naturaliter abhorrentis; ratio tamen orationem istam formavit, tanquam interpres et advocata sensitivi naturalisque appetitus. Sed ne ratio et voluntas animæ Christi putarentur subjectæ appetitui sensitivo, recte Christus subjunxit: *Sed non quod ego volo, sed quod tu,* id est, finaliter oro et opto ut fiat quod complacet tibi, non quod ego desidero secundum appetitum inferiorem, sensitivum ac naturalem.

Marc. XIV, 36.

Itaque advertendum, quod quidquid Christus oravit et desideravit ratione deliberata et voluntate intellectuali, impetravit a Patre, cui ipse ait: Gratias ago tibi, Pater, quoniam audisti me; ego autem sciebam quoniam semper me audis. Unde et Apostolus protestatur: Jesus cum clamore valido et lacrimis preces offerens ei qui possit illum a morte salvum facere, exauditus est pro sua reverentia. Nam in eo quod dixit orando, «Non quod ego volo, sed quod tu», exauditus est. Orationes autem ejus quæ procedebant ex desiderio sensitivi naturalisque appetitus, non fuerunt semper aut per omnia exauditæ: quia nec talis appetitus animæ Christi fuit semper conformis voluntati divinæ in volito, hoc est in re optata. Attamen sic conformis fuit voluntati divinæ, quod non appetivit nisi quod Deus voluit eum appetere, nec unquam fuit divinæ voluntati aut rectæ rationi contrarius: alioqui fuisset culpabilis. Fuit quoque in Christo quædam oratio procedens ex aliqua pietate qua alienis malis condoluit; nec illa fuit exaudita in omnibus, ut Hugo de S. Victore plenius scribit. De talibus orationibus Christus ait in Psalmo: Deus meus, clamabo per diem, et non exaudies; et nocte, et non ad insipientiam mihi. Denique secundum Thomam super Job, præfatam sensitivi naturalisque appetitus orationem Christus fudit ad Patrem, ad ostendendum nobis in quali dispositione et in quanta angustia tunc erat in inferiori parte animæ suæ.

Joann. XI, 41. 42. Hebr. V, 7. Ps. XXI, 3.

Et venit ad discipulos suos. Cur fusa oratione, ad Apostolos rediit? Dicendum, quod primo hoc fecit, ad innuendum quod pastor sic debet orationi et contemplationi esse intentus ut non omittat curam gerere gregis sibi commissi, sed illum assidue visitet; maxime dum cognoscit aut probabiliter putat, quod subditi sui periculis tentationum expositi sunt, aut alicui subjacent culpæ, sicut nunc in Apostolis fuit: ad quos etiam sæpius revertebatur, ex ratione jam tacta. Secundo fecit hoc, ad instruendum nos quod post actus et exercitia vitæ contemplativæ ac caritatis divinæ, redeundum sit tempore opportuno ad opera vitæ activæ et caritatis fraternæ. Tertio, ut admoneret Apostolos. *Et invenit eos dormientes præ tristitia.* Una causa somnolentiæ eorum fuit gravis mœror quem ex verbis et gestibus Christi conceperunt, unde et somnum admiserunt: nam somnus est relevamen quoddam tristitiæ. Aliæ causæ fuerunt, quia jam erat profunda nox, et vapores ascendebant ad cerebrum, et diu vigilaverant, et fatigati erant ex occupationibus multis, sero quoque comederant: sicque fuerunt in Apostolis multæ naturales causæ tam gravis somni. *Et dicit Petro: Simon, dormis?* quasi diceret: Jam merito evigilares. *Non potuisti una hora vigilare mecum?* tanquam diceret: Tu qui dixisti te esse paratum ire mecum

Matth. XXVI, 40. Luc. XXII, 45. Marc. XIV, 37; Matth. XXVI, 40. Luc. XXII, 33.

in carcerem et in mortem, quomodo jam A ita remisse te habes quod non es paratus mecum paululum vigilare, quod multo facilius est quam mortem aut carcerem sustinere? Specialiter autem Christus alloquebatur et increpabat Petrum, quia præ ceteris magis audacter fuit locutus quod Christo usque ad mortem adsisteret; et etiam quoniam Petrus inter Apostolos fuit præcipuus, ideo debuit coapostolis esse exemplaris in orando ac vigilando : unde et magis reprehensibilis fuit sic dormiendo.

Deinde communiter dixit tribus Apo- B
Matth. xxvi, 41. stolis : *Vigilate* mente et corpore, cum diligentia insistendo custodiæ cordis vestri, *et orate*, invocando auxilium Dei in hora tanti periculi, *ut non intretis in tentationem*, id est, ne alicui tentationi succumbatis, et ne cadatis per consensum aut delectationem illicitam. Instabat autem Apostolis triplex tentatio : una, a propria carne, quæ eos ad somnolentiam atque pigritiam traxit; alia, a diabolo, qui eos ad vitia trahere moliebatur; tertia, a mundo, id est ab adversariis Christi, quorum ti- C more paulo post fugerunt a Christo.

Porro potissimum remedium contra tentationes, est bonis operibus vigilanter insistere, et Deum ferventer ac jugiter invo-
Eccli. xxxiii, 29. care. Nam ut ait Scriptura, otiositas multa mala docet, et magna parit peccata; similiter negligentia. Ad vitandum namque peccata, oportet ut homo sit sollicitus coram Deo ac timoratus. Nec tamen debet homo confidere se posse tentationes propriis viribus aut operibus superare : propterea debet cum humili confidentia ad D Deum confugere, et ejus subsidium implo-
Ps. xlix, 15. rare, qui ait in Psalmo : Invoca me in die tribulationis; eruam te, et honorificabis me. Quemadmodum enim fures audito clamore, mox fugiunt, et vicini subveniunt; sic clamor devotæ ac stabilis orationis fugat diabolum, et excitat Deum ac Sanctos ad succurrendum. Ideo, qui in tentatione constitutus non invocat Dominum, socius furis (id est diaboli) esse videtur, imo et proditor Domini sui, cujus adversarios sentit impugnare et velle destruere possessionem sui Domini, et non clamat.

Spiritus quidem promptus est, id est, Matth. xxvi, 41.
anima quantum ad vires suas superiores, utpote rationem et voluntatem intellectualem, parata est ad actus virtutum. Nam et ratio deprecatur ad optima, et synderesis malis remurmurat, apex quoque voluntatis ad bonum vere honestum afficitur. *Caro autem infirma* est ad sustinendum adversa, ad insistendum bonis operibus, ad prævalendum tentationibus. Et potest caro hic accipi pro sensualitate, quæ fomite est infecta, et ad diversa inclinat peccata. Propter quod ad Galatas ait Apostolus : Spiritu ambulate, et desideria carnis Galat. v, 16, 17.
non perficietis. Caro enim concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem : hæc enim sibi invicem adversantur.

Et iterum secundo abiit, et oravit, eumdem sermonem dicens : Pater mi, si non Matth. xxvi, 42; Marc. xiv, 39.
potest hic calix transire, id est auferri a me, *nisi bibam illum*, id est, si a toleratione hujus acerbissimæ mortis supportari non valeo, *fiat voluntas tua*, id est, paratus sum pati, secundum deliberatam et absolutam voluntatem, sicut tu vis. In hac oratione Christus nos docuit ut in orationibus nostris simus resignati, ita ut voluntatem nostram subdamus humiliter voluntati divinæ, et ejus dispositioni committamus finaliter exauditionem orationum nostrarum ac exitum nostrum : præsertim dum aliquid deprecamur de quo sumus incerti an sit pro nostra salute ac Dei honore, ut sunt prospera et adversa sæculi hujus, ac consimilia, quæ prodesse possunt et obesse saluti; quæ vero sunt necessaria ad salutem, et directe utilia ad virtutum profectum, debemus et possumus absolute desiderare ac postulare a Deo, ut sunt virtutes et actus earum.

Præterea quæri potest, an Pater omnipotens potuit calicem passionis auferre a Christo. Et videtur quod imo, quia omnipotens est, et quoniam Christus dixit ad eum : Pater, omnia tibi possibilia sunt; transfer calicem istum a me. Quasi dicat :

Quum sis omnipotens, potes et istud. In A oppositum arguitur, quoniam verus et infallibilis Deus non potest contra id quod ipse futurum esse decrevit et prænuntiavit : sed ipse decreverat in sapientia sua æterna, et per Prophetas prædixerat Christum esse passurum. — Respondetur secundum Albertum Magnum super tertium Sententiarum, et juxta B. Thomam in tertia parte Summæ, (q. XLVI, a. 2.) quod aliquid dicitur possibile seu impossibile vel necessarium dupliciter. Primo, simpliciter et absolute loquendo; et ita non fuit impossibile calicem passionis auferri a Christo, nec necessarium fuit eum pati. Nam calicem illum auferri a Christo, secundum se sumptum, non fuit impossibile Deo, nec contradictionem implicabat, nec repugnantiam habuit ad omnipotentiam Dei, qui absolute loquendo potuit alio modo redimere genus humanum. Alio modo dicitur aliquid possibile aut impossibile seu necessarium, ex suppositione vel sub conditione (ut si quis debet curari, oportet ut medicina utatur; vel si asinus volat, habet pennas); et ita non potuit calix passionis a Christo auferri, et necessarium exstitit ipsum pati, quoniam Deus per Christi passionem decreverat atque prædixerat mundum esse salvandum.

(Marc. XIV, 40.) *Et reversus denuo.* Cur denuo rediit, dictum est. *Invenit eos dormientes :* in quo patet eorum fragilitas. *Erant enim oculi eorum gravati* ex indigentia somni et vaporibus derivatis ad organum visus. *Et ignorabant quid responderent ei.* Ex quo elicitur, quod eorum somnolentiam increpavit ut ante, nec se poterant rationabiliter excusare. Quamvis enim habuerunt naturales causas inclinantes ad somnum, illas tamen pro tunc vincere debuerunt amore Christi; et propter exhortationes atque angustias ejus, somnolentiam omnem excutere in tali articulo, in quo tam vehementer debebant compati Christo, et formidare de proprio lapsu eis a Christo prædicto, quod omnem somnum de facili merito superassent. (Matth. XXVI, 44.) *Et relictis illis, iterum abiit,* ad designandum quod dum prædicator seu pastor plebem hortatus est et instruxit, debeat ad secretum orationis confugere, et Deo ac sibi vacare, atque pro subditis fundere preces. *Et oravit tertio, eumdem sermonem dicens : Pater, si vis, transfer calicem istum a me; verumtamen non mea voluntas,* (Luc. XXII, 42.) id est non desiderium inferioris appetitus et carnis, *sed tua fiat.* Itaque Christus ter oravit, ter ad discipulos rediit, sicut ter fuit tentatus, ut in omnibus mysterium Trinitatis commendaret, B et ad perseverandum in bonis nos provocaret atque ad exorandum assidue; et item ut liberaret nos a malis præteritis, præsentibus et futuris, a malo quoque naturæ, a malo culpæ, et a malo infernalis miseriæ, item a malo peccati originalis et actualis ac personalis, a vitiis cordis, oris et operis.

Apparuit autem illi angelus de cœlo. (Ibid. 43.) Angelus ille descendens de cœlo, visibiliter apparuit Christo in corpore quodam assumpto. Et quamvis non sciamus pro certo quis fuerit angelus ille, probabiliter C tamen potest putari quod fuit Michael, qui tunc fuit princeps Synagogæ, cujus Christus fuit divinissimum membrum. *Confortans eum,* id est, per modum confortantis se habens, et verba consolatoria proferens, utpote : Constans esto, o Domine Jesu, quia jam redimes mundum; aut simile aliquid. Atque ut ait Theophilus, confortatio angeli fuit laus et glorificatio Christi, quoniam angelus dixit : Tua, o Domine, est virtus, tua potentia; tu potes a morte redimere genus humanum.

D *Et factus in agonia,* id est, Dominus Jesus sponte constitutus in vehementi luctamine quod erat inter appetitum ejus naturalem et sensitivum, quo mortem refugiebat ac abhorrebat, et appetitum ejus rationalem ac superiorem, quo pro mundi salute mori paratissimus fuit. Nam ut major esset in Christo afflictio, pro copiosiori nostra subventione, voluit et disposuit Deus ut tunc inferior appetitus animæ Christi ageret ac pateretur quod suum erat. Vel, « factus in agonia », id est

positus in pœnalissima anxietate ex con- A sideratione plenaria totius acerbitatis passionis sibi jam imminentis, quam totam clarissime intuebatur, et imaginabatur tanquam præsentem. Unde et laborantes in extremis ac protinus morituri, dicuntur positi in agone, id est in extrema lucta inter vitam et mortem. *Prolixius,* id est valde diu, *orabat,* sicut et longum fecit sermonem post Cœnam : quoniam timor mortis et agonia præfata ac ceteri motus inferioris appetitus, non impediebant in Christo exercitia rationis ac actus virtu- B tum ; ideo mente constantissimus mansit usque ad mortem. Oravit autem pro communi totius mundi salute, potissimum pro electis. Nam ante jam dixit ad Patrem :
Joann. xvii, 9, 6. Non pro mundo rogo, sed pro iis quos dedisti mihi de mundo. Nam ex deliberata ratione non oravit pro salvatione aliquorum nisi electorum. Oravit quoque specialiter pro suis discipulis, et pro glorificatione sua quantum ad præmium accidentale. Denique in tanta angustia orando prolixius, contulit nobis exemplum instan- C ter orandi, atque in majoribus tribulationibus ferventius et diuturnius deprecandi, et maxime morte jam imminente.

Luc. xxii, 44. *Et factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Ex quo constat, quam ineffabiliter magna fuit animæ Christi angustia atque illa interior agonia, et quantum natura ejus nobilissima ac tenerrima tam ignominiosissimæ mortis crudelissimam acerbitatem abhorruit. Porro ad hoc quod sanguis tam copiose erupit de corpore Christi, conferre D potuit teneritudo cutis seu pellis suæ. Dicuntque aliqui, quod Christus sudavit sanguinem purum. Alii dicunt, quod humor sudoris sui fuit intinctus sanguine ejus. Quidam vero (ut refert Theophilus) dixerunt, quod non sudavit veraciter sanguinem, sed quod ad insinuandum magnitudinem sui sudoris ait Evangelista, quod factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis : quemadmodum de eo qui uberrime ac amarissime plorat, communiter dicitur quod sanguineas guttas effundit. Sed istud creditur falsum.

Et quum surrexisset ab oratione, et venisset ad discipulos suos, invenit eos dormientes, et ait illis : Dormite jam et requiescite. Hoc exponi potest dupliciter. Luc. xxii, 45. Marc. xiv, 41. Primo, quod dixit ista verba quasi ironice, ac si diceret : Numquid jam tempus est dormiendi in tanta necessitate? Secundo, quod per verba hæc dedit eis licentiam dormiendi requiescendique modicum, quos paulo post scivit tam graviter perturbandos ; deinde post breve spatium dixit : *Sufficit* dormivisse tam diu. *Ecce appropinquabit,* id est, mox aderit, *hora, et* Matth. xxvi, 45. *Filius hominis tradetur in manus peccatorum,* id est impiissimorum hominum : qui antonomastice peccatores vocantur, quia manus sacrilegas in Dominum majestatis injicere præsumpserunt. *Surgite,* Ibid. 46. *eamus* obviam illis, ut sciant quod jam eos non timeo. Quemadmodum enim Christus timorem mortis assumpsit spontanee, propter rationabiles causas præhabitas ; Cf. p. 452 D' et 6. sic quando voluit, timorem illum potestative abjecit, et corde promptissimo ivit ad patiendum. *Ecce qui me tradet,* videlicet Judas proditor, *prope est.* Marc. xiv, 42.

Circa prædicta pensandum quod super tertium Sententiarum scribit Bonaventura : quod scilicet oratio illa qua Christus oravit calicem passionis transferri a se, fuit sensitivæ partis quoad materiam, quoniam sensitivus appetitus mortem exhorruit; sed fuit rationis quantum ad formam. Et quamvis ratio animæ Christi scivit sensitivam partem in sua materia non exaudiendam, tamen proposuit illam orationem propter tria. Primo, ad manifestandum veritatem naturæ humanæ in Christo, quæ mortem naturalem refutavit; et in hoc erudivit Dominus nostram fidem. Secundo, ad firmandum nostram imbecillitatem, ut non diffidamus quando passionum pericula exhorremus; et in hoc spem nostram erexit. Tertio, ad instruendum nostram voluntatem esse in omnibus divinæ voluntati subjiciendam; et per hoc ordinavit in nobis

caritatem. Ob hoc etiam voluit Christus A sibi angelum apparere, cujus apparitione et confortatione ipse non eguit : scilicet ob nostram instructionem, ut roboremur in fide, et sciamus quod angeli sancti orantibus et pie afflictis adsistant, et quod tribulatis pro Deo non deerit divina consolatio. Insuper aliqui dicunt, quod angelus ille qui Christo apparuit, ab Apostolis quoque sit visus : quod tamen non arbitror certum ; imo videtur probabile, quod si angelum illum vidissent, ex ejus apparitione fuissent tam vehementer obstupefa- B cti, alterati ac territi, quod post hoc non obdormivissent tam cito.

Præterea, secundum Petrum de Tarantasia super tertium Sententiarum, Christo in quantum Deus non conveniebat orare, quia sic æqualis est Patri. Sed ut homo, considerari potest dupliciter. Primo, in quantum comprehensor; et sic conveniebat ei orare pro aliis, non pro se. Secundo, in quantum viator; sicque competebat ei orare tam pro se quam pro aliis. Quocirca addit Richardus de Mediavilla super tertium, distinctione septimadecima : Oratio solet esse ad excludendum defectum aliquem ab illo pro quo oratur. Et est duplex defectus : unus culpabilis, alter pœnalis. Et quia in Christo nequaquam fuit defectus culpabilis, idcirco hoc modo non oravit pro se, sed pro aliis. In ipso autem Christo fuit defectus pœnalis, tam ex parte corporis quam ex parte animæ suæ, in quantum utrumque fuit passibile : ideo in quantum oratio ordinatur ad excludendum defectum pœnalem, Christus non solum oravit pro aliis, sed etiam pro se.

ARTICULUS VII

DE TRADITIONE ET CAPTIVITATE DOMINI JESU, ET DISCIPULORUM FUGA.

Joann. XVIII, 2. *SCIEBAT autem et Judas, qui tradebat eum*, videlicet Christum, *locum*, C utpote hortum in quo Christus tunc fuit, *quia frequenter Jesus convenerat illuc cum discipulis suis* tempore nocturno, ad
Cf. p. 451 D. vacandum ibidem orationi, ut dictum est.
Ibid. 3. *Judas ergo, quum accepisset cohortem*, id est turbam gentilium militum, quos pontifices procuraverunt a Pilato, *et a pontificibus et Pharisæis ministros*. Sicque armavit se miserrimus proditor ille satellitibus utriusque potestatis ac curiæ, utpote Judæorum ac Romanorum, ne magi- D ster suus ullo modo posset evadere, et ne Apostoli eum aliquo modo possent aut au-
Marc. XIV, 43. derent defendere. *Et adhuc eo*, videlicet Christo, *loquente* cum Apostolis verba præ-
Joann. XVIII, 3. tacta, *venit illuc, et cum eo turba multa*, id est multitudo turbata et vitiis deordinata, ex gentilibus et Judæis collecta, *cum laternis et facibus et armis, cum gladiis,* Matth. XXVI, 47; Marc. XIV, 43.
fustibus et lignis. Luminaria enim apportabant, quia nox erat, ne Jesus se celaret in tenebris, atque ut ipsum ab aliis, præsertim a Jacobo Minori ei multum consimili, possent discernere. *Qui autem tradidit eum, dedit eis signum, dicens :* Matth. XXVI, 48; Marc. XIV, 44.
Quemcumque osculatus fuero, ipse est; tenete eum, et ducite caute. O quanta impietas traditoris, et quanta inverecundia ejus, qui signo pacis et amicitiæ manifestavit ac tradidit magistrum et Dominum suum in mortem, nec erubuit tantam sui pravissimi cordis falsitatem ac fraudem tanto exercitui propalare! Dedit autem eis signum hoc osculi, quoniam Jesus consuevit discipulos suos ad se redeuntes in osculo sancto ex caritate suscipere; et item ut Christus minus se observaret aut retraheret ab ipso falsissimo Juda; et ne

Apostoli in ipsum proditorem insurgerent. A

Sed quum Judæi distincte cognoverunt Jesum, quem toties conspexerunt, cur Judas dedit eis hoc signum quo cognoscerent Jesum? Ad hoc aliqui dicunt, quoniam Jacobus Minor fuit valde consimilis Christo in facie, propter quod frater ejus appellabatur; vel quia in nocte non poterant tam bene discernere sicut in die, quamvis luminaria quædam haberent; vel (ut tangit Origenes) Judas timuit ne Christus suam faciem immutaret, prout fecit in transfiguratione, et ita non posset agnosci nisi ab iis qui eum ex aliis indiciis noverant, qui scilicet ei familiares erant, sicut et ipse Judas; vel (ut scribit Chrysostomus) timuit ne Jesus per medium eorum transiret, sicut quando transivit per medium Judæorum, eum capere, præcipitare aut lapidare volentium, quibus se pro tunc invisibilem fecit : propter quod traditor etiam dixit, « tenete eum », id est, fortiter stringite, « et ducite » eum « caute » per viam, ne manus vestras imperceptibiliter elabatur.

Galat. I, 19. — *Matth.* XVII, 2. — *Luc.* IV, 30; *Joann.* VIII, 59; X, 39.

Et appropinquavit ad Jesum corporaliter, a quo spiritualiter fuit aversus, *ut oscularetur eum :* sicut callidus Joab accessit quasi vultu sereno ad Amasam suum consobrinum, et tenuit mentum illius quasi osculans ipsum; et dicens, Salve, mi frater, effudit intestina ipsius cum gladio.

Luc. XXII, 47; *Matth.* XXVI, 49. — II *Reg.* XX, 9, 10.

Jesus itaque sciens omnia quæ ventura erant super ipsum, processit* obviam illis cum undecim Apostolis. Quum enim dixisset ad tres, scilicet Petrum, Jacobum et Joannem, Surgite, eamus; ivit cum illis D tribus ad reliquos octo, et tunc omnibus illis pariter dixit : Ecce jam instat hora in qua hostibus meis tradar; eamus in occursum eorum. *Et dixit eis : Quem quæritis?* Non ex ignorantia hoc quæsivit, sed ad ostendendum illorum nescientiam ac imbecillitatem. Nam quamvis ipse Dominus Jesus stetit in adspectu eorum, non tamen cognoverunt eum quousque voluit cognosci ab eis : imo nec Judas pro tunc eum cognovit. Nempe si eum cognovissent, non dubium est quin eum mox invasissent, quemadmodum solent invadi qui quæruntur ad capiendum et occidendum. Ideo dicit Chrysostomus : In medio illorum stans, eorum oculos excæcavit ne eum agnoscerent. Addit namque Evangelista : Stabat autem et Judas cum illis. Nam si soli alieni tunc Jesum minus cognovissent, mirandum non esset; sed quod nec Judas ei familiaris eum cognovit, valde mirum est. Itaque juxta ista dicendum, quod Christus percussit illos ea specie cæcitatis quæ acrisia nuncupatur : qua per- B cussi fuerunt Sodomitæ ante januam Lot, ut in Genesi legitur, et Syri, quando Eliseus oravit, Domine, percute gentem hanc cæcitate, ut scriptum est quarto Regum. Talisque cæcitas non est omnimoda cæcitas, qua nihil videtur, sed cæcitas quædam, qua aliquid confuse videtur, videlicet quod sit homo aut corpus, non tamen distincte cognoscitur, utpote in persona. *Responderunt ei : Jesum Nazarenum. Dicit eis Jesus : Ego sum. Stabat autem et Judas,* C *qui tradebat eum, cum ipsis,* quia præcessor et ductor eorum fuit.

Joann. XVIII, 4. * *eum* — *Matth.* XXVI, 46. — *Joann.* XVIII, 4. — *Gen.* XIX, 11. — IV *Reg.* VI, 18. — *Joann.* XVIII, 5.

Ut ergo, id est statim postquam, *dixit eis, Ego sum, abierunt retrorsum et ceciderunt in terram,* et etiam impius Judas cum eis, ut creditur. Et quod dictum est, « abierunt retrorsum et ceciderunt in terram », aliqui ita intelligunt, quod modicum retrocedentes corruerunt resupini in terram, et super dorsa sua jacuerunt. Alii dicunt, quod audito illo responso, « Ego sum », territi averterunt facies suas a Christo, et ceciderunt in facies suas. Christus autem sua divina virtute dedit voci suæ vocem virtutis, id est miram vim et supernaturalem potentiam perterrendi impios auditores, quorum et corda immutavit, obstupefecit ac terruit suæ deitatis omnipotentia. Est quoque credibile, quod cœlestis et igneus quidam fulgor atque terrificus apparatus resplenduerunt et apparuerunt tunc in vultu Filii Dei, sicut et tunc quando ejecit ementes et vendentes de templo. Quod (secundum Origenem) fuit

Ibid. 6. — *Ps.* LXVII, 34. — *Joann.* II, 14-16.

majus miraculum quam satiatio quinque A millium hominum ex quinque panibus duobusque piscibus parvis. Nam tot hominum ingenia refrenare, et eorum corda ita compescere, mirabilius fuit quam exteriora illa prodigia. Circa hæc S. Augustinus exclamat sic : O adversarii Jesu Christi, corruistis in terram ! Ubi nunc militum cohors ? Ubi terror et munimen armorum ? Ecce una vox Christi turbam vestram odiis ferocem, armis terribilem, absque telo percussit, repulit et prostravit. Quid judicaturus faciet, qui moriturus hoc B fecit ? — Sed quæri potest, cur Christus sic illos dejecit, quorum manus evadere noluit. Et respondendum, quod ideo, ut impii illi suam impietatem insaniamque adverterent, vel non advertendo inexcusabiliores efficerentur, et etiam pro Apostolorum suorum consolatione, et confortatione eorum in fide : imo et pro omnium fidelium ædificatione in fidei firmitate hoc fecit, ut agnoscamus Christi potentiam, et sciamus quam sponte pro nobis sustinuit mortem. C

Joann. xviii, 7. *Iterum ergo interrogavit eos.* Permisit enim eos ad modicum tempus jacere in terra cum luminaribus suis et armis, deinde surgere eos permisit. Quumque obstupefacti ac tremuli starent, quæsivit secundo : *Quem quæritis ? Illi autem dixerunt : Jesum Nazarenum.* A cujus cognitione adhuc tenebatur visus eorum per cæcitatem præfatam. Ibid. 8. *Respondit Jesus : Dixi vobis, quia ego sum.* Quo prolato, mox cœperunt eum cognoscere, quoniam cæcitatem illam abstulit ipsis. *Si ergo me* D *quæritis, sinite hos abire,* id est, his discipulis meis nullam inferatis molestiam in personis eorum. Ex hoc elicitur, quod si Dominus Jesus permisisset, sceleratissimi illi Apostolos quoque cepissent et male tractassent, præsertim quia viderunt eos quasi paratos ad adjuvandum suum magistrum. Sed hoc divina virtute prohibuit Christus. Cujus rationem evangelista Joannes tangit, scribendo : Ibid. 9; xvii, 12. *Ut impleretur sermo* Jesu *quem dixit* loquens ad Patrem post Cœnam, *Quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam,* id est, nullum electorum discipulorum meorum, quos tu gratiose adjunxisti mihi, permisi mecum capi aut trucidari : imo nec Judam, quantum in me fuit, permisi perire, sed ipse obstinato se perdidit animo. Denique Salvator bis interrogavit, Quem quæritis ? non ut impios illos provocaret ad inferendum violentiam sibi, sed (ut ait Chrysostomus) fecit omnia quæ merito potuerunt ac debuerunt illos revocare a tanto facinore, visum ipsorum tenendo, eosque taliter prosternendo.

Confestim Judas *accedens ad Jesum,* Matth. *dixit : Ave, Rabbi,* id est, sine væ sis, o xxvi, 49. magister. O falsissime Juda, cujus cor tantum distabat ab ore, ab affectu, a locutione ! *Et osculatus est eum* osculo proditorio, venenato, doloso. Et ecce Sanctus Sanctorum a sceleratissimo illo permisit se osculari, dans nobis totius humilitatis, patientiæ, caritatis mansuetudinisque exemplum, ut non vincamur a malo, sed Rom. xii, studeamus vincere malum in bono ; nec 21. adversariorum et iniquorum accessum, allocutionem et attactum statim despiciamus, sed patienter feramus, atque per mansuetudinis verba caritatisque signa conemur illos allicere ad virtutes. Fraudulentias ergo, simulationes et calliditates aliorum æquanimiter toleremus, reminiscentes quid propter nos pertulit Filius Dei, sicque ei propter nos passo, aliqualiter conformari nitamur ac gaudeamus. Nam (ut Rabanus loquitur) Jesus osculum proditoris accepit, non ut simulationem approbaret, sed ne traditorem fugere videretur, atque ut impium illum ad caritatem alliceret, cui amoris officium, id est osculum, non negavit.

Dixitque illi Jesus : Amice, ad quid Matth. *venisti ?* Quasi dicat : Attende tuam impie- xxvi, 50. tatem, et pœnitentiam age, nec putes me ignorare fraudulentiam tuam. Sed qualiter Christus appellavit hunc Judam amicum, quum esset pessimus inimicus suus ? Respondetur, quod vocavit eum amicum,

quoniam Judas simulavit se esse amicum Christi atque discipulum, ipsum osculando ac magistrum vocando; vel ironice vocavit eum amicum; vel quia aliquando fuit amicus Christi, antequam per avaritiam fuit subversus. Est enim probabile, quod Judas exstitit bonus quando fuit a Christo ad apostolatum promotus, quoniam non apparet quod ad tantum officium promovisset indignum. Et hoc etiam Cassianus et Climacus videntur sensisse, ut patet in libris eorum. Juxta hunc sensum
Ps. xl, 10. Christus in Psalmo ait de proditore : Etenim homo pacis meæ, in quo speravi. Et
Ps. liv, 13, 14. rursus : Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique; et si is qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo; tu vero homo unanimis, dux meus et notus meus. Ex quibus etiam verbis ostenditur, quod passio Christi ex hoc ignominiosior fuit quod a proprio discipulo venditus fuit et traditus. Christi quoque dolor hinc augebatur, quod unum Apostolorum, cui tot bona exhibuit, reperit tam ingratum
Luc. xxii, 48. ac malitiosum. *Juda, osculo Filium hominis tradis?* Dulciter eum expressit proprio nomine, et evidenter insinuavit se falsitatem ac proditionem illius cognoscere, ut vel sic erubesceret et compungeretur. Sed miserrimus ille mansit impœnitens, sicut ait Hieronymus : Judas de apostolatus fastigio in desperationis barathrum labitur, et nec familiaritate convivii, nec intinctione buccellæ, nec obsequii gratia frangitur ne hominem tradat quem noverat Filium Dei. Porro secundum Ambrosium, verba hæc, « Juda, osculo Filium hominis tradis? » interrogative legenda sunt, quia sic protulit ea Christus, quatenus amantis affectu corriperet proditorem, volens eum ad pœnitentiam revocare blando responso.

Præterea, hanc Judæ vitiositatem sequuntur omnes duplices corde et deceptores, simoniaci quoque, judicesque injusti qui prece aut pretio corrumpunt judicium, et testes fallaces, ac ceteri qui ore ac facie blandiuntur, sed nocent occulte et quærunt decipere. De quibus loquitur Jeremias propheta : Sagitta vulnerans est Jer. ix, 8.
lingua eorum; in ore pacem cum amico suo loquitur, et occulte ponit ei insidias. A quorum omnium pravitate, falsitate, duplicitate, calliditate jugiter caveamus, cum Psalmista orantes : Ne simul tradas Ps. xxvii, 3.
me, Domine, cum peccatoribus, et cum operantibus iniquitatem ne perdas me; qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus ipsorum. Insuper discamus, et saltem aliquantulum sequi conemur mansuetudinem et patientiam Salvatoris, qui proditori suo tam blande ac dulciter loquebatur, nec erumpamus in verba iracundiæ ac furoris.

Videntes autem hi qui circa ipsum Luc. xxii, 49.
erant, quod futurum erat, id est, Apostoli prope Jesum stantes et considerantes quod Jesus esset mox capiendus, *dixerunt ei : Domine, si percutimus in gladio?* id est, placetne tibi quod percutiamus hos ense? Et si permittis, parati sumus hoc facere. Quæritur, unde Apostolis tanta audacia quod parati erant in tantam turbam insurgere. Respondetur, quia viderunt turbam simul fuisse dejectam solo verbo sui magistri, idcirco de ejus protectione atque potentia præsumebant.

Et ecce Simon Petrus præ fervore amo- Matth. xxvi, 51; Joann. xviii, 10.
ris Christi, et ex quodam zelo justitiæ, non exspectans Christi responsionem, *exemit gladium suum, et percutiens servum principis sacerdotum,* videlicet Caiphæ, *amputavit auriculam ejus dextram.* Secundum Chrysostomum, Petrus impetum fecit in caput servi, et proposuit ei caput amputare; sed servo se retrahente, aut ictu fallente, aurem illius abscidit. Atque ut ait beatissimus Ambrosius, Petrus aliqualiter in lege peritus, scivit Phinees sacerdotem Ps. cv, 30, 31.
fuisse divinitus commendatum pro zelo suo, quo zelatus pro Deo, perfodit sacrilege Num. xxv, 7, 8.
fornicantes : idcirco et ipse simili zelo pro Filio Dei motus, percussit invasorem illius. *Erat autem nomen servo Malchus.* Joann. xviii, 10.
Quem ideo Petrus primo percussit, quia

(ut creditur) servus ille primus extendit A manus in Jesum. Luc. xxii, 51. *Respondens autem Jesus, ait : Sinite usque huc,* hoc est, servum istum permittite ad me accedere, ut curem eum. *Et quum tetigisset auriculam ejus,* id est, aurem suo loco restituisset in capite servi, *sanavit eum* repente ac integre, quantum ad corpus. Verumtamen quod communiter dicitur, Dominum Jesum curasse spiritualiter in anima quos sanavit in corpore, non videtur in servo hoc contigisse, propter nimiam obstinationem ipsius : imo de servo isto plures te- B stantur, quod fuit ille qui in domo Annæ Joann. xviii, 22. dedit primam alapam Salvatori ; in quo maxima servi illius ingratitudo, improbitas et obduratio demonstratur. Hoc præclarum miraculum fecit Dominus Jesus : primo, ad suæ potestatis declarationem et ad Dei Patris honorem ; secundo, propter intuentium conversionem ; tertio, ob Apostolorum roborationem in fide ; quarto, ad nostram ædificationem, quatenus Christi exemplo discamus sanctam patientiam, et persequentibus facere bona, beneficium- C que pro injuriis reddere ; quinto, ad satisfaciendum pro Petro, a quo servus ille videbatur læsus inordinate ; sexto, ne pontifex ac Judæi viderentur habere aliquam justam querimoniam contra Christum, propter mutilationem servi pontificis factam a discipulo Salvatoris.

Ibid. 11 ; Matth. xxvi, 52. *Dixit ergo Jesus Petro : Converte gladium tuum in vaginam. Omnes enim qui acceperint gladium,* id est, qui armis seu gladio inordinate et illegitime utuntur, videlicet privata et propria potestate, non D legitima ac publica auctoritate, *gladio peribunt,* id est, propter abusum gladii merentur damnari, et propria iniquitate quam committunt, quoniam gladio occidunt spiritualiter semetipsos, peccando mortaliter. De qua morte scriptum est in libro Sa- Sap. i, 11. pientiæ : Os quod mentitur, occidit animam. Et in prima Joannis Canonica : I Joann. iii, 14. Qui non diligit, manet in morte. De qua Matth. viii, 22. in Evangelio ait Salvator : Dimitte mortuos sepelire mortuos suos. Talis quoque peribit gladio illo de quo in Apocalypsi habetur : Ex ore ejus (videlicet Christi Apoc. i, 16. judicis) gladius ex utraque parte acutus exibat. Per quem gladium sententia judicialis seu rigor divinæ justitiæ designatur. Verumtamen talis potest in vita hac pœnitere. Juxta præinductam expositionem scriptum est in Genesi : Quicumque ef- Gen. ix, 6. fuderit sanguinem humanum, effundetur sanguis illius. Unde quicumque alteri injuriatur, gravius lædit se ipsum : quoniam propria iniquitate interficit animam suam, et sibi ipsi mercatur damnationem æternam ; alteri vero non infligit nisi malum pœnæ, quod si alter patienter pertulerit, lucrum animæ inde acquirit, et æternaliter coronari meretur. Nulla enim nocebit adversitas, si nulla dominetur iniquitas. Hinc Salomon contestatur : Qui Eccle. x, 8. fodit foveam, incidet in eam ; et qui dissipat sepem, mordebit eum coluber. Porro qui gladio legitime utitur, ei gladius a lege donatur, et ipse proprie non occidit, sed lex, prout supra tertium Sententiarum Alexander de Hales declarat. Et sicut S. Bernardus in libro de Consideratione ad Papam Eugenium scribit, Christus dicendo ad Petrum, Converte gladium tuum in vaginam, prohibuit apostolicis viris, id est episcopis et sacerdotibus ac clericis, materiali gladio præliari. Tamen hic gladius dicitur Petri fuisse, quoniam nutu pontificis, non manu ipsius, est evaginandus.

Calicem quem dedit mihi Pater, non Joann. xviii, 11. *bibam illum?* Ac si dicat Filius Dei ad Petrum : Vis tu passionem meam impedire, ita ut eam non gustem, quam Pater æternus vult me gustare ut per eam salvem genus humanum ? Deinde Christus tangit aliam rationem ad probandum quod non indiguit defensione Petri aut Apostolorum. *An putas, quia* (id est quod) *non* Matth. xxvi, 53. *possum rogare Patrem, et exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones angelorum,* per quorum auxilium possem evadere passionem ? Ideo autem dixit, « duodecim legiones angelorum », quia duodecim erant Apostoli. Legio vero continet sex

millia sexcenta sexaginta sex. Nec dubi-
um quin in quolibet choro angelorum sint
innumerabiliter plures angeli quam duo-
decim legiones, quum in infimo choro
sint ad minus tot angeli quot sunt homi-
nes in toto jam mundo, eo quod unus-
quisque homo, etiam infidelis, habeat an-
gelum proprium, qui est de infimo choro.
Cf. t. XV, Et juxta doctrinam divini Dionysii, quanto
p. 280 A. in cœlis chorus seu ordo angelorum est
altior, tanto continet in se plures perso-
nas. — Sed quæri potest, quomodo Christus
potuit obtinere a Patre plus quam duode-
cim legiones angelorum in suum auxi-
lium, quum Pater voluerit eum pati. Et
respondendum, quod Christus non dicit
explicite, quod potuit tot angelos obtinere
a Patre ad eripiendum eum de morte, sed
ad adsistendum sibi, si vellet. Vel si intel-
ligatur, quod poterat eos obtinere ad hoc
quod per eorum obsequium (quo tamen
non indigebat) evaderet passionem; dicen-
dum, quod hoc secundum se et absolute
Cf. p. 456 D'. loquendo, fuit possibile, quamvis ex con-
ditione seu suppositione impossibile fue-
Matth. rit, ut supra ostensum est. *Quomodo ergo*
XXVI, 54. *implebuntur Scripturæ?* id est, vaticinia
Prophetarum impleri non poterunt, nisi
pro mundi salute hæc patiar, *quia sic opor-
tet fieri* sicut est prophetatum. Et in hoc
tangitur tertia ratio cur Petrus non debuit
passionem Christi velle impedire, adver-
sarios ejus lædendo.

Ibid. 55; *In illa hora dixit Jesus ad eos qui ve-*
Luc. XXII, 52. *nerant ad se principes sacerdotum, et
magistratus templi, et seniores.* Ista sunt
verba Lucæ evangelistæ, qui solus hæc
scribit. Ex quibus apparet, quod principes
sacerdotum et magistratus templi ac seni-
ores venerunt ad capiendum Jesum, quum
tamen alii Evangelistæ scribant ministros
pontificum et majorum venisse ad hoc.
Ad quod respondetur, quod vel aliqui
ex principibus sacerdotum (qui interdum
summo sacerdotio fungebantur) atque ex
aliis majoribus venerunt ad Jesum, ut mi-
nistri negotium illud audacius diligentius-
que implerent; vel venisse dicuntur, non

A in propriis personis, sed per suos mini-
stros; vel quantum ad suam auctoritatem,
quam commiserunt ministris. *Tanquam* *Matth.*
ad latronem existis cum gladiis et fusti- XXVI, 55; *Joann.* XVIII, 3.
*bus, cum laternis et facibus comprehen-
dere me:* in quo apertissime atque gravis-
sime injuriamini mihi, qui latroni omnino
contrarius sum, quoniam latro occidit, in-
sidiatur et nocet, ego autem mortuos vi-
vificavi, infirmos vestros curavi, et multa
ac magna beneficia vobis exhibui, salubri-
ter instruendo, caritative corripiendo, gra-
B tiam et salutem offerendo. *Quum quotidie* *Luc.* XXII,
eram apud vos in templo docens, non me 53; *Marc.* XIV, 49.
tenuistis, quia non habuistis neque habetis
contra me justam causam, et ibi populum
timuistis, sed nec ibi, nec hic Deum time-
tis. *Sed hæc est hora vestra,* id est, istud
est tempus passioni meæ præordinatum,
in quo Deus Pater permittit vos exercere
voluntatem vestram in me unigenitum
Filium suum; in quo etiam tempore aeriæ
potestates per vos operantur in me quod
possunt ac permittuntur. Itaque « hæc est
C hora vestra », id est hora vobis permissa ad
invadendum et occidendum me, *et potestas
tenebrarum,* id est impiorum, videlicet
superiorum vestrorum, a quibus missi es-
tis, ac dæmonum instigantium vos contra
me. Impii enim tenebræ nuncupantur,
juxta illud Apostoli : Fuistis aliquando te- *Ephes.* V, 8.
nebræ; et illud, Tenebræ eam non compre- *Joann.* I, 5.
henderunt. Rursus, « potestas tenebrarum »
est abusio potestatis, opus tyrannidis, im-
pugnatio veritatis, et virtutum oppressio.

Hoc autem totum factum est, ut adimple- *Matth.*
D *rentur scripturæ Prophetarum.* Non quod XXVI, 56.
prophetalis prænuntiatio horum fuit causa
directa ut fierent mala ista vel bona hæc :
imo quia hæc erant futura, ideo Spiritus
Sanctus per Prophetas ea prædixit. Idcirco
in verbis istis et consimilibus, « ut » tene-
tur concomitanter, non directe causaliter.
Cohors ergo et tribunus qui præfuit co- *Joann.*
horti, et erat minister Pilati (et dicebatur XVIII, 12; *Matth.*
tribunus, qui præerat mille militibus), *et* XXVI, 50.
ministri Judæorum accesserunt ad Jesum,
ostendentes verum esse quod ipse jam di-

Luc. xxii, 53. xit, « Hæc est hora vestra et potestas tenebrarum », *et manus* violentas atque sacrilegas *injecerunt in Jesum*, lupi rapaces et ferocissimi ursi ac rabidissimi canes, insurgentes in mansuetissimum, piissimum ac innocentissimum Agnum, sicut prædictum fuit in persona Christi in Psalmo : Ps. xxi. 13. 17. Circumdederunt me vituli multi : tauri pingues obsederunt me ; circumdederunt me canes multi. Unde et sanctus Job in Job xvi, 12, 14. figura Christi prædixit : Conclusit me Deus apud iniquum, et manibus impiorum me Joann. xviii, 12. tradidit ; circumdedit me lanceis suis. *Et* B *comprehenderunt et ligaverunt eum*, ne aliquo modo elaberetur manus eorum, et quia voluerunt eum tractare tanquam latronem, et ut reum mortis in civitatem deducere : tales autem solent ligari. Atque (ut refert Bernardus) miserunt ferream catenam in collum Christi, quæ postea in Jerusalem consuevit peregrinis cum magna devotione monstrari.

Matth. xxvi, 56. *Tunc discipuli omnes, relicto eo, fugerunt* ex timore humano et inordinato, Joann. xvi, 32. quemadmodum Dominus Jesus prædixit. C Fuit autem valde mirabile, quod nec Malchus a Petro tam graviter vulneratus, nec aliquis aliorum qui stabant cum Malcho, Petrum invasit. Nec dubium quin eum invasissent et occidissent, nisi Christus omnipotente sua virtute corda illorum sic refrenasset ac compescuisset quod Petrum non invaserunt. In hoc quoque apparuit mira illorum obstinatio, quod ex tam pia et miraculosa Malchi curatione nullus ipsorum fuit compunctus, aut ad aliquam Marc. xiv, 51, 52. pietatem circa Christum emollitus. *Adolescens autem quidam sequebatur eum*, D videlicet Jesum, *amictus sindone*, id est linea veste, *super nudo* corpore, quia aut aliam vestem non habuit, ut aliqui dicunt, vel modice erat vestitus præter sindonem. Est enim consuetudo loquendi, ut parum ve-Job xxii, 6. stiti dicantur nudi, juxta illud Job : Nudos spoliasti vestibus. Joannes quoque scribit Joann. xxi, 7. de Petro in piscatione constituto : Erat enim nudus, id est parum vestitus, ut ibi exponitur. Nec verisimile esse videtur, quod adolescens ille non erat nisi sindonem solam indutus, quum (ut infra habetur) frigus tunc fuerit, præsertim in nocte. Joann. xviii, 18. *Et tenuerunt eum. At ille, rejecta sindone* cum qua eum tenuerunt, *nudus profugit ab eis* ex timore. Hunc adolescentem quidam dixerunt fuisse juvenem quemdam ex domo in qua Christus cœnavit. Sed non videtur quod aliquis exivit de domo illa cum Christo usque in hortum, nisi undecim Apostoli. Alii ergo dixerunt, quod adolescens iste fuit vel Joannes apostolus aut Jacobus Minor : ita quod adolescens ille primo cum aliis Apostolis fugerit, deinde resumpta confidentia aliquali, secutus sit Christum. Et si erat Joannes, dicendum esset quod recuperata sindone sua, rursus ivit post Christum usque ad Annæ domum.

Et adduxerunt Jesum *ad Annam primum*, id est, antequam duxerunt Jesum ad Ibid. 13. Caipham, anni illius pontificem, duxerunt eum ad Annam, qui præcedenti anno fuerat pontifex. Sicque primo præsentaverunt Christum Annæ propter varias causas. Primo propter reverentiam suæ personæ. Secundo ad complacendum eidem. Tertio ex vana gloriatione, quasi exsultantes de præda quam ceperant, pro cujus captione laboratum fuit tam diu. Ideo suum triumphum voluerunt prius ostendere Annæ, cujus domus prius occurrit eis in via, quam habitaculum Caiphæ. Et hoc ipsum exstitit quarta causa, videlicet quod domus Annæ eis prius se offerebat in via, et indecens reputabant domum tanti prælati sine introitu præterire. Quinto, quoniam Annas fuit Caiphæ socer. Unde subjungitur : *Erat enim* Annas *socer Caiphæ, qui* Caiphas *erat pontifex anni illius. Erat* Ibid. 14 ; xi, 49, 50, 48. *autem Caiphas qui consilium dederat Judæis* ut interficerent Jesum : *quia expedit unum hominem mori pro populo*, id est, utile est pro conservatione totius populi nostri, ut istum occidamus (qui dicit se regem esse, et populum post se trahit), ne veniant Romani, et destruant locum nostrum ac plebem : prout istud tactum est Cf. p. 428 B. supra, et Joannes describit plenius.

ARTICULUS VIII

DE ADDUCTIONE DOMINI JESU AD ANNAM ET CAIPHAM, DE TRINA NEGATIONE PETRI, ATQUE RURSUS DE CHRISTI DAMNATIONE ET ILLUSIONE.

Joann. xviii, 15. *SEQUEBATUR autem Jesum Simon* A *Petrus, et alius discipulus,* qui communiter dicitur fuisse Joannes evangelista, qui de se tanquam de alio loquitur, ut moris est auctoribus sacræ Scripturæ. Sed Ibid. xiii, 23; xxi, 7, 20. quare more solito non adjungit, Quem diligebat Jesus? An forte reputavit se indignum hoc titulo in hoc loco, quia jam Matth. xxvi, 56. fugerat a suo magistro? Itaque hi duo Apostoli, tanquam in Christi amore ferventiores et invicem familiares, post suam fugam aliqualiter animati pariter redierunt, et secuti sunt suum magistrum cum B verecundia grandi de sua fuga, et ingenti Joann. xviii, 15. dolore de captione Domini sui. *Discipulus autem ille erat notus pontifici.* Erat enim juvenis gratiosus, pulcher, amabilis, et de nobili stirpe Judæ patriarchæ natus; atque interdum (ut æstimatur) portaverat pisces ad domum Annæ tanquam piscator et filius piscatoris, vel ex alia causa aliquando domum illam intrare solebat, sicque cum Anna pontifice et ejus familia adeptus fuit quamdam notitiam. *Et intravit cum Jesu in atrium pontificis.* Atrium C dicitur spatium quod est inter primam portam seu januam et inter domum seu ostium quo immediate introitur in domum; et usque ad spatium illud discipulus ille secutus est Jesum. Jesum vero duxerunt ministri in domum, ad Annæ præsentiam.

Ibid. 16. *Petrus autem stabat ad ostium foris,* id est extra, ante primam portam, qua intrabatur ad atrium, non audens aut non permissus intrare. *Exivit ergo discipulus qui erat notus pontifici, et dixit ostiariæ,* hoc D est ancillæ quæ erat custos illius portæ, rogando eam ut permitteret Petrum intrare; *et introduxit Petrum,* ut simul viderent quid fieret Jesu. *Dixit ergo Petro* Joann. xviii, 17. *ancilla ostiaria: Numquid et tu ex discipulis es hominis istius?* Vidit enim Petrum formidolose intrantem, facie desolatum, et habitu præ ceteris religiosum, et ibi venire insolitum: ex quibus suspicabatur quod alienus esset, seu Galilæus ac Jesu discipulus. *Dicit ille: Non sum.* In qua negatione patet Petri fragilitas, qui ad interrogationem tam infimæ ancillæ Dominum suum negavit, quum tamen ancilla illa videatur quasi ex quadam compassione potius quam ex malitia interrogasse, dicendo, Numquid et tu ex discipulis es hominis istius? quasi diceret: Apparet quod sis discipulus istius miseri ac pauperis hominis; propter quod consultius tibi esset quod extra maneres. Petrus vero metuens publicari aliis per ancillam, statim veritatem ac Filium Dei negavit, sicut Filius Dei ei prædixit. *Accenso autem* Luc. xxii, 55; Joann. xviii, 18. *igne in medio atrii, stabant ministri ad prunas et calefaciebant se.* Nam in noctibus Martii principioque Aprilis, solet adhuc frigus esse, præsertim post mediam noctem. *Erat autem cum eis Petrus stans, et calefaciens se in medio eorum.* Etenim verus sanctæ caritatis ignis in corde Petri modo refriguit. Et quia jam semel fuit interrogatus an esset Christi discipulus, quia introiit timidus, voluit se quasi audacter habere, inter ministros publice stando, ne quis suspicaretur eum esse Jesu capti discipulum.

Pontifex ergo interrogavit Jesum de Joann. xviii, 19. *discipulis suis, et de doctrina ejus.* De discipulis interrogavit forsitan ubinam essent, vel cur collegisset eos, et quare eum

jam reliquissent; vel ut ex responsione A Christi posset aliquid reprehensibile captiose accipere, et probare quod seditiosus superstitiosusque esset, faciendo conventicula separata, docendoque nova, et recedendo a communi doctrina legis ac Prophetarum, Scribarum quoque et Pharisæorum : quod etiam Scribæ ac Pharisæi
Matth. xv, 2. ipsi jam ante imposuerunt, dicendo, Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones
Joann. ix, 16. seniorum? et rursus, Non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit. Hinc de doctrina sua Jesum interrogavit hic B Annas.

Ibid. xviii, 20. *Respondit ei Jesus.* Ad quæstionem de discipulis suis factam non respondit, quia pro tunc principaliores ejus discipuli, puta Apostoli, fugerunt ab eo, imo et illorum præcipuus, scilicet Petrus, jam semel negavit eum. Sed ad quæstionem factam de sua doctrina, respondit : *Ego palam locutus sum mundo,* id est, publice prædicavi hominibus; qui autem quærunt seminare errores, solent occulte hoc facere. *Ego semper,* hoc est omni tempore opportuno, C *docui in synagoga,* id est in congregationibus Judæorum, et in eorum materialibus synagogis, quas in singulis urbibus habuerunt, ad quas convenerunt assidue causa orationis et lectionis, *et in templo,* quod in Jerusalem erat, quia non nisi in una civitate potuerunt templum habere, *quo omnes Judæi conveniunt,* præsertim certis
Exod. xxiii, 17; Deut. xvi, 16. temporibus anni. In tribus etenim festis, videlicet Paschæ et Pentecostes ac Scenopegiæ (id est Tabernaculorum), obligati erant venire ad templum, ut in Exodo et D Deuteronomio legitur. Dispensabatur tamen cum habitantibus multum remote a templo, quoad festa Scenopegiæ et Pentecostes. Unde quod ait, « quo omnes Judæi conveniunt », intelligendum est per modum distributionis accommodæ : ut sit sensus, Quo quidam de omni genere Judæorum conveniunt, ut sit distributio pro generibus singulorum, non pro singulis generum. *Et in occulto locutus sum nihil,* id est, nihil docui animo occultandi.

Tamen, ut in Evangelio legitur, aliqua prædicavit discipulis suis seorsum, exponendo eis quædam mysteria atque parabolas : quibus et dixit, Vobis datum est nosse my- Marc. iv, 11.
sterium regni Dei. Sed hoc fecit, ut talis sua doctrina postmodum cunctis publicaretur. Propter quod ait : Quod in aure au- Matth. x, 27.
ditis, prædicate super tecta.

Verumtamen his objici potest, quod quandoque prædicavit in monte, quandoque in loco campestri, interdum in navicula, nonnunquam in littore maris, aliquando in locis deserti, ut ex Evangelio facile est probare. Præterea, prætactis verbis Christi contrariari videtur quod per Isaiam de Christo prædictum est : Non cla- Is. xlii, 2.
mabit, nec audietur foris vox ejus. — Ad primum dicendum, quod per synagogam potest intelligi quæcumque congregatio Judæorum, et quod dictum est, « semper », exponendum est de omni tempore opportuno. Ad aliud respondetur, quod Isaias loquitur de inordinato et contentioso clamore, qui longe fuit a Christo. De quo etiam clamore ait Apostolus ad Ephesios : Omnis amaritudo et ira et indignatio et Ephes. iv, 31.
clamor tollatur a vobis.

Quid me interrogas cui credere non Joann. xviii, 21.
vis? Quasi dicat Salvator, qui corda inspexit : Non quæris sincera intentione, sed captiose et corde malevolo. *Interroga eos qui audierunt quid locutus sim ipsis.* Ac si dicat : Tam securus sum de veritate meæ doctrinæ, quod communitatis testimonio stare paratus sum. *Ecce hi sciunt quæ dixerim ego.* Tam constanter Christus respondit, non ex elatione aut impatientia, sed zelo justitiæ; et ne mortis timore videretur dejectus, qui ante suam captionem consuevit tam majores quam inferiores tam magnanimiter increpare absque personarum acceptione, sicut et observatores ejus testati sunt, dicendo ad eum : Magister, scimus quia verax es, et Matth. xxii, 16.
viam Dei in veritate doces, et non est tibi cura de aliquo; non enim respicis personam hominum.

Hæc autem quum dixisset, unus ad- Joann. xviii, 22.

sistens ministrorum dedit alapam Jesu, A
dicens : Sic respondes pontifici? tanquam
dicat, Tanto prælato et tantæ auctorita-
tis viro non deberes taliter respondere,
videlicet tam præsumptuose et irreveren-
Joann. ter : prout huic servo apparuit. *Respondit*
xviii, 23. *ei Jesus : Si male locutus sum, testimo-*
nium perhibe de malo, id est, si reprehen-
sibiliter respondi, proba hoc ratione, au-
ctoritate vel testimonio aliorum. *Si autem*
bene locutus sum, id est, juste et constanti
corde respondi, *quid me cædis?* id est,
cur impie meam faciem percussisti? Quæ- B
ritur, cur magister virtutum, qui ea quæ
verbo docuit, opere adimplevit, satellitem
istum a quo cæsus fuit, ita redarguit,
quum ante jam dixisset apud Matthæum :
Matth. v, Si quis te percusserit in dexteram maxil-
39. lam tuam, præbe ei et alteram. Et respon-
dendum, quod consilium illud de altera
maxilla percutienti præbenda, intelligen-
dum est secundum animi præparationem,
ita ut homo corde dispositus sit hoc im-
plere, dum rationabilis causa occurrit. In-
terdum enim est tempus exercendi actum C
justitiæ, interdum actum patientiæ, et
uniuscujusque virtutis exercitationi seu
actui insistendum est congruo tempore ;
et hoc Christus in sua passione servavit.
Sic vilissimus ille ribaldus percussit Fili-
um Dei manu sceleratissima, ad compla-
cendum domino suo, videlicet Annæ. Ideo
servum istum sequuntur omnes qui supe-
rioribus suis etiam in peccatis applau-
dunt, et ad obtinendum eorum favorem
aut proprium commodum, statim parati
sunt vindicare quidquid vel ipsi vel eo- D
rum superiores reputant factum in dero-
gationem superioritatis aut prælationis eo-
rum, sicque justos ac innocentes tribulare
et cædere non verentur.

Joann. *Et misit eum* (scilicet Jesum) *Annas li-*
xviii, 24. *gatum ad Caipham pontificem.* Quemad-
modum enim Jesus fuit ligatus ad Annam
perductus, sic Annas misit eum ligatum
ad Caipham. Vel si (ut aliqui opinantur)
fuit ad horam disligatus in domo Annæ,
fecit eum Annas rursus ignominiose liga-
ri : ad declarandum quod reputavit eum
mortis reum, et ut ob hoc Caiphas et qui
erant cum eo, audentius eum morti adju-
dicarent. *Ubi omnes sacerdotes et Scribæ* *Matth.*
convenerant, quoniam Caiphas præfuit om- xxvi, 57 ; *Marc.* xiv,
nibus eis illo anno. *Princeps autem sacer-* 53.
dotum, videlicet Caiphas, *et omne conci-* *Matth.* xxvi, 59.
lium, id est sacerdotes, Scribæ, Pharisæi
ac seniores congregati cum eo, *quærebant*
falsum testimonium contra Jesum, cui
nullam culpam vere objicere poterant,
quoniam Isaias de Christo vere prædixit :
Qui peccatum non fecit, nec inventus est *Is.* liii, 9 ;
dolus in ore ejus. Unde et Christus jam I *Petr.* ii, 22.
antea dixerat eis : Quis ex vobis arguet *Joann.* viii,
me de peccato? *Ut eum morti traderent,* 46.
id est, a judice facerent condemnari ad
mortem. Hinc Psalmista prædixit : Scru- *Ps.* lxiii, 7.
tati sunt iniquitates, defecerunt scrutantes
scrutinia*. *Et non invenerunt* justam ac- * scrutinio
cusationem, veramve criminationem, *quum* *Matth.* xxvi, 60.
multi falsi testes accessissent, et conve- *Marc.* xiv,
nientia testimonia non erant quæ testes 56.
illi mendosi Christo opposuerunt. Quæ au-
tem fuerint testimonia illa, nullus Evan-
gelistarum descripsit, quia nec digna erant
descriptione.

Novissime autem, id est ultimo post te- *Matth.*
stes prædictos, *duo falsi testes testimoni-* xxvi, 60. *Marc.* xiv,
um ferebant, id est, apportabant seu ex- 57, 58.
primebant, *adversus eum, dicentes : Nos*
audivimus eum dicentem : Possum de- *Matth.*
struere templum Dei, et post triduum re- xxvi, 61.
ædificare illud. Ego dissolvam templum *Marc.* xiv,
hoc manufactum, et per triduum, aliud 58.
non manufactum ædificabo. Et non erat *Ibid.* 59.
conveniens testimonium illorum : quia nec
Christus dixit hæc verba. Caiphas quoque
et consiliarii sui bene consideraverunt,
quod propter hujuscemodi verba Pilatus
non proferret contra Jesum sententiam
mortis. Porro mendosi isti testes occasio-
nem hujus accusationis acceperunt ex eo
quod Christus jam antea dixerat : Solvite *Joann.* ii,
templum hoc, et in tribus diebus excitabo 19.
illud. Quod dixit quando petierunt signum
ab eo, deditque eis signum suæ resurre-
ctionis, id est, quod tertia die a morte re-

surgeret. Legitur quippe apud Joannem, A (Joann. II, 14 et seq.) quod quum Jesus primo ejecisset de templo ementes et vendentes in templo, dixerunt ad eum Judæi (Ibid. 18) : Quod signum ostendis nobis quia hæc facis? id est, quo miraculo probas te habere auctoritatem hæc faciendi? (Ibid. 19) Quibus respondit : Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud. Quod (sicut Evangelista ibidem exponit) (Ibid. 21) Christus dixit de templo corporis sui, id est de proprio corpore, quod erat templum (Coloss. II, 9) deitatis habitantis in eo, quia in ipso habitat omnis plenitudo deitatis corporaliter, B ut ait apostolus Paulus. Sicque sensus verborum illorum fuit : Solvite templum hoc, id est, corpus meum occidetis; et in tribus diebus excitabo illud, id est, tertia die resuscitabo illud a morte, deitatis meæ virtute. Itaque Christus non dixerat, Possum destruere templum Dei, vel, Ego dissolvam templum hoc; sed, Solvite templum hoc. Nec loquebatur de templo illo materiali, lapideo, inanimato, sed de animato proprii corporis templo.

Unde horum testium falsorum perver- C sitatem ac mendositatem et fraudem sequuntur, qui verba veritatis prolata ab aliis, interpretantur in pejus et false exponunt, nec bene et pie intelligere volunt, et proni ad accusandum, et tardi ad excusandum; et item qui alio sermone resumunt quæ audierunt, verba mutando, aliquid de suo addendo, aut verba aliorum vera truncate narrando : per quod alios gravant injuste, atque discordiam seminant, (Prov. XVII, 9) quia ut in Proverbiis legitur, Qui alio sermone repetit, separat fœderatos. D Vitemus ergo omnem hujuscemodi impietatem, (Ibid. XIX, 5) quia ut Salomon loquitur, Testis mendax non erit impunitus. Imo, ut scribit Isidorus, Falsus testis est tribus obnoxius : primum Deo, quem perjurando aut falsitati testimonium perhibendo contemnit; secundo judici, quem mentiendo fallit; tertio innocenti, quem falso testimonio lædit, diffamat, confundit : et qui talis est, Christum in suis membris persequitur et occidit.

Petrus vero sedebat foris, id est extra (Matth. XXVI, 69.) domum pontificis, in qua Christus tunc fuit; tamen intra primam portam exstitit, quia subjungitur : *in atrio. Accenso autem igne in medio atrii, stabant servi et ministri ad prunas, et calefaciebant se.* (Luc. XXII, 55. Joann. XVIII, 18.) *Erat autem Petrus stans et calefaciens se in medio eorum. Quem quum vidisset ancilla quædam ostiaria, accessit ad eum,* (Luc. XXII, 55, 56.) *et dixit : Et tu cum Jesu Nazareno eras.* (Marc. XIV, 67. Joann. XVIII, 17; Matth. XXVI, 70; Marc. XIV, 68; Luc. XXII, 57.) *Numquid ex discipulis es hominis istius? At ille negavit coram omnibus, dicens : Mulier, non sum, neque scio neque novi quid dicas,* hoc est, tam alienus sum ab homine isto de quo me interrogas, quod non scio qualiter nuncupetur, vel quem designes per Jesum.

Præterea advertendum, quod de triplici negatione Petri videntur sancti Evangelistæ diversimode loqui; sed in hoc omnes concordant, quod ter Christum negavit. Attamen, circa descriptionem loci in quo, et circa recitationem personarum interrogantium Petrum, discrepare videntur. Nam juxta S. Joannis narrationem apparet, quod (Joann. XVIII, 13 et seq.) Petrus ter negavit Christum in domo Annæ; et manifeste habetur ex evangelio S. Joannis, quod prima negatio Petri contigit in Annæ domo seu atrio : unde et Augustinus sentire videtur, quod trina Petri negatio fuit in Annæ domo. Porro alii tres Evangelistæ nihil scribunt de introductione Christi ad Annam : ideo juxta eorum descriptionem apparet, quod trina (Matth. XXVI, 57 et seq.; Marc. XIV, 53 et seq.; Luc. XXII, 54 et seq.) illa negatio fuit in Caiphæ atrio; et ita tenet Chrysostomus. Beda vero aliique communiter dicunt, quod prima negatio fuit in habitaculo Annæ, secunda vero et tertia in domicilio Caiphæ. Evangelistæ autem concordantur per hoc, quod vel anticipando vel recapitulando loquuntur; et de isto plenius scripsi super Matthæum, Joannem et Lucam. Nec opus est coram populo istam difficultatem sermocinari, sed sufficit dicere, quod Evangelistæ principaliter intendebant ostendere quod Petrus ter Dominum Jesum Christum negavit. Qualiter vero et ubi, et ad quorum interrogationem

id accidit, non tam evidenter aut uniformi- A ter expresserunt; estque probabile, quod ancilla Petrum interrogante, alii accesserunt adjuvantes ancillam, et idem a Petro quærentes quod illa quæsivit: sicque quod unus Evangelista perhibet dictum ab ancilla, alius perhibet dictum a viro; similiter, quod unus Evangelista narrat dictum ab uno adstantium, alius recitat dictum a multis. Nec de ista varietate historiæ est vis magna.

Marc. xiv, 68. *Et exiit foras ante atrium,* id est, dum Petrus Christum semel negavit, cœpit ex- B ire de atrio; *et gallus cantavit:* quem galli cantum Petrus præ turbatione atque mœ- Matth. xxvi, 71; Marc. xiv, 69. Luc. xxii, 56, 58. stitia non audivit. *Exeunte autem illo januam, rursus vidit eum alia ancilla, et ait circumstantibus : Hic* homo *cum illo erat,* id est, cum Jesu esse consuevit. *Et alius videns* Petrum, *dixit : Tu de illis es,* id est de societate ac numero discipu- Matth. xxvi, 72. Luc. xxii, 58. lorum Jesu Nazareni. *Et iterum negavit cum juramento, et ait: O homo, non sum.* Ibid. 59. *Et intervallo facto quasi horæ unius, ac-* Matth. xxvi, 73; Marc. xiv, 70. *cesserunt qui* foris *adstabant, et dixerunt* C *Petro : Vere tu ex illis es; nam et loquela tua manifestum te facit, nam et Galilæus es,* id est, ex loquela tua perpendimus quod ex Galilæa sis oriundus, sicut et Jesus, et inde secutus sis eum, quemadmodum alii ejus discipuli pro parte majori. Verumtamen Galilæi sicut et Jerosolymitani utebantur lingua Hebræa; sed ex locorum distantia, aliqualiter differebant in modo loquendi, quemadmodum Gallici atque Teutonici diversarum provinciarum diversimode exprimunt suas loquelas : D Gallici Gallicum, Teutonici quoque Teutonicum.

Joann. xviii, 26. Et *unus ex servis pontificis, cognatus ejus cujus abscidit Petrus auriculam, dixit : Nonne te vidi in horto cum illo?* quasi dicat, Utique. Cur igitur negas cujus oppositum per tuam loquelam et nostrum intuitum comprobatur, et multorum testimonio contradicere audes? Cur servus ille non dixit ad Petrum : Nonne tu es qui aurem nepotis mei amputasti? Sed (ut puto) Christo sic moderante, iste non consideravit quod Petrus hoc fecit. *Tunc* Pe- Matth. xxvi, 74; Marc. xiv, 71. trus *cœpit anathematizare,* id est sibi ipsi maledicere si mentiretur, et *detestari* suum magistrum, *et jurare : quia nescio hominem istum quem dicitis,* id est, nec facie tenus eum cognosco, nec approbo eum, nec ei adhæreo. Ecce ad quantam ruinam permissus est Petrus corruere, quia incaute præsumpsit de viribus suis. Nemo ergo præsumat, nec quisquam securus sit quasi casurus non sit : præsertim quum Petrus, qui tot et tanta Christi conspexit miracula, imo et jam ante tot fecit prodigia, ac alios baptizavit, et valde fervens fuit ad tempus, ad tantam lapsus sit culpam ex carnali timore, et contra tantam rerum evidentiam sic juraverit. Hoc quoque pensandum, quod Petrus audacter Joann. xviii, 10. ensem extraxit et pro Christi defensione pugnare cœpit, quum vidisset Christum tantam turbam solo verbo prostrasse; sed videns Christum sic hostibus subditum, formidavit, et eum negavit. In quo multi adhuc Petrum sequuntur, qui in prosperis Deo regratiantur, et pro ejus honore zelantur, ac suis proximis in prosperis successibus adstant, sed in adversis per pusillanimitatem impatientiamque franguntur, et egena Christi membra, pauperes et afflictos adversitatibusque oppressos, vix volunt inspicere et affari. Sed qui alium vere diligit ac sincere, tunc ei præcipue adstet et signa ostendat dilectionis, dum ille plus indiget. Ideo scriptum est in Ecclesiastico : Si possides amicum, in Eccli. vi, 7, 8. tentatione (id est adversitate) posside eum, et non facile credas ei te ipsum; est enim amicus secundum tempus suum, et non permanet in die necessitatis.

Præterea quæri potest, an Petrus peccaverit mortaliter Christum negando. Et respondendum quod imo, et etiam multipliciter, videlicet : Christum negando tam sæpe ac false, quod fuit contra caritatem et æquitatem, et perniciosum, non jocosum aut officiosum, mendacium; passioni quoque timoris succumbendo tam vehe-

menter, et perjurando, et sibi ipsi mala A taliter imprecando. Verumtamen (ut recitat Thomas) Leo Papa et S. Bernardus videntur sensisse, quod non peccavit in his mortaliter, et quod Christus vidit in Petro tunc caritatem non exstinctam aut ejectam, sed læsam et obrutam.

Luc. XXII, 60. *Et continuo adhuc illo loquente,* id est, Petro cum ministris adhuc occupato verbis negationis, *Marc.* XIV, 72. *statim gallus iterum cantavit,* puta secundo. Sicque impletum fuit *Matth.* XXVI, 34; *Marc.* XIV, 30. quod Christus prædixerat Petro, Quia in hac nocte antequam gallus bis vocem de- B derit, ter me negabis.

Gen. III, 1-6. Ex prædictis colligitur, quod sicut diabolus dejecit hominem protoplastum per mulierem, ita et primum Ecclesiæ præsulem vicit per feminam : sicque et sexus femineus in Christi passione fuit particeps criminis. Hoc etiam intuendum, quod nullus Evangelistarum omisit hanc trinam Petri negationem, sed eam diligenter descripserunt, non ut diffamarent tantum Apostolum, sed propter mysterium, et ob nostram instructionem : quia ex ista de- C scriptione docemur, quam certitudinaliter Christus præscivit omnia sibi futura, qui illam Petri negationem in se pure contingentem, tam circumstantionaliter prænuntiavit. Rursus ex hac descriptione instruimur, quam infinita sit misericordia Dei, qui illum constituit principem Apostolorum et totius Ecclesiæ prælatum, a quo toties et tam dire fuit negatus. Iterum docemur ex isto nullatenus desperare, et quanta sit humana fragilitas ; quam item periculosum sit de se ipso præsumere, et D se aliis constantiorem existimare.

Luc. XXII, 61. *Et conversus Dominus, respexit Petrum:* id est, Dominus Jesus a rigore justitiæ quo Petrum juste permisit cadere, ad dulcedinem et effectum suæ misericordiæ flexus ac versus, tetigit gratiose mentem Petri, eam illuminando ad considerationem sui excessus, atque ad recordationem *Matth.* XXVI, 75; *Marc.* XIV, 72. verborum quæ Petro de sua negatione prædixit. Unde subjungitur : *Et recordatus est Petrus verbi Domini Jesu quod dixerat, Priusquam gallus cantet bis, ter me negabis.* Respexit itaque Dominus Jesus Petrum oculo suæ pietatis divinæ et increatæ : ideo recte Evangelista vocat hoc loco Jesum Dominum, tanquam omnium creatorem, Deum ac dominatorem ; et sic fuit spiritualis respectus, pro quo orat Propheta : Adspice in me, et miserere *Ps.* CXVIII, 132. mei. Aliqui tamen imaginantur, quod Christus vultum suum humanum celeriter convertit ad januam atrii, et Petrum ibi observantem corporaliter ac compassive adspexit, ex quo intuitu compunctus Petrus, ad memoriam verborum Christi mox motus est.

Et egressus Petrus de atrio, *flevit amare,* *Luc.* XXII, 62. id est, acerbissimo luctu culpas suas ex vera contritione deflevit, juxta illud Michææ : Faciam planctum quasi draconum, *Mich.* I, 8. et luctum quasi struthionum. Itaque Petrus in atrio pontificis Christum negavit : sic et quotidie in domibus principum et magnatum ac prælatorum veritas denegatur, injustitia regnat, et innocentes ad vitia pertrahuntur. Denique Petrus ad deflendum suos excessus, egressus est pontificis atrium. In palatiis namque magnorum non est pœnitentiæ locus, sed ibi vacatur deliciis, vanitatibus et commodis propriis, quemadmodum ait Salvator : Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus *Matth.* XI, 8. regum sunt. In publico quoque et inter alios non est facile peccata deflere, et quandoque non convenit, sed in locis secretis. Hinc (ut fertur) Petrus intravit foveam quamdam juxta templum, et ibi in luctu permansit usque ad Christi exspirationem : imo (ut in Itinerario suo recitat S. Clemens) Petrus ex hoc tempore duxit in consuetudinem, quod omni nocte a primo gallorum cantu usque ad lucem matutinam aut circiter, orationi lacrimisque vacavit, et lapsum suum calidissimis lacrimis copiose deplanxit, ita quod facies ejus videbatur quasi adusta. Sic et nos vitia nostra deplorare debemus ex interna contritione, et tanto dolore qui mereatur dici contritio : quia contritio est summus

dolor qui est in natura; nec est vera con- A
tritio, nisi plus doleamus de malo culpæ
quam de quocumque malo pœnæ. Ideo Je-
Jer. VI, 26. remias hortatur : Luctum unigeniti fac ti-
bi, planctum amarum. Debet etiam con-
tritio esse adæquata peccatis, ut quanto
quis frequentius graviusque peccavit, tan-
to vehementius cordialiusque pœniteat.
Insuper caveamus ne et nos Christum ne-
gemus operibus. Qui enim verbis Domi-
num laudat, sed conversatione rebellis est,
factis denegat eum, sicut de talibus scribit
Tit. I, 16. Apostolus : Dicunt se nosse Deum, factis B
autem negant. Qui vero se renuunt emen-
dare, et perseverant in vitiis, hi quasi cum
juramento et anathemate negant Christum.
Marc. XIV, 60; *Matth.* XXVI, 62. *Et exsurgens princeps sacerdotum,* vi-
delicet Caiphas, in medium (ira enim ex-
cussit pontificem illum de throno), *inter-
rogavit Jesum : Nihil respondes ad ea quæ
isti adversum te testificantur?* Optavit
Caiphas audire responsum a Domino Jesu,
quatenus eum ex sua responsione posset
Matth. XXVI, 63; *Marc.* XIV, 61. illaqueare et capere. *Jesus autem tacebat
et nihil respondit,* docens nos patientiam C
silentiumque servare dum ab importunis
hominibus increpamur aut mendaciter ac-
cusamur, quando respondendo nihil profi-
Ps. XXXVIII, 2, 3. cere possumus, juxta illud in Psalmo : Po-
sui ori meo custodiam, dum consisteret
peccator adversum me; obmutui et humi-
liatus sum, et silui a bonis. Verumtamen
ad vitandum scandalum pusillorum, excu-
sare et expurgare se debet homo tempore
opportuno, præsertim si de aliquo gra-
Marc. XIV, 61; *Matth.* XXVI, 63. vi peccato mendaciter accusetur. *Rursum
princeps sacerdotum dixit ei : Adjuro te* D
*per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es
Christus Filius Dei benedicti,* filius scili-
cet naturalis et unicus, non adoptivus pro-
ut omnes justi sunt filii Dei, secundum
Deut. XIV, 1. quod in Deuteronomio Moyses ait : Filii
estote Domini Dei vestri. Et Christus in
Matth. V, 45. Evangelio : Sitis (inquit) filii Patris vestri
qui in cœlis est. Unde videtur quod im-
pius Caiphas iste novit ex lege, esse quem-
dam naturalem et unicum Filium Dei, et
quod ille esset rex Messias in lege et Pro-
phetis promissus, de quo in Proverbiis Sa-
lomon ait : Quod nomen ejus et quod *Prov.* XXX, 4.
nomen Filii ejus, si nosti? Tanquam di-
cat : Tam Pater æternus quam unigenitus
Filius ejus, incomprehensibiles ineffabi-
lesque consistunt. De cujus Filii æterna
generatione, in libro Proverbiorum et alibi
in Scripturis veteris Testamenti plura le-
guntur.

Jesus autem dixit illi. Quamvis enim *Marc.* XIV, 62.
pontifex prava intentione interrogasset,
tamen propter dignitatem pontificalis of-
ficii, et præsertim propter honorabilitatem
ac reverentiam Dei Patris et sancti nomi-
nis ejus, quo fuerat adjuratus, Christus ad
hanc quæstionem respondit : *Tu dixisti* *Matth.* XXVI, 64.
quod verum est in hac re. *Ego sum* verus, *Marc.* XIV, 62.
æternus, naturalis et unicus Filius Dei Pa-
tris, propter salutem hominum homo fa-
ctus, permanens Deus. *Verumtamen dico* *Matth.* XXVI, 64.
vobis, non tibi Caiphæ, sed toti auditorio
tecum et tibi faventi : *Amodo,* id est a
tempore isto, non statim post tempus is-
tud, sed in fine sæculi hujus, *videbitis
Filium hominis sedentem a dextris vir-
tutis Dei,* id est in majestate et gloria
qua æqualis est Deo Patri, seu residentem
ad dexteram Patris omnipotentis, id est in
potioribus bonis. Christus namque secun-
dum suam divinam naturam sedet ad dex-
teram Patris, id est, regnat, quiescit ac
residet in æqualitate Patris, cui est con-
substantialis et coæqualis. Porro, secun-
dum assumptam humanitatem ut glorifi-
catam, sedet ad dexteram Patris, hoc est
in potioribus bonis : quia præ omnibus
creaturis copiosius fruitur Deitate et donis
gratiæ ac gloriæ, dotibusque corporis et
animæ adimpletur, atque universa creata
sibi habet subjecta. Et istud in die judicii
sunt visuri tam boni quam mali : non
quod iniqui ejus deitatem videbunt per
speciem, sed per experientiam et effectum
cognoscent quod ipse Christus sit talis ac
tantus : quod etiam Caiphas ceterique
damnati jam in inferno per suorum expe-
rientiam tormentorum cognoscunt. In qui- *Ps.* LXXXII, 18, 19.
bus illud Psalmi impletum est : Erube-

scant et conturbentur in sæculum sæculi, et confundantur et pereant, et cognoscant quia nomen tibi Dominus. In die autem judicii videbunt corporaliter Christum in natura humana : quam in tanta eminentia intuendo, intellectualiter quoque conspicient modo præfato, quod ipse sit Unigenitus Dei. *Et venientem in nubibus cœli.* Tunc enim etiam reprobi videbunt eum descendentem de cœlo cum potestate magna, et cum tota triumphanti Ecclesia.

Matth. xxvi, 65. *Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens : Blasphemavit.* Consuetudo exstitit Judæorum, scindere vestes in magnis adversitatibus atque doloribus, præsertim quando audierunt ab aliquo verba blasphemiæ, in signum tristitiæ et doloris, quasi talia verba æquanimiter pati et audire nequaquam valentes præ amore Dei et zelo divini honoris. Et sub hoc colore iste hypocrita et impius pontifex scidit vestimenta, ad insinuandum cunctis qui aderant, quam enormiter Jesus excesserit, dicendo se Filium Dei et judicem mundi. *Quid adhuc egemus testibus* ad probandum quod dignus sit morte? quia jam omnes nos audivimus eum verba blasphemiæ proferentem, propter quod secundum legem nostram est occidendus. Verumtamen secundum legem, blasphemi sunt lapidandi, ut in Levitico innotescit. (Lev. xxiv, 16.) Sed impii isti voluerunt Jesum cruci affigi, ut acerbiori ac ignominiosiori ac diuturniori pœna perimeretur. *Ecce nunc audistis blasphemiam,* hoc est verba divinæ majestatis honori contraria. Sed mentitur hic pontifex, quoniam Christus verissima protulit verba. *Quid vobis videtur? At illi respondentes, dixerunt : Reus est mortis.* (Matth. xxvi, 66.) Caiphas interrogavit aliorum judicium quid sentirent, ne in tanto negotio videretur nimis inniti sensui proprio.

Luc. xxii, 63. *Et viri qui tenebant illum,* utpote servi pontificis, suo domino in malitia similes, Jesum inter se reservantes et custodientes, ne quacumque arte aut ope effugeret. Nam ut Salomon protestatur, Rex impius omnes ministros habet impios : quod de (Prov. xxix, 12; Eccli. x, 2.) spiritualibus quoque principibus dici potest. *Illudebant ei* tanquam superbo et fatuo, præsumptuoso atque blasphemo, et tanquam sceleratissimo transgressori. Nec pontifex neque consiliarii ejus aliquam rationem proposuerunt contra verba Christi prætacta, sed solum passionato pertinacique animo definierunt quod falsa blasphemaque essent : et tamen Jesus jam ante frequenter probavit se esse Filium Dei et regem Messiam, per miracula et Scripturas. Unde (ut legitur apud Joannem) dum quadam vice Judæi dixissent ad Jesum in porticu Salomonis, Quousque animam nostram tollis? si tu es Christus, dic nobis palam; (Joann. x, 24.) ipse respondit : Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, testimonium perhibent de me; ego et Pater unum sumus. (Ibid. 25. 30.) Quumque propter hoc verbum conarentur eum lapidare, dixit ad eos : Nonne in lege vestra scriptum est, Ego dixi, Dii estis? (Ibid. 31, 34-38.) (Ps. lxxxi, 6.) Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, et non potest solvi Scriptura, quem Pater sanctificavit et misit in mundum, vos dicitis, Quia blasphemas, quia dixi, Filius Dei sum? Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi; si autem facio, et si mihi non creditis, operibus credite. Itaque pontificem istum nequissimum et consiliarios ejus atque ministros sequuntur mali et irrationabiles homines, qui audiendo verba vera ac justa eis displicentia, dum rationabiliter resistere nequeunt, per irrationabiles clamores et importunos gestus resistunt, et ita se habent quasi falsa et irrationabilissima verba audissent. Itaque illudebant Christo, qui est virtus et sapientia Patris æterni. (I Cor. i, 24.) Quemadmodum enim stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi, (Ibid. 20.) sic mundus quoque stultam reputavit sapientiam Dei. Nam et Apostolus loquitur : Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei; (Ibid. ii, 14.) stultitia enim est illi, nec potest intelligere ea. *Cædentes* eum in faciem et super caput.

(Marc. xiv, 65; Matth. xxvi, 67; Luc. xxii, 64.) *Et cœperunt quidam conspuere in eum,* tanquam in vilissimum hominem, *et ex-*

spuerunt in faciem ejus, et velaverunt eum, pannum ante ejus oculos ligando, quasi indignus esset conspicere eos, et ut probarent eum non esse prophetam, ut statim dicetur. (*Matth.* xxvi, 67.) *Et colaphis eum ceciderunt. Alii autem palmas in faciem ejus dederunt,* prout Sibylla prædixit : Dabunt Deo alapas manibus incestis. Et Christus per Isaiam prædixit (*Is.* l, 6.) : Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus; faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me. Unde et sanctus Job in persona Christi locutus est (*Job* xvi, 11.) : Aperuerunt super me ora sua exprobrantes, percusserunt maxillam meam, satiati sunt pœnis meis. Nec enim legitur quod hoc factum sit ipsi Job in propria sua persona. (*Luc.* xxii, 64; *Matth.* xxvi, 68.) *Et interrogabant eum, dicentes : Prophetiza nobis, Christe, quis est qui te percussit?* Irrisorie hoc dixerunt, tanquam dicerent : Dicis te esse Christum, et persuasisti populo te esse eximium prophetam, et tamen modo non potes scire nec dicere quis te percussit, quia exteriori oculo hoc non vides : quo constat quod nec Christus sis nec propheta. Sed impiissimi isti mentiti sunt, quoniam Christus certissime scivit a quo erat percussus, et universa præterita, præsentia et futura cordiumque secreta; sed noluit respondere, quia patiendi, non respondendi tempus tunc erat. Hinc itaque ejus oculos velaverunt, ut probarent eum nescire quod corporaliter non videbat. (*Luc.* xxii, 65.) *Et alia multa blasphemantes dicebant in eum,* qualia etiam ante sæpe dixerunt, videlicet (*Ibid.* xi, 15; *Joann.* x, 20; *Matth.* xi, 19; *Joann.* vii, 12.) : In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia : insanit et dæmonium habet; homo vorax, potator vini, seductor populi.

Denique præinducta verba compassione magis egent quam expositione. Cogitemus ergo intente, et cum intima compassione recogitemus et quasi præsentialiter intueamur, qualiter innocentissimus Agnus Dei, Filius Patris æterni mansuetissimus, imo omnipotens omnium Dominus, sedit inter crudelissimos illos lupos, vilissimosque nebulones et scelestissimos prævaricatores, qui eum undique sic mordebant, percutiebant, et venerabilem ejus barbam capillosque capitis evulserunt, sacratissimum quoque ac dulcissimum os ipsius sæpius percusserunt, ita quod cruentavit, et inhumanius ac irreverentialius eum tractabant quam exprimi queat; verumtamen nec plus nec aliter quam voluit ipse. Et ecce velaverunt oculos ejus, ac dentes cruentare fecerunt : de quibus Jacob patriarcha prædixit (*Gen.* xlix, 12.), Pulchriores sunt oculi ejus vino, et dentes ejus lacte candidiores. Et ita tractabant eum, de quo justus Simeon dixit ad Patrem (*Luc.* ii, 30-32.) : Viderunt oculi mei Salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum, lumen ad revelationem gentium et gloriam plebis tuæ Israel. Insuper conspuerunt faciem ejus, quam et quem multi reges ac Prophetæ (*Ibid.* x, 24.) cupierunt videre. Quorum unus clamavit : Utinam dirumperes cœlos et descenderes (*Is.* lxiv, 1.); et alter, Ostende faciem tuam, et salvi erimus (*Ps.* lxxix, 4, 8, 20.).

Sic contempserunt et blasphemaverunt Sanctum Sanctorum, de quo Isaias prædixit (*Is.* xxxiii, 22.) : Dominus judex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster, ipse veniet et salvos nos faciet. Et ecce hæc omnia sustinuit propter nos Dominus et Salvator, Deus et Creator, ut nos merito suæ illusionis, consputionis et percussionis ab æterna confusione ac dæmonum illusione et fœda eorum exprobratione ac diris verberibus salvet atque eripiat. Sic propter nos blasphemari sustinuit, ut nos divinum ac cœlestem consequamur honorem, quemadmodum in Evangelio dixit (*Joann.* xii, 26.) : Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus qui est in cœlis. Sic permisit oculos suos sanctissimos clarissimosque velari, ut interiores oculi nostri illuminentur ab ipso, et item ut ejus amore, intuitu et exemplo discamus ac studeamus omnem illusionem, injuriationem, derisionem, damna ac verbera æquanimiter tolerare, atque in talibus Deo regratiari, scientes quod servus et creatura non sit major Domino et creatore salvatoreque (*Ibid.* xiii, 16.)

suo. Erubescamus ergo et pœniteamus de omni ira et impatientia nostra, et modo jam tacto viriliter imitemur Domini nostri Jesu Christi vestigia : quia (ut ait princeps (I *Petr.* II, 21.) Apostolorum) Christus passus est pro nobis, ut sequamur vestigia ejus. Christus (*Joann.* XII, 26.) quoque in Evangelio dicit : Si quis mihi ministrat, me sequatur.

(*Marc.* XV, 1; *Luc.* XXII, 66; *Matth.* XXVII, 1.) *Et confestim mane ut factus est dies, consilium inierunt omnes principes sacerdotum, seniores populi et Scribæ adversus Jesum, ut eum morti traderent,* id est, Pilato judici præsentarent cum allegationibus excessuum morte dignorum. (*Luc.* XXII, 66.) *Et duxerunt illum in concilium suum, dicentes* (tuncque implebatur illud ex Psalmo : (*Ps.* XXI, 17.) Concilium malignantium obsedit me): *Si tu es Christus, dic nobis.* Jam enim inter se conferendo, audierunt quemadmodum Jesus de hac re interrogatus a Caipha tempore noctis, evidenter responderit se esse Filium Dei; et apparuit eis quod non possent ei aliquid objicere coram Pilato, quod plus provocaret Pilatum adversum Jesum, nisi quod dixisset regem se esse. Nomine autem Christi, Messias rex Judæorum designabatur. Hinc interrogaverunt Jesum an esset Christus, quatenus omnes audirent de ore ejus quod qui- A dam eorum audierunt in nocte. *Et ait illis : Si vobis dixero* me esse Christum, (*Luc.* XXII, 67, 68.) *non credetis mihi,* quia non quæritis amore veritatis, sed desiderio accusandi; *si autem et interrogavero* vos, *non respondebitis mihi,* vel ex imperitia, vel ex malitia, aut timore quod ex vestra responsione caperem vos atque concluderem ; quemadmodum nec respondistis mihi, quando interrogavi vos, dicens : Baptismus Joannis (*Ibid.* XX, 4.) de cœlo erat, an ex hominibus? Itemque quando quæsivi : Quid vobis videtur de (*Matth.* XXII, 42.) B Christo, cujus filius est? *Neque dimittetis* abire ut innocentem, quum tamen sim vere innocens. *Ex hoc autem,* id est cito (*Luc.* XXII, 69.) post passionem, *erit Filius hominis sedens a dextris virtutis Dei.* Quod paulo ante expositum est. *Dixerunt autem omnes,* id (*Ibid.* 70.) est unus aut quidam ex parte omnium : *Tu ergo es Filius Dei?* Isti namque sciverunt quod Jesus per Filium hominis designavit se ipsum : aliter eorum consequentia non tenuisset. *Qui ait : Vos dicitis quia ego sum.* Quare tam evidenter respondit C eis malitiose quærentibus, paulo ante est dictum. *At illi dixerunt : Quid adhuc* (*Ibid.* 71.) *desideramus testimonium* contra istum? *Ipsi enim audivimus de ore ejus* quod Filium Dei et Christum se nominat.

ARTICULUS IX

QUOMODO CHRISTUS PILATO FUERIT ADDUCTUS, QUOMODO ACCUSATUS TACUERIT, QUOMODO DENIQUE AD HERODEM MISSUS, QUOMODO IBI SPRETUS ET ILLUSUS, AD PILATUM REDIERIT.

(*Luc.* XXIII, 1; *Marc.* XV, 1; *Matth.* XXVII, 2, 3.) E*T surgens omnis multitudo eorum cum universo concilio, vinctum adduxerunt Jesum et tradiderunt Pontio Pilato præsidi,* ut dijudicaretur ab eo. *Tunc videns Judas, qui eum tradidit, quod damnatus esset,* id est, quod Jesus mortem evasurus non esset; vel, ut quidam exponunt, « videns Judas quod damnatus es- D set », id est, ipse Judas considerans et advertens se esse damnandum propter scelera sua, et jam esse damnatum judiciali sententia Christi, a quo audivit in Cœna, Væ homini illi per quem Filius hominis (*Matth.* XXVI, 24.) tradetur : quod nunc advertit esse dictum a Christo vero propheta de se ; *pœnitentia* (*Ibid.* XXVII, 3.) *ductus,* id est, de suo crimine dolens, et

enormitate sui facinoris motus, *retulit*, A id est, reportavit ac resignavit, *triginta argenteos*, pro quibus tradidit ac vendidit suum magistrum, *principibus sacerdotum et senioribus* populi, a quibus eos accepit, (Matth. xxvii, 4.) *dicens : Peccavi, tradens sanguinem justum*, videlicet Jesum, cujus innocentiam longo tempore sum expertus conversando cum eo, nec unquam aliquid reprehensibile reperiendo in ipso, qui etiam tot et tanta bona mihi impendit. *At illi dixerunt : Quid ad nos?* id est, quid spectat ad nos an peccasti? et quid curamus de B hoc? Per quam responsionem ostenderunt se esse alienos a caritate, per quam tenebantur diligere proximos suos tanquam se ipsos : ideoque de proximi culpa debuissent dolere et curare sicut de propria. Falsa quoque fuit eorum responsio. Si enim Judas peccavit sanguinem justum tradendo, ergo et ipsi gravissime peccaverunt sanguinem illum emendo ad occidendum, et pro ejus occisione sic laborando. Itaque suis sceleribus excæcati, non adverterunt quam vitiose ac irrationabiliter C responderunt. *Tu videris*, id est, tu propria facta attende, et si peccasti, propriam curam gere.

(Ibid. 5.) *Et projectis argenteis in templo*, ut ministri templi, a quibus pecuniam illam accepit, facerent de ea quod vellent, *recessit* de templo cum grandi tristitia; *et abiens, laqueo se suspendit* ex desperatione. Sicque peccavit gravissime, non solum desperando, sed etiam se ipsum interficiendo. Atque ut ait Hieronymus, gravius Deum offendit desperando, quam Christum tra- D dendo : quoniam traditio illa directe fuit contra Christi humanitatem, desperatio autem contra divinæ pietatis immensitatem, et contra summæ Veritatis promissionem. Deus namque universis vere pœnitentibus veniam gratiamque promisit. Itaque infelicissimus Judas considerando suorum scelerum enormitatem, doluit vehementer; sed non attendendo divinæ misericordiæ infinitatem, desperavit insipienter : et sicut in Actibus Apostolorum ait apostolus Petrus, suspensus crepuit medius, et diffusa sunt omnia viscera ejus; et notum factum est hoc omnibus habitantibus Jerusalem. (Act. i, 18, 19.) Sicque Judas iste cum Cain intra se dixit : Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear. (Gen. iv, 13.) Et cum Achitophel consiliario David, ex tristitia vehementi suspendit se ipsum. (II Reg. xvii, 23.) Nam ut ait Apostolus, Tristitia sæculi mortem operatur. (II Cor. vii, 10.)

(Matth. xxvii, 6.) *Principes autem sacerdotum, acceptis argenteis, dixerunt : Non licet eos mittere in corbonam*, id est gazophylacium, seu arcam aut repositorium in quo colligebantur pecuniæ quæ offerebantur in templo pro sustentatione sacerdotum ac Levitarum, vel ad necessarios templi usus; *quia pretium sanguinis est.* Hypocritæ isti, qui juxta Christi verba colabant culicem et glutiebant camelum, (Ibid. xxiii, 24.) non fecerunt sibi conscientiam de hoc, quod pro illis argenteis Christum emerunt, et emptum occidere laborabant, imo hoc totum sibi licitum reputabant; sed conscientiam sibi fecerunt de hoc, quod pretium illud in arca reponerent pro usibus templi. Ideo loquitur Augustinus : Qualis simulatio fuit illa, pecuniam sanguinis non audere mittere in arcam, et ipsum sanguinem mittere in conscientiam? Horum hypocritarum impiissimam simulationem nunc quoque multi sequuntur, qui festucam vident in oculis proximorum, trabem vero in oculis suis non vident, (Ibid. vii, 3.) et qui de aliquibus parvis culpis magnam vim faciunt, sed vitia graviora dissimulant. Quorum unicuique loquitur Christus : Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc perspicies ut educas festucam de oculo fratris tui. (Ibid. 5; Luc. vi, 42.)

(Matth. xxvii, 7.) *Consilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli* : qui scilicet ager, pertinebat ad figulum, lutea seu fictilia vasa formantem, vel ex agro illo accipiebantur glebæ aptæ ad formationem vasorum quæ fiebant a figulis; *in sepulturam peregrinorum*, ut scilicet peregrini in Jerusalem morientes, sepelirentur in agro illo. (Ibid. 8.) *Propter hoc vocatus est ager ille Acheldemach**, *hoc est ager sanguinis*, utpote ager emptus

* Haceldama

pretio sanguinis Jesu, *usque in hodiernum diem.* Quod utique factum est Deo ordinante, quatenus scilicet ager ille et sepulcra quæ fiebant in eo, essent memoriale assiduum atque perpetuum sceleris Judæ et traditionis passionisque Christi : sicque principes sacerdotum, qui memoriam Jesu Christi cupiebant auferre de terra, nomen et memoriam ejus celebriora fecerunt in terra. Nempe ut Salomon scri-
Prov. XXI, 30. psit : Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum.

Matth. XXVII, 9. *Tunc impletum est quod dictum est,* id est, prophetatum est, *per Jeremiam prophetam, dicentem : Et acceperunt* ipsi principes sacerdotum, *triginta argenteos, pretium appretiati,* id est, qui argentei fuerunt pretium Christi empti pro illis argenteis, *quem appretiaverunt a filiis Israel,* id est, quem Jesum Christum ipsi principes sacerdotum emerunt a Juda, qui fuit de tribu et numero filiorum Israel;
Ibid. 10. *et dederunt eos in agrum,* id est pro emendo agro, *figuli, sicut constituit mihi,* id est, revelavit seu oculis cordis mei proposuit, *Dominus.* Verumtamen advertendum, quod verba ista non habentur in libro Jeremiæ qui apud nos est. Sed S. Hieronymus refert se ea vidisse in libro quodam Hebræo a Jeremia composito. Quidam enim Prophetæ ediderunt quædam volumina quæ non habentur : sicut ex libris Regum probatur de libris Nathan et Gad et Addo prophetarum. Aliqui quoque dicunt, quod iste sit verus textus : Tunc impletum est quod dictum est per Prophetam, dicentem. Et ita dicunt habere libros antiquos, ita quod « Jeremiam » non est de textu. Sicque per Prophetam intelligunt Zachariam, in cujus libri capitulo undecimo auctoritas ista sententialiter con-
Zach. XI, 12, 13. tinetur, quo legitur : Dixi, Si bonum est in oculis vestris, afferte mercedem meam; et si non, quiescite. Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Et dixit Dominus ad me : Projice eos ad statuarium, decorum pretium quo appretiatus sum ab eis. Et tuli triginta argenteos, et A projeci eos in domum Domini ad statuarium. Quorum verborum iste est sensus : Dixi ego Christus Dei Filius incarnatus : Si bonum est in oculis vestris, id est, si bonum vobis apparet, o Judæi, afferte mercedem meam, id est, pro multis et magnis beneficiis quæ vobis exhibui, vicem mihi rependite, me debite honorando; et si non videtur vobis hoc bonum, quiescite, id est, omittite, et a cultu meo cessate. Quod Dominus ait, non licentiando, sed illos suo libero arbitrio relinquendo, quo- B niam neminem cogit ad bonum. Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos, id est, beneficiis quæ contuli eis, rependerunt hanc vicem, et tam vilem me habuerunt, quod pro triginta argenteis me emerunt. Ista ac cetera hujus auctoritatis verba, super Zachariam diffusius explanavi.

Adducunt ergo Jesum a Caipha in prætorium. Aliqui textus habent, « ad Caipham in prætorium »; sed, ut creditur, *Joann.* XVIII, 28.
verior ac planior littera est, « a Caipha ». C Nam in Græco habetur, a Caipha. Joannes autem, cujus ista sunt verba, evangelium suum scripsit in Græco. Jamque præhabitum est, quod mane facto exierunt pariter *Cf.* p. 475 A, D.
principes sacerdotum, seniores ac Scribæ, de domo Caiphæ ad Pilatum, præsentaveruntque ei Jesum. Porro si legatur, « ad Caipham », dici potest quod Caiphas forsan præcessit ad persuadendum Pilato. *Erat autem mane. Et ipsi non introierunt in prætorium.* Prætorium, secundum Bedam, dicitur quasi domus prætorum, D per syncopam, id est præceptorum, in qua erat tribunal et sessio præsidis. Hanc domum non audebant intrare Judæi, *ut non contaminarentur,* id est, ne contra legem agendo peccarent, intrando domum viri gentilis, *sed ut manducarent pascha,* id est azymos panes, quibus vescebantur septem diebus solennitatis paschalis : et illis panibus vesci non licuit nisi mundis secundum legem. Sicque impiissimi isti Judæi non fecerunt sibi conscientiam de sua contra Christum invidia, et quod eum ex

invidia conabantur occidere, sed de ingressu in domum gentilis : quo ipsi pejores fuerunt. Ideo Augustinus exclamat : O stulta et impia cæcitas Judæorum! Intrare domum gentilis judicis formidatis, et innocentem sanguinem fundere non horretis, quasi inquinaremini sub habitaculo alieno, et non potius scelere proprio.

Joann. XVIII, 29. *Exivit ergo Pilatus ad eos foras,* deferens legi et observationi eorum, *et dixit : Quam accusationem affertis,* id est, apportatis et allegatis, *adversus hominem hunc?* quasi dicat : Præsentatis eum mihi vinctum quasi latronem et homicidam morteque dignum, quid igitur imponitis ei? *Respondérunt : Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.* Hoc dixerunt, ut viderentur legem servare, quæ in Exodo et Deuteronomio jussit, Innocentem et justum non interficies ; et item ac si dicerent : Tales ac tanti sumus, quod de nobis præsumi non debet quod aliquem sine justa causa velimus occidi.

Luc. XXIII, 2. *Cœperunt autem accusare illum, dicentes : Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, et prohibentem tributa dari Cæsari, et dicentem se Christum regem esse.* Itaque, dum Pilatus de communi illa accusatione non esset contentus, quia erat a Romanorum imperatore constitutus, nec erat consuetudo Romanis damnare aliquem hominem, nisi præsentes haberet accusatores, et locum acciperet excusandi se, ut in Actibus Apostolorum narratur; ideo cœperunt Jesum accusare in speciali, et præsertim de tribus. Primo, quod populum Judæorum mendaciter docuisset. Secundo, quod prohibuisset tributa solvi imperatori. Tertio, quod dixisset se esse regem præcipuum Judæorum, videlicet Christum. Sed sicut generalis illa accusatio fuit falsa, ita et istæ speciales, saltem duæ primæ. Nam super verba illa, « Si non esset hic malefactor », loquitur Augustinus : A dæmonibus liberati, infirmi curati, leprosi mundati, surdi audientes, muti loquentes, cæci videntes, mortui resurgentes, claudi ambulantes, paralytici de suis lectis exsilientes, dicant an Christus sit malefactor.

(Ibid. 30. — Exod. XXIII, 7 ; Deut. V, 17. — Act. XXV, 16. — Joann. XVIII, 30.)

Dixit ergo eis Pilatus : Accipite eum vos, et secundum legem vestram judicate eum. Joann. XVIII, 31. Ac si dicat : Si peccavit in legem vestram, judicate eum secundum vestram legem. Nam vir iste videtur mihi religiosus et spiritualis, de cujus judicio invite me intromitto, nec tales consueverunt ad judicium meum venire, nec aliqua sæcularia crimina videntur ab isto commissa : ergo si forefecit forefactione digna puniri citra mortem, castigate eum secundum legis vestræ tenorem. *Dixerunt ergo ei Judæi : Nobis non licet interficere quemquam,* etiam quamvis promeruit mortem. Hoc (secundum Augustinum) dixerunt, quia durante solennitate paschali non licuit eis occidere hominem, propter reverentiam festi in quo patres eorum fuerunt de Ægypto educti ac liberati. Sed secundum Chrysostomum, ideo hoc dixerunt, quia subjecti erant Romanis, qui eis abstulerunt judicium sanguinis, et minora judicia concesserant eis. Sed objici contra hoc potest, quod cito post Christi passionem lapidaverunt Stephanum sine recursu ad Pilati judicium, ut legitur in Actibus. Act. VII, 58, 59. Paulus quoque refert se ante suam conversionem viros ac mulieres conclusisse in carceribus, et super eos detulisse sententiam mortis. Ibid. XXVI, 10. Sic itaque responderunt, « Nobis non licet interficere quemquam », quasi dicerent : Non contentamur de isto, nisi interficiatur. Porro quod scribitur, *ut sermo Jesu impleretur,* Joann. XVIII, 32. non sunt verba Pilati, nec Judæorum, sed Joannis evangelistæ, interponentis hæc verba ad insinuandum quid secutum sit ex præfata Judæorum responsione, ex qua secuta est verificatio verborum Christi, quibus prædixit se a gentilibus occidendum : Ecce (inquiens) Luc. XVIII, 31-33. ascendimus Jerosolymam, et consummabuntur omnia quæ dicta sunt per Prophetas de Filio hominis ; tradetur enim gentibus, et illudetur, et flagellabitur, et occident eum. Sicque quod ait, « ut », tenetur concomitanter, non causaliter. Sic igitur responderunt, ut impleretur sermo

Jesu *quem dixit, significans qua morte* A *esset moriturus.* Prædixit enim se a gentibus crucifigendum.

Joann. XVIII, 33. Matth. XXVII, 11. *Introivit ergo iterum Pilatus,* ut seorsum examinaret diligentius Jesum. *Jesus autem stetit ante præsidem* voce silenti, humili gestu, mente tranquilla, et vultu inclinato ad terram. *Et interrogavit eum præses : Tu es rex Judæorum ?* Quare non interrogavit, Dixisti te esse regem Judæorum, sicut objecerunt Judæi ? Respondetur, quod Pilatus magis credidit Jesu quam Judæis : ideo credidit eum non dixisse se B esse regem Judæorum, nisi et esset. Porro de aliis duobus criminibus Jesu objectis, non examinavit Jesum. Nam primum, videlicet quod subvertisset Judæos docendo, non curavit, quoniam erat gentilis atque idololatra, et Judæos reputavit superstitiosos. Secundum vero, quod scilicet Jesus prohibuisset Cæsari solvi tributa, noverat falsum, quia percepit Jesum dixisse ac respondisse Scribis ac Pharisæis atque Herodianis : Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari ; et quæ sunt Dei, Deo. (Ibid. XXII, 21.) Tertium vero, C videlicet quod dixisset se regem, videbatur imperatorem tangere, qui jussit ut sine suo consensu et scitu nemo appellaret se regem. Erat namque imperator Romanus monarcha mundi, et Romani præcipue abstulerunt Judæis regiam potestatem, ita quod nullus de eorum stirpe regnaret, ad humiliandum eorum rebellionem contra Romanum imperium : propter quod regnum Judæorum diviserunt in plures partes, quibus et plures præfecerunt tetrarchas. D

Joann. XVIII, 34. *Respondit Jesus,* movendo aliam quæstionem, non solvendo Pilati interrogationem : *A temetipso hoc dicis,* id est, an ex proprio corde excogitasti ac proposuisti quæstionem prædictam, videlicet an sim rex Judæorum, *an alii tibi dixerunt de me* quod Judæorum rex sim ? Non ex ignorantia hoc quærit Salvator, præsertim quia jam in præsentia sua ac præsidis dixerunt Judæi, Hunc invenimus dicentem se Christum regem esse ; sed quærit, ut ex responsione Pilati convenientius ei declaret qualiter sit rex, et ad detegendam malevolentiam Judæorum. *Respondit Pilatus : Numquid ego Judæus sum ?* (Joann. XVIII, 35.) id est, quum constet me non esse Judæum, patet quod a me ipso non quæro an sis rex Judæorum et Christus eis promissus, præsertim quum videam te non esse regem de facto, nec rebellare Romano imperio. *Gens tua et pontifices tradiderunt te mihi. Quid fecisti ?* ac si dicat : Quum a proprio populo et supremis ejus prælatis traditus sis mihi viro gentili ac alieno, apparet quod multum offenderis eos, et grave aliquid egeris.

Respondit Jesus ad quæstionem an esset rex, non ad ultimum istud, Quid fecisti ? (Ibid. 36.) *Regnum meum non est de hoc mundo,* id est, temporale et terrenum dominium non assumo, nec mihi adscribo, nec veni ad regnandum cum potestate et eminentia sæculari. *Si ex hoc mundo esset regnum meum,* id est, si temporalem jurisdictionem et principatum mundanum exercerem, *ministri mei utique decertarent,* id est, pro me pugnarent, *ut non traderer Judæis,* quia de eorum manu eruerent me, secundum quod servi sæcularium regum solent pro regibus suis pugnare, ne hostibus suis tradantur. *Nunc autem regnum meum non est hinc,* id est de sæculo isto, nec mundiale, sed cœleste ac spirituale, quia in mente fidelium regno per fidem et gratiam. Unde angelus Gabriel dixit Virgini gloriosæ de Christo : Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis. (Luc. I, 32, 33.)

Præterea advertendum, quod aliquis dicitur rex dupliciter, puta de facto, et de jure. Christus autem quando hæc dixit, non fuit rex Judæorum de facto, sed de jure : quoniam erat Messias rex in lege et Prophetis promissus. De quo Jeremias prædixit : Regnabit rex, et sapiens erit. (Jer. XXIII, 5.) Et Psalmista : Deus, judicium tuum regi da, et justitiam tuam filio regis. (Ps. LXXI, 2.) Daniel quoque : Antiquus dierum (videlicet Pater æternus) dedit ei potestatem et honorem (Dan. VII, 13, 14.)

et regnum. Iterum aliquis dicitur rex dupliciter. Primo, ratione temporalis et exterioris dominii : et ita Christus non fuit rex ; imo in paupertate et humilitate venit, ut judicaretur, non ut sæculariter judicaret. *Joann.* VI, 15. Ideo, quum Judæi quidam voluissent eum facere regem, recusavit et fugit. Similiter, quum quidam ei dixisset, *Luc.* XII, 13, 14. Domine, dic fratri meo ut dividat mecum hereditatem ; respondit : O homo, quis me constituit principem aut judicem super vos ? Secundo, aliquis dicitur rex ratione spiritualis ac interioris dominii : sicque Christus in primo suo adventu, dum prædicavit et evangelicam legem proposuit, cœpit in suorum cordibus discipulorum atque credentium per fidem et caritatem regnare ; et post suam resurrectionem ac missionem Spiritus Sancti latissime cœpit regnare, primo in multis millibus Judæorum in Jerusalem, et in omni Judæa et Galilæa atque Samaria, et deinde per totum orbem terrarum, juxta illud Zachariæ, *Zach.* IX, 9, 10. Ecce rex tuus veniet tibi, potestas ejus a mari usque ad mare, et a fluminibus usque ad fines terræ ; juxtaque illud *Dan.* VII, 14. Danielis, Omnes populi, tribus et linguæ servient ei. Unde per Isaiam prædictum *Is.* IX, 7. fuit : Super solium David et super regnum ejus sedebit. Sicque regnum Christi incipit in hac via in militanti Ecclesia, et completur ac perpetuatur in patria et in Ecclesia triumphanti. Ideo Daniel ait : *Dan.* VII, 14. Potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur, et regnum ejus quod non corrumpetur. Hi quoque, puta fideles electi, in quibus regnat Christus per fidem et gratiam, non sunt de hoc mundo, id est de sorte et numero Babylonicæ civitatis et ecclesiæ malignorum seu hominum mundanorum. De quibus Christus dixit in sermone post Cœnam : *Joann.* XVII, 16. De mundo non sunt, sicut et ego non sum de mundo.

Insuper Christus secundum naturam divinam fuit semper et est rex Judæorum, cœli, terræ, creaturarumque omnium, jure creationis et gubernationis, juxta illud : *Job* XXXIV, 13. Quem constituit alium super terram, aut quem posuit super orbem quem fabricatus est ? Secundum assumptam quoque humanitatem fuit Dominus et rex universæ creaturæ, quantum ad potestatem creatam, delegatam et ministerialem, nondum tamen quantum ad usum et manifestationem. Nam eo ipso quo Christi humanitas fuit immediate unita Verbo æterno hypostatica seu personali unione, fuit cunctis creaturis prælata. Unde et Christus diu ante passionem suam locutus est apud Joannem : Pater diligit Filium, et omnia dedit in manu ejus. *Joann.* III, 35. Passione quoque instante, post Cœnam de se ipso dixit ad Patrem : Dedisti ei potestatem omnis carnis. *Ibid.* XVII, 2.

Dixit itaque ei Pilatus : Ergo rex es tu ? Respondit Jesus : Tu dicis, quia rex sum ego *Ibid.* XVIII, 37. (sicut modo expositum est). *Ego in hoc natus sum* ex Virgine Matre, *et ad hoc veni in mundum* per Incarnationis mysterium, *ut testimonium perhibeam veritati :* hoc est, ideo factus sum homo et inter homines conversatus sum, ut omnem veritatem necessariam ad salutem hominibus pandam ac doceam, et veritati tempore opportuno attester. *Omnis qui est ex veritate, audit vocem meam,* id est, quicumque est verus et obediens discipulus veritatis supernaturalis et evangelicæ legis, acquiescit meæ doctrinæ ; omnis quoque qui ex summa veritate (quæ Deus est) natus est et processit, non solum per creationem, sed item per prædestinationem et gratiam, credit atque obedit mihi. Unde et antea dixit Salvator : Qui ex Deo est, verba Dei audit. *Ibid.* VIII, 47.

Dicit ei Pilatus : Quid est veritas ? *Ibid.* XVIII, 38. Hoc opportune quæsivit Pilatus tanquam judex, quia ad judicem maxime pertinet veritatem cognoscere. Quæsivit autem veritatis definitionem, vel quæ sit veritas illa de qua dixerat Christus : Omnis qui est ex veritate, audit vocem meam. Multa hic dici possent de veritate, quid sit, et de multiplici veritatis distinctione. Est etenim veritas creata et increata ; item est veritas rei et veritas propositionis ; rursus est veritas vitæ, veritas doctrinæ, veritas-

que justitiæ, veritas quoque moralis. Sed de his pertranseundum est hic. De quibus Richardus de Mediavilla pulchre tractat super primum Sententiarum, Anselmus quoque in libro de Veritate, et Thomas præcipue in Summa, de veritate. (*Joann.* XVIII, 38.) *Et quum hoc dixisset, iterum exivit ad Judæos.* Ex hoc videtur quod Pilatus non exspectavit responsionem ad hanc quæstionem. Et forsan Christus non disposuit se ad respondendum, et Pilatus multipliciter occupatus, festinavit se expedire de Christo, eumque liberare, quia advertit innocentiam ejus ; atque ut ait Augustinus, Pilato repente occurrit modus quo possit Christum eruere, quia recordabatur consuetudinis Judæorum qua eis unus reus dimittebatur in Pascha. Dicitur etiam, quod si Christus exposuisset Pilato quid sit veritas, Pilatus ita affectus fuisset ad Christum, quod eum nequaquam damnasset ad mortem. Ideo Christus non respondit ad hoc Pilato, qua ratione nec paulo post respondit Herodi, nec coram eo aliquod signum facere voluit.

(*Luc.* XXIII, 5.) *At illi,* puta Judæi, *invalescebant,* non ratione, sed inquietudine et tumultu, id est, fortius quam ante contra Jesum clamabant, ut sua importunitate ac strepitu prævalerent. (*Marc.* XV, 3.) *Et accusabant eum summi* (*Luc.* XXIII, 5.) *sacerdotes in multis, dicentes : Commovit,* id est, inquietavit et seduxit, *populum, docens per universam Judæam, incipiens a Galilæa* et perveniens *usque huc,* id est usque Jerusalem. (*Ibid.* 6.) *Pilatus autem audiens Galilæam* nominari, *interrogavit si homo Galilæus esset,* id est nutritus et commoratus in Galilæa : (*Ibid.* II, 4 et seq.) siquidem natus fuit in Bethlehem Judæ, id est urbe Judææ, non Galilææ.

(*Ibid.* XXIII, 7.) *Et ut cognovit* ab his quos interrogavit, *quod de Herodis potestate esset,* id est de Galilæa, in qua præsidebat Herodes iste qui cognominabatur Antipas, filius Herodis Ascalonitæ qui trucidavit infantulos, (*Matth.* II, 16. *Marc.* VI, 17 et seq.) sicut iste beatissimum Joannem Baptistam, *remisit eum ad Herodem,* confidens quod adjutorio Herodis liberaretur, ut se exoneraret de judicio Jesu. (*Luc.* XXIII, 8.) *Herodes autem, viso Jesu, gavisus est valde.* Cui tamen potius debuit condolere : attamen gavisus fuit non de Jesu tribulatione, sed de rei desideratæ adeptione. Nam subditur : *Erat enim ex multo tempore cupiens videre eum, eo quod audierat multa de illo,* videlicet de miraculis, sapientia, eloquentia et virtutibus Christi, *et sperabat signum,* id est miraculum, *aliquod videre ab eo fieri ;* sicque gaudebat de Jesu præsentia ex curiositate magis quam ex devotione : et quoniam Jesus videbatur tunc indigere Herodis auxilio, præsumpsit Herodes quod ad nutum impetraret a Jesu omne quod vellet et Jesu possibile esset. Fuit autem Herodes iste Jerosolymis his diebus festi (*Ibid.* 7.) paschalis, propter reverentiam tantæ celebritatis, et quia circumcisus fuit, sicut et pater ejus. Fuit quoque ex parte matris suæ Judæus et Jerosolymitanus, ut recitat Josephus. (*Ibid.* 9.) *Interrogabat autem eum multis sermonibus,* id est, Herodes multa quæsivit a Jesu. Et creditur, quod interrogavit an ipse Jesus esset ille propter quem pater suus Herodes occidit infantes, et an veraciter esset Christus in lege promissus, an etiam esset de quo tanta fama fuit diffusa, et qui tot et tanta dicebatur fecisse miracula, atque de cujus adventu et excellentia prædicaverat multa Joannes Baptista. *At ipse nihil illi respondebat,* sciens quod ex curiositate quæsivit, et quoniam Dominus Jesus noluit per sua responsa liberari Herodis auxilio, qui non permisisset Jesum occidi, si vidisset eum aliquod facere signum, aut convenientia dare responsa. *Stabant autem principes sacerdotum et Scribæ constanter* (hoc est pertinaci et irrefrenata audacia) (*Ibid.* 10.) *accusantes eum,* sicut fecerunt coram Pilato.

Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo, (*Ibid.* 11.) id est, Herodes ac sui ministri spreverunt Jesum tanquam ignarum et fatuum, eo quod regi non exhiberet honorem, nec responderet ei a quo tam faciliter poterat auxilium obtinere. *Et illusit indutum veste alba* quasi simplicia-

num et stultum, *et remisit eum ad Pilatum*, deferens in hoc Pilato honorem, Luc. XXIII, 12. quemadmodum Pilatus detulit ei. *Et facti sunt amici Herodes et Pilatus,* ex mutua illa reverentiæ exhibitione. *Nam antea inimici erant ad invicem.* Pilatus nam- A que occiderat quosdam Galilæos ad Herodis dominium pertinentes, sicque Pilatus falcem suam misit in messem alienam, id est, potestatem et jurisdictionem exercuit in subjectos Herodi : quod ipse ægre accepit.

ARTICULUS X

QUOMODO CHRISTUS AD CRUCEM POSTULATUS, QUOMODO FLAGELLATUS, CORONATUS POPULOQUE MONSTRATUS, ATQUE AD TRIBUNAL FUERIT ADDUCTUS.

Luc. XXIII, 13, 14. PILATUS *autem convocatis principibus sacerdotum et magistratibus et plebe, dixit ad illos : Obtulistis mihi hunc hominem quasi avertentem populum* Judæorum a recta doctrina; *et ecce ego coram vobis interrogans,* hoc est, causas mortis examinans et inquirens tam a vobis quam a Jesu, *nullam causam invenio in homine isto ex his in quibus eum accusatis,* id est, non invenio vera esse quæ ei imponitis, et si aliquid tale est verum, Ibid. 15. non tamen est morte dignum. *Sed neque Herodes* reperit in eo excessum hujusmodi. *Nam remisi vos ad illum, et ecce nihil dignum morte actum est ei* (videlicet Jesu), id est, Herodes non intulit huic homini aliquid ex quo possit probari quod Herodes senserit eum mortem pro- Ibid. 16. meruisse. *Emendatum ergo illum dimittam,* id est, faciam Jesum castigari seu flagellari, ut sic satisfiat vobis, si forte vobis in aliquo forefecit, et sic eum absolvam et libere permittam abire.

Matth. XXVII, 12. *Et quum accusaretur* Jesus *a principibus sacerdotum, nihil respondit,* quia jam tempus fuit tacendi ac patiendi, et adim- Is. LIII, 7. plendi quod Isaias de ipso prædixit : Tanquam agnus coram tondente se obmute- Marc. XV, 4. scet, et non aperiet os suum. *Pilatus ergo rursus interrogavit eum, dicens* ex compassione et admiratione : *Non respondes quidquam?* quasi dicat : Mirum quod ita B stas et siles, nec te expurgas, qui hucusque reputatus fuisti tam sapiens et facundus. *Vide in quantis* excessibus *te accusant.* Plura quippe objecerant Christo quam Evangelistæ scripserunt. *Non audis* Matth. *quanta adversum te dicunt testimonia?* XXVII, 13. *Et non respondit ei* pro tunc *ad ullum* Ibid. 14. *verbum, ita ut miraretur præses,* puta Pilatus judex, *vehementer.* Scivit namque Pilatus quod Jesus potuisset se facillime excusare, et unico verbo flatum et ventum verborum accusantium Judæorum dejice- C re, cassare et exsufflare, præsertim quum haberet judicem pro se.

Præterea omnia nunc prætacta, sunt nobis distincte ac diligentissime consideranda, utpote : omnis illa ineffabilis patientia Filii Dei, et quod tot et tantas illusiones, confusiones, injurias atque blasphemias propter nos tolerare dignatus est; quod toties de judice ad judicem missus est, et in alba veste tam ignominiose confusibiliterque irrisus est, et per plateas Jerusalem ductus est coram tot millibus hominum. In D omnibus quoque his intueamur, non absque præcordiali compassione, qualem et quantum dolorem, compassionem, pudorem sustinuit affectuosissima atque piissima Mater Jesu in omnibus istis, videns unicum et dilectissimum Filium suum, cujus dignitatem, teneritudinem ac innocentiam certissime noverat, ita tractari, irride-

ri, et tanquam stolidum atque vilissimum ab omnibus subsannari. Et ecce hæc omnia propter nos pertulit Dominus noster, ut eum sequamur. Sed væ nobis, qui non solum dedignamur injustas et falsas accusationes æquanimiter ferre, imo et caritativas et veras ac justas correptiones indignanter suscipimus, et correctiones debitas dura cervice repellimus, despici abhorremus, proprias laudes amplectimur, non pensantes vitia et peccata quibus sordemus, neque rigorem divini judicii ac tormenta quæ patiemur. Ubi jam amatores et filii sæculi hujus, qui in vestimentorum et ornamentorum suorum pretiositate, pompa, curiositate ac multitudine gloriantur, et vestibus, non virtutibus, complacere quærunt hominibus? Quid responsuri sunt Christo, qui pro eis alba veste illusus est, et vestitu simplici atque humillimo semper incessit? Nequaquam christiani vocari merentur, qui sic Christo in omnibus contrariantur.

Porro unusquisque vestire se debet juxta exigentiam suæ vocationis aut professionis seu legis. Quum ergo lex Christi sit lex totius humilitatis, simplicitatis ac maturitatis, hoc ad omnem pertinet Christianum, ut vestimentis humilitatem, simplicitatem ac maturitatem monstrantibus induatur, omnemque superfluitatem, vanitatem et pompam devitet : præsertim quia (ut sancti patres Hieronymus atque Chrysostomus contestantur) vir aut mulier se ornans, et suo ornatu aut vestitu, aliorum oculos in se provocans, etiam quamvis nullum malum seu scandalum inde sequatur, æternum tamen supplicium patietur, quia venenum præbuit, si fuisset qui biberet. Attendant hæc qui in novitatum et vanitatum, imo et fatuitatum suarum adinventionibus jucundantur, vestibusque utuntur nunc nimis longis, nunc nimis brevibus, nunc nimis arctis, nunc nimis amplis, nunc fractillatis et scissis, raro aut nunquam medium observantes, ita ut in omnibus magis irrisi quam vestiti appareant. Propter quæ etiam Sarraceni et

A Judæi Christianos juste derident. Abjiciamus ergo hæc omnia, nec aliquis animam proximi sui venetur ad mortem, sed Christi humilitatem sectemur in conversatione, vestitu ac moribus. *Mich.* VII, 2.

Insuper attendamus quoties Filius Dei propter nos ductus est de judice ad judicem. Ductus est enim primo ad Annam pontificem; secundo, ab Anna ad Caipham; tertio, a Caipha ad Pilatum; quarto, a Pilato ad Herodem; quinto, ab Herode ductus est denuo ad Pilatum; sexto, Pilatus
B Jesum flagellavit, spinisque coronatum atque purpurea veste indutum, eduxit ad principes sacerdotum; septimo, ductus est ad tribunal Pilati, ubi accepit mortis sententiam.

Per diem autem solennem, id est in solennitate paschali, *consueverat præses dimittere populo* Judæorum *unum ex vinctis quem voluissent,* id est quem populus elegit sibi dimitti. Istud obtinuerunt Judæi a Romanis, ut in honorem et memoriam liberationis patrum suorum ex Ægypto, *Matth.* XXVII, 15; *Marc.* XV, 6.
C dimitteretur eis unus ex reis. *Habebat autem* Pilatus tunc *vinctum insignem,* id est in pravitate et facinorositate famosum et eminentem, *qui dicebatur Barabbas. Erat autem Barabbas latro,* qui erat seditiosus. Et *propter seditionem factam in civitate et homicidium, missus* fuit *in carcerem.* Unde patet excessus malitiarum ipsius. *Matth.* XXVII, 16. *Joann.* XVIII, 40. *Luc.* XXIII, 19.

Et quum ascendisset turba, id est, quum Judæi ascendissent ad Pilatum, *cœpit rogare sicut semper faciebat illis,* id est, *Marc.* XV, 8.
D petierunt sibi unum reum dimitti, sicut omni anno tempore Paschæ, quamdiu præfuit, facere consuevit. *Pilatus autem respondit : Quem vultis dimittam vobis? Barabbam, an Jesum qui dicitur Christus?* *Ibid.* 9. *Matth.* XXVII, 17. Pilatus tunc multos tenebat in carcere, sed coarctavit Judæos ut eligerent sibi dimitti unum horum duorum, putans quod nequaquam peterent Barabbam sibi dimitti magis quam Jesum : unde si habuisset pejorem quam Barabbam, arctasset Judæos ad eligendum illum aut Jesum.

Marc. xv, 10. *Sciebat enim quod per invidiam,* hoc est ex invidia, *tradidissent eum summi sacerdotes.* Sed unde hoc scivit? Dicendum est, quod Pilatus frequenter audivit loqui de Jesu et de ejus miraculis atque discipulis, de sapientia et eloquentia ejus, et quam acriter et constanter corripuit superiores Judæorum, et qualiter propter hoc eum oderant et persequebantur. Unde in chronicis legitur, quod Pilatus aliquando scripsit epistolam Tiberio imperatori de mirabilibus Jesu Christi.

Matth. xxvii, 20. *Principes autem sacerdotum et seniores persuaserunt* populo Judæorum adstanti, *ut peterent Barabbam* sibi dimitti, *Jesum vero perderent,* id est, peterent crucifigi. Mirum quod populus, qui paulo ante ita afficiebatur ad Jesum et currebat post eum, potuit subito ita averti ab eo; sed pontifices et seniores, Scribæ ac Pharisæi populo nunc concorditer ac ferventer persuaserunt, quod Jesus populum decepisset, et legem Moysis violaret, atque blasphemus esset in Deum: propter quod expediret pro conservatione reipublicæ, quod peterent Jesum occidi, ne omnes periclitarentur per unum, secundum quod
Joann. xi, 50. Caiphas antea dixerat: Expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, et non
Luc. xxiii, 18. tota gens pereat. *Exclamavit autem simul universa turba* Judæorum, *dicens: Tolle hunc,* hoc est, Jesum aufer de medio et occide; *et dimitte nobis Barabbam.* Præterea, ex aspernatione dixerunt, « hunc », tanquam Jesus indignus esset nominari ab
Ibid. 2. eis, sicut et supra dixerunt: Hunc invenimus subvertentem gentem nostram. Hic Augustinus exclamat: O cæcitas Judæorum, o furia phreneticorum, dicentium: Noli dimittere hunc, sed Barabbam. Quid enim fuit hoc petere, nisi, occidatur qui mortuos suscitavit, et dimittatur qui vivos trucidavit, ut iterum occidat vivos?

Ibid. 20. *Iterum autem Pilatus locutus est ad*
Matth. xxvii, 22. *eos, volens dimittere Jesum,* et ait: *Quid igitur faciam de Jesu qui dicitur Chri-*
Marc. xv, 12. *stus? Quid vultis* ut *faciam regi Judæorum,* id est ei cui vos imponitis quod appellavit se regem Judæorum ac Christum? de quo tamen mihi satisfecit, quod imperatori in hoc non derogavit, dicendo: Regnum meum non est de hoc mundo. *At* Joann. xviii, 36.
illi clamaverunt: Crucifige, crucifige eum. Marc. xv, 13; Luc. xxiii, 21.
Repetitio verbi istius, « crucifige », magni desiderii et confirmati in malo propositi fuit indicium, quia ut Psalmista prædixit: Firmaverunt sibi sermonem malignum. Ps. lxiii, 6.
Pilatus *autem tertio dixit ad illos: Quid* Luc. xxiii, 22.
enim mali fecit iste? Nullam causam mortis invenio in eo. Corripiam ergo illum, id est, faciam flagellari, *et dimittam,* sicut jam antea dixit: Emendatum igitur Ibid. 16.
illum dimittam. *At illi instabant vocibus* Ibid. 23; Marc. xv, 14.
magnis, et magis clamabant, postulantes ut crucifigeretur, quatenus suo tumultu et furioso clamore extorquerent a judice quod per viam justitiæ non poterant obtinere; ac si dicerent ipso facto: Nequaquam potest esse pax in communitate, nisi facias istum occidi.

Tunc ergo apprehendit Pilatus Jesum Joann. xix, 1.
et flagellavit, id est, fecit Jesum a suis militibus apprehendi, nudari et alligari columnæ, ac cædi flagellis. Quod tamen Pilatus non fecit Jesum persequendo, sed ut satisfaceret animo Judæorum, et eos placaret, quum Jesum cernerent flagellatum. De hac Christi immanissima et crudelissima flagellatione Sancti multa scripserunt, et specialiter S. Brigitta vidua in Revelationibus suis, quæ infra tangentur. Pensemus ergo ex corde, quanta pro nostra salvatione sustinuit Rex cœlorum. O quam erubescibilis fuit illa ejus nudatio coram tot millibus hominum; quam confusibile fuit sic ad columnam ligari eum, qui antea fuit in tanta reverentia a populo habitus; quam pœnosum fuit tenerrimo ac nobilissimo corpori Christi flagellis taliter dilaniari! Nam milites illi feroces, imo ribaldi crudeles, vilesque garciones, ad complacendum Judæis, vel forte ab eis inducti muneribus vel promissis, multo crudelius flagellaverunt Jesum quam eis fuit commissum aut fieri consuetum. Studeamus igitur Domino Salvatori esse gra-

ti, et omnium horum jugiter recordemur, ac ejus amore etiam pro omni nostra transgressione ac culpa flagellemus quotidie corpora nostra abstinentiis, jejuniis et sacris vigiliis, disciplinis seu virgarum et flagellorum verberibus, asperitateque vestis, lectisternii quoque duritia. Vere enim nil condignum rependere possumus huic flagellationi Salvatoris ac Regis nostri, etiam si quotidie centies flagellaremur usque ad sanguinis effusionem, omniumque silvarum virgæ consumerentur ictibus super fœda et vitiosa corpora nostra.

Hic describitur spinea coronatio Christi. Quam Chrysostomus dicit factam post dijudicationem Christi ad mortem, seu post judicialem Pilati sententiam de Christi crucifixione. Nam et ex descriptione
Matth. xxvii, 26, 27. Matthæi evangelistæ ita videtur : *Tunc dimisit illis Barabbam : Jesum vero flagellatum tradidit eis, ut crucifigeretur. Tunc milites præsidis, suscipientes Jesum in prætorio,* etc. Sed in hoc Matthæus evangelista non servat ordinem rei gestæ, in historica narratione ; nisi quod ait, « Tunc », exponatur, In tempore illo, et non, Post præfatam sententiam. Joan-
Joann. xix, 2 et seq. nes namque evangelista evidenter testatur, quod coronatio spinea Christi sententiam illam præcessit. Itaque, « milites præsidis, suscipientes Jesum », id est, disligantes eum a columna. Quam utique columnam Dominus et Salvator, ardentissimus omnium hominum, maxime electorum, amator, pro nostra redemptione tam affectuose amplectebatur dum ligabatur ad eam, quod nunquam sponsus sponsam suam tam amorose est amplexatus. Nempe si aliqui homines virtuosi tam ardenter diligunt proximos suos, et quidam prælati tam fervide amant subditos suos, quod pro eis, imo pro unoquoque eorum, mallent centies mori quam permitterent illos (quantum in se est) æternaliter condemnari : quanto magis de Unigenito Dei incarnato credendum est, quod unicam illam mortem et passionem ardentissimo atque incomparabiliter promptissimo corde

A sustinuit, pro generali omnium electorum suorum liberatione a perpetua damnatione privationeve gloriæ, et pro beatificatione eorum æterna? *Duxerunt eum intro* Marc. xv, 16.
in atrium prætorii : qui locus apertus et omnibus patulus fuit; *et congregaverunt* Matth. xxvii, 27.
ad eum universam cohortem, ut in omnium præsentia Christum ignominiosissime crudelissimeque tractarent : quatenus publice illuderetur et inhonoraretur, qui (ut sibi imponebatur) voluit pro rege haberi ac publice honorari ; et sic ejus illusio ei
B pœnalior esset.

Et exuentes eum proprias vestes (quas Ibid. 28.
eum jam semel exuerunt prope columnam, sed eo flagellato, fuit eis rursus indutus), *chlamydem coccineam circumdederunt ei,* id est, purpuream vestem eum induerunt, ut irrisorie vestiretur ut rex : nam reges purpura uti solent. *Et plecten-* Ibid. 29.
tes coronam de spinis, id est de juncis marinis in littore maris nascentibus, ut communiter dicunt expositores : qui junci sunt acuti instar spinarum. Unde Nicolaus
C de Lyra refert se audisse a quodam qui cum S. Ludovico rege Francorum fuit in partibus transmarinis, quod junci illi sunt ita acuti, quod sensit punctiones eorum per calceos suos. *Posuerunt super caput ejus* angelicis potestatibus honorandum, pro diademate regio, *et arundinem in dextera ejus* pro sceptro regali. *Et veniebant* Joann. xix, 3.
ad eum cum ficta et derisoria reverentia quasi ad regem, *et genu flexo ante eum,* Matth. xxvii, 29.
illudebant ei, ut sic eorum illusio corresponderet Judæorum accusationi. *Et cœpe-* Marc. xv, 18.
D *runt salutare eum, dicentes : Ave, rex Judæorum.* Quod ironice dixerunt ad sensum contrarium, tanquam dicerent : Væ tibi, miser, qui te jactasti esse regem Judæorum. *Et dabant ei alapas* tanquam va- Joann. xix, 3.
nissimo homini; *et acceperunt arundinem* Matth. xxvii, 30.
quam posuerunt in dextera ejus, *et percutiebant caput ejus* dignissimum, quod sacratissimus Joannes Baptista tangere vix audebat, *arundine,* ut sic spinea illa co- Marc. xv, 19.
rona capiti ejus profundius atque pœnosius imprimeretur. Tuncque ex divinissimo

capite sanguis sacer copiosissime fluxit : A
in tantum quod sancti oculi ejus ac aures
sanguine implebantur, ita quod cum digitis suis sacris sanguinem tersit ex oculis
Marc. xv, 19. suis. *Et conspuebant eum* tanquam vilissimum ac stolidissimum præsumptorem, qui non obstante sua paupertate, jactasset se regem, ideoque dignus esset tanta confusione et omni ludibrio honori regio contrario. *Et ponentes genua* super terram postquam stando conspuerunt faciem ejus, *adorabant eum* adoratione duliæ, qua reges et sublimes personæ adorari consue- B
verunt. Soli autem Deo debetur adoratio latriæ. Illam tamen adorationem exhibuerunt Christo cum maximo ejus despectu.

Dicit autem Chrysostomus, quod Christum sic coronaverunt et irriserunt ac percusserunt, non ex mandato Pilati, sed pecunia a Judæis inducti. Augustinus vero sentit, quod mandato aut saltem permissione Pilati hæc egerint, quatenus Judæi visa tanta Christi correptione, perfectius placarentur : quod verius reputatur, quia nec verisimile æstimatur quod plura sup- C
plicia ausi fuerint Christo infligere nondum dijudicato, quam præses præcepit aut saltem permisit.

Joann. xix, 4. *Exivit iterum Pilatus foras* extra prætorium, *et dixit* Judæis : *Ecce adduco vobis eum foras* sic emendatum, *ut cognoscatis quia nullam invenio in eo causam* mortis; quam si invenissem in eo, dedis-
Ibid. 5. sem contra eum mortis sententiam. *Exivit ergo Jesus* foras, *portans spineam coronam et purpureum vestimentum,* non jam
Ps. xliv, 3. speciosus forma præ filiis hominum, sed D
Is. liii, 4. tanquam leprosus et a Deo percussus, et
Joann. xix, 5. quasi contemptibilissimus omnium. *Et dixit* Pilatus *eis : Ecce homo.* Ac si diceret : Videte hunc miserum, et condolete, atque contenti estote : quia si in aliquo vos offendit aut forefecit, jam satis et plus quam satis punitus est, et pro verbis acerrima verbera recepit ac vulnera. Dixit itaque præses Judæis, «Ecce homo», ac si diceret, secundum Augustinum : Egreditur iste ad vos, non clarus imperio, sed plenus opprobrio; si ei, quia se regem dixit, invidetis, jam parcite, quia summe dejectum conspicitis : flagellatus est, spinis coronatus est, ludibriosa veste amictus, convitiis duris illusus, et alapis cæsus; fervet ignominia, frigescat invidia. Attendamus qualiter gladius doloris penetravit mentem affectuosissimæ benignissimæque Virginis Matris, quando dilectissimum Filium suum vidit ita dispositum egredi ac populo præsentari ; quantus etiam dolor tunc implevit sanctas matronas quæ Christum secutæ fuerunt, et ceteros Christi discipulos ac amicos ibi præsentes, videlicet Joannem apostolum, Nicodemum, Joseph ab Arimathea, et alios quosdam.

Quum ergo vidissent eum pontifices et ministri eorum, qui præ ceteris contra *Joann.* xix, 6.
Christum furebant, *clamabant, dicentes : Crucifige, crucifige eum,* id est, jube eum affigi patibulo, ut diuturniori, acerbiori, ignominiosiori ac manifestiori morte intereat, et impleatur in eo quod in lege conscriptum est : Maledictus omnis qui *Deut.* xxi, 23; *Galat.* iii, 13.
pendet in ligno. His enim ex causis petierunt Jesum affigi patibulo, sicut in eorum persona dicit Sapiens : Morte turpissima *Sap.* ii, 20.
condemnemus eum. Tunc implebatur quod Christus per Jeremiam prædixit : Facta *Jer.* xii, 8.
est mihi hereditas mea quasi leo in silva; dedit contra me vocem suam : ideo odivi eam. Et item quod per Osee ait : Recesse- *Osee* vii, 14-16.
runt a me, et ego erudivi eos, et roboravi brachia eorum, et in me cogitaverunt malitiam; reversi sunt ut essent absque jugo. *Dicit eis Pilatus : Accipite eum vos, et* *Joann.* xix, 6.
crucifigite vestra auctoritate. Non dixit hoc Pilatus eos licentiando ad crucifigendum Christum, sed exsecrando durissimum cor eorum ; et aspernanter atque ironice dixit hoc contra nefarios illos, de quibus et Jacob prædixit : In consilium *Gen.* xlix, 6, 7.
eorum non veniat anima mea, et in cœtu eorum non sit gloria mea : maledictus furor eorum, quia pertinax; et indignatio, quia dura. Sacerdotes namque et Pharisæi sic contra Jesum implacabiliter clamantes, erant de tribu Levi et Simeonis, de quibus

Jacob patriarcha locutus est hæc verba A præfacta. *Responderunt ei Judæi,* præsertim superiores eorum : *Nos legem habemus* datam nobis a Deo per Moysen, *et secundum legem debet mori,* id est occidi, *quia Filium Dei se fecit,* id est, esse asseruit. Et verissime dixit hoc; si autem mendaciter hoc dixisset, occidi promeruisset.

Joann. XIX, 7.

Ibid. 8. *Quum ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit* quam ante. Timuit, non quia de lege Judæorum curavit, sed quia novit Jesum mortuos suscitasse et B multa fecisse miracula, quod et Romani jam perceperant : ideo formidavit ne forte sic esset, et per consequens peccasset gravissime, ita tractando Filium Dei, quem jam fecerat flagellari; et amplius eum timuit morti adjudicare. Quamvis enim Pilatus esset idololatra, tamen de uno summo Deo poterat aliquid scire ex naturali ratione aut philosophorum traditione, vel ex habitatione inter Judæos summi Dei

Ibid. 9. cultores. *Et ingressus est in prætorium iterum,* vocans Jesum ad se, ut eum de C isto puncto secrete ac diligenter examinaret, *et dicit ad Jesum : Unde es tu?* Jam Pilatus audivit quod Jesus esset a Galilæa: nam et in Nazareth oppido fuit conceptus ac commoratus. Idcirco per verba hæc videtur Pilatus quæsisse de Christi propagine, utpote a quo patre et a qua matre prodisset, an scilicet natus esset ex homine patre, an ex Deo. *Jesus autem responsum non dedit ei :* primo, quia non voluit per responsa passionem propriam impedire, quoniam tempus moriendi in eo jam D fuit impletum; secundo, ut suæ patientiæ atque silentii nobis præberet exempla; tertio, quia Pilatus non erat dispositus ad intelligendum aliqua de generatione Christi

Ibid. 10. divina. *Dicit ergo ei Pilatus : Mihi non loqueris?* quasi dicat : Insipienter te habes in hoc, quum deberes studere ad complacendum mihi, et benevolentiam meam captare, quum sim judex tuus, qui te possum damnare ac liberare. Ideo subdit : *Nescis quia potestatem habeo crucifigere te, et potestatem habeo dimittere te?* tanquam dicat : Hoc utique nosti. Et secundum humanam apparentiam fuit sic; et tamen contra id quod Deus decreverat, Pilatus nil poterat, quia ut Salomon est locutus : Non est sapientia, non est consilium contra Dominum. Prov. XXI, 30. Et quia jam fuit in procinctu et puncto ut sententia proferretur de Jesu, valde mirabatur Pilatus quod Jesus in tantæ necessitatis articulo sibi protinus non respondit.

Respondit Jesus, non ad interrogationem Pilati, Joann. XIX, 11. sed ad reprimendum præsumptionem jactantiamque ipsius, quæ erant contra Dei honorem, cujus inhonorationem Filius Dei abhorruit. Nam (ut ait Chrysostomus) quamvis pium sit propriam injuriam æquanimiter sustinere, impium tamen est Dei injuriam dissimulare. Sed, heu! nunc plurimi sunt, qui nec modicum quid contra proprium honorem perpeti volunt, sed de Dei inhonoratione, quamvis magna, nil curant, unde nec peccantes corripiunt : idcirco in talibus regnat improbus amor sui, non caritas Dei. *Non haberes potestatem adversum me ullam,* id est nec magnam nec parvam, hoc est, non haberes potestatem crucifigendi me, *nisi tibi datum esset desuper,* id est, nisi potestas hæc tibi esset donata a superiore, præsertim a Deo, a quo est omnis potestas, vel ab imperatore. Melius tamen intelligitur, quod ait, « desuper », a Deo. Unde et beatissimus Joannes Baptista ait : Non potest homo accipere quidquam, nisi Ibid. III, 27. fuerit ei datum de cœlo. Et Apostolus ad Romanos : Non est (inquit) potestas nisi a Rom. XIII, 1. Deo. Itaque omnis potestas est a Deo, mediate aut immediate. Quod quum ita sit, noli, o Pilate, de tua potestate extolli aut gloriari, quasi non acceperis eam, aut quasi non sis judicandus ab eo a quo potestatem sortitus es, aut quasi pro libitu tuo liceat tibi uti tua potestate. Nam potestas a Deo est; sed potestatis abusio non est a Deo, sed a propriæ voluntatis arbitrio. *Propterea qui me tradidit tibi, majus peccatum habet,* Joann. XIX, 11. videlicet populus Judæo-

rum : imo et unusquisque eorum qui te incitat ad crucifigendum me, magis reus est in mea persecutione et morte, quam tu, quoniam provocat te ad tuæ potestatis abusum.

Denique Christus, dicendo, « majus peccatum habet », insinuavit et ipsum Pilatum peccare in sua passione et morte : quia quum sciret Christum innocentem et ex invidia traditum, debuit eum absolute eripere, et pro ipso sententiam ferre. Magis ergo et quasi incomparabiliter gravius peccaverunt Judæi, præsertim pontifices, sacerdotes, Scribæ et Pharisæi ac seniores, Christum tradendo Pilato, et eum sic persequendo, quam ipse Pilatus. Primo, quoniam ex invidia et rancore, ex ira et impatientia moti fuerunt adversus Christum ; Pilatus autem ex humano timore contra Christum dedit sententiam. Secundo, quia Judæi erant Christo magis ingrati quam Pilatus. Missus etenim fuit Christus ad oves domus Israel, non ad gentiles, et Judæis prædicavit atque miracula fecit. (*Matth.* xv, 24.) Tertio, quia pontifices et superiores Judæorum etiam ex superbia et ambitione contra Christum fuerunt accensi : quia (ut asserit Augustinus) delectabat eos principatus quidam, videruntque sibi a Christo principatum auferri. Doluerunt quoque de hoc, quod populus magis cucurrit post Christum quam post eos, et quod Christus vicit eos fama, sapientia, eloquentia atque miraculis : sicque accensi contra eum fuerunt. Et hæ causæ tanguntur in libro Sapientiæ, quo legitur : Dixerunt impii, Circumveniamus justum, quoniam contrarius est operibus nostris ; tanquam nugaces æstimati sumus ab eo ; gravis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita ipsius. (*Sap.* II, 12, 16, 15.) Quarto, quia noverunt Scripturas, ex quibus debebant advertere Jesum esse Messiam : imo, ad tempus, hoc aliqualiter cognoverunt, sed postea excæcavit eos eorum malitia.

Circa hæc quæritur, an Pilatus peccavit in Christum, eum flagellando et condemnando. Videtur quod non, quoniam judex A tenetur procedere atque sententiare juxta allegata et sufficienter probata, non secundum conscientiam propriam : alioqui posset reum absolvere quando vellet. Quum ergo secundum legem divinam et humanam, in ore duorum aut trium testium stet omne verbum, et contra Christum erant tot millia testium, videtur (*Deut.* XVII, 6 ; *Matth.* XVIII, 16.) quod Pilatus tenebatur secundum eorum testimonium ferre judicium, et per consequens Christum flagellare secundum leges Romanorum, qui crucifigendos jusserunt B primo flagellari, ut sic extorqueretur ab eis an habuissent aliquos in crimine socios. Oppositum hujus probatur ex verbis Christi jam introductis. Secundo, quoniam ipsemet Pilatus dixit se posse Christum dimittere : ergo peccavit, contra hoc faciendo. Tertio, quia Chrysostomus ait : Pilatus dicendo, Potestatem habeo crucifigere te et dimittere te, damnavit se ipsum. Si enim totum in sua potestate dicit positum, excusationem non habet. Quarto, quoniam innocentem et justum occidere, est contra C legem divinam ac naturalem, contra quas nil potest lex humana ac positiva. — De hac quæstione possent multa hic dici. Aliqui enim opinantur, quod judex tenetur simpliciter judicare secundum probata et allegata, quamvis ut particularis persona sciat oppositum. Est enim minister legis, personaque publica : ideo secundum leges humanas tenetur procedere. Alii addunt, quod debet pro innocentis liberatione totis viribus laborare, testes examinando seorsum vel accusatores, et causam D ad superiorem remittendo, si potest, ipsumque superiorem diligenter informando de veritate. Si autem superior injungat judici inferiori ut causam expediat, tenetur judex inferior secundum probata et allegata ferre sententiam, quamvis sibi de judicandi innocentia constet. Alii addunt, quod judex potius debeat officium resignare, quam innocentem morti adjudicare aut pœnæ. Sed quidquid de ista teneatur materia, certum est quod Pilatus peccavit Christum sic puniendo et dijudicando : nam

poterat ad superiorem recurrere, atque (ut ipse fatebatur) potuit modum liberandi Christum invenire. Sed comparatione Judæorum quasi innocens fuit. Multum namque laboravit pro Christi ereptione, ut patet ex dictis atque dicendis. Nam subditur : *Et exinde quærebat Pilatus dimittere eum.* (Joann. xix, 12.) Jam ante quæsivit dimittere Jesum, sed prætacta Christi responsione audita, proposuit absolute fortiusque quam antea Jesum dimittere. Nam et ex Christi responsione advertit se esse culpabilem, eo quod ita tractavit innocentem, et adhuc suspicabatur an forsan Jesus esset Filius Dei, quia de hoc Christus responsionem Pilato non dederat. Præfata quoque Christi responsio videbatur Pilato sapientia plena : idcirco decrevit eum tanquam innocentem, justum ac sapientem, dimittere, si aliquo modo posset.

Judæi autem scientes Pilatum magis timere imperatorem quam Deum verum, *clamabant : Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris,* id est, ostendis te adversarium imperatoris, cujus honorem non tueris ; ideo perdes ejus amicitiam ac favorem, dimittendo hunc impunitum seu vivum, qui reus est criminis læsæ majestatis in Cæsarem. Erat autem tunc Cæsar, Tiberius. *Omnis enim qui se regem facit,* id est, sine consensu imperatoris sibi assumit nomen auctoritatemque regis, *contradicit Cæsari,* id est, rebellis est imperatori, qui hoc ipsum prohibuit tanquam monarcha, id est unicus princeps orbis.

(Ibid. 13.) *Pilatus ergo quum audisset hos sermones, adduxit foras Jesum,* volens expedire negotium. Erat quippe territus ex verbis auditis, et apud Cæsarem timuit accusari, et suo privari officio, si invitis Judæis dimitteret Jesum. *Et sedit pro tribunali,* id est in solio judicii, disponens se ad dandum sententiam, *in loco qui dicitur Lithostrotos,* a lithos (quod est lapis), et strotos (compositio), quasi congeries seu collocatio lapidum diversorum, quoniam pavimentum loci illius diverso lapide stratum fuit ; *Hebraice autem Gabbatha,* quod interpretatur collis vel sublimitas, quia elevatus erat locus ille.

Erat autem parasceve Paschæ, (Joann. xix, 14.) hoc est dies in quo præparabatur cibus comedendus in sabbato, quod erat dies præcipuus festi paschalis : in quo sabbato prohibita fuit ciborum decoctio, ut patet in Exodo. (Exod. xvi, 23.) Itaque parasceve Græce, interpretatur præparatio. Et erat feria sexta, *hora quasi sexta,* (Joann. xix, 14.) hoc est inter tertiam et sextam : nam circa sextam horam crucifixus est Dominus. Porro apud Marcum legitur : Erat autem hora tertia, et crucifixerunt eum. (Marc. xv, 25.) Quod secundum Augustinum exponitur, quia illa hora crucifixus est Jesus linguis Judæorum clamantium : Tolle, tolle, crucifige eum.

Et dicit Pilatus *Judæis : Ecce rex vester.* (Joann. xix, 14.) Ironice et aspernatorie dixit hoc præses, tanquam dicat : Turpe est vobis, quod non potestis huic pauperi et abjecto objicere aliud, nisi quod regem se dixerit. Vel, « Ecce rex vester », quasi dicat : Ecce quem timetis velle usurpare super vos regnum, quum tamen nullam apparentiam habeat iste quod velit aut possit regnum terrenum assumere ac Cæsari repugnare. *Illi autem clamabant : Tolle, tolle, crucifige eum.* (Ibid. 15.) Ac si dicant, Eum diutius videre non possumus : juxta illud Sapientiæ, Gravis est nobis etiam ad videndum. (Sap. ii, 15.) Vere sicut Psalmista prædixit : Acuerunt linguas suas sicut serpentes, venenum aspidum sub labiis eorum ; (Ps. cxxxix, 4.) et rursus, Dentes eorum, arma et sagittæ, et lingua eorum, gladius acutus. (Ps. lvi, 5.) *Dicit eis Pilatus* interrogative : *Regem vestrum crucifigam ?* (Joann. xix, 15.) id est, non erubescitis de hoc quod eum affigam patibulo, qui a multis vestrum reputatus est rex Israel, id est Christus? Unde superius dixit : Quid faciam de Jesu qui dicitur Christus? (Matth. xxvii, 22.) *Responderunt pontifices : Non habemus regem nisi Cæsarem,* (Joann. xix, 15.) id est, alium pro rege accipere abnegamus. Ecce ad quantam excæcationem et obstinationem impiissimi isti sunt devoluti, ex sua invidia contra Christum et desiderio mortis ejus dicentes, Non habe-

mus regem nisi Cæsarem: quum tamen tot A sancti Prophetæ prædixerint atque promiserint eis adventum veri regis Israel, puta Messiæ, quem sacrilegi isti negando, subjecerunt et adstrinxerunt se et subjici meruerunt dominio Romanorum usque in sæculi finem. Ideo ait Chrysostomus : Quia Judæi negaverunt voluntarie Christum et regnum cœleste, justo Dei judicio facti sunt servi potestatis terrenæ. Hinc per Je-
Jer. v, 11, 12. remiam prædictum est : Prævaricatione prævaricata est in me domus Israel et domus Juda, ait Dominus; negaverunt Domi- B num, et dixerunt, Non est ipse. Unde et a
Dan. IX, 26. Daniele prædictum fuit : Post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, et non erit ejus populus, qui eum negaturus est.
Matth. XXVII, 19. *Sedente autem illo,* puta Pilato, *pro tribunali,* id est in sede judiciaria, ad judicandum de Christo, *misit ad eum uxor ejus, dicens : Nihil tibi et justo illi,* id est, non intromittas te ad sententiandum adversus eum, quia non habet culpam per quam efficiatur de foro tuo; *multa enim passa sum hodie per visum propter eum.* C Circa hoc expositores communiter dicunt, quod diabolus, qui instigavit Judam ad Christi traditionem, et Judæos ad ejus occisionem, videns summam et admirabilem Christi patientiam, sanctorum quoque patrum in limbo insolitam quamdam consolationem, conjecit Jesum esse veraciter Christum : ideo timens vinci ac spoliari per ipsum, nitebatur impedire ipsius passionem. Propterea in visu suggessit uxori Pilati ut marito suo suggereret nequaquam ferre sententiam contra Jesum. Et apparet D quod postquam Pilatus surrexit de lecto,

uxor ejus adhuc in lecto permansit, et ibi tunc hanc habuit visionem in vigilia vel in somno. *Videns autem Pilatus quia nihil proficeret,* laborando pro Christi di- *Matth.* XXVII, 24.
missione, *sed magis tumultus fieret,* quia secundum Glossam, furens Judæorum turba imposuit præsidi crimen rebellionis contra imperatorem, et magis ac magis inquietudinem ac murmurationem exercuit, *accepta aqua, lavit manus coram omni populo, dicens : Innocens ego sum a sanguine justi hujus,* id est, condemnatio ejus ad mortem et sanguinis sui effusio mihi non poterunt imputari. Ego enim innocentem studui liberare; sed quum oriatur seditio, et crimen rebellionis contra Cæsarem mihi imputetur, ecce accipio aquam, et sicut aqua lavo manus, sic lotione ista protestor conscientiam meam esse immunem a morte istius. *Vos videritis,* id est, vos ipsi pensate quid egeritis, et qualem obtuleritis mihi, quantumque crimen incurratis, sic laborando pro interfectione justi istius. Ac si dicat, secundum Hieronymum : Ego minister sum legis, vox vestra sanguinem istum fundit. *Et respon- Ibid.* 25.
dens universus populus, dixit : Sanguis ejus super nos et super filios nostros, hoc est, si aliqua culpa est crucifigere istum, illam optamus nobis ac posteris nostris imputari a Deo. Vere sicut ait Apostolus, merito venit ira Dei super Judæos usque I *Thess.* II, 16.
in finem; atque ut a Daniele prædictum est, juste durat eorum vastitas ac desola- *Dan.* IX, 27.
tio in sempiternum : quia tam sceleratissime imprecati sunt sibi ac soboli suæ crimen occisionis Christi et debitam tanti criminis pœnam.

ARTICULUS XI

QUOMODO JESUS AD MORTEM DAMNATUS, AD CALVARIAM EDUCTUS ET CRUCIFIXUS, PRO TORTORIBUS ORAVERIT, SUBSANNATUSQUE LATRONI VENIAM DEDERIT, AC MATREM COMMENDAVERIT.

SICUT præcedenti articulo tactum est, A id quod Judæi responderunt Pilato, *Joann.* xviii, 31. Nobis non licet interficere quemquam, Augustinus exponit ac refert ad tempus solennitatis paschalis, infra quod non licuit eis exercere judicium sanguinis. Ideo obtulerunt Jesum Pilato ad dijudicandum, quia Judæi volebant quasi immunes videri a morte Christi. Unde, ut asserit Augustinus, Marcus evangelista volens ostendere Judæos a morte Christi non esse immu- *Marc.* xv, 25. *Joann.* xix, 15. nes, dicit Jesum hora tertia esse crucifixum, quoniam illa hora clamabant : Tol- B le, tolle, crucifige eum. Itaque, secundum Augustinum, pontifices, Scribæ et seniores Judæorum scientes Jesum tot et tanta fecisse miracula, habuerunt aliquando quamdam suspicionem atque formidinem ne forte esset a Deo, et Christus in lege promissus; sed excæcati sua invidia et mira malitia, non potuerunt nec voluerunt hoc sentire de Jesu : ideo inter se contulerunt ac decreverunt, ut per tormenta investigarent ac experirentur an esset verus Filius Dei et aliquid super hominem, ita C quod non permitteret se occidi. Sic namque inter se arguerunt : Si vere Filius Dei est, eripiet eum Deus de manibus nostris, et non permittet occidi eum : quo facto, sciemus quod sit Filius Dei, atque credemus; si autem permiserit eum Deus interfici, certi erimus quod non sit Filius Dei, sed deceperit populum. Denique probat hæc Augustinus ex verbis quæ in libro Sapientiæ dicuntur ex persona Judæorum *Sap.* ii, 12, 13, 16-20. istorum : Circumveniamus justum, quoniam inutilis est nobis; promittit se scien- D tiam Dei habere, et Filium Dei se nominat; tanquam nugaces æstimati sumus ab illo, et abstinet se a viis nostris tanquam ab immunditiis, et præfert novissima justorum, et gloriatur Patrem se Deum habere. Videamus ergo si sermones illius veri sint, et tentemus quæ ventura sunt illi, et sciemus quæ erunt novissima illius. Si enim vere Filius Dei est, suscipiet illum, et liberabit illum de manibus contrariorum, id est adversariorum suorum. Contumeliis et tormento interrogemus eum, ut sciamus reverentiam illius, et probemus patientiam ejus. Morte turpissima condemnemus eum : erit enim respectus ex sermonibus illius. Denique, quia Judæi isti sic animo vacillabant de Christo, decreverunt eum tradere in manum Pilati, ut non ipsi viderentur Jesum interfecisse, sed Pilatus.

Prima autem pars hujus sententiæ Augustini videtur confirmari ex hoc, quod (ut infra habetur) Christo suspenso in cruce, dixerunt : Si rex Israel est, vel, Si hic *Matth.* xxvii, 42; *Luc.* xxiii, 35. est Christus Dei electus, descendat nunc de cruce, et credemus. Quasi dicant : Si ipse est vere Christus ac Filius Dei, non morietur in cruce; de qua si non descenderit vivus, signum est quod non sit Filius Dei nec Christus. Confirmatio secundæ partis præinductæ sententiæ Augustini est, quod in Actibus princeps sacerdotum ait Apostolis : Vultis super nos inducere san- *Act.* v, 28. guinem hominis hujus, videlicet Christi. Quasi dicat : Immunes sumus a sanguine ejus. Unde, secundum Augustinum, istud fuit totum acumen Judæorum : Occidamus, et non occidamus. Sic occidamus, ut non nos ipsi occidisse videamur; tradatur per suum discipulum, condemnetur per præsidem gentilem; totum faciamus, et nihil

fecisse putemur. Contra quos subdit Augustinus : Et ubi est clamor linguæ, Crucifige, crucifige? Sic cæci estis, ut et surdi sitis. Hinc et super verba illa præallegata, Vultis super nos inducere sanguinem hominis hujus, loquitur Beda : Oblitus fuit pontifex verborum quæ ipse et alii clamaverunt, Sanguis ejus super nos et super filios nostros. (Matth. xxvii, 25.) Quod, secundum Matthæum, universus populus Judæorum clamavit : non quod simpliciter omnes Judæi qui aderant, illud clamabant, quoniam erant ibi quidam amici atque discipulæ Christi; sed tam multi hoc clamaverunt, quod comparatione eorum, alii erant pauci et quasi nulli : juxta quem sensum Christus ait in Psalmo, (Ps. lxviii, 21.) Sustinui qui simul contristaretur, et non fuit.

(Matth. xxvii, 26; Marc. xv, 15.) *Tunc Pilatus volens populo satisfacere,* id est turbis placere, et eorum favorem benevolentiamque captare, contra id quod in lege habetur (Exod. xxiii, 2.) : Non sequaris in judicio turbam, ut declines a recto, vel ut facias malum. Sicque Pilatus peccavit Christum damnando : non solum quia hoc fecit timore imperatoris, sed etiam quia id egit favore plebis. Insuper ex præhabitis constat, quod Pilatus variis modis laboravit Jesum liberare a morte. Primo, eum evidenter et frequenter excusando, et ejus innocentiam publice protestando. Secundo, eum ad Herodem mittendo. Tertio, flagellando quatenus Judæi ignoscerent flagellato. Quarto, Judæis electionem dando ut vel Jesum innocentem vel sceleratissimum Barabbam postularent sibi dimitti. Quinto, contra Judæos diu disputando pro Jesu, et differendo sententiam. Sexto, ipsum Jesum crudelissime flagellatum, purpurea veste indutum, spinis coronatum, et arundinem pro sceptro regali in manu tenentem præsentando Judæis, atque dicendo, (Joann. xix, 5.) Ecce homo : ut vel ita mitescerent. Septimo, Judæos hortando ut bene attenderent quam impie agerent crucifixionem innocentis Jesu procurando, quum dixit (Matth. xxvii, 24.) : Vos videritis. Octavo, manus suas coram cunctis lavando.

Itaque Pilatus volens satisfacere populo, *adjudicavit fieri petitionem eorum, et* (Luc. xxiii, 24, 25; Matth. xxvii, 26.) (pro id est) *dimisit illis Barabbam, qui propter homicidium et seditionem missus fuerat in carcerem; Jesum autem flagellatum tradidit voluntati eorum,* id est, damnavit ad mortem, prout ipsi petierant, *ut crucifigeretur. Susceperunt autem* illi, videlicet præfati milites, *Jesum,* (Joann. xix, 16.) qui jam diu steterat coram universis cum insignibus suis regalibus, scilicet spinea corona, veste purpurea, et arundine pro regio sceptro, *et exuerunt eum chlamyde,* (Matth. xxvii, 31.) id est purpurea veste, *et induerunt eum vestimentis ejus,* ut melius cognosceretur, sicque confusionem pateretur majorem, *et duxerunt eum ut crucifigerent. Et bajulans sibi crucem, exivit,* (Joann. xix, 17.) id est, patibulum suum imposuerunt humeris ejus, pro majori sua inhonoratione et afflictione : quod nec latronibus fecisse leguntur. Quod præfiguratum fuit in Isaac, qui ligna portavit ad (Gen. xxii, 6.) locum ubi Abraham proposuit eum Deo in holocaustum offerre. Tunc quoque in Christo impletum est quod Isaias prædixit : Factus est (inquiens) principatus ejus (Is. ix, 6.) super humerum ejus.

Exeuntes autem portam urbis Jerusalem, (Matth. xxvii, 32.) *invenerunt hominem Cyrenæum,* id est de urbe Libyæ, quæ urbs dicta est Cyrene, *prætereuntem,* (Marc. xv, 21.) id est, eis obviantem, et *venientem de villa* versus Jerusalem, *nomine Simonem, patrem Alexandri et Rufi,* qui erant discipuli Christi, secundum Hieronymum. Et Simon iste fuit natione gentilis, secundum Glossam, sed ad Judaismum conversus videtur. Aliqui tamen dicunt, quod de Cyrenensium exstitit synagoga (Act. vi, 9.), et natione Israelita. *Hunc angariaverunt,* (Matth. xxvii, 32.) id est coegerunt, milites, *ut tolleret crucem ejus,* videlicet Christi. Hoc non fecerunt impii illi ex aliqua pietate aut compassione, sed magis ex crudelitate, ne scilicet Jesus in via sub crucis onere moriendo, breviori morte evaderet supplicia acriora; vel, ut citius venirent ad locum supplicii, quoniam Jesus tot suppliciis fatigatus, et crucis pondere pressus,

cito ire non poterat, stante hujuscemodi A
Luc. xxiii, 26. dispositione. *Et imposuerunt illi,* videlicet Simoni, *crucem portare post Jesum.* Quod dupliciter exponitur. Primo, quod Jesus relevatus a crucis bajulatione, præcessit, et Simon cum cruce eum sequebatur. Secundo, quod Jesus portavit anteriorem crucis partem, et Simon posteriorem : sicut dum uni nimis laboriosum est aliquod lignum portare, alius juvat eum, ita quod simul portant illud.

Ibid. 27. *Sequebatur autem illum,* utpote Jesum, *multa turba populi et mulierum,* sicut B adhuc moris est quod eos qui ducuntur ad occidendum multi sequuntur, præsertim dum famosus aliquis est occidendus. Et maxima pars turbæ illius sequebatur Christum cum prava jucunditate, ut ejus martyrio congratularentur pro cujus crucifixione laboraverant; aliqui vero ad condolendum, ut quidam discipuli et amici Christi, ac mulieres devotæ; quidam ex quadam curiositate, ad videndum exitum rei, et an insolitum aliquid in ejus morte accideret, qui in vita sua tot fecerat si- C gna. *Quæ* mulieres *plangebant et lamentabantur eum,* id est, ex cordis affectu lacrimabantur ob tantam Christi afflictionem. Mulieres namque communiter sunt compassivæ et pronæ ad fletum, et ipsæ securius ac irreprehensibilius poterant flere quam viri, non obstante adversariorum Christi præsentia.

Ibid. 28. *Conversus autem,* id est, faciem suam vertens, *ad illas Jesus, dixit : Filiæ Jerusalem,* id est natæ ex urbe hac, et habitantes in ea, *nolite flere super me,* id D est, meam afflictionem nolite deflere eo modo quo eam defletis. Non enim absolute prohibuit feminis illis sui deplorationem, quia nec reprehensibilis erat deploratio illa, sed ne deplorarent ipsum Jesum, quasi invite aut infructuose patientem ac morientem, quoniam passionem illam spontanee, ex summa caritate, et fructuosissime, atque ex Dei Patris præordinatione sustinuit; et item ne sic ipsum Jesum ac sua mala pœnalia deplorarent, quod negligerent se ipsas ac proprios filios et concives, ac sua et illorum mala culpabilia deplorare. Idcirco subjunxit : *Sed super vos ipsas flete, et super filios vestros,* eos præsertim qui me nunc persequuntur, et de mea passione lætantur. *Quo-* Luc. xxiii, 29.
niam ecce venient dies in quibus dicent illi qui erunt in illis diebus : *Beatæ steriles, et ventres qui non genuerunt, et ubera quæ non lactaverunt,* id est, tanta erit tunc tribulatio vestra seu posterorum vestrorum, quod feminæ illæ reputabuntur beatæ quæ non conceperunt, nec pepererunt, nec fetus proprios lactaverunt, magis quam quæ genuerunt et sobolem habent. Nam steriles illæ non habebunt deflere nisi suas calamitates, fecundæ autem tam suas quam propriæ prolis.

Tunc incipient dicere montibus, Cadite Ibid. 30.
super nos; et collibus, Operite nos : id est, Osee x, 8.
præ acerbitate et horrore pœnarum et angustiarum suarum optabunt in montibus collibusque latere, seu opprimi mallent a montibus et collibus, quam talia sustinere. Possunt quoque per montes intelligi Sancti majores, et per colles Sancti minores, quorum auxilia ii invocaverunt. Istud ad litteram fuit impletum in Judæis tempore devastationis eorum a Tito et Vespasiano atque Romanis, a quibus ineffabiliter afflicti fuerunt timore, horrore, fame, siti, gladio, peste, venditione in servitutem, et dispersione per mundum, in tantum quod proprios filios comederunt : quod totum passi sunt propter transgressiones suas ac patrum suorum in Filium Dei, quem occiderunt, quamvis Romani ob aliam causam ita vastaverint eos. Porro in particulari judicio impiorum illorum impletum est istud perfectius, et in die universalis judicii plenissime fiet.

Quia si in viridi ligno hæc faciunt, Luc. xxiii, 31.
in arido quid fiet? id est, quum ego, qui sum arbor omni florens virtute ac gratia, in quo nulla fuit unquam culpæ ariditas, tot et tanta sustineo pro aliorum peccatis, permittente Patre æterno; qualia sustinebunt iniqui, præsertim qui ita me tractant,

qui sunt arbores infructuosæ, aridæ et A
deformes? Qui nisi in vita hac vere pœni-
tuerint, æternaliter punientur. Hinc ait et
Prov. xi, 31. Salomon : Si justus in terra recipit, quanto
magis impius et peccator? Et ad Jerusalem
Deus dixit per Ezechielem prophetam :
Ezech. xxi, 4. Pro eo quod occidi in te justum et im-
pium, egredietur gladius meus ad omnem
carnem. Denique Christus recte vocavit se
lignum viride (quamvis jam emarcuit et
aruit corpore), quia de æterna Sapientia,
quæ est ipse, scriptum fuit in libro Pro-
Prov. iii, 18. verbiorum : Lignum vitæ est omnibus ap- B
prehendentibus eam. De reprobis quoque
Judas apostolus in sua scribit Canonica :
Judæ 12. Hi sunt arbores autumnales, infructuosæ,
bis mortuæ, eradicatæ. Ex iis Domini Jesu
Christi verbis monemur atque instruimur,
ut in omni persecutione, tentatione, an-
gustia quantumlibet magna, patientes et
Deo subjecti permaneamus, nos qui sumus
arida ligna et arbores marcescentes, qui
toties æternum promeruimus ignem : eo
quod Dominus et Salvator noster, qui est
viridissimum et fructuosissimum lignum, C
tot et tanta pro nostra toleravit salute ex
ardentissima caritate et cum summa pa-
tientia.

Luc. xxiii, 32. *Ducebantur autem et alii duo nequam
cum eo,* id est alii duo qui erant nequitio-
si, puta latrones : inter quos Dei Filium
eduxerunt tanquam principem capitane-
umque latronum, vindicantes in eo quod
Matth. xxi, 13. dixerat illis, Vos fecistis domum Patris
mei (scilicet templum) speluncam latro-
num, et ut eductio Christi ignominiosior
Ibid. xxvii, 33. esset. *Et venerunt in locum qui dicitur* D
Golgotha, quod est Calvariæ locus. Calva-
ria nuncupatur os humani capitis, carne,
pelle crinibusque nudatum. Hinc (ut com-
muniter dicunt expositores) dictus est lo-
cus ille, locus seu mons Calvariæ, quoniam
multa ossa atque calvariæ reorum ibi in-
terfectorum jacebant ibidem : ideo locus
ille fuit vilis et horridus. Verumtamen Ori-
genes et alii quidam dixerunt ideo dictum
Calvariæ locum, quoniam primus homo,
scilicet Adam, fuit ibi sepultus. Unde Chri-
stus voluit ibi pati, ut sanguis ejus super
locum calvariæ Adæ stillaret, sicque totius
suæ posteritatis peccatum auferret. Et
quamvis expositio ista sit favorabilis ac
aures demulcens, attamen Hieronymus re-
probat eam, asserens Adam sepultum in
spelunca duplici juxta Hebron, quoniam
in libro Josue scriptum est : Adam maxi- Josue xiv, 15.
mus ibi situs est. Unde urbs illa, videlicet
Hebron, olim vocabatur Cariatharbe, id
est civitas quatuor, quoniam in spelunca
præfata juxta Hebron fuerunt sepulti qua-
tuor Patriarchæ præcipui cum suis conju-
gibus, utpote Adam et Eva, Abraham et Gen. xlix, 29-31.
Sara, Isaac et Rebecca, Jacob et Lia. Ve-
rumtamen verba illa præallegata, Adam
maximus ibi situs est, multipliciter expo-
nuntur, etiam ad litteram, et non solum
de homine protoplasto, prout super Josue Cf. t. III, p. 76 B.
plenius scripsi. Athanasius quoque Ale-
xandrinus patriarcha, dicit Adam in loco
Calvariæ fuisse sepultum, et locum illum
ab eo hoc nomen sortitum; additque, quod
et magistri Judæorum hoc ipsum dicant.

Studeamus itaque Domini nostri Jesu
Christi sequi vestigia, qui propter nos pro-
priam crucem bajulavit, ut impleamus
quod ipse jam dixerat : Qui vult venire Luc. ix, 23.
post me, abneget semetipsum, et tollat
crucem suam quotidie, et sequatur me,
id est, arduam ambulet viam salutis, et
frangat ac vincat se ipsum, et corpus suum
digne castiget. Insuper passus est Christus Hebr. xiii, 12.
extra portam : quod ad litteram factum
est, quoniam rei ibi in loco determinato
occidi solebant. Spiritualiter vero per hoc
significatur, quod jam relicturus erat Ju-
dæos propter eorum perfidiam, et spiri-
tualiter migraturus ad gentes, corda illo-
rum inhabitaturus per fidem ; et item
quod debeamus loca deliciarum et societa-
tes carnalium quæ solent esse in urbibus,
egredi, et loca pœnitentiæ apta intrare, ac
improperia libenter sufferre. Hinc ad He-
bræos scribit Apostolus : Jesus ut san- Ibid. 12-14.
ctificaret populum, extra portam passus
est. Exeamus igitur ad eum extra castra,
improperium ejus portantes : non enim

habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus. Denique hanc Christi (Gen. IV, 8.) eductionem ad mortem præfiguravit eductio primi illius martyris justi Abel in agrum, in quem eum duxit et in quo eum occidit impius Cain.

(Matth. XXVII, 34; Marc. XV, 23.) *Et dederunt ei vinum myrrhatum bibere cum felle mixtum.* Circa hoc recitat Lyra, quod olim institutum fuit apud Judæos, ut damnatis et eductis ad mortem daretur bonum seu aromaticum vinum, quatenus inde bibentes, minorem haberent tristitiam, et melioris fierent animi, quoniam Salomon in Proverbiis ait (Prov. XXXI, 6, 7.): Date siceram mœrentibus, et vinum iis qui amaro sunt animo; bibant, et obliviscantur doloris sui. Itaque piæ matronæ quædam in Jerusalem habitantes, dederunt tale vinum pro Jesu; sed procurantibus Judæis pravissimis, milites vinum illud converterunt in proprium usum, et Christo dederunt pro potu vinum ex admixtione myrrhæ et fellis amaricatum et afflictivum. Et de hoc potavit semel permodicum, antequam cruci affigebatur; deinde semel in cruce, ut impleretur in se quod per Psalmistam (Ps. LXVIII, 22.) prædixit: Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto.

(Matth. XXVII, 34.) *Et quum gustasset, noluit bibere.* Utique scivit qualis exstitit ille potus, antequam inde gustavit; nihilo minus, parum inde accepit, propter causam prætactam, atque ad nostram informationem moralem, ut ejus exemplo discamus omnem gulam abjicere, delicata cibaria pretiosaque pocula aspernari, sicque per sobrietatem, abstinentiam et jejunia corpus nostrum in servitutem redigere, et oblectamenta carnalia detestari, sicut et alibi ait Salvator (Luc. XXI, 34.): Videte ne graventur corda vestra crapula vel ebrietate, aut curis hujus sæculi. Unde et Paulus (Rom. XIII, 14.): Curam (inquit) carnis ne feceritis in desideriis. Quod si contingat nos aliquando lauta et pretiosa in cibum ac potum suscipere, non tamen quæramus in illis voluptatem, sed tantum necessariam refectionem. Nempe, quum lex Christi sit lex maxime spiritualis, cœlestis ac divina, debet omnis Christianus carnalia oblectamenta et vitia gulæ et luxuriæ potissimum evitare. Itaque, nunquam obliviscamur hujus ultimæ mensæ Christi, qua propter nos aceto et felle, vino myrrhato ac felleo est refectus: quia (ut sanctus vir Climacus ait) quamvis centum annis quotidie in pane et aqua jejunaremus, non tamen possemus dignam vicem Christo rependere pro refectione ejus præfata. Sed istud, heu! pauci attendunt; sed redeunte festo paschali jam imminente, ad comessationes et potationes se rursus effundunt, tanquam dominicæ passionis obliti, et quasi Christus non dixerit (Luc. VI, 25.): Væ vobis qui saturati estis, quia esurietis; et item (Ibid. 24.), Væ vobis divitibus qui habetis consolationem vestram. Non dixit simpliciter, Væ vobis divitibus; sed adjecit, Qui habetis consolationem vestram, id est, qui in vestris divitiis, in cibis et potibus carnalem quæritis voluptatem consolationemque sensualem. Verum, ut ait Scriptura (Eccli. XXXI, 37.): Sanitas animæ et corporis est sobrius potus et cibus moderatus. Immoderantia autem cibi et potus nociva est carni atque spiritui, et vitam abbreviat; somnolentiam parit, naturam gravat, concupiscentiam excitat, ad dissolutiones, risus, jocos, loquacitates et ludos accendit; spiritualium quoque exercitiorum gignit fastidium, et exstinguit compunctionem.

(Luc. XXIII, 33.) *Et postquam venerunt in locum Calvariæ, ibi crucifixerunt eum, et duos latrones, unum a dextris, et alterum a sinistris, medium autem Jesum.* Hoc ex instigatione (Joann. XIX, 18.) Judæorum nequissimorum fecerunt ministri Pilati, ut Jesus videretur quasi princeps latronum. *Et impleta est Scriptura quæ dicit: Et cum iniquis reputatus est.* (Marc. XV, 28; Is. LIII, 12.) Hoc propter nos pertulit Dominus, ut nos qui eramus vasa et filii iræ (Ephes. II, 3.), atque æterna reprobatione, inhonoratione confusioneque digni, inter electos ac Dei filios computemur, et inter angelos collocemur in cœlis; itemque, ut mundi gloriam et omnem vanum honorem despiciamus, nec inter pauperes et abjectos esse, commorari ac

reputari dedignemur. Væ ergo vanis, superbis et ambitiosis hominibus, ad altiora in sæculo et ad prælationes adspirantibus, qui egenos et abjectos intueri ac alloqui Matth. xxiii, 7, 6. erubescunt, qui instar Scribarum ac Pharisæorum amant salutationes in foro, et primos recubitus in conviviis, primasque cathedras in ecclesiis. Isti non sunt Christi sed Scribarum ac Pharisæorum discipuli, Job xli, 25. imo et filii principis tenebrarum, qui est rex super omnes filios ac ministros superbiæ.

Joann. xix, 23. *Milites ergo quum crucifixissent eum,* eo modo quo Christus prædixit in Psalmo, Ps. xxi, 17, 18. Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea. Ex quo patet, quod crudelissimi illi non appenderunt Jesum cruci chordis seu funibus, sicut latrones, sed cruci eum affixerunt clavis grossis et magnis, quos per medium beatissimarum manuum ejus tenerrimorumque pedum inhumanissime percusserunt : non quod Pilatus hoc jusserit, sed invidiosissimi Judæi prece ac pretio hoc fieri procuraverunt. Sed et nobilissimum ac divinissimum corpus Domini Jesu tam violenter, longe ac inhumaniter extraxerunt, quod omnia ossa ejus dinumerabilia peregerunt : ita quod juncturæ nervorum ac ossium dissolvebantur ab invicem, venæque rumpebantur. Tunc flagellorum vulnera sunt renovata et ampliata, atque de toto corpore benedicto pretiosissimus sanguis undique copiose manavit; tuncque Ibid. 15. Salvator verissime potuit dicere : Sicut aqua effusus sum, et dispersa sunt omnia ossa mea. Denique hanc Christi elevatio- Num. xxi, 8, 9. nem in cruce præfiguravit erectio ænei serpentis in deserto in palo, ut legitur in Numeris. Unde et Christus antea dixerat Joann. iii, 14, 15. Nicodemo : Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis ; ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. De præfata quoque perfossione ac transforatione sanctorum pedum ac manuum Chri- Zach. xii, 10. sti, prædictum fuit per Zachariam : Adspicient ad me quem confixerunt, etc. Et consequenter ibi, capitulo sequenti : Et Zach. xiii, 6. dicent ei, Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum ? Et dicet : His plagatus sum in medio eorum qui diligebant me, videlicet Judæorum, qui ad tempus dilexerunt Christum.

Itaque, quum crucifixissent eum, vel cruce super terram posita, ut Hieronymus et Innocentius III ac alii multi sentire videntur, vel (ut alii dicunt) cruce primo erecta et terræ infixa, ita quod scalas aut tabulas ascenderunt cum Jesu, *acceperunt vestimenta ejus.* Joann. xix, 23. Ex quo elicitur, quod Jesum affixerunt nudum in ligno. Aliqui tamen dicunt, quod beatissima Virgo ac Mater ipsius, velum capitis sui loco verecundiæ Filii sui dulcissimi circumvolvit. Quidam dicunt, quod unus adstantium ex quadam compassione linteum anteposuit Christo. Porro Ambrosius videtur sentire, quod Christus omnino nudus fuit in cruce suspensus. Nudus (inquiens) crucem ascendit, et talis ascendit, quales nos auctore Deo natura formavit; talis ascendit, qualis primus homo in paradiso habitavit, et talis secundus homo, utpote Christus, paradisum introiit. Hoc ergo exemplo nuditatis paupertatisque Christi discant fideles vestimentorum superfluitatem, pretiositatem, ornatum et pompam contemnere ac vitare, et necessariis esse contenti, sicut docet Apostolus : Habentes victum et qui- I Tim. vi, 8, 9. bus tegamur, iis contenti simus; nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et laqueum diaboli. *Et fecerunt quatuor partes* Joann. xix, 23. de vestibus Christi : quæ pretiosæ non erant in sua materia, sed ex usu et contactu Filii Dei pretiosissimæ exstiterunt; *unicuique militi partem* unam. Unde elicitur, quod apparitores illi crucifixores Christi, quatuor erant. *Et tunicam* Christi superiorem acceperunt, non diviserunt. *Erat autem tunica inconsutilis,* id est non consuta acu, *desuper contexta per totum,* id est opere textorio facta, non ex diversis aut scissis partibus panni formata : quam sacratissima Virgo creditur propriis manibus benedictis fecisse suo di-

lecto. Et ut scribit Chrysostomus, pauperes A in Palæstina, cujus pars fuit Judæa, utebantur hujusmodi vestibus reticulato ope-
Joann. XIX, 24. re factis, ut fiunt cilicia. *Ut Scriptura impleretur, dicens* ex persona Christi in
Ps. XXI, 19. Psalmo : *Partiti sunt* (id est diviserunt) *vestimenta mea sibi, et in vestem meam,* scilicet tunicam inconsutilem, *miserunt sortem.*

Possent hic aliqua introduci contra ludum illum pravissimum taxillorum, qui est specialiter in jure prohibitus et contra leges humanas. Et mirum quod aliquis B Christianus sit ita intimoratus, quod ludum illum audeat exercere, quum certum sit quod quidquid illo lucratus fuerit, restituere teneatur, nec aliter possit Deo placere, nec bona conscientia Sacramentum accipere, et quidquid ludo illo maledicto perdiderit, oporteat perditum permanere. Nec restitutio facienda est ei qui perdidit, nisi lucrator attraxerit atque induxerit illum ad taxillandum secum, vel nisi taxillando commiserit specialem aliquam fraudem, sic aut sic ponendo taxil- C los, aut alio modo. Alias quidquid lucratus est, tenetur in pios expendere usus, ut erogando pauperibus. Porro qui contra hunc diabolicum ludum vult latius prædicare,
Cf. t. XXIV, p. 413 A et s. adspiciat Summam Durandi, vel Summam confessorum, aut Summam Pisanam : in quibus ex verbis Raimundi inveniet quindecim horribilia mala quæ in ludo isto nefario committuntur.

Joann. XIX, 24. *Et milites quidem hæc fecerunt,* id est, ita tractabant Jesum in sua persona et in
Matth. XXVII, 36. suis vestibus. *Et sedentes* non remote a D cruce, *servabant,* id est, observabant et custodiebant, *eum,* quousque traderet spiritum, ne quis ex discipulis aut amicis ipsius auderet eum deponere, aut subsi-
Luc. XXIII, 34. dium aliquod ferre. *Jesus autem dicebat : Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* Ecce nova et antea inaudita oratio. Quis enim unquam ante hanc horam legitur pro suis interfectoribus exorasse? Legitur secundo Paralipomenon, quod dum Zacharias filius Joiadæ sacerdotis lapidaretur in templo a ministris Joas regis, dixit : Deus patrum nostrorum videat et re- II Par. XXIV, 22.
quirat. Samson, quamvis vir sanctus, quem in epistola ad Hebræos Apostolus inter Hebr. XI, 32.
Sanctos connumerat, tamen zelo justitiæ ulcisci se cupiens de Philistæis, qui ei oculos eruerunt : Moriatur (inquit) anima mea Judic. XVI, 30.
cum Philistiim. Sicque divina virtute dejecit domum in qua erant Philistæi, et eos occidit. Christus autem in cruce distentus, rogavit pro eis qui sibi tam acerbissimam et ignominiosissimam mortem impiissime intulerunt. Nec solum oravit pro illis, sed etiam quantum potuit, excusavit et alleviavit crimen eorum. Et causam exaudibilitatis suæ orationis apposuit, dicens : « non enim sciunt quid faciunt », id est, ignorant quam graviter peccent, nec sciunt quis, qualis et quantus sit quem occidunt. Sicque ex ignorantia peccant : propter quod excusantur a tanto, quamvis non a toto. Nec milites isti excusabiles erant in toto, quia etsi legis et Prophetarum erant ignari, tanta tamen audierant de miraculis Christi, quod tenebantur non obedire Pilato ad affligendum crucifigendumque Christum. In hoc quoque erant valde culpabiles, quod perversa intentione et excessiva crudelitate fecerunt Christo omnia illa. Circa hæc dicit Glossa, et multi expositores, quod inter Judæos illos erant quidam qui ex lege et Prophetis cognoverunt Jesum esse Christum, vel saltem tenebantur hoc scire, et quandoque satis probabiliter hoc noverunt, quamvis postea per invidiam propriamque malitiam fuerint excæcati : et pro istis Christus non oravit. Alii fuerunt simplices, qui istud non noverunt, sed a pontificibus, Scribis et Pharisæis fuerunt decepti, et zelo legis accensi : et pro illis Christus oravit.

Quocirca sciendum quod Christus, quantum ad naturam assumptam, fuit Deo Patri perfecte subjectus; quantum ad voluntatem creatam, fuit ei plenarie conformatus, atque per scientiam inditam noverat universos electos : ideo, sicut præhabitum est, Cf. p. 455 C.
ex ratione deliberata non oravit nisi pro

electorum salvatione finali : et omnis talis A oratio Christi fuit exaudita a Patre. Aliquid quoque oravit ex parte naturalis sen- Luc. xxii, 42. sitivique appetitus, videlicet : Pater, aufer calicem istum a me. Aliquid etiam oravit ex naturali pietate : sicque videtur pro universis illis a quibus manu aut consensu crucifigebatur, orasse. Insuper aliqui dicunt, quod multi adstantium præfatam Christi orationem audientes, fuerunt corde compuncti et emolliti, et credere inceperunt Jesum esse vere missum a Deo. Nec dubium quin virtute ac merito hujus ora- B tionis Jesu Christi, multis millibus Judæorum data sit postea gratia conversionis.

Joann. xix, 19; Matth. xxvii, 37. *Scripsit autem et titulum Pilatus,* id est, scribi fecit causam crucifixionis Christi, *et posuit super caput ejus causam ipsius scriptam,* id est, superiori parti crucis affixit illam scripturam in tabula. In qua scripta erant verba sequentia, utpote, *Jesus Nazarenus rex Judæorum.* Et aliqui dicunt, quod verba hæc erant scripta in tabula illa; alii, quod in charta, quæ (ut dicunt) fuit tabulæ illi affixa. Crux quippe C formata fuit sicut latronum patibula. Unde Magister in historiis scribit : Crux super lignum suum transversum non habebat aliquid eminens, sed Pilatus superposuit cruci cavillam cui affixit tabulam, et in Joann. xix, 20. tabula scriptus erat hic titulus. *Et erat scriptum Hebraice, Græce, et Latine,* id est in tribus linguis nobilioribus et magis famosis, ut legeretur et intelligeretur a cunctis. Scivit enim Pilatus multos gentilium et Græcorum illuc concurrere et adesse : ideo in confusionem Judæorum magis D quam vituperium Christi Pilatus scripsit Ibid. 21. titulum illum. *Dicebant ergo Pilato pontifices Judæorum : Noli scribere, Rex Judæorum,* id est, prætactam tituli formam revoca et depone, quia confusibilis nobis est; *sed quia ipse dixit, Rex sum Judæorum,* id est, sic scribe : Jesus Nazarenus, Ibid. 22. qui dixit se esse regem Judæorum. *Respondit Pilatus : Quod scripsi, scripsi,* id est, verba illa quæ jussi scribi, non revocabo neque mutabo, quoniam vera sunt.

Sed mirum quod Pilatus ausus fuit sic scribere, et Jesum regem Judæorum vocare, quum Judæi paulo ante clamaverint, Non habemus regem nisi Cæsarem; et Pilatus in isto agere videbatur contra Romanorum præceptum, vocando Jesum regem sine scitu et consensu principum Romanorum, præsertim imperatoris. Ad istud sancti Patres respondent, quod non sine divino instinctu Pilatus hoc egit. Unde ait Hieronymus : Judæi illudentes et irridentes procuraverunt titulum scribi; sed in Pilati intentione aliud fuit : operabatur enim divina vis in corde ipsius, quamvis ipse nescivit. Hinc loquitur Augustinus : O ineffabilis vis operationis divinæ, etiam in ignorantium corde! Nonne occulta vox quædam insonuit cordi Pilati clamoroso (si dici potest) silentio, Ne corrumpas tituli inscriptionem? Nam Deo ordinante Pilatus sic scripsit et conservavit titulum illum, ut verificaretur quod in quorumdam psalmorum titulis fuit prædictum. Sic namque quidam psalmi intitulantur qui de Christi passione loquuntur : Ne corrumpas tituli inscriptionem. Hinc asserit Glossa : Divinitus procuratum est, ut super caput Christi talis titulus poneretur, ut per hoc Judæi agnoscerent, quod nec occidendo Jesum facere potuerunt ut eum regem non haberent, quia per crucis patibulum non dimisit sed corroboravit divinum imperium. — Præterea verba tituli hujus sunt utique valde magnæ virtutis, et decet ut unusquisque Christifidelis quotidie quando surgit, crucis signaculum suæ imprimat fronti, vel ante se protrahat, dicendo cum speciali attentione ac ferventi devotione hæc verba : Jesus Nazarenus rex Judæorum; sicque actualiter memor sit dominicæ passionis. Et proferendo verba ista ore, addat in suo corde : Benedicat et conservet me hoc die et semper.

Et stabat populus spectans, ad viden- Luc. xxiii, 35. dum exitum rei et qualiter Jesus moreretur, an etiam aliquod miraculum fieret in Matth. xxvii, 39; Marc. xv, 29. obitu ejus. *Prætereuntes autem,* id est populares qui transibant per locum illum,

blasphemabant eum, moventes capita sua A ex magna ejus aspernatione, irrisione, et congratulatione tantæ suæ afflictionis, nulla intra se viscera pietatis habentes, *et di-* Matth. xxvii, 40. *centes : Vah!* quod est signum insultationis, quasi dicant : Ecce miser ille; *qui destruis templum Dei, et in tribus diebus illud reædificas,* id est, qui præsumpsisti te destructurum templum Dei, et repara- Cf. p. 468 C'. turum illud infra triduum. Quod tamen (ut dictum est) Christo mendaciter imposuerunt. *Salva temetipsum,* id est, de tanta miseria eripe te, si potes. *Si Filius Dei es,* sic- B ut dixisti, *descende de cruce.* Ac si dicant : Quum descendere nequeas, constat quod false dixisti te Filium Dei. Sed mentiti sunt impii isti : imo, quoniam Filius Dei fuit, et missus a Patre ut sua passione et morte redimeret genus humanum, nequaquam decuit eum de cruce descendere vivum.

Ibid. 41. *Similiter et principes sacerdotum, illudentes* Christo *cum Scribis et senioribus,* Ibid. 42. irridebant eum, dicentes : *Alios salvos fecit,* id est, ab infirmitatibus dæmonumque obsessionibus curavit (et verum est, et sic C isti testimonium perhibuerunt Filio Dei de suis miraculis, et testimonium perhibent veritati evangelicæ legis); *se ipsum non potest salvum facere* de hac morte. Quod false locuti sunt; et tamen per istud voluerunt concludere, quod alios non curavit virtute divina aut auxilio Dei, sed potius magica arte ac dæmonum ope, Luc. xi, 15. quemadmodum ante dixerunt : In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia. Sed insipientissime loquebantur, et tanquam ignari quod Deus in vita præ- D senti permittit suos electos multipliciter flagellari, et interdum crudeli morte occidi ab impiis, per quos electos sæpe in vita eorum fecit miracula : ut patuit de Matth. xxvii, 42. multis Prophetis. *Si rex Israel est,* id est præcipuus ille salvificus rex Israeliticæ Luc. xxiii, 35. plebis a Prophetis prænuntiatus (vel, *Si hic est Christus Dei electus,* id est summus inter electos et maxime præelectus secundum assumptam humanitatem), *descendat nunc de cruce.*

Ecce quam infinita excæcatio et quanta ignorantia miserrimorum istorum, qui ita locuti sunt quasi Prophetæ non prædixissent Christum occidendum et moriturum pro mundi salute, vel quasi ipsi nescierint hoc. Nonne per Danielem prædictum fuit, Post hebdomades sexaginta duas oc- Dan. ix, 26. cidetur Christus? Et per Isaiam : Dominus Is. liii, 6, 5, 4. posuit in eo iniquitatem omnium nostrum; disciplina pacis nostræ super eum, cujus livore sanati sumus; vere languores nostros ipse pertulit, et dolores nostros ipse portavit. Per Jeremiam quoque : Ego quasi Jer. xi, 19. agnus mansuetus qui portatur ad victimam. Et consimilia multa in Psalmis. Qualem ergo consequentiam habet, Si rex Israel est, vel, Si hic est Christus Dei electus, descendat de cruce : et non potius, Si rex Israel est, vel, Si hic est Christus Dei electus, perseveret et moriatur in cruce, juxta oracula Prophetarum?

Et addiderunt : *ut videamus et creda-* Marc. xv, 32. *mus.* Ac si dicant : Si pro nostra redemptione venit, ut asserit, faciat tantum pro nostra conversione quod descendat de cruce, ut videamus eum descendere, et credamus quod vere sit Filius Dei. Vox ista, ut sanctus ait Bernardus, vox fuit diaboli, passionem Christi impedire conantis. Quum enim nemo possit fieri salvus, nisi perse- Matth. x, 22; xxiv, 13. veraverit usque in finem, quomodo poterit esse salvator, nisi usque in finem perseverando? Quod si descendisset de cruce, non esset factus Patri obediens usque in Philipp. ii, 8. finem. Præterea argumentatio horum infidelium pontificum et Scribarum et seniorum, nullius fuit vigoris : quia jam ante viderunt multa majora a Christo fieri signa, quam quod clavi exsiliissent de sacratissimis manibus ejus ac pedibus. Viderunt enim mortuos quos suscitavit, leprosos quos mundavit, cæcos, mutos, surdos, claudos, paralyticos quos sanavit : ideo, quamvis descendisset de cruce, tamen non credidissent : sicut nec paulo post quando multa mirabiliora viderunt, dum mota est terra, et obscuratus est sol, et multi mortui surrexerunt, ut infra dicetur.

Matth. xxvii, 43. *Confidit in Deo,* ut dixit; *liberet eum* A Deus *nunc, si vult.* Quasi dicant : Frustra speravit in Deo. *Dixit enim, Quia Filius Dei sum.* Per hoc designavit se in Deo tanquam in Patre confidere. Ecce quanta est concordia propheticæ prænuntiationis atque evangelicæ recitationis de Christo. Prædixit namque Psalmista in Christi per-
Ps. xxi, 7-9. sona: Ego autem sum vermis et non homo, opprobrium hominum et abjectio plebis. Omnes videntes me, deriserunt me; locuti sunt labiis, et moverunt caput, dicentes : Speravit in Domino, eripiat eum; salvum B faciat eum, quoniam vult eum. His testimoniis roboratur veritas fidei christianæ.

Matth. xxvii, 44. *Id ipsum autem,* id est, hoc idem quod præfati Judæi, *et latrones qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei.* Hoc sic recitat Matthæus evangelista. Lucas vero
Luc. xxiii, 39. sic refert : *Unus autem de his qui pendebant latronibus,* qui scilicet pendebat a sinistris, *blasphemabat eum, dicens : Si tu es Christus, salvum fac temetipsum, et nos.* Pro quorum concordia respondetur, quod Matthæus loquitur juxta illum modum lo- C quendi quo duo aut plures de communitate aut societate dicuntur loqui aut facere quod unus aut pauci ex ea faciunt aut loquuntur ; vel primo uterque latronum Christum Dominum blasphemavit, sed postea unus eorum fuit compunctus atque
Ibid. 40. pœnituit. De quo subjungitur : *Respondens autem alter,* qui pendebat a dextris Jesu, *increpabat eum,* videlicet blasphemantem latronem, *dicens : Neque tu times Deum,* sicut nec Judæi stantes ad crucem qui Jesum blasphemant, *quod in eadem* D *damnatione es?* id est, non obstante quod jam morti es adjudicatus, et in mortis articulo constitutus, quemadmodum Jesus et ego : propter quod, nunc saltem in extre-
Ibid. 41. mo vitæ tuæ, Deum merito formidares. *Et nos quidem juste,* id est, tu et ego juste sumus damnati ad mortem hanc : *nam digna factis recipimus,* id est tormenta nostris excessibus debita; *hic vero* Jesus *nihil mali gessit,* id est, nunquam peccavit.
Ibid. 42. *Et dicebat ad Jesum : Domine, memento mei,* id est, misericordiam tuam ostende in me, et subveni mihi ex pia memoria mei, qui in tanta afflictione tui ac mei te invoco, *quum veneris in regnum tuum,* id est in regnum felicitatis æternæ, in patriam Beatorum, in regnum cœleste.

Et dixit illi Jesus, promittens illi ali- *Luc.* xxiii, 43.
quid plus quam postulavit : *Amen,* id est vere, *dico tibi, Hodie mecum eris in paradiso,* id est in beatifica Deitatis fruitione, quæ est spiritualis jucundissimus paradisus. Nec potest intelligi de paradiso cœlesti, quem Christus non introivit ante diem ascensionis. Christus autem mox dum spiritum tradidit, descendit in limbum patrum, quantum ad animam. Et quoniam sua saluberrima passione satisfecit pro originali peccato, pro cujus reatu animæ sanctæ in limbo patrum retardabantur a beatifica divinæ essentiæ visione, statim dum Christus venit ad eos, repleti fuerunt lumine gloriæ, et Deum videre cœperunt facie ad faciem clare, sicut nunc vident in regno cœlesti : sicque in limbo fuerunt ut in spirituali paradiso. Porro latro iste tantam habuit de suis peccatis contritionem, quod plenam meruit remissionem culpæ et pœnæ, et evolavit atque in limbum patrum venit statim post Christum, et Deo beatifice frui cœpit, quemadmodum animæ patrum sanctorum.

Sed merito quæritur : Unde venit latroni tanta Christi cognitio, et tam ingens et plena contritio? Ad quod communiter respondetur, quod latro ille videns admirabilem Christi patientiam in omni sua pœna et derisione, et quod blasphemanti latroni nihil respondit, et pro crucifixoribus suis tam ardenter rogavit, motus fuit ad credendum quod vere esset ille quem dixit se esse, videlicet quod esset Christus Filius Dei. Et certe quia electus erat, Deus eum gratiose prævenit, et intus piissime illustravit. Dixerunt autem nonnulli, quod beatissima Virgo cum puero Jesu juxta angelicam admonitionem fugiens in Ægyptum, incidit in latrones, et unus latronum duxit eam cum Jesu infantulo et cum

Joseph in suam speluncam, viditque in A vultu Jesu divinum, admirabilem igneumque splendorem, et obstupefactus, ait : O omnium beatissime parvulorum, si unquam occurrerit occasio miserendi, memento horæ istius, id est pietatis quam nunc tibi exhibeo. Sicque dimisit gloriosissimam Virginem cum infante et Joseph. Quumque in cruce adspiceret faciem Jesu Christi, vidit in ea conformem splendorem, qualem et antea in spelunca, et ita recordatus est se vidisse, atque sic credidit Jesum in cruce pendentem esse quem B in pueritia vidit, et cognovit quod esset Christus Filius Dei. Istud non nisi recitative induxi.

Itaque Jesus pependit in cruce, et crux fuit quasi solium judicis, in quo fuit Salvator quasi in throno misericordiæ atque justitiæ, habens ovem, id est electum, a dextris, in quo misericordiam fecit, et hœdum, id est reprobum, a sinistris, in quo æquitatem exercuit.

Joann. XIX, 25. *Stabat autem juxta crucem Jesu* Maria *Mater ejus, et soror Matris ejus Maria* C *Cleophæ* uxor, quæ fuit mater Jacobi Minoris et fratrum ejus, videlicet Simonis et Judæ ac Barsabæ, *et Maria Magdalene ;* etiam Maria uxor Zebedæi, mater Joannis Jacobique Majoris, Susanna quoque et Joanna, ac aliæ quædam devotæ matronæ a Christo curatæ, et eum in Galilæa aut aliis *Ibid. 26.* locis secutæ. *Quum vidisset ergo Jesus Matrem et discipulum stantem, quem diligebat* spirituali ac familiari dilectione, utpote Joannem apostolum, *dicit Matri suæ : Mulier, ecce filius tuus,* id est, Jo- D annem tibi assigno pro filio, ut eum loco mei habeas filium ac custodem, consolato- *Ibid. 27.* rem et ministrum. *Deinde dicit discipulo : Ecce mater tua,* id est, Matrem meam tibi recommendo, ut eam filiali amore ac respectu sollicito diligas, consoleris, custodias ac procures. *Et ex illa hora accepit eam discipulus in suam* matrem, curam et custoditionem.

Recogitanda sunt ista mentaliter magis quam exponenda vocaliter. Quis enim, etiam si lapidei cordis sit et ferreum habeat pectus, possit hæc verba sine compunctione et cordis emollitione legere aut audire ? « Stabat », inquit, « juxta crucem Jesu Mater ejus. » O dolorosum et affectuosissimum verbum ! quod absque interna compassione et intima devotione legi non debet, nec cogitari, nec proferri, neque audiri. Nempe quo mutua illa dilectio, tam naturalis quam infusa et spiritualis, inter Jesum et Mariam, inter filium unicum et unicam matrem, innocentissimum ac mansuetissimum Agnum et affectuosissimam ac benignissimam virgineam Genitricem, erat ferventior, eo et mutua compassio dolorosior fuit et major. Rursus, quo suavissima ac sapientissima Virgo clarius scivit innocentiam Filii sui, eo magis condoluit ei, præsertim quoniam scivit Filium suum pati ac mori etiam pro sua seu Matris suæ salute. Conformiter, quo Christus limpidius cognovit suæ dilectissimæ Genitricis amorem ac caritatem ad se, et suæ vehementiam compassionis, ac suæ virgineæ teneritudinem mentis, pietatem, puritatem ac mititatem, eo utique cordialius suæ tam fidelissimæ et amabilissimæ condoluit Matri.

Sciens itaque Dominus Jesus omnem illam inæstimabilem suæ dulcissimæ Matris angustiam, mœstitiam et dolorem, et quam intolerabile fuit virgineæ Matri unicum sui mundissimi uteri fructum in tanta pœnositate, miseria et aspernatione videre, ac taliter separari ab ipso, curam egit suæ Matris, et pro ea fuit sollicitus, atque in aliquantulam suæ afflictionis ac desolationis relevationem assignavit ei suum discipulum prædilectum in filium et custodem, dicens : « Mulier, ecce filius tuus ». O qualibus oculis se invicem inspexerunt filius et mater, sponsus et sponsa, Salvator et humani generis advocata, piissimus et piissima, ardentissimus purissimusque amator et ferventissima mundissimaque amatrix ! Et quamvis summa et humillima Domina Joannem apostolum in filium et custodem suscipere et habere non dedi-

gnaretur neque despiceret, miseranda ta- A men et flebilis fuit illa mutatio, pro Filio Deo et Creatore universorum, in filium suscipere puram creaturam, pro Domino servum, pro Salvatore salvandum, pro Unigenito immortalis Dei natum mortalis viri. Itaque hujus mutuæ compassionis Christi et suæ dignissimæ Matris nunquam obliviscamur : imo devota et pia affectuosaque mente compatiamur ambobus, et amore Filii ac Matris, omnem adversitatem et persecutionem libenter sustineamus.

Præterea Christus Dominus Matrem su- B am sic commendando Joanni, docuit filios universos ac filias, piam ac rationabilem sollicitudinem suorum habere parentum, et ipsis pro posse succurrere, si fuerint indigentes. Hinc loquitur Augustinus : Lignum crucis, cathedra fuit magistri docentis. Exemplo enim suo instruxit nos Christus, ut a filiis cura impendatur parentibus. Verumtamen, si parentes competentiam habeant, nec infirmitate premantur, ac in infirmitatibus suis aliunde habeant auxilium opportunum, non debet proles propter parentes omittere religionis ingressum.

Attendendum est hic quod asserit Damascenus, quod scilicet dolor parturientium, quo dulcissima Virgo caruit Christum gignendo, fuit duplicatus in ea, durante passione Filii sui; et nisi gloriosissima Domina præservata fuisset virtute divina, ex nimio compassionis dolore spiritum exhalasset. Hinc etiam Christus Filius ejus alloquendo eam, vocavit eam mulierem magis quam matrem, ne audiendo a Filio suo hoc dulce amorosumque nomen, Mater, acrius affligeretur, aut præ vehementia suæ angustiæ ac doloris traderet spiritum.

ARTICULUS XII

QUOMODO DERELICTUM SE DOMINUS CLAMAVERIT, QUOMODO SITIENS ACETO POTATUS FUERIT, SPIRITUMQUE PATRI TRADIDERIT.

Matth. XXVII, 45. A *SEXTA autem hora tenebræ factæ* C *sunt super universam terram usque ad horam nonam.* Eclipsis illa fuit penitus supernaturalis et miraculosa. De qua Thomas in tertia parte Summæ suæ, quæ- art. 2. stione quadragesima quarta, scribit : Eclipsim quæ in Christi passione contigit, dicit Hieronymus accidisse per retractionem radiorum solis. (Per quem etiam modum *Exod.* x, 22, 23. fuit caligo triduo in Ægypto, ut habetur in Exodo, et Damascenus testatur). Origenes vero dicit eclipsim illam factam per interpositionem densissimarum nubium in- D ter solem et terram; et hoc minus miraculosum fuisset. Verumtamen Hieronymus et Origenes istud dixerunt, non asserendo quod fuit sic facta, sed quod poterat fieri ita. Unde in his S. Dionysio magis credendum est, qui in epistola ad Polycarpum scribit se eam vidisse, et tunc ad vacan- *Cf.* t. XVI, p. 524. dum astronomiæ in Ægypto fuisse, quia ibi est magna puritas aeris. Dicit ergo eclipsim illam fuisse factam per interpositionem lunæ inter solem et terram. Et addit, quod quatuor mirabilia contigerunt in ea. Primum est, quod naturalis eclipsis non fit nisi tempore conjunctionis incensionisque lunæ; tunc autem oppositio et plenilunium fuit, utpote luna quintadecima, id est quintadecima die ab incensione, quia in illa die Pascha exstitit Judæorum. Secundum miraculum fuit, quia luna, quum fuisset soli supposita circa horam sextam in medio cœli, tamen in vesperis restituta fuit in suo loco in oriente, et fuit soli opposita : propter quod ordo temporis

non est turbatus. Tertium est, quia eclipsis naturaliter inchoatur ab occidente, et pervenit ad orientem : quoniam motus lunæ in proprio orbe seu circulo velocior est motu solis in propria sphæra, et ita pertransit solem ab occidente accedens. Sed tunc luna jam pertransierat solem, distans a sole per medietatem circuli, utpote in oppositione exsistens : idcirco oportuit ut ab oriente reverteretur ad solem, et ab orientali parte primo solem attingeret, et eamdem primitus eclipsaret. Quartum fuit, quod in naturali eclipsi, illa pars solis primo incipit reapparere, quæ primo exstitit obscurata. Luna namque directe pertransit solem, veniendo proprio motu ab occidente. Sed tunc luna miraculose ab oriente in occidentem revertens, non pertransivit solem ut esset orientalior eo, sed quum pervenisset ad terminum solis, rediit ad orientem, sicque partem ultimo occupatam, primo reliquit : propter quod pars solis ultimo obscurata, primo apparuit. Quintum miraculum addit Chrysostomus super Matthæum : quia eclipsis naturalis cito pertransit, eo quod motus lunæ in propria sphæra, sit motu proprio solis multum velocior, quum in mense circulum suum pertranseat, sol autem in anno ; illa autem eclipsis duravit per horas tres. Hæc Thomas. Hinc quoque Hieronymus ait : Ne forte videretur umbra terræ vel cyclus lunæ fuisse oppositus soli, dicuntur tenebræ fuisse spatio trium horarum, ut omnis calumniandi occasio tolleretur. Verumtamen circa hoc advertendum, quod juxta astrologos, quandoque contingit eclipsis, sole habente motum in epicyclo aut eccentrico, et talis eclipsis potest diu durare, seu etiam per tres circiter horas, quemadmodum vidisse me recolo. Sed eclipsis illa quam vidi, non erat plena, sed semieclipsis ; nec luna abscondit visui nostro totum solem, sed partem ejus majorem, prout diligenter notavi. Motus enim solis in epicyclo aut eccentrico non est progressivus, ut motus in propria sphæra. Verumtamen tempore passionis Christi ne-

A quaquam fuit naturalis eclipsis, præsertim quum tunc luna fuerit plena. Idcirco mentiti sunt adversarii fidei christianæ, dicentes solem tunc naturale aliquid passum : quod ignorantes discipuli Jesu Nazareni, putaverunt eclipsim illam propter Jesum factam.

Porro, quod tenebræ dicuntur factæ super universam terram, exponit Origenes de sola terra Judææ, secundum quod Josue
dixit filiis Israel : Dominus dedit vobis *Josue* I, 13.
requiem et omnem terram. Idem dicit
B Lyra super Matthæum. Sed nullatenus est tenendum, quod eclipsis illa fuit in sola Judæa, quum divinus Dionysius in epistola ad Polycarpum apertissime protestetur eam in Ægypto fuisse. Idcirco credendum est, quod fuit etiam in regnis aut provinciis Judææ propinquioribus : et utique fuit in Græcia et in Athenis. Unde philosophi Athenienses videntes tot mirabilia et prorsus supernaturalia in illa eclipsi contingere, dixisse leguntur : Aut elementa mentiuntur et astra, aut Deus naturæ pa-
C titur, aut machina mundi peribit. Hinc quoque Deo auctori tantorum mirabilium aram constituerunt, cui inscripserunt hunc titulum : Ignoto Deo. Cui genuflexiones et laudes pro hostiis obtulerunt. Et totum istud ex canonica Scriptura satis probatur, quoniam in Actibus legitur quemadmodum Paulus apostolus Atheniensibus
prædicans, inter cetera dixit : Præteriens *Act.* XVII,
et videns simulacra vestra, inveni aram 23.
in qua scriptum erat, Ignoto Deo. Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio
D vobis. Quibus auditis, Areopagita Diony- *Ibid.* 34.
sius fuit cito conversus.

Verumtamen Magister in historiis dicit : Non fuit eclipsis solis, ut quidam mentiti sunt, quia luna erat opposita soli. Sed in hoc Magister iste excessit et deviavit, ut patet ex dictis. Nam beatus et divinus Dionysius manifeste dicit, quod fuit vera et supernaturalis eclipsis : quem in hoc doctores concorditer assequuntur.

Præterea quæri potest, cur factæ sunt tenebræ Christo pendente in cruce. Ad

hoc Glossa respondet, et sunt verba Hieronymi : Sol retraxit radios suos, ne aut pendentem Dominum videret, vel ne impii Dominum blasphemantes, ejus luce perfruerentur. Omnis etenim creatura patitur, Christo patiente : quia sol obscuratur, terra tremit, petræ scinduntur, velum templi dividitur, sepulcra aperiuntur. Solus miser et ingratus homo non compatitur, pro quo solo patitur Christus. Itaque obscuratus est sol, ad significandum mundi cæcitatem, atque ob sceleris enormitatem, et propter Christi minorationem. Spiritualiter autem, in nobis sol est intellectus seu ratio, quæ totum illuminat hominem. Fiant ergo in nobis tenebræ bonæ, id est compassio dominicæ passionis, pœnitentiæ mœror, afflictio pro peccatis.

(*Matth.* XXVII, 46; *Marc.* XV, 34.) *Et circa horam nonam clamavit Jesus voce magna,* quia ex ingenti caritate vehementissimoque dolore : *Eli, Eli, lamma sabacthani? quod est interpretatum,* id est expositum, quia in Latino significat *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Hoc Christus dixit ex parte assumptæ naturæ et in quantum homo : quia sic Deus omnium, fuit specialissime Deus ejus, quia eum summe elegit atque dilexit, et perfectissime colebatur ac diligebatur a Christo ex caritate infusa. Conqueritur autem Christus se derelictum a Deo, non ex tædio aut impatientia, sed ex caritatis fiducia. Et secundum inferiorem assumptæ naturæ partem, videlicet quoad corpus et partem animæ sensitivam, fuit relictus a Deo. Primo, quantum ad hoc quia privatus fuit omni redundantia consolationis superioris partis animæ in partem ejus inferiorem : ex qua redundantia solet pœna corporalis remitti faciliusque portari. Unde plures martyres utriusque sexus immanissima tormenta cum jucunditate sustinuerunt. Secundo, Christus fuit relictus a Deo, id est impiorum manibus traditus, et sine ereptione voluntati eorum ad patiendum expositus, sicut prædixit : Ecce appropinquabit hora, et Filius hominis tradetur in manus peccatorum; (*Matth.* XXVI, 45.)

(A) et rursus, Hæc est (inquit) hora vestra, et potestas tenebrarum. (*Luc.* XXII, 53.) Tertio, quia tam ignominiosissime et acerbissime patiebatur, quod (quantum ad exteriorem apparentiam) videbatur omnino quasi alienus, spretus et derelictus a Deo. Unde per Isaiam dicitur : Nos putavimus eum quasi leprosum et percussum a Deo et humiliatum. (*Is.* LIII, 4.) Itaque Christus protulit verba hæc, ut universi fideles clarius sciant et condolentius cogitent quanta pro eis passus sit Filius Dei. Ideo quoque Deus Pater Christum taliter dereliquit, ut passio ejus nobis ex hoc magis meritoria esset. (B) Ex his docemur habere patientiam, et humiliter ac confidenter clamare ad Deum, quando magnis et gravibus tentationibus ac tribulationibus exponimur et vexamur absque admixtione consolationis divinæ, et quando interna consolatio spiritualeque gaudium ac sensibilis quædam devotio nobis subtrahuntur. Nam et ista interdum subtrahuntur electis ac virtuosis dispensative a Domino, ad magnum eorum profectum (C) ac meritum : ut scilicet se ipsos magis humilient, nec de viribus suis præsumant, et assuescant clamare ad Dominum, ac interim patientiam servando, et sine spirituali consolatione Deo fideliter adhærendo, præcipuæ gratiæ ac gloriæ incrementum promereantur.

Et quidam de circumstantibus audientes Jesum clamare, Eli, Eli, *dicebant : Ecce Eliam vocat iste.* (*Marc.* XV, 35; *Matth.* XXVII, 47.) Ex aspernatione Christi dixerunt, « iste », et irridendo locuti sunt verba hæc : qui tam duri et obstinati fue- (D) runt, quod ex præfata et supernaturali et pavenda eclipsi non fuerunt conversi, neque ad pœnitentiam moti. Atque ut aliqui dicunt, isti fuerunt gentiles inter Hebræos morantes, qui verba ista Hebraica non intelligentes, putabant quod Jesus dixisset, Elia, Elia, cujus nomen a Judæis audierunt. Alii opinantur, quod isti fuerunt Judæi, qui quamvis verba illa, Eli, Eli, bene intellexissent, tamen ad diffamandum Christum, mendose dixerunt adstantibus quod invocasset Eliam ; tanquam

dicerent : Ecce iste qui jactavit se esse Christum Filium Dei, nunc humiliatus per pœnas, implorat Eliæ auxilium. Quidam dicunt, quod Judæi aliqui non potentes prætacta Christi verba perfecte audire propter tumultum adstantium, putabant quod invocasset Eliam.

Joann. XIX, 28. *Postea, sciens Jesus quia jam omnia consummata sunt,* id est pene impleta quæ de ejus passione fuerunt prænuntiata. Aliqua nempe adhuc restabant. Unde subjungitur : *ut consummaretur Scriptura,* quæ in persona Christi dicit in Psalmo,
Ps. LXVIII, 22. In siti mea potaverunt me aceto, *dixit : Sitio.* Ad litteram enim Christus vehementissime ac plenissime sitiebat, quia sanguis ejus erat exhaustus, et ex suppliciis fuit totaliter fatigatus ac desiccatus in ore, in
Ps. XXI, 16. tantum ut dicat in Psalmo : Aruit tanquam testa virtus mea, et lingua mea adhæsit faucibus meis. Unde constat quod sitis illa Jesu Christi pœnosissima fuit : quam propter nos sponte toleravit Salvator, quatenus ab infernali eripiamur amarissima siti. Spiritualiter quoque, sitiebat nostram salutem, cujus desiderio omnia illa sustinuit ; et hæc sitis major erat quam prima. Gravior etiam dolor fuit Christo suspenso, de hoc quod scivit tam multos fructu suæ salutiferæ passionis privandos et futuros ingratos, quam de corporea siti.

Joann. XIX, 29. *Vas ergo positum erat aceto plenum.* Juxta proprietatem Hebræi sermonis, vas appellatur omne quod receptivum et contentivum est alicujus : sicque hic per vas designatur amphora seu lagena, aut aliquid tale. Et per acetum intelligi potest vinum myrrhatum felle mixtum, aut vinum acetosum, vel acetum valde acer-
Matth. XXVII, 48. bum ; et de potu isto jam dictum est. *Et continuo currens unus ex eis,* puta militibus seu ministris, *acceptam spongiam implevit aceto, et imposuit arundini,* id est, ligno tali adjunxit seu affixit spongiam
Marc. XV, 36. illam. *Et potum dabat ei, dicens : Sinite,* id est, ab aliis occupationibus quiescentes, attendite. Vel, « Sinite », id est, permittite me potum ei porrigere. *Videamus si veniat Elias liberans eum,* id est ad deponendum eum de cruce. Istud dixit malignus et impius iste deridendo. Alius tamen Evangelista refert, quod adstantes dixerunt ad impium istum : Sine, id est, *Matth.* XXVII, 49.
quiesce et cessa ab ista potus porrectione, et Jesum permitte in sua siti ac habitudine, ut videamus an Elias subveniet ei. Quasi dicant : Non subveniet, ex quo patebit quod nec dignus sit Eliæ auxilio, et multo minus sit Christus aut Filius Dei.

Quum ergo accepisset Jesus acetum. Modicum enim accepit de eo, quasi gustando, *Joann.* XIX, 30.
ut impleretur Scriptura, sicut prædictum est. Alius tamen Evangelista dicit quod *Marc.* XV, 23.
non accepit, quoniam modicum inde potavit : et quod modicum est, pro nihilo reputatur. Unde de eo qui parum comedit aut bibit, communiter dicimus quod nihil comedit aut bibit. Ad quod insinuandum, unus Evangelistarum : Quum (inquit) gustasset, noluit bibere. *Dixit : Consummatum est,* id est, quidquid de mea passione *Matth.* XXVII, 34. *Joann.* XIX, 30.
est prophetatum, jam exstat impletum, ita quod sola exspiratio restat. Sicque per verbum hoc, « Consummatum est », Christus ostendit se improvise nil passum, et cuncta præscisse ; et quasi de triumpho jam proximo glorians, aut patientem naturam quasi confortans, dixit : « Consummatum est ».

Jesus autem iterum clamans voce magna, id est alta et amorosa, *ait : Pater, in manus tuas commendo spiritum meum,* *Matth.* XXVII, 50. *Luc.* XXIII, 46.
id est, animam meam tuæ omnipotenti pietati atque piissimæ potestati et æquitati commendo, non tanquam periculum metuens, aut incursum dæmonum timens, sed tanquam securus de obtenta victoria, Deo Patri gratias agens : quemadmodum fortissimus miles, prostratis in campo hostibus, regi suo se recommendat. Ideo ait Glossa : Spiritum Patri commendans, non defectum virtutis insinuat, sed confidentiam suam de Patris potestate demonstrat. Hoc etiam dixit Salvator ad nostram instructionem, ut scilicet in extremis ad

Deum præcipue recurramus et confugiamus, ejusque potestati et pietati nos confidenter atque humiliter commendemus ingruentibus nobis tot ac tantis periculis.

Porro aliqui dicunt Christum in cruce psalmum illum, Deus, Deus meus, respice in me, alta voce incepisse, dicendo, Eli, Eli, etc.; et deinde verba psalmi illius ac psalmos sequentes, silenter protulisse, usque ad versum istum : In manus tuas, etc. Unde et rationabiliter observatur, ut coram agonizantibus psalmi legantur. *Et hæc dicens, inclinato capite tradidit spiritum,* id est, animam exhalavit, non solum ex corporalium virium defectione complexionisque corruptione, ut contingit in ceteris, sed etiam ex libera voluntate ac potestate : quia quamdiu voluit, anima sua permansit in corpore; et sua potestate divina ac animæ suæ virtute conservavit, quamdiu voluit, corpus suum in esse. Quumque vidisset cuncta completa in se, quæ de sua passione erant prædicta, tradidit spiritum ex virtute, sicut prædixit : Nemo tollit animam meam a me, sed ego pono eam; itemque, Potestatem habeo ponendi animam meam, et iterum sumendi eam. Unde et per Isaiam est prædictum : Tradidit in mortem animam suam. Itaque tradidit spiritum suum, quia animam suam voluit ac fecit a corpore suo recedere. Tamen corpus suum et anima manserunt Verbo æterno unita. Moxque anima Christi a corpore separata, ingressa est limbum sanctorum patrum, illuminans et exhilarans animas ibi detentas.

(Ps. xxi, 2. — Ps. xxx, 6. — Luc. xxiii, 46; Joann. xix, 30. — Joann. x, 18. — Ibidem. — Is. liii, 12.)

ARTICULUS XIII

DE HIS QUÆ POST MORTEM CHRISTI EVENERUNT : DE APERTIONE LATERIS, DE DEPOSITIONE EJUS DE CRUCE, ET DE SEPULTURA.

Et ecce velum templi scissum est in duas partes, a summo usque deorsum. Sicut in tabernaculo Moysis erant duo vela, unum ad introitum exterioris partis tabernaculi, quæ pars vocabatur sanctum vel sancta, ut patet in Exodo; aliud circa et ante ingressum interioris partis tabernaculi, quæ pars dicebatur sancta sanctorum : ita in templo Jerusalem vela duo fuerunt, unum exterius, aliudque interius. Atque ut ait Hieronymus, tunc scissum est velum interius. Remigius vero testatur velum exterius scissum fuisse. Sicque utrumque creditur scissum, ad designandum quod velamina legis et obscuritates Prophetarum, jam impleta et revelata fuerunt in Christi passione, et deinde manifestanda universis hominibus per gratiam ejus. Propter quod scriptum est : Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Christum facta est. In Scholastica historia additur : In evangelio Nazaræorum habetur, quod et superliminare templi infinitæ magnitudinis scissum fuit, et voces in aere fuerunt auditæ, dicentes : Transeamus ex his sedibus. Et erant voces angelorum custodientium templum, qui ex tunc recesserunt propter crimina Judæorum.

Et terra mota est, ad designandum enormitatem facinorum eorum qui Dei Filium ita tractabant, et quasi non valens tantam sui Creatoris injuriam sustinere; et item ad denotandum quod corda hominum merito concuterentur timore et compunctione propter Christi occisionem. *Et petræ scissæ sunt,* id est, saxa quæ erant sub terra vel supra, divisa sunt ex vehementia motus terræ, vel speciali miraculo, ad figurandum quod corda homi-

(Matth. xxvii, 51. — Exod. xxvi, 31, 33; xl, 19, 20. — II Par. iii, 14. — Joann. i, 17. — Matth. xxvii, 51.)

num quamvis lapidea, merito scinderentur A ad pœnitentiam, sicut et Joel ait propheta: Scindite corda vestra, et non vestimenta vestra. *Et monumenta aperta sunt* divina virtute, vel ex terræ tremore. Porro apertio sepulcrorum significavit, quod Christus sua passione mereretur beatam resurrectionem suis electis, et etiam quod cito resurrecturi essent quidam Sancti cum Christo. Unde subjungitur : *Et multa corpora Sanctorum qui dormierant,* id est obierant, *surrexerunt :* non in die Parasceves, sed eadem hora qua Christus re- B surrexit a mortuis, quia surrexerunt cum eo. Nam subditur : *Et exeuntes* Sancti illi *de monumentis, post resurrectionem ejus,* videlicet Christi, *venerunt in sanctam civitatem* Jerusalem : quæ dicitur sancta, non propter sanctitatem habitantium tunc in ea, sed quoniam multi sancti reges et Prophetæ ac alii antea habitaverunt in ipsa, et quoniam erat urbs electa ad cultum Dei, et fuit in ea templum et locus sacrificiorum, orationum et laudum Altissimi ; præsertim quia Christus cum suis C discipulis et feminis sanctis frequenter fuit et prædicavit atque miracula fecit in ea, imo et ultimam Cœnam fecit ibidem et Sacramentum instituit, ac passus fuit in ea, et crucifixus prope eamdem, ac paulo post primitiva illa Ecclesia multis diebus mansit in ea, in qua et Apostoli cum aliis Spiritum Sanctum acceperunt. *Et apparuerunt multis* in testimonium resurrectionis Filii Dei, cujus resurrectioni testimonium perhibuerunt suis apparitionibus et allocutionibus sanctis.

(Joel II, 13. — Matth. XXVII, 52. — Ibid. 53.)

Dicit autem S. Hieronymus super Isaiam, et Glossa super Genesim tangit, quod sancti Patriarchæ ideo voluerunt in terra promissionis sepeliri, quia noverant in ea passurum ac resurrecturum Dominum Jesum Christum, et ut cum eo simul resurgere mererentur. An vero Sancti isti postea rursus obierunt, vel potius cum corpore et anima simul ascenderunt cum Christo in cœlum, diversæ sunt opiniones, nec de hoc certitudo habetur. De quibus etiam in evangelio Nicodemi multa leguntur. Magister quoque in historiis scribit : Quod autem aliqui illorum iterum obierunt postquam Christum resurrexisse testati sunt, scimus, quoniam corpora quorumdam ex illis in Jerusalem requiescunt, et S. Scarioth unus illorum fuisse perhibetur, qui Scarioth fertur fuisse abbas : quo defuncto, quidam ex monachis ejus inconsolabiliter dolentes et flentes, defuncti sunt, et adhuc compaginati videntur.

Centurio autem, utpote officiatus ille Pilati, qui præerat militibus centum : sicque centurio est nomen officii, non personæ ; *qui ex adverso stabat,* id est in opposito crucis, *et qui cum eo erant,* videlicet milites et ministri ipsius, viri gentiles, *custodientes Jesum,* ne sine licentia præsidis tolleretur de cruce vivus aut mortuus, *viso terræ motu et his quæ fiebant,* id est ceteris mirabilibus tunc factis in solis obscuratione ac lapidum scissione, etc., et *quia* Jesus *sic clamans exspirasset,* id est, magna et alta voce clamando, Pater, in manus tuas commendo spiritum meum, obiisset ; *timuerunt valde,* saltem servili timore, considerantes se valde peccasse, et plagari a Deo tantorum mirabilium auctore forsan timentes. Et *glorificavit* centurio *Deum,* id est, ex illis divinæ virtutis effectibus cognovit atque confessus est Deum esse fidelem, justum et omnipotentem, qui tam miraculose ac potentissime demonstravit Christi Filii sui innocentiam, enormitatemque scelerum persecutorum et crucifixorum ipsius, *dicens : Vere Fi-* D *lius Dei erat iste,* id est, veraciter dixit se Filium Dei ; ideo male egerunt, qui idcirco eum crucifigi fecerunt quia Dei Filium se esse asseruit. *Hic homo justus erat,* idcirco injuste occisus est. Porro centurio dixit Jesum esse Filium Dei, non determinans an fuerit Dei filius adoptivus, an naturalis, quia inter hæc nescivit distinguere.

(Matth. XXVII, 54 ; Marc. XV, 39. — Luc. XXIII, 47. — Matth. XXVII, 54. — Luc. XXIII, 47.)

Et omnis turba eorum qui simul aderant ad spectaculum istud, id est ad suspensionem et exspirationem Christi in

(Ibid. 48.)

cruce, atque ad mirabilia ibi facta (de quibus subjungitur: *et videbant quæ fiebant*), *percutientes pectora sua revertebantur* ad Jerusalem, seu ad alia habitacula sua. Ista turba fuit præcipue communis populus Judæorum simplex et imperitus, a pontificibus, Scribis senioribusque deceptus, hoc est persuasus et inductus ad postulandum quod Jesus crucifigeretur : qui populus, visis tot mirabilibus, perpendit se esse deceptum, et peccasse in Jesum gravissime ; unde compuncti sunt corde, et ex dolore atque tristitia percusserunt pectora sua. Nam et hoc quod Jesus instante mortis suæ articulo et momento tam fortiter et sonore clamavit, fuit penitus supra naturam et supra vires humanas : quoniam ex diuturna et multiplici ac pœnalissima punitione, cruentatione et vexatione fuit totus exhaustus et corporalibus viribus destitutus. Unde et alii ita puniti, et paulatim ac diuturne ad mortem perducti, ita in agone sunt debiles, ut vix valeant vocem formare ; sed Christus juxta beneplacitum suum vires potuit corporales resumere, non solum ex omnipotentia suæ deitatis, sed item ex virtute ac potestate animæ suæ Deo beatifice perfruentis, quantum ad vires suas superiores ad increatum objectum relatas.

Luc. XXIII. 49. Matth. XXVII. 55, 56 ; Marc. XV. 40, 41. *Stabant autem omnes noti ejus a longe,* scilicet discipuli et amici Christi. *Erant autem ibi et mulieres multæ de longe adspicientes,* quæ erant discipulæ ejus et auditrices devotæ, atque curatæ ab eo ; *et quum esset in Galilæa, sequebantur eum,* id est, in Galilæa cœperunt Christum sequi : nam erat de illa provincia ; *et ministrabant ei,* id est, de facultatibus suis præbuerunt victualia Christo et ejus Apostolis. *Inter quas erat Maria Magdalene, et Maria Jacobi Minoris et Joseph mater,* fratris Jacobi hujus (qui Joseph cognominatus est Barsabas) : quorum fratres fuerunt Simon et Judas ; *et mater filiorum Zebedæi, et aliæ multæ quæ simul cum eo ascenderant* de Galilæa *Jerosolymam.* Inter quas excellentissima fuit et

A sacratissima Virgo Mater Jesu, deinde Joanna et Susanna, ac aliæ quædam. Sed his objici potest quod scribit Joannes evangelista : Stabat juxta crucem Jesu Mater ejus et soror Matris, etc. Joann. XIX, 25. Respondetur, quod comparatione quorumdam prope crucem de propinquo stantium, steterunt discipuli ac discipulæ Christi a longe, sed respectu multorum remotius stantium, juxta crucem stetisse dicuntur illæ sanctæ matronæ, præsertim beatissima Virgo ferventior aliis ; vel ad tempus steterunt prope, B deinde propter tumultum turbæ vel ex alia causa modicum retrocesserunt.

Judæi ergo, quoniam Parasceve erat, Ibid. 31. hoc est sexta feria, in qua parabantur cibaria pro die sequente, *ut non remanerent in cruce corpora sabbato,* id est, ut nec corpus Christi nec corpora latronum manerent in patibulis sabbato mox sequente, ne tantæ diei solennitas videretur obnubilari, fœdari et inhonorari horrore et vilitate cadaverum hominum suspensorum. Unde subjungitur : *erat enim ma-* C *gnus,* id est valde solennis, *dies ille sabbati.* Nam sabbatum per se celebre fuit ex legis præcepto, sicut nunc apud Christianos dies dominicus ex præcepto Ecclesiæ ; et ultra hæc, in sabbato illo duravit paschalis solennitas : sicque sabbatum illud fuit dupliciter celebre. Hac ergo causa Judæi *rogaverunt Pilatum ut frangerentur eorum crura,* id est, crura Christi et latronum a militibus præsidis confringerentur, quatenus citius morerentur, et nequaquam possent effugere, etiam quamvis D essent a patibulis suis depositi.

Venerunt ergo milites Pilati, qui præfa- Ibid. 32. tæ Judæorum petitioni mox acquievit ; *et primi quidem fregerunt crura, et alterius qui crucifixus est cum eo,* id est, duo milites accedentes fregerunt crura amborum latronum, ita quod unus miles fregit crura primi latronis, qui scilicet primo pendebat in via advenientium militum, et alter miles fregit crura latronis alterius ab alio latere Christi pendentis. *Ad Jesum* Ibid. 33. *autem quum venissent* ambo milites, seu

quilibet, cum scala sua, *ut viderunt eum* A *jam mortuum, non fregerunt ejus crura*, quia prætactæ rationes frangendi crura non Joann. xix, 34. habuerunt locum in ipso defuncto. *Sed unus militum lancea latus ejus aperuit.* Iste fuit alius a duobus illis militibus. Aperuit autem latus Christi, ut magis certificarentur ipse ac alii de morte Christi ; vel (ut aliqui opinantur) aliqui indurati et invidiosi Judæi ex crudelitate instigaverunt militem illum ad hoc, cupientes etiam mortuum persequi et corpus exanime dilaniare. Porro secundum Theophilum, mi- B les hoc fecit ad complacendum Judæis.

Et continuo exivit sanguis et aqua. Prov. xxi, 30. Quemadmodum Salomon ait : Non est consilium contra Dominum. Unde quod impii isti fecerunt ad ignominiam corporis Christi, Deus statim convertit ad honorem corporis sacri : quoniam miraculose fecit ex corpore illo sanguinem emanare et aquam, quum tamen in corporibus mortuis soleat esse sanguis congelatus, nec aqua pura inveniatur in eis, qualis fuit aqua quæ Cf. t. XII, p. 596 C'. fluxit de latere Salvatoris, in signum quod C habuit corpus vere humanum. Imo etiam factum est hoc ad designandum saluberrimos effectus dominicæ passionis, a qua omnia Ecclesiæ sacramenta suam virtutem et efficaciam sortiuntur. Christus etenim sua passione pro nostris satisfecit peccatis : quod sanguinis emanatio designavit, Apoc. i, 5. juxta illud, Christus dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. Insuper Christus in sua passione purgavit nos ab immunditiis culpæ, et gratiam ac virtutes nobis promeruit : quod significa- D vit effluxio aquæ. Et istum effectum in Baptismo consequimur. Unde ait Aposto- Ephes. v, 25, 26. lus : Christus dilexit Ecclesiam, et tradidit semetipsum pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo. Sicque aqua fluens de corpore Christi, signavit hoc lavacrum nostræ regenerationis. Denique, quia hæc lanceatio Christi seu perforatio lateris sui dignissimi, fuit consummatio quædam et ultimum totius suæ passionis pro nobis, idcirco (secundum Augustinum) sacramenta Ecclesiæ dicuntur fluxisse de latere Christi dormientis in cruce, prout super quartum Sententiarum Cf. t. XXIV, p. 89 C', 110 A', 336 B. plenius exponunt doctores.

Et qui vidit, testimonium perhibuit ; et Joann. xix, 35. *verum est testimonium ejus.* Ista sunt verba Joannis evangelistæ, qui corporaliter vidit hæc fieri, nec recessit a loco dominicæ passionis quousque corpus Christi fuit sepultum : ideo de his quæ vidit, testimonium dedit verbo et scripto, imo et per multa præclara miracula soli Deo possibilia, ut patet in ejus Legenda. Præbuit ergo testimonium de his, prædicando, et evangelium conscribendo. *Et ille scit quia vera dicit.* Joannes namque apostolus certissimus fuit de veritate horum totiusque fidei christianæ, quia tot supernaturalia dona et gratiarum charismata copiosissime et evidentissime accepit a Deo, et per innumerabilia miracula Christi ac propria, et aliis modis. *Ut et vos credatis,* quia pro nostra informatione ac corroboratione in fide scripsit hæc omnia : quæ etiam scivit vera esse ex hoc, quod in lege Moysis ac Prophetis erant præfigurata atque prædicta. Ideo subditur : *Facta sunt enim hæc,* Ibid. 36. id est, quod crura Christi non sunt fracta in cruce, et latus ejus ibi perforatum est, accidit, *ut Scriptura impleretur,* quæ dicit in Exodo : *Os non comminuetis ex eo.* Hoc quippe ad litteram scriptum est de agno paschali, de quo legitur : Os illius Exod. xii, 46. non confringetis. Verumtamen, quia hoc scriptum (imo et jussum) fuit a Deo de agno illo, in quantum agnus ille fuit figura Christi evidens et aperta ; idcirco verba illa litteralius ac principalius exponuntur de Christo quam de agno præfato. *Et iterum alia scriptura dicit : Videbunt in* Joann. xix, 37. *quem transfixerunt.* Nostra translatio sic habet apud Zachariam : Adspicient ad me, Zach. xii, 10. quem confixerunt. Sed sensus redit in idem. Et istud præcipue fiet in die generalis judicii : propter quod in corpore Christi glorificato permanent quinque vulnerum ejus præclarissimæ cicatrices, ut in die judicii universis appareant, electis ad

gaudium, reprobis, potissime impiissimis A Judæis qui Christum procuraverunt occidi, ad tormentum et confusionem æternam. Unde et in Apocalypsi habetur de Christo: Apoc. I, 7. Ecce venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt.

Porro advertendum, quod Christus in sua passione habuit multiplex testimonium. Primo, per miracula a se facta, quia curavit miraculose amputatam Malchi auriculam. Secundo, quia sic tenuit visum Judæorum quod ab ipsis cognosci non potuit quousque voluit. Tertio, quoniam solo ver- B bo totam turbam contra se venientem pro- I Tim. III, 7. stravit. Et quoniam, teste Apostolo, oportet fidelem habere testimonium bonum, etiam ab his qui foris sunt, divinitus est provisum quod Christus in sua passione a talibus quoque habuit testimonium copiosum. Primo a Pilato, qui innocentiæ Christi frequenter attestabatur, ut patuit. Matth. XXVII, 4. Secundo a proditore, qui dixit : Peccavi, tradens sanguinem justum. Tertio ab uxo- Ibid. 19. re Pilati, dicenti eidem : Nihil tibi et justo Luc. XXIII, 41. illi. Quarto a latrone, qui ait : Hic nihil C mali gessit, etc. Quinto a centurione lo- Marc. XV, 39. quente : Vere hic Filius Dei erat. Sexto ab omni turba, quæ pectora sua percutiens, rediit pœnitens. Septimo (ut fertur) a milite qui latus Christi perfodit : de quo communiter recitatur quod vocabatur Longinus, et erat cæcutiens ; quumque modicum quid de sanguine Christi super oculos ejus stillasset, cœpit clare videre et credere in Dominum Jesum Christum. Postea vero ab Apostolis plenius in fide instructus, duxit sanctam atque monasticam D vitam plurimis annis, et tandem quum multos convertisset ad Christum, per martyrium ascendit ad Dominum.

Joann. XIX, 38 ; Marc. XV, 42, 43 ; Matth. XXVII, 57 ; Luc. XXIII, 50. *Post hæc, quum jam sero factum esset, ecce vir dives* in temporalibus, sed spiritualiter ditior meritis atque virtutibus ; *nobilis* natione, sed nobilior virtuosa conversatione ; *decurio,* quia de curia principis fuit, vel quia decem militibus præfuit (quemadmodum enim dicebatur centurio, qui præfuit centum militibus, ita decurio, qui decem ; decuriones quoque vocantur, qui curam plebis sumunt ac gerunt) ; *vir* Luc. XXIII, 50. *bonus et justus,* reddens unicuique quod ei debebat, et corde sincerus, ceterisque ornatus virtutibus ; qui *non consenserat* Ibid. 51. *consilio et actibus eorum* qui persecuti sunt Jesum ; natus *ab Arimathea civitate Judææ,* quæ alio nomine Ramatha nuncupatur, de qua Samuel fuit propheta ; *qui* I Reg. I, 19 ; VII, 17. *exspectabat et ipse regnum Dei,* id est cœlestem felicitatem in patria Beatorum, ad quam fide et opere adspiravit per fidem, spem et caritatem, *eo quod esset* Joann. XIX, 38. *discipulus Jesu,* non de numero duodecim, neque de numero septuaginta duorum di- Luc. X, 1. scipulorum quos Jesus ante suam passionem misit combinatos ad prædicandum, sed erat de numero ceterorum credentium veram esse Christi doctrinam, et libenter audientium eam, *occultus autem propter metum Judæorum,* id est pontificum et seniorum, ne extra synagogam fieret, id Joann. IX, 22. est, ne excommunicaretur ab eis, et ne propter ipsum fieret in curia dissensio aliqua. *Hic accessit audacter ad Pilatum,* Matth. XXVII, 58 ; Marc. XV, 43. quasi non metuens sceleratos Judæos, quia jam fuit confortatus in fide ex mirabilibus quæ in Christi acciderant passione, et Christi magistri sui exemplo animatus fuit ad patiendum pro Deo ; atque (ut aliqui putant) æstimavit insaniam Judæorum contra Christum jam esse sedatam, quia juxta desiderium suum fecerunt eum turpissima ac amarissima morte interfici ; *et petiit* Matth. XXVII, 58 ; Joann. XIX, 38. a Pilato *ut tolleret,* id est, a cruce deponeret ac decenter sepeliret, *corpus Jesu. Pilatus autem mirabatur si jam obiisset* Chri- Marc. XV, 44. stus in cruce, quia fortasse nescivit quam crudelissime fuit extentus in ea. *Et accersito centurione,* qui interfuit exspirationi Christi, et dixit, Vere hic Filius Dei erat, *interrogavit si jam mortuus esset. Et* Ibid. 45. *quum cognovisset a centurione* quod imo, *donavit corpus* Jesu *Joseph,* id est, licentiam dedit ipsi Joseph ad deponendum et sepeliendum corpus Christi.

Venit autem et Nicodemus, fidelis Christi Joann. XIX, 39. discipulus, et valde potens apud Judæos,

qui non timuit eos tam ante passionem A
Christi quam in ea, et post eam frequenter
et evidenter loquebatur coram superiori-
bus inter Judæos pro Christo; *qui venerat*
ad Jesum nocte primum, id est, diu ante
hæc accessit Jesum post vesperas, dicens,
Joann. III, 2. Scimus quia a Deo venisti magister, etc.,
Ibid. XIX, 39. prout in Joanne scriptum est; *ferens mix-*
turam myrrhæ et aloes, quasi libras cen-
tum, id est copiosum et pretiosum un-
guentum, confectum ex myrrha et aloe, id
est speciebus sic vocatis, quæ sua ama-
ritudine conservant corpora defunctorum B
ad tempus a putrefactione ac vermibus.
Marc. XV, 46; Matth. XXVII, 59. *Joseph autem mercatus sindonem,* id est
mundam lineam vestem seu linteamen,
et deponens eum de cruce, *involvit* corpus
Joann. XIX, 40. Christi *sindone munda. Acceperunt ergo*
corpus Jesu Joseph et Nicodemus cum
coadjutoribus suis, *et ligaverunt illud lin-*
teis, id est lineis pannis, *cum aromatibus,*
id est præfato unguento quo corpus Chri-
sti condiebant (quia non habuerunt expli-
citam et perfectam spem de resurrectione
Christi in triduo), *sicut mos est Judæis se-* C
pelire mortua corpora cum reverentia, aro-
matibusque condita ne fœtore aut corru-
ptione cito tangantur.
Ibid. 41. *Erat autem in loco ubi crucifixus est*
Jesus, *hortus* (qui hortus fuit prope Calva-
riæ locum), *et in horto monumentum no-*
Marc. XV, 46. *vum, quod erat excisum de petra :* nam
Joseph fecerat illud jam ante parari, forsan
Joann. XIX, 41. pro se ipso ac suis; *in quo nondum quis-*
quam positus erat, id est sepultus. Quod
ex divina præordinatione sic accidit, ne
Judæi increduli dicerent corpus alterius D
sublatum pro corpore Christi. Simili ra-
tione Deo disponente provisum est, quod
corpus Christi sepultum est in sepulcro
lapideo, quod non potest faciliter perfodi
aut frangi, ne impii dicerent sepulcrum
Christi a suis discipulis fractum seu per-
fossum, et corpus ejus sic esse ab illis
Ibid. 42. sublatum. *Ibi ergo propter Parasceven*
Judæorum, id est, quoniam sexta feria
erat, in qua adhuc licuit aliquid operari et
mortuos sepelire, *quia juxta* locum Calva-
riæ *erat monumentum, posuerunt Jesum,*
hoc est corpus Christi, sumendo partem
pro toto. *Et advolvit* Joseph præfatus, cum Matth. XXVII, 60.
adjutorio Nicodemi et aliorum, *saxum ma-*
gnum ad ostium monumenti, id est ante
fores atque ingressum sepulcri instar do-
munculæ facti, in cujus medio fuit sepul-
crum; et ostium parvum fuit, parum extra,
ad introeundum. *Et abiit* in Jerusalem,
redeundo cum Nicodemo et aliis, non sine
fletu magno atque gemitibus. Porro de
factura et forma sancti sepulcri in Scho-
lastica recitatur historia : De monumento
Domini dicit Beda super Marcum, quod
fuit domus rotunda, de subjacente petra
excisa, altitudinis tantæ quod homo exten-
ta manu vix possit culmen attingere, in-
troitum habens ab oriente, cui magnus
lapis appositus erat pro ostio. In parte
ejus aquilonari locus dominici corporis de
eadem petra factus est, septem pedes ha-
bens longitudinis, et tribus palmis altior
cetero pavimento, eminens quasi sarco-
phagus superpositus fundamento.

Erat autem ibi Maria Magdalene, et Ibid. 61.
altera Maria, videlicet mater Jacobi Mino-
ris, et *subsecutæ mulieres, quæ cum ipso* Luc. XXIII, 55.
Jesu *venerant de Galilæa, sedentes contra* Matth.
sepulcrum, id est ex opposito seu e regio- XXVII, 61.
ne sepulcri, non longe ab eo; et *adspi-* Marc. XV, 47.
ciebant ubi poneretur, et quemadmodum Luc. XXIII,
positum erat corpus ejus. Hoc ita conside- 55.
raverunt ex ardenti amore, et etiam quia
intendebant in brevi reverti ad ungendum
corpus sepulti : ideo observabant qualiter
possent aptius habere introitum ad sepul-
crum. *Et revertentes* in Jerusalem, *para-* Ibid. 56.
verunt aromata de sero in sexta feria illa,
quamdiu secundum legem licuit operari.
Unde elicitur, quod in illis feminis fides
de Christi resurrectione fuit permodica,
vel (ut dicitur) nulla. *Et sabbato quidem*
siluerunt secundum mandatum, id est, ab
omni exteriori opere quieverunt juxta le-
gis præceptum. — Non autem dubitandum
quin sacratissima Virgo Christi Mater man-
sit ibidem usque ad aliarum reditum fe-
minarum : imo a Filii sepulcro avelli vix

potuit. Similiter soror ipsius, mater filiorum Zebedæi, mansit ibi cum Domina. A

Spiritualiter debemus et nos Christum de cruce deponere, id est suæ passioni intime condolere, et membris ejus infirmis, tentatis, afflictis et egenis hominibus, caritative et pie toto posse succurrere; ipsumque Dominum sindone munda involvere, id est caritate ac pura conscientia amplexari; atque in monumento novo lapideo collocare, id est in mente nostra virtutibus innovata, et per gratiam ac constantiam stabilita, sepelire ac retinere; linteis quoque et aromatibus ipsum ligare et condire, id est vera sinceritate et columbina simplicitate colere ipsum cum virtutum odore et bonæ famæ suavitate, imo et cum spirituali jucunditate ipsi Domino jugiter deservire. Hortus autem in quo est monumentum, est virtuosa anima, in qua sunt flores orationum et fructus contemplationum, suavitates meditationum, gramina bonarum actionum. Lapis quoque ad ostium monumenti, est firma et incessabilis custodia cordis, seu timor Dei, vel exteriorum custoditio sensuum. Custodes demum sepulcri sunt, fides, spes, caritas, seu quatuor cardinales virtutes. Væ igitur eis qui Christum in Sacramento recipere audent conscientia maculata et mente carnali, vel susceptum custodire et intra se retinere non student per cordis sensuumque custodiam ac filialem Dei timorem. Qui autem proximos suos semper ædificare conantur, et virtuose exemplariterque vivendo bonus odor Christi sunt undique, salubriter ungunt et condiunt ipsum. (II *Cor.* II, 15.)

Altera autem die, quæ est post Parasceven, scilicet sabbato, satis mane, *convenerunt principes sacerdotum et Pharisæi* (*Matth.* XXVII, 62.) *ad Pilatum, dicentes : Domine.* (*Ibid.* 63.) Jam enim abjecerunt dominium veri regis sui, puta Messiæ, et Romanorum imperio se subdiderunt, dicentes : Non habemus regem nisi Cæsarem. (*Joann.* XIX, 15.) Sicque officiatum imperatoris dominum suum vocant ad propriam confusionem; vel adulando dixerunt hoc, ut facilius impetrarent quod petere decreverunt. *Recordati sumus quia seductor ille,* de quo paulo ante dixerunt, Seducit turbas, (*Joann.* VII, 12.) *dixit adhuc vivens* in corpore : *Post tres dies resurgam. Jube ergo custodiri sepulcrum,* (*Matth.* XXVII, 64.) id est, militibus tuis præcipe ut sepulcrum Jesu custodiant, *usque in diem tertium, ne forte veniant discipuli ejus et furentur eum, et dicant plebi: Surrexit a mortuis. Et erit novissimus error pejor priore,* id est, talis deceptio per discipulos inducenda, nisi provideatur, esset periculosior quam fallacia qua ipsemet Jesus plebem fefellit. B *Ait illis Pilatus : Habetis custodiam,* (*Ibid.* 65.) id est, libenter et prompte offero vobis milites ad custodiendum sepulcrum. *Ite, custodite sicut scitis,* id est, faciatis sepulcrum custodiri fortius ac cautius sicut potestis. *Illi autem abeuntes, munierunt,* (*Ibid.* 66.) id est, firmiter vallari fecerunt, *sepulcrum,* manu militum armata, *signantes lapidem* ostio sepulcri advolutum, suo sigillo aut annulo, ne quis sine eorum scitu et consensu auderet aut posset intrare, *cum custodibus :* quia et C milites pro custodia apposuerunt, et certos assignaverunt ac deputaverunt custodes, quatenus omnis spes et opinio de Jesu resurrectione penitus deperirent, et cunctis pateret quod Jesus fuisset seductor.

Sed ut Salomon ait, et allegatum est, Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum. (*Prov.* XXI, 30.) Imo per illud per quod humana versutia nititur impedire decretum Dei, Deus id gloriosius implet : quemadmodum filii Jacob patriarchæ fratrem suum Joseph vendiderunt ut duceretur in Ægyptum, (*Gen.* XXXVII, 28.) D ne eis unquam præficeretur in dominum; et tamen per illam venditionem impletum est quod Deus proposuit, puta prælatio ipsius Joseph super fratres suos. (*Ibid.* XLI et seq.) Sic quoque per hanc tam diligentem, firmam et curiosam sancti sepulcri custodiam, gloriosius est probatum et firmius declaratum quod Christus vere surrexit, nec a discipulis suis sublatus fuit : per quam custodiam impii illi Deo rebelles, conabantur hanc fidem penitus exstirpare et impedire.

ARTICULUS XIV

QUID DE DIALOGO QUODAM PASSIONIS CHRISTI, UT INSCRIBITUR, VIRGINIS MARIÆ ET ANSELMI, SENTIENDUM SIT ; ET OBJECTARUM QUÆSTIONUM DILUTIO.

HUCUSQUE extenditur expositio textus ex quatuor Evangelistis collecti, secundum ordinem historiæ de Christi passione, prout deservit et sufficere videtur ad sermocinandum declamatorie coram plebe ; nunc consequenter addenda sunt aliqua de eadem materia, ad habendam prædictorum intelligentiam clariorem. Et quoniam prædicantes dominicam passionem ad populum, solent communiter intermiscere quædam ex collocutione (ut dicitur) habita inter beatissimam Virginem et Anselmum, ex quorum admixtione populus multum provocatur ad piam quamdam devotionem, compassionem et planctum, etiam plus interdum quam ex ipsa passionis Christi historia ; ideo quæritur primo, quid de illa collocutione et querela videatur tenendum : an scilicet veraciter habita sit collocutio talis inter dignissimam Christi Matrem atque Anselmum, prout in libello seu dialogo de hoc edito recitatur, an potius Anselmus per se solum ediderit et conscripserit illum dialogum, nunc in persona gloriosissimæ Virginis, nunc in propria loquens persona (juxta quem modum quidam devotus de Ordine S. Dominici, composuit librum qui Horologium æternæ Sapientiæ nuncupatur, per modum dialogi jam in propria persona interrogando sub nomine discipuli, jam in persona Filii Dei respondendo sub nomine æternæ Sapientiæ) ; an magis credendum sit, quod dialogus ille de Christi passione non sit editus ac conscriptus ab Anselmo, sed ab alio quodam confictus ac scriptus sub persona et nomine Virginis præstantissimæ ac Anselmi. In discussione hujus materiæ volo per modum

H. Suso.

A scholasticæ inquisitionis procedere, absque omni temeraria assertione et incauta immansione.

Itaque, quod dialogus ille non sit inter divinissimam Virginem et Anselmum habitus, neque ab Anselmo viro sapiente et sancto conscriptus per modum prætactum aut editus, sed ab alio quodam confictus, videtur posse probari ex multis quæ in illo dialogo habentur. Primo namque habetur ibidem : Quæsivit Anselmus, Dic mihi, carissima Domina, qualiter fuit
B passio Filii tui inchoata, seu quale fuit initium passionis Filii tui. Respondit Maria : Quando Filius meus a cœna cum discipulis suis surrexit, abiit Judas Iscariot ad principes sacerdotum, et Filium meum tradidit, et pro triginta argenteis vendidit. In hac responsione videtur falsum aliquod contineri, quoniam Judas non vendidit Christum in die Cœnæ, nec quando Christus cum discipulis suis surrexit a cœna, sed die præcedenti, videlicet feria quarta, ut dictum est supra. *Cf.* p. 433 B et s.

C Deinde in dialogo illo quærit Anselmus : Quales fuerunt illi denarii ? Respondit Maria : Ismaelitici, quibus et Joseph venditus fuit ante quatuor millia annorum, et hereditaria successione fuerunt devoluti ad illos Judæos qui Filium meum emerunt, et unusquisque denarius valuit decem usuales. In hac responsione videntur duo falsa includi. Primum est, quia Joseph non fuit venditus ante quatuor millia annorum ante Christi venditionem, prout hoc ex Scriptura canonica et ex do-
D ctoribus quoque authenticis videtur posse probari. Scriptum est enim tertio Regum libro : Quadringentesimo et octogesimo III *Reg.* VI, 1.

anno egressionis filiorum Israel de terra A Ægypti, in anno quarto regni Salomonis super Israel, ædificare cœpit domum Domini. Sicque ab egressu filiorum Israel ex Ægypto usque ad exordium constructionis templi Salomonis, non fluxerunt ad plenum quingenti anni. Porro a tempore venditionis Joseph usque ad egressum filiorum Israel de Ægypto, non fuerunt plenarie quadringenti anni : quoniam tempus seu numerus annorum de quo Dominus ad Abraham ait, *Gen.* xv, 13. Scito prænoscens quod peregrinum futurum sit semen tuum B in terra non sua, et servituti eos subjicient et affligent quadringentis annis, secundum expositores concorditer, incipit computari diu ante tempus nativitatis Joseph, videlicet a tempore quo Deus locutus est verba illa ad Abraham, vel a tempore quo natus est Isaac. Templum quoque Salomonis, secundum doctores, duravit et stetit circiter annis quadringentis viginti tribus, prout ex textu tertii et quarti Regum probatur. Deinde a tempore destructionis templi Salomonis usque ad C Christi passionem fluxerunt circiter anni quingenti. Ex quibus concluditur, quod a tempore venditionis Joseph usque ad Christi venditionem, non fluxerunt duo millia annorum, secundum dicta expositorum. Aliud falsum quod in præfata responsione videtur includi, est quod Joseph venditus fuit pro illis triginta denariis pro quibus et Christus est venditus : quia ut in Genesi *Ibid.* xxxvii, 28. legitur, Joseph venditus fuit pro viginti argenteis. Et quamvis aliqui textus habeant, Pro triginta argenteis, tamen se- D cundum Hieronymum, Hebraica veritas continet, Pro viginti argenteis.

Præterea in dialogo illo legitur Virgo præstantissima dixisse Anselmo, quod Filius suus passione instante oravit hos versus : *Ps.* lxviii, 17-19. Exaudi me, Domine, quoniam benigna est misericordia tua ; secundum multitudinem miserationum tuarum respice in me. Et ne avertas faciem tuam a puero tuo ; quoniam tribulor, velociter exaudi me. Intende animæ meæ et libera eam ; propter inimicos meos eripe me. Sed de hac re nullus quatuor Evangelistarum aliquid tetigisse videtur.

Deinde legitur ibi Mater virginea atque sanctissima dixisse Anselmo : Mane facto, eduxerunt Filium meum de domo Annæ ad Caipham pontificem. Quod dictis sanctorum evangelistarum Matthæi, Marci et Lucæ non videtur consonare, ut patet ex *Cf.* p. 475 A. præinductis : imo, secundum eos, mane facto, eductus est Jesus de domo Caiphæ ad Pilatum ; atque in domo Caiphæ fuit Christus in ipsa nocte consputus, velatus, colaphizatus, non in domo Annæ, prout in dialogo illo narratur excellentissima Virgo, regina cœli, domina mundi, Genitrix veri et summi Dei, dixisse Anselmo.

Consequenter in illo dialogo quærit Anselmus : Habuistine aliquam spem, o carissima Domina, quod liberari posset Filius tuus ? Ad quod fertur ibi respondisse Maria dulcissima : Ego sciebam quod Filius meus tam ingeniosus erat et facundus, quod sperabam quod se liberaturus esset, vel quod se excusaret, si ad judicem venisset. Fuit etiam ita amabilis, quod sperabam quod ejus misereri deberent. Insuper in illo dialogo recitatur benedicta Maria respondisse Anselmo : Multum sperabam quod dum turba conveniret, cui frequenter dulciter prædicavit, et quorum infirmos curavit, quod eum de Judæorum manibus liberarent. Hæc autem videntur nullatenus posse stare, quoniam beatissima Virgo scivit certissime Filium suum passurum et occidendum, imo ad hoc venisse in mundum ut sua passione redimeret genus humanum. Non ergo speravit quod eriperetur de manibus Judæorum, atque evaderet.

Amplius in dialogo illo fertur gloriosa Mater et Virgo dixisse : Herodes posuit coronam super caput Filii mei. Et subditur ibi : Hac corona imperatores coronabantur. Sed non videtur hoc verum, quoniam coronam qua imperatores coronabantur non habuit ibi secum Herodes, ut apparet. — Deinde legitur sacratissima Virgo dixisse

in illo dialogo, Panniculum capitis mei circumligavi lumbis ejus; et quod cruce super terram posita, affixerunt Jesum eidem. Quædam autem devotæ personæ dixerunt sibi revelatum, quod unus adstantium linteum lumbis Christi apposuit, et quod cruce erecta, affixerunt Jesum stando super scalas aut tabulas. — Rursus ait ibidem altissima atque purissima Virgo : Tunc, videlicet post depositionem Filii mei a cruce et ante sepulturam, glorificatus est Filius meus, ita quod nulla plaga aut livor in corpore ejus apparuit, ac si nunquam aliquid passus fuisset. — Iterum dicitur ibi, quod benignissima Virgo præ tristitia et mœrore voluit cum suo Filio sepeliri, et quod Filio suo sepulto, voluit ad eum intrare; et item quod dixit, Hic exspectabo Filium meum donec moriar. Quæ non videntur sapientissimæ Virgini convenire.

Dilutio quæstionum. Pro responsione ad istam materiam id tangere possum, quod Anselmus a sua pueritia fuit beatissimæ Virgini valde devotus et amator ejus præfervidus, vir magnæ sapientiæ ac virtutis : ideo si ipse asseruit sibi ista revelata a Virgine benedicta, quæ in præallegato habentur dialogo, assertio sua fide digna censenda est. Sed propter prætacta motiva affirmare non audeo quod ipse hoc ipsum asseruerit, aut præfatum dialogum seu libellum conscripserit, nec inveni aliquem doctorem authenticum hoc dicentem. Verumtamen, quia dialogus ille solenniter intermiscetur prædicationi dominicæ passionis, et audientes ex verbis illius libelli non mediocriter compunguntur, non audeo affirmare quod confictus aut falsitati admixtus sit ille libellus. Unde hujus rei determinationem atque judicium sapientioribus majoribusque committo, præsertim Ecclesiæ. Hinc quoque prædicantibus passionem arbitror consulendum, ut verba illius dialogi sic prædicationi passionis admisceant, quod tamen absolute non asserant in proprio corde, quod collocutio illa sit veraciter habita inter electissimam Virginem et Anselmum; sed potius cum quadam pia æstimatione, conjectura aut probabilitate sentiant forte sic contigisse illud colloquium : prout cancellarius Parisiensis Joannes de Gerson in tractatu quodam de Gradibus certitudinis, veritatem docet esse loquendum in tali materia.

Præterea, quia non audeo affirmare dialogum illum esse confictum sive mendosum, breviter tangam qualiter respondendum sit ad objecta, et qualiter verba hujusmodi possint pie intelligi et salvari, semper tamen sub correctione majorum loquendo. Ad primum ergo objectum poterit responderi, quod Judas post Cœnam vendidit Christum quantum ad exsecutionem, id est, venditum tradidit; vel quod dicitur eum vendidisse, non refertur ad verbum illud præcedens, Post Cœnam, sed quasi recapitulatorie dicitur et suppletur, quoniam antea factum fuit.

Ad secundum posset quis dicere, quod facile et frequenter error contingit in numerorum descriptione : imo in Scripturis canonicis, ex vitio, negligentia aut imperitia scriptorum, interdum hoc accidit, prout Magister in historiis circa librum Regum, et alii protestantur. Sicque potuit in descriptione præfati libelli ac dialogi evenire, præsertim quia et stilus illius hinc inde apud diversos et in diversis codicibus variatur. Quod vero objicitur de numero argenteorum, quoniam Joseph venditus fuit pro viginti, solvi potest, dicendo quod major pars pro toto frequenter accipitur : sicque Jesus diceretur venditus pro triginta pro quibus et Joseph, quoniam inter illos triginta argenteos fuerunt et continebantur viginti illi argentei pro quibus Joseph fuit venundatus, et superadditi erant alii decem.

Ad tertium quod de versibus illis a Christo dictis objicitur, dicendum quod Evangelistæ non omnia conscripserunt : imo S. Lucas testatur, quod Jesus factus in agonia, oravit prolixius. Unde constat quod multo plura verba dixit orando, quam Evangelistæ commemorant. Et quo- *Luc.* XXII, 43.

niam psalmus in quo tres præfati versus continentur, de Christo ad litteram scriptus est, non est incredibile eum orasse tres illos affectuosissimos ac devotissimos versus.

Ad quartum quod objicitur de eductione Christi a domo Annæ, Mane facto, etc., potest quis dicere, quod mane vocatur ibi hora post mediam noctem. Quod vero objicitur de consputione, velatione, colaphizatione Christi facta in domo Caiphæ, et non Annæ, solvi potest dicendo, quod etiam forte talia facta sunt Christo in domo Annæ, quamvis Evangelistæ non scripserint hoc, quia nec oppositum conscripserunt; vel per anticipationem sanctissima Virgo hoc retulit. Nam et Augustinus sentire videtur, quod Petrus in
Cf. p. 469 C'. domo Annæ ter Christum negavit, ut dictum est.

Ad alia objecta, quæ et fortiora videntur, in quibus habetur quod beatissima Virgo speravit quod Filius suus se excusaret et a judice liberaretur, atque a turba de Judæorum manibus eriperetur, dicendum quod utique Deifera et illuminatissima Virgo certissime noverat semper, vel actu vel habitu, Filium suum crudelissime occidendum, et sua morte redempturum genus humanum. Nam et in præfato dialogo inducitur loqui Anselmo : Licet scirem quod Filius meus humanum genus deberet redimere, tamen propter maternum affectum, doloris gladius de quo Simeon
Luc. II, 35. dixerat, animam meam transfixit. Attamen accidere potuit, quod mitissima ac benignissima Virgo tunc fuit tam vehementissime absorpta compassionis affectu, ense doloris et acerbitate quasi infiniti mœroris, quod actualiter non consideravit ea quæ habitualiter optime scivit : sicque secundum humanæ æstimationis conjecturam et probabilitatem verisimilem, potuit suo modo sperare quod Filius suus se excusaret et a judice dimitteretur, atque a turba eriperetur : non quod absolute et ex deliberata ratione hoc sensit aut peroptavit, sed modo jam tacto. Et hoc videtur

A probari ex verbis S. Paulini episcopi, qui in epistola ad B. Augustinum sic loquitur: In Evangelio Simeon dixit, Tuam ipsius Luc. II, 35.
animam pertransibit gladius. Non ait, Carnem, sed, Animam, in qua pietatis affectus continetur, et doloris aculeus quasi gladius operatur, quum aut aliqua carnis suæ injuria (id est molestia) afficitur, ut in Joseph, aut dum affectionis internæ tristitia vel dolore cruciatur, ut in Maria : quam utique materna mens duxit ad crucem Domini, in quo, scilicet Domino, vel
B in qua cruce, tunc tantum sui corporis Filium cogitabat; ut quum eum vidisset mortuum, humana infirmitate lugeret, sepeliendumque colligeret, nihil sibi de ipsius resurrectione præsumens, quia subsecuturæ admirationis (id est mirabilis resurrectionis) fidem pœna passionis in oculis posita excæcabat. Ecce ex his S. Paulini verbis demonstratur propositum. Denique S. Joannes Chrysostomus in libro de Laudibus Pauli apostoli scribit : Celeberrimus mos est constitutis in summo dolore pro
C aliis, ut aliquam sibi quærant consolationem pro illis. Sicque excellentissima Virgo de unigeniti Filii sui afflictionibus maximis maxime dolens, poterat secundum inferiorem rationem naturalemque pietatem et sensitivum appetitum aliquam sibi consolationem et spem intra se formare de Filii sui ereptione et evasione, quem tam eloquentissimum sapientissimumque cognovit, et paulo ante tam libenter auditum a turbis, quibus et tot ac tanta beneficia condonavit; quamvis talia ex delibe-
D rata ratione non cogitavit. Sic quippe et ipsemet Christus, quamvis certissime noverat se passurum, oravit : Pater, si fieri Matth.
potest, transfer a me calicem istum. XXVI, 39; Marc. XIV, 35, 36.

Ad id quod objicitur de corona, dicendum quod potest intelligi de corona eadem, aut in specie simili. — Ad ea quæ objiciuntur de panni circumligatione et Christi crucifixione super terram, dicendum quod multi Sancti idem dixerunt; et quæ contra hoc objiciuntur, non sunt majoris auctoritatis quam ista. — Ad ultima

objecta respondetur, quod vehemens et A ardentissimus amor, secundum quod ait S. Hieronymus, modum nescit, rationem non pensat, nec communi lege constringitur : ideo ardentissima virgo Maria præ ineffabilis caritatis ardore et doloris immensitate potuit talia verba proferre et hujuscemodi gestus ostendere, non solum irreprehensibiliter, sed et meritorie valde. Et quod dixit, Hic exspectabo donec moriar, intelligendum fuit : Parata sum hic ex compassione spiritum tradere, nisi interim resurrexerit Filius meus hoc loco sepultus.

Itaque juxta hanc moderationem, videntur verba præfati dialogi inter beatissimam Virginem et Anselmum de Christi passione, posse salvari.

ARTICULUS XV

INTERROGATIONES NONNULLÆ ANSELMI, ET B. MARIÆ RESPONSIONES, EX PRÆDICTO DIALOGO PRÆSUMPTÆ.

EX quo populus multum accenditur, et B ad compassionem et fletum movetur ex verbis præfati dialogi, aliqua introducam quæ possunt in audientibus majorem devotionem accendere.

Itaque quærit ibi inter cetera S. Anselmus : Carissima Domina, qualiter aut a quo fuit tibi annuntiatum, Filium tuum esse captum?

Respondet Maria sanctissima : Audi, Anselme, quod valde lamentabile est. Ego nocte illa eram in domo sororis meæ, matris Joannis evangelistæ; et Filio meo ca- C pto, venerunt discipuli quidam currentes, et lacrimabiliter clamantes dixerunt : Carissima Domina, Filius tuus dilectus, magister noster, captus est, et nescimus quo ducitur; jam ligatus est, et nescimus an sit occisus, vel quid factum sit ei. Tunc ex materno affectu gladius doloris de quo
Luc. II, 35. Simeon prædixit, animam meam transfixit.

Insuper interrogavit Anselmus : Ubi fuisti, o Domina, quando Petrus Filium tuum negavit, et Filius tuus a Judæis conspuebatur? etc. D

Respondit gloriosa et benedicta virgo Maria : Statim quum discipuli mihi retulerunt qualiter Filius meus captus esset, contremuerunt omnia ossa mea, surgensque cucurri cum Maria Magdalene juxta templum, et audiens tumultum in domo pontificis, volebam intrare, sed non fui permissa; ideo steti foris plorans et dicens : Heu me! dilectissime Fili mi, lumen oculorum meorum, quis dabit capiti meo aquam et oculis meis fontem lacrimarum, ut plangam afflictionem unici Filii mei? Maria autem Magdalene circuibat undique, et introspiciens per fenestras, audivit negationem Petri, statimque commota sunt omnia viscera ejus propter afflictionem unigeniti Filii mei, eo quod princeps discipulorum eum negasset, et dixit : O Jesu, ego nunquam negabo te. Ego autem stabam plena mœrore et dolore, audiens illusiones, contumelias atque blasphemias quas Filio meo carissimo inferebant. Egrediens autem Petrus de domo pontificis, invenit nos foris stantes, et dixit mihi : O dilectissima Domina, tam crudeliter tractatur et cruciatur Filius tuus, quod nullus exprimere potest. Et currens, præ timore abscondit se sub lapide qui Gallicantus vocatur, et non comparuit donec Christus mortuus fuit in cruce.

Anselmus : Dic mihi, o Domina, quid factum est post hæc?

Maria : Quum educeretur de domo pon-

tificis, tunc primo vidi eum postquam captus fuit, et occurrens quasi leæna raptis fetibus, vidi pulchrum et desiderabilem vultum ejus sputis Judæorum maculatum, et lacrimans dixi : Heu, dilectissime Fili, quam miserabiliter modo te video, quæ toties in amantissimo tuo adspectu gaudebam! Et volens eum amplecti, non fui permissa accedere, sed hinc inde fui retrusa et contumeliose amota. Populus autem accurrebat, sicut quando fures et latrones ducuntur ad judicem.

Deinde beatissima Virgo dixit Anselmo: Herodes interrogavit a Filio meo, an fuisset ille puer quem pater suus volebat occidere, et propter quem fecit occidi infantulos; item, an esset ille qui cæcum natum illuminavit, et qui Lazarum suscitavit a mortuis, ac filium viduæ juxta portam civitatis Naim, multaque alia; et rogavit Filium meum ut aliquod signum faceret, promittens quod eum eriperet de manibus Judæorum; posuitque coronam super caput Filii mei, promittens ei si signum faceret, quod faceret esse heredem ac participem regni sui. Quumque Filius meus nil responderet, sprevit et illusit eum Herodes. Pilatus quoque sciens quanta crudelitate et immanitate conspirassent Judæi in mortem Filii mei, providit per quosdam, ne Judæi interficerent Filium meum in via. Post hæc Pilatus Filium meum ligatum ad statuam fecit flagellari, ita quod a planta pedis usque ad verticem non mansit in eo sanitas. Statua vero illa fuit tam spissa, quod circa duas spannas aut palmas una manus non potuit tangere aliam : ideo acceperunt corrigias, et ligaverunt manus ejus.

Matth. II, 16. *Joann.* IX, 1 et seq.; XI, 1 et seq.; *Luc.* VII, 12 et seq.

Is. I, 6.

Anselmus : Sperasti ibi aliquid, carissima Domina?

Maria : Multum speravi, quoniam naturalis et delicata ingenuitas atque formosa dispositio corporis ac membrorum Filii mei, mihi solummodo nota, spem præstitit mihi. Existimabam enim quod nudato corpore, formosis membrorum lineamentis parcerent. Sed in momento tota superficies corporis ejus ita perfusa est sanguine, ac si purpura esset circumdatus, sicque in stuporem et deformitatem transformatus, apparuit omnibus quasi leprosus. Post hæc ad nimiam Judæorum instantiam protulit Pilatus mortis sententiam : Jesum Nazarenum adjudico ignominiosæ morti crucis.

Anselmus : Quid fecisti tunc, o dulcissima Domina?

Maria : Tunc gladius Simeonis pertransivit cor meum et animam meam. Crux autem tam magna fuit, quod habuit quindecim pedes in longitudine; et Filius meus tota nocte ita fuit debilitatus, quod eam portare non potuit. Sequebantur etiam pueri Filium meum, quum educeretur ad mortem, projicientes in eum lutum et lapides. Tunc desideravi videre et sequi Filium meum, sed præ multitudine turbæ sequentis non potui. Tandem cum Maria Magdalene deliberavi, ut per viam objacentis plateæ iremus obviam ei. Et quum venissemus juxta fontem, obvium habuimus dilectum Filium meum deformatum et pressum omni dolore, qui benigne inclinans se ad me, dixit : Ah, ah, Mater. Grates tibi ago, o Mater, quia et nunc inter tanta opprobria me contemptum ab omnibus, sequi non dedignaris neque vereris.

Luc. II, 35.

Anselmus : Quid fecerunt post hæc, o Domina, Filio tuo?

Maria : Quum venissent ad Calvariæ locum, nudaverunt totaliter Filium meum : quod videns, exanimis facta fui; tunc panniculum capitis mei circumligavi lumbis ejus. Post hæc deposuerunt crucem super terram, et eum desuper extenderunt; et primo unum clavum incutiebant manui ejus tam spissum quod sanguis non potuit inde manare, ita vulnus clavo replebatur. Deinde accipientes funem, traxerunt brachia Filii mei, et similem clavum incutiebant alteri manui ejus, ita quod omnia ossa et membra ejus apparuerunt. Post hæc erexerunt eum in cruce cum magno labore. Quumque erectus fuis-

set, tunc propter corporis ponderositatem A omnia vulnera ejus lacerata sunt et aperta, et tunc primo de manibus ejus ac pedibus sanguis manavit. Ego autem induta fui veste quadam, qua mulieres regionis illius uti solent, qua tegitur caput et totum corpus, et est quasi linteum : quæ vestis adspersa fuit sanguine tota. Tunc dicere potuit Filius meus mihi matri suæ : Audi, filia, et vide, audi voces blasphemantium filium tuum, et vide dolorem meum ; scis enim tu quod de Spiritu Sancto me concepisti, et quod virgo me ge- B nuisti, et qualiter aluisti. Unde ex quo isti non credunt in me, tu tamen crede quod Filius Dei sum, et mihi compatere.

Anselmus : Non habuit dolor tuus finem, o Domina, Filio tuo jam mortuo?

Maria : Non, Anselme, nam post hæc
Joann. XIX, 34. unus militum lancea aperuit latus Filii mei. Quumque viderem quod talem crudelitatem exercerent in mortuo, quasi exanimis facta fui, et tunc vere gladius Simeonis totaliter pertransivit cor meum. Jamque lacrimæ defecerant in me, tantum C flevi præterita nocte et tota die ; et dixi : Eia nunc, dulcissime Fili, ubi est jam consolatio quam semper habui in te? Quis mihi det ut ego pro te moriar, Fili mi Jesu ?

Anselmus : Quid factum fuit post hæc ?

Maria : Post hæc Joseph ab Arimathea rogavit Pilatum, inter cetera dicens : Domine, nisi cito tradideris nobis corpus Jesu, perdemus istam pulcherrimam dominam, matrem juvenis qui occisus est, quæ tam magnum ostendit dolorem quod omnes compatimur ei. Cujus petitioni ac- D quievit Pilatus. Quumque Joseph deponeret corpus Filii mei, steti respiciens ut illud deoscularer. Et quum depositus esset Filius meus de cruce, accepi caput ejus in sinu meo et amarissime flevi, dicens : Heu ! dilectissime Fili, qualem consolationem habere nunc potero, quæ te coram me jam mortuum video? Heu! quid fecisti, dulcissime Fili? Cur te crucifixerunt Judæi? Et quid faciam tristissima mater? Tunc accurrens Joannes evangelista, cecidit super pectus ejus, et dixit : Heu, heu ! de pectore isto potavi heri dulcia *Joann.* XIII, 25.
pocula, sed nunc tristia et lamentabilia. Tunc Petrus advenit, et quod ipsum negavit, amarissime flevit. Tunc Maria Magdalene præ omnibus flere cœpit super Dominum suum, dicens : Quis mihi modo peccata mea dimittet? Quis me de cetero *Luc.* VII, 48.
excusabit apud Simonem et sororem me- *Ibid.* 44-47; x, 41, 42.
am? Venit etiam Jacobus, qui frater Filii mei appellatus est quia simillimus ei fuit, et dixit cum lacrimis multis : Heu ! Domine et magister, hæc amantissima facies tua heri faciei meæ simillima fuit, sed nunc multum dissimilis est. Tunc quoque ceteri discipuli accurrebant, lamentantes super Dominum suum. Quumque sepelire vellent Filium meum, tenui eum fortissime, cum mœrore dicens : O carissimi, relinquite mihi Filium meum mortuum, quem tenere non potui vivum ; vel si necesse est ut eum sepeliatis, sepelite me simul cum eo. Tunc omnes tam amarissime ploraverunt, quod vix aliquis poterat loqui. Videbant enim matrem omni solatio destitutam, et super eam potius dabant planctum quam super Dominum defunctum. Tandem invita eum sepeliri permisi, et super sepulcrum me projeci. Et quum me inde avellere vellent, clamavi : Nolite me separare a dilectissimo Filio meo. Quumque reducerent me ad Jerusalem, tam miserabiliter incessi, quod omnes plorabant. Populus vero in Jerusalem videns me indutam veste sanguine adspersa, sicut steti sub cruce, unanimiter clamavit cum gemitu : Heu, quanta injuria facta est hodie in Jerusalem in ista pulcherrima domina et in filio ejus! Et compatiebantur mihi.

Hæc breviter sumpta sunt ex præfato dialogo.

ARTICULUS XVI

EX REVELATIONIBUS S. BRIGITTÆ : QUÆDAM DE CHRISTI PASSIONE, ET QUOMODO ULTRO SE AD PATIENDUM OBTULERIT ; QUOMODO EJUS EXEMPLO SENSUS NOSTRI A VOLUPTATE REFRENANDI SINT ; DE COMPASSIONE QUOQUE MATRIS DEI, ET QUOMODO RURSUS ILLI SIT COMPATIENDUM.

GLORIOSA vidua Brigitta in libro Re- A velationum suarum multa scribit de Christi passione, digna narratione. Itaque primo libro, capitulo decimo, beatissima virgo Maria loquitur Brigittæ sanctæ : Instante tempore passionis Filii mei, rapuerunt eum inimici ejus, percutientes eum in maxillis suis et collo. Ductus autem ad columnam, personaliter exuit suas vestes; personaliter quoque manus suas applicuit ad columnam, quas inimici sui sine misericordia ligaverunt. Alligatus autem columnæ, nihil omnino operimenti habebat, B sed sicut natus est, sic stetit, sustinens suæ erubescentiam nuditatis. Porro ad primum ictum suæ flagellationis, ego quæ adstabam propinquius, cecidi quasi mortua ; et resumpto spiritu, vidi corpus ejus verberatum et flagellatum usque ad costas, ita quod ejus costæ videbantur. Et quod amarius est, dum retrahebantur flagella, carnes sulcabantur flagellis. Quumque Filius meus totus sic flagellatus, sanguinolentus laceratusque staret, ut in eo non inveniretur sanitas, nec quod ultra C flagellaretur, tunc unus spiritu concitatus quæsivit : Numquid interficietis eum sic injudicatum? Et statim secuit vincula ejus. Tunc Filius meus induit se vestibus suis. Locum quoque in quo steterunt pedes Filii mei, vidi totum sanguine repletum, et ex vestigiis Filii mei cognoscebam incessum ejus : quocumque enim processit, apparebat terra sanguine suo respersa. Nec adversarii patiebantur ut Filius meus plene indueret se, sed impulerunt et traxerunt eum ut acceleraret. Quumque Filius D meus duceretur ab eis ad Pilati prætorium, ipse Filius meus extersit sanguinem ab oculis suis. Eunte deinceps Filio meo ad locum passionis, alii percusserunt eum in collum, alii in faciem, et tam fortiter ut quamvis percutientes non viderim, sonum tamen percutientium audivi.

Quumque venissem ita cum eo ad locum passionis, omnia instrumenta vidi ibi parata ad mortem Filii mei. Tunc Filius meus personaliter exuit se. Ministri vero inter se dixerunt : Vestimenta hæc nostra sunt, nec ea rehabebit, quia ad mortem damnatus est. Stante autem Filio meo nudo quemadmodum natus fuit, unus accurrens (aliter legitur in Dialogo illo sanctæ *Cf. p. 518 D'.* Virginis et Anselmi) portavit ipsi velamen, quo Filius meus exsultans velavit verecundiora sua. Postea rapuerunt eum sævi illi tortores, et extenderunt in cruce : primo dexteram ejus affigentes stipiti, qui pro clavis perforatus erat, et manum ipsam perforabant in ea parte in qua os solidius erat ; inde trahentes cum fune aliam manum, eam ad stipitem simili modo fixerunt ; deinde dexterum pedem crucifixerunt, et super hunc, sinistrum, duobus clavis : ita quod omnes nervi et venæ ejus extendebantur ac rumpebantur. Porro corona spinea tam vehementer pupugit venerandum caput Filii mei, ut ex sanguine defluente replerentur oculi ejus et aures obstruerentur, totaque barba ejus respergeretur. Quumque sic sanguinolentus et perforatus penderet, condolens mihi adstanti atque gementi, respexit sanguinolentis oculis ad Joannem, et commendavit *Joann. XIX, 26, 27.*

me ei. In tempore illo audivi quosdam dicentes, quod Filius meus esset latro, alios quod esset mendax, alios quod nullus esset dignior morte quam ipse : ex quorum auditu dolor meus renovabatur.

Quum vero (ut dictum est) primus clavus suæ manui infigebatur, ego ad primum ictum conturbata cecidi quasi mortua, oculis propriis obscuratis, manibusque trementibus pedibusque nutantibus, et præ amaritudine doloris mei non adspexi antequam totus erat affixus cruci. Surgens vero, vidi Filium meum miserabiliter pendentem, et ego mater ejus mœstissima undique consternata, præ dolore stare vix potui. Filius autem meus videns me et amicos suos inconsolabiliter flentes, alta et flebili voce clamavit : Pater, quare me dereliquisti? Tunc oculi ejus apparuerunt semimortui, maxillæ ejus submissæ, vultusque lugubris, os ejus apertum, et lingua sanguinolenta, venter ejus dorso inhærens, consumpto humore, quasi viscera non haberet; totum corpus ejus pallidum et languidum ex sanguinis emanatione. Manus et pedes ejus rigidissime erant extenti, et solum cor ejus recens permansit, quoniam optimæ atque fortissimæ erat naturæ : quia de corpore meo mundissimum et optime complexionatum corpus assumpsit. Cutis ejus tam tenera erat et gracilis, quod nunquam tam leviter percutiebatur flagellis quin statim sanguis exiret. Ipse quoque sanguis ejus tam recens fuit, ut in carne ejus nuda videri potuerit. Et quia optimæ erat naturæ, vita cum morte in corpore ejus perforato certabat. Nam quandoque dolor de membris et nervis corporis perforatis ascendebat ad cor, quod recentissimum erat et incorruptum, et incredibili dolore ac passione vexabat ipsum; interdum etiam dolor a corde ad membra lacerata descendebat, sicque mortem cum amaritudine prolongabat. Quumque Filius meus his doloribus circumseptus, respexisset ad me et ad amicos suos adstantes ac flentes, qui maluissent pœnam maximam sustinere quam videre eum sic cruciari, tunc dolor ille quem habuit ex amicorum suorum dolore, omnem pœnam corporis sui excessit, quia tenerrime eos dilexit. Tunc præ nimia cordis angustia ex parte humanitatis clamavit ad Patrem : O Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Quam vocem quum ego mater ejus mœstissima audissem, contremuerunt omnia membra mea præ amarissimo cordis mei dolore. Et quoties postea cogitavi hanc vocem, quasi in auribus meis præsens et recens erat.

Ps. xxi, 2 : *Matth.* xxvii, 46.

Ps. xxx, 6; *Luc.* xxiii, 46.

Porro morte appropinquante, quum cor ejus præ doloris vehementia rumperetur, omnia membra contremuerunt, et caput ejus quasi modicum se erigens inclinabatur. Os ejus videbatur apertum, et lingua ejus tota sanguinolenta. Manus quoque ejus modicum retraxerunt se de loco perforationis, et pedes ejus amplius sustentabant pondus corporis ejus. Digiti ejus et brachia quodammodo extendebant se, et dorsum fortiter stringebatur ad stipitem crucis. Tunc quidam dixerunt ad me : Maria, Filius tuus mortuus est. Alii autem dixerunt : Mortuus est, sed resurget. Tunc unus adveniens fixit lanceam in latus Filii mei tam valide, quod quasi per aliud latus transivit. Quumque lancea extraheretur, apparuit cuspis rubea sanguine. Tunc mihi videbatur quod cor meum perforaretur, quum videbam cor Filii mei carissimi taliter perforari. Deinde depositus est de cruce : quem ego recepi super genu meum, quasi leprosum totumque lividum. Et oculi ejus erant sanguine pleni, os frigidum quasi nix, barba quasi restis, faciesque contracta. Manus quoque ejus ita deriguerunt, quod non poterant deponi nisi circa umbilicum. Postea involverunt eum linteo mundo, et ego cum linteo meo extersi vulnera ejus ac membra, et clausi oculos ejus ac os, quæ fuerunt in morte aperta. Post hæc posuerunt eum in sepulcro. O quam libenter tunc posita fuissem cum eo in monumento, si ei sic placuisset! His completis, ille bonus Joannes duxit me in domum suam.

— Hæc omnia in prætallegato capitulo A continentur.

Deinde in undecimo ejusdem libri capitulo Christus loquitur Brigittæ : Ego sponte me tradidi adversariis meis, et manserunt amici et Mater mea in amarissimo dolore et fletu. Quumque attenderem lanceam, clavos, et flagella, et alia passionis genera mihi parata, processi nihilo minus lætus ad passionem. Ideo nimis ingrata es, si pro tanta caritate non diligis me. Insuper, si caput meum punctum est et inclinatum in cruce, caput tuum debet inclinari ad humilitatem. Et quia oculi mei erant sanguinolenti et lacrimis pleni, oculi tui debent refrenari a voluptatibus visus et irrigari pœnitentiæ fletibus. Et quia aures meæ implebantur sanguine, et audierunt verba detractionis de me, ideo aures tuæ avertantur a scurrilibus et ineptis locutionibus. Quia etiam os meum potatum est amarissima potatione, ideo os tuum obstruatur a malis et a potatione superflua, et aperiatur ad bona. Et quia manus meæ extentæ sunt et perforatæ cum cla- C vis, propterea opera tua quæ figurantur in manibus, extendantur ad pauperes et ad divina præcepta; pedes tui, id est affectus tui, quibus ad me ire debes, crucifigantur a voluptatibus. Et sicut ego passus sum in omnibus membris meis, sint omnia membra tua parata ad obsequium meum et ad patiendum pro me.

Præterea, ejusdem libri vicesimo septimo capitulo beatissima Mater Christi loquitur ad Brigittam sanctam : In chorea sunt tria, videlicet : inanis lætitia, vox D perfusa, et supervacuus labor. Quum autem aliquis tristis intrat domum choreæ, tunc amicus ejus exsistens in illa chorea, videns amicum suum tam tristem, dimissa chorea, accedit suum amicum et condolet ei. Domus choreæ est mundus, in quo sunt tria, utpote : vana lætitia, scurrilia verba, et labor inutilis. Qui ergo delectatur in mundo, consideret laborem et dolorem quos habui in passione Filii mei, sicque segreget se ab omni delectatione mundana, et mihi compatiatur. In morte namque Filii mei eram sicut mulier habens cor lanceis quinque transfixum. Prima lancea fuit verecunda nuditas Filii mei. Secunda erat falsa accusatio ejus : quia dicebant esse proditorem, insidiatorem atque mendacem, quem ego scivi nemini forefecisse. Tertia lancea mihi erat spinea corona ejus. Quarta erat lamentabilis vox ejus in cruce, qua clamavit ad Patrem : O Pater, quare me dereliquisti? *Ps.* XXI, 2; *Matth.* XXVII, 46.
Quinta lancea mihi erat mors ejus amaris- B sima. Tunc aruerunt manus meæ, et obtenebrati sunt oculi mei, et facies mea expalluit ut mortui; aures meæ nihil audierunt; os meum nil potuit loqui, pedesque mei nutaverunt, et corrui mox in terram. Surgens autem de terra, quum viderem Filium meum leproso despectiorem, posui totam voluntatem meam ad ipsum, sciens quod secundum voluntatem ejus omnia facta essent, nec fieri potuissent nisi ipso annuente et permittente, et regratiabar ei pro omnibus. Atque consolatio quædam fuit admixta mœstitiæ meæ, quoniam vidi eum qui nunquam peccavit, voluisse ex tanta caritate talia pro peccatoribus pati. Omnis ergo fidelis consideret qualis ego eram in morte Filii mei, et habeat semper præ oculis atque condoleat.

Amplius, eodem libro, capitulo tricesimo quinto, gloriosissima virgo Maria dixit Brigittæ sanctæ : Considera, o filia, passionem Filii mei, cujus cor et membra erant quasi cor meum et membra mea. Nam sicut alii filii solent esse in maternis visceribus, sic ipse fuit in me, et ipse erat mihi quasi cor meum. Propterea, quum nasceretur ex me, sensi quod quasi medium cordis mei exiret de me ; et dum patiebatur, sensi quod quasi cor meum patiebatur. Quemadmodum enim illud quod est dimidium intus et dimidium extra, si pungatur quod extra est, æque sentit quod intus est ; sic, quum flagellabatur et pungebatur Filius meus, quasi cor meum flagellabatur et pungebatur. Ego etiam fui propinquior

A ei in passione, et steti juxta crucem ipsius : et sicut hoc gravius dolet quod est vicinius cordi, sic dolor Filii mei gravior mihi fuit præ ceteris. Quumque respexisset ad me de cruce, et ego ad eum, tunc de oculis meis quasi de venis lacrimæ effluxerunt; et dum ipse vidit me dolore confectam, vehementissime compatiebatur mihi. Idcirco audacter dico quod dolor ejus erat dolor meus, quia cor ejus fuit cor meum. Sicut enim Adam et Eva vendiderunt mundum pro uno pomo, sic Filius meus et ego redemimus mundum quasi cum uno corde. Ideo cogita qualis ego eram in morte Filii mei, et non erit tibi grave relinquere mundum.

ARTICULUS XVII

QUOMODO A MALIS CHRISTIANIS NUNC GRAVIUS QUAM OLIM A JUDÆIS AFFLIGATUR CHRISTUS : ET DE SENTENTIA INGRATIS AC IMPIIS METUENDA.

B PRÆTEREA, tricesimo septimo capitulo primi libri loquitur beatissima Virgo ad Brigittam : Conqueror tibi quod Filius meus nunc amarius crucifigitur a perversis et impiis Christianis, quam eum tunc crucifixerunt Judæi. Nam quamvis Filius meus in se ipso sit impassibilis, modo tamen propriis vitiis crucifigunt eum. Quemadmodum enim si aliquis contumeliam faceret imagini alicujus, quamvis imago non sentiret, tamen propter malam voluntatem lædendi, læsor ille quasi pro opere argueretur; sic vitia talium Christianorum, C quibus spiritualiter crucifigunt Filium meum, abominabiliora et graviora sunt ei, quam illorum qui crucifixerunt eum in corpore. Hi etenim Christiani iniqui ponunt Filium meum in cruce, quando de præceptis Domini Dei sui nil curant; et dehonestant eum, quando irrident servos ipsius per quos hortatur eos ad viam salutis. Deinde crucifigunt dexteram ejus, quando tenent injustitiam pro justitia, dicentes peccatum non esse tam grave ut dicitur. Deinde crucifigunt sinistram, D quando virtutem vertunt in vitium. Crucifigunt quoque pedes Filii mei, quando delectantur in vitiis. Coronant eum corona derisionis, quando derident servitores ipsius. Dant ei fel bibere, quando delectantur in pessimis actibus suis. Perforant latus ejus, quando habent voluntatem perseverandi in malis. Vere dico tibi, quod tales sunt injustiores coram Filio meo crucifixoribus ejus, et impudentiores venditore ipsius, et major pœna illis debetur. Pilatus namque bene scivit Filium meum nil dignum morte egisse : tamen quia timuit amissionem temporalis potestatis, seditionemque Judæorum, judicavit quasi invitus Filium meum ad mortem. Quid autem haberent isti timere, si Filio meo servirent? Aut quid de honore suo aut dignitate amitterent, si Salvatorem suum ac Dominum honorarent?

Hinc rursus primo libro, capitulo tricesimo, Dominus Jesus Christus in spiritu ait ad Brigittam sanctam : Impii Christiani affigunt me patibulo per voluntatem peccandi; flagellant me per iram et impatientiam suam, quia nullus eorum vult unum verbum durum propter me aut pro me sustinere; coronant quoque me spinis per suas ambitiones atque superbias; pungunt manus et pedes meos ferro indurationis suæ, quia gloriantur de vitiis suis et mentem suam indurant ne timeant me.

Postremo, secundo libro, vicesimo primo capitulo, sacratissima Virgo S. Brigittæ ait : Duo illi qui Filium meum deposue-

runt de cruce, scalas tres applicabant. Una protendebatur usque ad pedes, secunda subtus ascellas et usque ad brachia, tertia ad medietatem corporis. Primus ascendit et tenuit eum per medium ; secundus ascendens per aliam scalam, excussit primo unum clavum de una manu, deinde applicata scala, excussit clavum alterius manus : qui clavi longe ultra stipitem crucis protendebantur. Descendente itaque illo qui sustentabat onus corporis, paulatim et modice prout poterat, ille alius ascendit scalam quæ tendebatur ad pedes, et excussit clavos de pedibus. Quumque appropinquaret ad terram, unus eorum tenuit corpus per caput, et alter per pedes ; ego autem quæ mater eram, tenui eum per medium. Et ita nos tres portavimus eum ad quamdam petram, quæ linteo mundo a me fuit operta, in quo obvolvimus corpus; sed non consui linteum, quoniam certa eram quod non putresceret in sepulcro.

A Tunc Maria Magdalene et aliæ sanctæ feminæ accesserunt. Aderant quoque innumerabiles angeli sancti quasi atomi, suo Creatori obsequium exhibentes. Qualem autem et quantam tristitiam tunc habui, non est qui dicere possit. Eram enim sicut mulier pariens, cujus omnia membra post partum sunt tremula : quæ licet præ dolore vix valeat respirare, gaudet tamen interius, quoniam peperit filium non rediturum in angustiam uteri de quo exivit. Sic ego, quamvis de morte Filii mei fuerim B incomparabiliter tristis, attamen quia cognovi Filium meum non amplius moriturum, sed in æternum feliciter esse victurum, gaudebam in corde meo : sicque cum tristitia mea versabatur quædam lætitia.

Hæc ex Revelationibus S. Brigittæ viduæ, principissæ Nericiæ, de semine regum Suetiæ, sumpta sunt : quæ a prædicantibus dominicam passionem possunt opportunis inseri locis.

ARTICULUS XVIII

QUOD PASSIO DOMINI MULTIS SIT MODIS CONSIDERANDA AC MEDITANDA.

TOTA conversatio Domini nostri Jesu Christi in sæculo isto, est vivens efficaxque doctrina virtutum, institutio morum, et totius perfectionis exemplar ; et quidquid docuit verbis, aut jussit sive consuluit, primum opere adimplevit aut animi præparatione. Sed pretiosissima passio ejus est præclarissimum documentum universarum virtutum.

Primo igitur considerare debemus Christi passionem, ad instruendum nos ipsos ac proximos. Christus namque in sua dignissima passione excellentissimam caritatem monstravit, quia ex caritate dedit se ipsum pro nobis in tam acerbissimam et ignominiosissimam passionem et mortem. Propter quod passione instante locutus est :

C Majorem caritatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis. *Joann.* xv, 13. Imo unigenitus Filius Dei habuit caritatem hanc quodammodo majorem ac ferventiorem, quia non solum pro amicis, sed etiam pro inimicis tradidit se in mortem. Inimicis etiam suis ante passionem asseruit : Quum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum. *Ibid.* VIII, 28. Unde ad Romanos Apostolus loquitur : Commendat caritatem suam in nobis Deus, quoniam quum adhuc inimici essemus, *Rom.* V, 8, 10. reconciliati sumus Deo per mortem Filii D ejus. Itaque ex consideratione dominicæ passionis primo docemur quam ardentissime et perfecte Filius Dei dilexit nos. Quid enim est diligere, nisi alicui bonum

velle? Quum itaque Filius Dei in tantum A voluerit ac desideraverit nostram redemptionem a suppliciis æternæ damnationis, beatitudinemque nostram æternalem cum angelis sanctis, quod se ipsum exposuit tam durissimæ passioni ac ignominiosissimæ morti : patet quod perfecte ac ardentissime nos dilexit; imo in tantum quod maluisset pro unoquoque sigillatim occidi, quam aliquem, quantum in se est, permisisset perire. Ex his ultra docemur Christum saltem redamare, et suæ caritati nos prævenienti grati consistere, proximos B quoque, imo et inimicos, propter ipsum diligere.

Secundo, diligens consideratio dominicæ passionis instruit nos ad fidem. Quomodo enim unquam potuisset pene totus mundus induci ad credendum quod is qui tam acerbissimo atque turpissimo genere mortis in patibulo exspiravit, sit Unigenitus Dei et verus Deus, utpote Deus et homo in unitate personæ, nisi per solam omnipotentiam Dei, in cujus manu sunt omnium hominum corda, qui vertit atque C inclinat ea ad omne quod sibi placuerit, per miracula quoque soli Omnipotenti possibilia? Hæc etenim mundi conversio ad tam admirabilem fidem, ita miranda ac supernaturalis consistit, ut Isaias de Christo dicat : Generationem ejus quis enarrabit? (*Is.* LIII, 8.) Quod quamvis quidam exponant de generatione Christi æterna ex Deo Patre, alii vero de generatione ejus humana ex Virgine Matre; quidam tamen non inconvenienter exponunt auctoritatem illam ad litteram de generatione Christi spirituali, D qua incipit esse in cordibus hominum per fidem et gratiam. Nempe, quum Propheta dixisset, Generationem ejus quis enarrabit? quasi dicat, Perfecte enarrari non valet nec comprehendi; protinus causam hujus inenarrabilitatis exprimens, subdit : Quia præcisus * est de terra viventium, id est, per passionem occubuit, et de medio hominum sublatus est morte violenta. Unde Septuaginta interpretes evidentius transtulerunt : Quia tolletur de terra vita ejus. (*Ibidem.* * abscissus)

Tertio, consideratio passionis Filii Dei instruit nos in spe. Quomodo enim desperare quis poterit, si perpendat Unigenitum Patris pro peccatorum salute tot et tanta sustinuisse, hominumque salutem tam ardentissime concupisse?

Quarto, consideratio passionis Domini nostri instruit nos ad plenam et summam humilitatem. Qualiter etenim poterit superbire Christianus, si sapienter pensaverit quam humillime Dominus universorum in sua se habuerit passione, qualiter fixo in terram vultu steterit coram Pilato atque Herode, imo et inter duos latrones educi, crucifigi ac reputari dignatus sit; et quod fieri non despexit opprobrium hominum atque abjectio plebis, et derideri, subsannari ac blasphemari ab omnibus? (*Ps.* XXI, 7.)

Quinto, consideratio passionis dominicæ instruit nos plenissime ad omnem patientiam et mansuetudinem, quoniam ipse Rex regum in tot et tantis contumeliis et tormentis, in tot injuriis et afflictionibus, nusquam vel ad minimum iræ aut impatientiæ motum est provocatus : imo ut mansuetissimus agnus ad mortem processit, et pro crucifixoribus exoravit. (*Jer.* XI, 19. *Is.* LIII, 12; *Luc.* XXIII, 34.)

Sexto, consideratio hæc docet nos fortitudinem et constantiam cordis, quoniam ad tam acerbissima mortis supplicia securo ac prompto accessit corde, nec a mentis suæ constantia usquam in ipsa dejectus est passione.

Postremo, ut multa paucis verbis comprehendam, intenta dominicæ passionis consideratio instruit nos ad castigandum vitiosa et vilia corpora nostra, tot vitiis et tantis peccatis fœdata, tantis immunditiis fœtoribusque repleta, et indesinenti alterationi subjecta : ad castigandum (inquam) ea per abstinentias, jejunia et flagella, per sacras vigilias asperumque vestitum et lectisternia dura. Instruit etiam nos ad aggrediendum viriliter pœnitentiæ opera, ad vitandum et aspernandum universa gulæ atque luxuriæ fœda oblectamenta, ad contemnendum transitorios ac mundanos honores, ad detestandum omnem avaritiæ

labem, eo quod Dominus et Salvator tam A horribiles pro nobis sustinuerit pœnas et aspernationes, tamque pauperrime in sua se habuerit passione (quia non habuit ubi caput proprium reclinaret, et nudus patibulo est affixus) : sicque cuncta terrena docuit esse spernenda, et bona cœlestia, spiritualia, divina, æterna, totis esse præcordiis appetenda ac requirenda.

Matth. VIII, 20.

In aliis quoque multis ex consideratione passionis Christi instruimur, utpote : quanta sit enormitas vitiorum, quantus rigor divinæ justitiæ, quanta pietas Christi, qui ex compassione nostræ miseriæ ita pro nobis tradidit semetipsum ; et in aliis multis, prout infra dicetur.

ARTICULUS XIX

QUOMODO PASSIO CHRISTI AD IMITANDUM SIT CONSIDERANDA.

CERTUM omnino est, quod passio Domini nostri Jesu Christi nil proderit nobis, nisi eam studuerimus imitari, quia ut ait apostolus Paulus : Qui sunt Christi, id est, qui a Christo electi sunt et veri ejus exsistunt discipuli, carnem suam crucifigunt cum vitiis et concupiscentiis, id est, corpora sua castigant assidue, et vitia calcant, concupiscentiasque refrenant. Et quoniam pauci, imo paucissimi agunt hoc, constat quod paucissimi ad Christum pertineant. Hinc et Joannes apostolus in prima sua scribit epistola : Qui se dicit in C Christo manere, debet sicut ille ambulavit, et ipse ambulare. Princeps quoque Apostolorum : Christus (inquit) passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. Imo et ipsemet Dominus Jesus ait : Qui mihi ministrat, me sequatur. Sequimur autem Christum, non solum bona agendo, sed etiam adversa æquanimiter tolerando.

Galat. V, 24. — I *Joann.* II, 6. — I *Petr.* II, 21. — *Joann.* XII, 26.

Ex consideratione itaque dominicæ passionis imitemur in primis pro posse caritatem Salvatoris, qui ex ferventissima caritate ad homines, tradidit se pro eis in pretium redemptionis. Ita et nos parati simus mori pro Christo, pro suæ fidei veritate, pro defensione justitiæ. Ipse etenim in Evangelio loquitur : Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego B eum coram Patre meo ; et rursus, Nolite timere eos qui corpus occidunt. Hinc hortatur nos Paulus : Estote imitatores Dei, sicut filii carissimi ; et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis. Insuper in hoc debemus Christi caritatem sectari, ut amore ipsius simus parati etiam pro proximorum salute mortem sufferre, quando videlicet casus id exigit et tempus opportunum requirit : ut si quis velit proximos nostros a fide avertere, vel ad mortale peccatum inducere, et viderimus proximos nostros periclitari in anima nisi subveniremus eis, debemus eis succurrere, et impio suggestori resistere, quamvis hoc faciendo oportuerit nos occidi. Unde in prima sua Canonica scribit Joannes : In hoc cognovimus caritatem Dei, quoniam ille pro nobis animam suam posuit ; et nos debemus pro fratribus animas ponere. Contra hæc agunt, qui a proximorum suorum correptione et informatione eorum D salubri cessant, ne illorum amittant favorem, vel damna sustineant, aut aliud temporale tolerent detrimentum. Præterea in hoc Christi caritatem imitari debemus, quod sicut ipse non solum pro amicis, sed item pro inimicis sustinuit acerbissimam mortem, ita et nos diligamus veraciter

Matth. X, 32. — *Matth.* X, 28. — *Ephes.* V, 1, 2. — I *Joann.* III, 16.

inimicos, et pro ipsorum conversione ac A salute pati simus parati.

Amplius, ex consideratione passionis Filii Dei confortemur in fide et spe. Mansuetudinem quoque et patientiam ejus viriliter imitemur, ita quod quantum in nobis est, parati simus ab omnibus despici, conculcari et injuriose tractari; nec pro aliqua injuriatione, persecutione aut adversitate, ad iram vel impatientiam moveamur : imo in omnibus his gratias Deo agamus, et gloriemur in Domino, qui gratiose nobis concessit suam patientiam ac B mansuetudinem sequi, suæque passioni aliqualiter conformari, et pensemus quod ipse disseruit : Non est servus major domino suo. (*Joann.* XIII, 16.) Et quoniam ipse innocens Agnus Dei, Judex mundi et Sanctus Sanctorum, tot et tantas falsissimas criminationes, accusationes et testificationes propter nos tam silenter ac patientissime pertulit, debemus et nos patienter sufferre detractiones et accusationes mendosas : quamvis pro scandalo proximorum vitando possimus nos rationabiliter excusare. C Quod si nondum tantum profecimus ut valeamus falsas accusationes et injustas correptiones imperturbato corde perferre, saltem non dedignemur caritativas, veras et justas accusationes, increpationes et correctiones libenter et cum gratiarum actione suscipere. Si enim insanus et fatuus reputaretur qui vulnera corporis sui gravia atque letalia non permitteret circumligari medicinaliterque curari, nonne incomparabiliter insipientior est qui vulnera animæ suæ, videlicet vitia sua et peccata, D non vult sibi monstrari, nec ea per increpationem et castigationem permittit curari?

Insuper, ex consideratione passionis Domini nostri Jesu Christi accendamur ac roboremur ad pœnitentiæ opera, ad ea quæ corpori sunt molesta, ad quotidianam corporum nostrorum crucifixionem, redigendo ea in obsequium animæ ad serviendum Deo in omni actu virtutum, in jejuniis, vigiliis, disciplinis, ita ut impleamus quod ait Salvator : Qui vult venire post (*Luc.* IX, 23.) me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me.

Iterum, dominicam passionem considerando, conemur fortitudinem atque constantiam Christi sectari, ut omnem carnalem, mundanum et inordinatum timorem abjicientes, fortiter aggrediamur dura et ardua, imo et mortis pericula, propter Deum. In omni quoque eventu maneamus constantes, quia ut ait Scriptura : Justus (*Prov.* X, 25.) quasi fundamentum æternum; et item, Non contristabit justum quidquid ei acci- (*Ibid.* XII, 21.) derit; itemque, Justus quasi leo confidens, (*Ibid.* XXVIII, 1.) absque terrore erit; et, Qui timet Deum, (*Eccli.* XXXIV, 16.) nil aliud trepidabit; atque ut ait Apostolus, Optimum est gratia stabiliri cor. Hinc (*Hebr.* XIII, 9.) rursus idem Vas electionis, divinus Apostolus, nos hortatur : Stabiles estote et immo- (*I Cor.* XV, 58.) biles, abundantes in opere Domini semper, scientes quod labor vester non est inanis in Domino. Hanc fortitudinem cordis atque constantiam animi sortitus fuit sanctus David, qui ait : Dominus illuminatio (*Ps.* XXVI, 1, 3.) mea et salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo? Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum.

Postremo, totius dominicæ passionis acerbitatem ignominiamque pensantes, contemnamus ex corde universas carnales delicias, temporales divitias, vanos et mundanos honores. Non enim decet servos et creaturas carnaliter delectari et temporaliter velle ditari, aut in hoc sæculo exaltari seu velle præesse, laudari ac dominari, pro quibus eorum Dominus ac Creator tot et tantas afflictiones, irrisiones et conculcationes perpessus est.

ARTICULUS XX

QUOMODO PASSIO CHRISTI AD COMPATIENDUM SIT MEDITANDA.

Ad hoc quod Domini nostri passionem cum interna ac perceptibili compassione consideremus, primo requiritur, ut absque cordis distractione passionem ipsius cum diligentia et animo recollecto consideremus. Ideo, dum ipsam Filii Dei passionem attendere volumus, vanas cogitationes et omnes cordis distractiones abjiciamus, mentemque nostram recolligamus ac figere studeamus in Christo. Secundo exigitur, ut ipsam Christi passionem intueamur, ac si præsentialiter, corporalibus oculis, videremus eum pati omnia quæ eum credimus pertulisse. Tertio requiritur, ut innocentiam, caritatem, pietatem et mansuetudinem Domini Jesu vigilanter pensemus : sic enim magis excitabimur ad compatiendum eidem. Quarto exigitur, ut consideremus eum pro nostris diluendis peccatis et pro nostra beatificatione æterna esse perpessum : quia ex hoc potissime mens provocatur ad compassionem sensibilem et internam. Si quis, quamvis durus ac impius, cernat alium pro se pati, condolet ei valde : quanto magis in meditatione dominicæ passionis condolere debemus, quum sciamus Dei Filium ideo universa sustinuisse opprobria et tormenta, ut nos evadamus æterna supplicia, et gaudia obtineamus cœlestia sine fine mansura ? Quinto exigitur, ut uniamus nos Christo per ardentem amorem, sicque tam cordialiter condolebimus ei sicut compatitur homo suo familiari dilectissimoque amico, et sicut uxor prædilecto marito, atque ut mater vidua unico filio suo quem coram oculis suis conspicit injuriose tractari, turpiterque ac crudeliter trucidari. Amor quoque facit aliena tormen- A ta tanquam propria reputari, percipi ac sentiri.

Sexto requiritur, ut homo recogitet et bene perpendat quam grave et intolerabile esset sibi, quamvis grosso ac vili peccatori, talia pati qualia Dei Filius toleravit ; taliter flagellari, coronari et manibus ac pedibus perforari, tamque violentissime distendi in cruce, qualiter flagellatus, coronatus, perforatus extentusque exstitit Unigenitus Patris innocentissimus, qui tenerrimæ et æqualissimæ fuit complexio- B nis. Septimo exigitur, ut homo per sensibilia quædam signa seu instrumenta sibi repræsentet et ad memoriam revocet dominicam passionem ; ita ut interdum in suo secreto ponat super manus suas aut pedem clavum grossum et ferreum, et aliqualiter imprimat eum, spineam quoque coronam imponat capiti suo cum aliquantula impressione, et corpus suum vile ac fœdum competenter flagellet. Quumque hujuscemodi parvulas pœnas vix perpeti quiverit, attendat cum gemitu quales do- C lores pertulerit Christus in sua tam immanissima ac crudelissima flagellatione, coronatione et perforatione. Octavo requiritur, ut homo faciat sibi consuetudinem bonam ac optimam cogitandi de Christi passione ac morte modis prætactis : sicque miro et inæstimabili modo crescet quotidie in omni gratia et virtute, in omni profectu et perfectione ex hujuscemodi dominicæ passionis consideratione.

Itaque, juxta modos præfatos attendamus quotidie, imo omni die frequenter, passio- D nem Filii Dei, cum ingenti, præcordiali atque sensibili compassione, fletu ac gemitu, ex vera caritate ac pietate.

ARTICULUS XXI

QUOMODO PASSIO CHRISTI AD ADMIRANDUM, GRATIAS AGENDUM ET GLORIFICANDUM SIT MEDITANDA.

MERITO admirari debemus, quod Pater æternus voluit ac permisit carissimum ac superdignissimum unigenitum Filium tot et tanta pati supplicia pro nobis ingratis ac vilibus creaturis, et item quod adorandus et gloriosus Dei Filius, verus Deus, dignatus est propter nos fragiles homines taliter tractari, pati, contemni, blasphemari, occidi. Insuper de tanta caritate, dignatione et pietate Patris et Filii ac Spiritus Sancti ad nos, et pro universis beneficiis Christi, præsertim pro omni sua afflictione interiori et exteriori pro nobis, debemus toti superbeatissimæ Trinitati devotissimas atque humillimas grates quotidie impendere et offerre, et specialiter Filio Patris propter nos passo.

A

B

Præterea de Christi passione gloriari debemus, non in quantum fuit passio et crudelissima afflictio Christi, sed quia tam fructuosissima fuit, et quia per eam sumus Deo reconciliati, ab æterna damnatione redempti, gratiam et gloriam consecuti, et a passione Christi omnia sacramenta Ecclesiæ suas efficacias sortiuntur. Per Christi quoque passionem dæmones sunt devicti, et saluberrima documenta virtutum collata sunt nobis. Porro ipsemet Christus per obedientiam suam usque ad mortem, et per suam victoriosissimam passionem meruit sibi ipsi sui corporis glorificationem, judiciariam potestatem, et super omnem creaturam exaltationem, quemadmodum ait Apostolus : Exinanivit semetipsum, factus obediens usque ad mortem ; propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum. *Philipp.* II, 7-10.

C

Ex consideratione ergo talium tantorumque fructuum passionis Filii Dei, debemus de ea in Domino spiritualiter gloriari, quemadmodum ait Apostolus : Mihi absit gloriari, nisi in passione* Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. Unde etiam cantat Ecclesia : Nos autem gloriari oportet in cruce Domini nostri Jesu Christi, in quo est salus, vita et resurrectio nostra, per quem salvati et liberati sumus. *Galat.* VI, 14. * cruce

ARTICULUS XXII

QUOMODO SALVATORIS PASSIO AD CONTEMPLANDUM, INFLAMMANDUM ET QUIESCENDUM SIT MEDITANDA.

IN passione Filii Dei contemplari debemus in primis caritatem Dei Patris ad genus humanum, quia ut ait Joannes evangelista : Sic Deus dilexit mundum, ut unigenitum Filium suum daret; ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Unde et Paulus apostolus: Propter nimiam (inquit) caritatem suam qua dilexit nos Pater, Filium suum misit in mundum. Secundo, in passione Christi contemplari debemus ineffabilem pietatem et misericordiam Dei ad nos, quia tam *Joann.* III, 16. *Ephes.* II, 4; *Galat.* IV, 4.

D

benignissime decrevit nobis succurrere, A nosque redimere per Christi passionem et mortem. Ideo ad Ephesios ait Apostolus : *Ephes.* II, 8, 9. Gratia salvati estis ; Dei enim est donum, non ex operibus, ne quis glorietur. Atque *Tit.* III, 4, 5. ad Titum scribit : Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei : non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit. Tertio, in passione Salvatoris contemplari debemus metuendum ac summum divinæ rigorem justitiæ, quæ in tantum detestatur impietatem enormita- B temque culpæ, quod Deus Pater maluit sanctum et innocentissimum Filium suum mortem tam acerbissimam sustinere, quam peccatum inultum relinquere. Pro- *Rom.* VIII, 32. pter quod ait Apostolus : Pater proprio Filio non pepercit, sed pro omnibus nobis tradidit illum.

Quarto, in Christi passione possumus contemplari altitudinem consilii infinitæ sapientiæ Dei super modo salvationis generis humani : quia hunc modum salvandi genus humanum invenit, ut per tempora- C lem et particularem mortem Jesu Christi, qui est Deus et homo, redimeretur genus humanum a morte æterna ac universali : sicque satisfieret divinæ justitiæ, ut non derogaretur divinæ misericordiæ, nec econtra. Quinto, in passione Christi contemplari debemus quanta sit peccati enormitas, ad quod delendum ac dimittendum non suffecit aliqua pura creatura, sed Unigenitum Dei ita oportuit incarnari, pati et mori. Sexto, in passione Filii Dei contemplandum est quanti Creator ac Dominus universitatis æstimarit rationalem creaturam, videlicet hominem, et ad quam sublimem finem condiderit eum ; quam etiam horrenda et gravis sit æterna damnatio, quam item magna, desideranda ac præstantissima sit sempiterna beatitudo ad quam creatus exstitit homo : eo quod ad redimendum hominem a damnatione infernali, atque ad recuperandum ei cœlestem et æternalem felicitatem, Unigenitus Dei, Deo Patri vere æqualis, in hunc mundum venire, pati et crucifigi dignatus sit.

Insuper, considerare debemus passionem Filii Dei ad inflammandum corda nostra divino ejus amore. Si enim unusquisque reus mutilationi aut occisioni temporali adjudicatus, valde amaret eum qui se ipsum exponeret mutilationi aut occisioni pro redemptione ipsius : quanto magis summa et ardentissima caritate debemus Filium Dei diligere, qui pro nostra liberatione a morte æterna, se ipsum tradidit tam amarissimæ morti, et insuper nobis recuperavit amissam felicitatem perpetuam ?

Præterea, considerare debemus Christi passionem ad quiescendum in ipso, qui est auctor nostræ salutis et felicitatis nostræ objectum, in quo tota nostra salus consistit : ideo suæ deitatis et humanitatis suæque sanctæ passionis incessanter memores esse debemus, et in ipsum transformari ac repausare in eo, et universa excludere quæ nos ab ipsius memoria, meditatione, contemplatione aut amore impediunt vel avertunt.

ARTICULUS XXIII

DE HIS QUÆ DOMINICAM PASSIONEM MEDITANTI SINT CONSIDERANDA.

UT ex meditatione passionis nostri Sal- D vatoris amplius proficiamus, et inflammemur ad præfatas instructiones ex ea, et ad imitandum eamdem, atque ad admirandum et regratiandum ac gloriandum de ea, et ad contemplandum in ea

quæ præcedenti tanguntur articulo, itemque ad crescendum in divino amore, et ad quiescendum ac repausandum in Salvatore, debemus passionem Christi non solum secundum se ipsam et in se ipsa considerare; sed debemus cum diligentia grandi attendere, quis, qualis, et quantus sit ipse qui tot et tanta sustinuit pro nobis; itemque a quibus, qualibus et quantis sit passus; et rursus, qualiter, et pro qua causa, et propter quid : quæ omnia, si diligenter pensentur, magnam pariunt compunctionem et devotionis profectum, compassionis quoque augmentum et copiam lacrimarum.

In primis ergo pensemus, quis pro nobis sit passus. Et protinus constat quia non angelus, non homo purus aut pura aliqua creatura, sed is qui in unitate personæ est verus Deus et verus homo. Si aliquis civis de regno se ipsum exponeret morti pro reo redimendo a mortis supplicio, magnum ac mirum reputaretur. Porro si ipsemet rex pro paupere subdito suo reo ac redimendo daret se ipsum, multo majus ac mirabilius esset. Incomparabiliter igitur majus est, quod ipsemet universorum Deus ac Dominus, pro paupere ac fragili sua creatura liberanda ac felicitanda, sic tradidit se ad tam ignominiosissimam ac acerbissimam mortem. Idcirco ex hujus rei consideratione inflammari summe debemus ad imitandum, ad admirandum, ad regratiandum, ad gloriandum in Domino, atque ad redamandum, ad contemplandum, ad repausandum, ad quiescendum in eo, qui ait : Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. (*Matth.* XI, 28.) Secundo in meditatione dominicæ passionis debemus vigilanter attendere, qualis sit qui pro nobis crucifigi dignatus est. Et constat quod jugiter fuerit et sit totus innocentissimus mitissimusque in anima, tenerrimus quoque in corpore : ideo tanto plus condolendum est suæ dignissimæ passioni et amarissimæ morti; quemadmodum si videamus aliquem qui totus mansuetus, pius et innocens est, ab aliquo injuste crudeliterque affligi, multo plus condolemus quam si aliquem rigorosum et durum pati videremus. Tertio attendamus, quantus sit qui pro nobis occisus est. Et constat quod ipse sit magnus Dominus et laudabilis nimis, cujus magnitudinis non est finis, Rex regum et Dominus universorum, pontifex summus, judex ac legifer noster : (*Ps.* XLVII, 2; CXLIV, 3. *Apoc.* XIX, 16. *Hebr.* IV, 14. *Is.* XXXIII, 22.) ideo incomparabiliter reputare et magnificare debemus, quod tantus pro tantillis tam multa et magna sustinere voluerit, et super hoc maxime admirari, regratiari ac sancta caritate accendi nos convenit, atque pro posse ipsius vestigia libenter nos sequi oportet.

Quarto pensemus, a quibus passus sit Filius Dei. Et certum est quod a populo olim peculiari, de cujus semine incarnari elegit, pro cujus redemptione specialiter venit, et ad quem præcipue fuit missus; (*Matth.* XV, 24.) cui etiam populo tot et tanta beneficia contulit, pro quibus omnibus tam acerbissimam mortem recepit ab illis : et ex hoc passio Christi gravior exstitit ei. Quinto consideremus, a qualibus passus sit, quia a crudelissimis, vilissimis, sceleratissimis invidiosissimisque Judæis atque gentilibus est perpessus : ideo amplius compatiendum est ei, ut considerato in hujusmodi passione. Sexto intueamur, a quantis passionem sustinuit. Et palam est quod a multis millibus hominum gentilium ac Judæorum. Perpendendum est quoque, ubi et quando, quia in regia civitate et in solennitate præcipua, ubi et quando gravius et ignominiosius erat pati et crucifigi.

Septimo attendamus, qualiter passus sit, quia valde diu et crudelissime, ac generalissime, hoc est in toto corpore totaque anima, utpote : in singulis corporis membris et in universis animæ viribus, etiam in intellectu et voluntate per comparationem ad objecta eorum creata, quamvis intellectus et voluntas animæ Christi fuerint etiam tunc in gaudio beatificæ visionis ac fruitionis quoad increatum objectum. Octavo pensemus, cur seu pro qua causa sit

passus. Et constat quod utique non pro A propria culpa, sed pro originali primorum parentum ac posterorum peccato, atque pro ceteris posteritatis eorum peccatis : ideo ei summe condolere debemus, quoniam non pro se, sed pro nobis universa illa voluit tolerare. Nono intueamur, propter quid passus sit. Et scimus quod ideo, ut tam ab æterna damnatione nos liberet, quam ad sempiternam beatitudinem nos reducat, et in vita præsenti eripiat nos a servitute peccati, a jugo et dominatione diaboli, a vilitate et turpitudine omnium B vitiorum, et insuper efficiat nos servos, amicos ac filios Dei, ditetque nos et perornet omni gratia Spiritus Sancti, cunctis virtutibus ac donis cœlestibus et meritis copiosis.

Si itaque pro omnibus his non regratiamur ei ex totis præcordiis, et si non conamur ejus passioni intime condolere et opere conformari, ejusque vestigia imitari, et si ex omnibus his non accendimur ejus amore, et si non studuerimus ei in omnibus complacere ac obedire, nonne duriores sumus ferro et saxis, et brutis ingratiores, et cunctis deteriores hominibus? Sed absit a nobis tanta perversitas, et omnia nunc prætacta jugiter intueamur ac implere conemur.

ARTICULUS XXIV

DE QUIBUSDAM DEO DEVOTIS, CHRISTO PASSO CONDOLENTIBUS.

CERTUM est omnes electos et Sanctos, C præsertim tempore novi Testamenti, ex consideratione amarissimæ passionis sui Salvatoris frequenter fuisse compunctos, et piæ compassionis affectu permotos, ac dolorose condoluisse ei qui innocentissime pro eis fuit crudelissime crucifixus. Nam et de primitivæ Ecclesiæ compassione, et planctu in Jerusalem facto statim post missionem Spiritus Sancti et conversionem multorum millium Judæorum, Zacharias prophetavit, dicendo in persona Christi : Effundam super domum D David et super habitatores Jerusalem spiritum gratiæ et precum; et adspicient ad me, quem confixerunt; et plangent eum planctu quasi super unigenitum, et dolebunt super eum sicut doleri solet in morte primogeniti. In die illa magnus erit planctus in Jerusalem, sicut planctus Adadremmon in campo Mageddo; et planget terra, familiæ et familiæ seorsum. Verumtamen de quorumdam singulari compassione aliquid tangam. *Zach.* XII, 10-12.

Nec dubium quin beatissima Virgo, post Filii sui resurrectionem visitando sancta loca in quibus fuerat passus, mortuus et sepultus, mira et ineffabili compassione dolorosa ac lacrimosa sæpissime fuerit accensa; et post eam, illa affectuosa ac devotissima Maria Magdalene, sancti quoque Apostoli. Porro apostolus Paulus de suarum compassionum magnitudine et dolore aliquid in suis tangit epistolis : Ego (inquiens) stigmata Domini mei Jesu Christi in corpore meo porto. *Galat.* VI, 17. Et rursus : Christo confixus sum cruci; vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus; quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei, qui dilexit me et tradidit semetipsum pro me. *Ibid.* II, 19, 20. Ecce quod sanctus Apostolus sic cogitavit et consideravit passionem Unigeniti Dei, quasi pro se solo fuerit crucifixus, et merito. Imo et unusquisque nostrum sic debet eam attendere. Nam quamvis pro omnibus simul et semel passus sit Dominus Jesus Christus, eo tamen caritatis affectu pro omnibus passus est,

quod pro unoquoque homine maluisset A specialiter crucifigi, quam illum permisisset perire, quantum in se erat. Hinc ait Chrysostomus : Hic est affectus servi fidelis, ut quod pro omnibus passus est Dominus, quasi pro se solo illum cogitet esse perpessum. Ideo denuo scribit Apostolus :
II *Cor.* iv, 8, 10, 11. In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur, semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in carne nostra
Ibid. v, 15. mortali; et iterum, Pro omnibus (inquit) mortuus est Christus, ut et qui vivunt, B jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est et resurrexit.

Præterea, juxta hunc modum multi Sanctorum studuerunt Christi passionem jugiter meditari, et cordibus suis indelebiliter stabiliterque imprimere, ad imitandum, ad compatiendum, ad regratiandum, ad diligendum, ad contemplandum, et ad quiescendum in ea. Inter quos fuit sanctus ac devotissimus pater Bernardus. De quo inter cetera legitur, quod dum quadam vice ante Crucifixi imaginem orationi atque C dominicæ passionis recordationi devotissime esset intentus, apparuit cuidam Fratri non longe clam stanti, quod ipsa imago extentis brachiis ipsum Bernardum amplecteretur. Unde et ipse Bernardus de Christi passione multa composuit, omni compunctione devotioneque plena : qui etiam in epistola ad Fratres de Monte Dei edocuit, quam salubre et fructuosum sit unicuique Christifideli, dominicam passionem quotidie saltem semel diligenter et affectuosissime recolere. Præterea in hoc D exercitio magnus et admirabilis ille Sanctus, seraphicus Franciscus, præclarissimus et instantissimus fuit : qui et speciali munere meruit impressuram quinque vulnerum Christi, imo veraciter quinque vulneribus insigniri ac graviter cruciari ; qui cum tanta compassione consuevit passionem Domini recogitare, quod interdum in ejus meditatione alte clamavit, atque in lugubres voces ac copiosissimas lacrimas sonorose erupit, summumque gaudium ac perfectam gloriationem in vita hac indicavit, amore Christi quascumque gravissimas injurias, adversitates, afflictiones, opprobria sustinere, sicque Domino propter nos passo aliqualiter conformari.

Insuper hujus exercitii præclarissima ac frequentissima exercitatrix fuit sancta et innocens virgo Elisabeth de Spalbeec, quæ quasi ab infantia passionem Salvatoris non solum devotissime recogitavit septies omni die, sed etiam signis et gestibus atque verberibus repræsentavit. Unde et ipsa tandem promeruit quinque vulnera Christi in corpusculo suo virginali suscipere ac perferre. Quæ et quotidie septies ita rapiebatur ad Dominum, secundum septem horas diei quibus Christi passionem in se repræsentavit, quod ab omni exteriori sensu, motu ac vigore fuit abstracta et alienata : ita quod nec minima pars corporis sui quibat moveri sine totius corporis motione. Talis quoque fuit S. Catharina de Senis, et S. Brigitta vidua; item beatissima Elisabeth de Thuringia, quæ ex vehementi compassione in consideratione passionis Christi interdum corruit prona in terram, viribusque deficiens sustinuit ecstasim.

Talia de multis Sanctis utriusque sexus leguntur. Quorum imitemur exempla, et prætactis modis recogitemus quotidie dominicam passionem : ad salubrem informationem contra ignorantiam, ad virilem imitationem contra negligentiam, ad fidelem admirationem contra hebetudinem, ad præcordialem gratiarum actionem contra ingratam oblivionem, inconsiderationem et inadvertentiam ; ad spiritualem gloriationem contra omnem carnalem delectationem, ad caritativam et intimam compassionem contra dissolutionem, ad sapientialem contemplationem contra sæcularem prudentiam, et contra omnem phantasticam imaginationem cogitationemque vanam ; ad caritatis inflammationem contra omnem sensualem et inordinatum affectum et contra privatum amorem, ad finalem quietem et repausationem in Salva-

tore contra vitiosam adhæsionem et cordis A distractionem : quia revera non est compendiosior nec melior via ad omnem spiritualem profectum, ad universarum tentationum dejectionem, quam hujuscemodi recordatio passionis Filii Dei.

ARTICULUS XXV

QUOMODO DOMINUS ET SALVATOR NOSTER GENUS HUMANUM SUA PASSIONE REDEMIT, PATRI RECONCILIAVIT ATQUE SALVAVIT ; ET UNDE DICATUR EJUS PASSIO PIISSIMA PARITER AC CRUDELISSIMA.

SI inter regem terrenum et politiam B ipsius esset inimicitia et discordia grandis, et filius regis ad communitatem illam descenderet, ut eam salubriter informaret et suo patri reconciliaret, ipsa vero communitas ex sua perversitate occideret filium regis, ex hoc rex non placaretur, sed vehementius indignaretur tali ingratissimæ ac pessimæ politiæ. Sic quoniam inter Deum Patrem et genus humanum inimicitia atque discordia fuit, ipseque Unigenitus Dei ad homines venit, ut eos salubriter edoceret et Patri æterno re- C conciliaret, ipsi vero tanquam phrenetici missum ad se Dei Filium crudelissime occiderunt, non videtur ex hoc Pater hominibus reconciliatus, sed implacabilius indignatus. Denique propter Christi occisionem
I *Thess.* II, 16. ira Dei venit super Judæos usque in finem : quomodo ergo per Christi passionem et mortem reconciliati sunt Deo Patri ?

Itaque advertendum, quod passio Christi ex parte ipsius Christi patientis, fuit piissima, virtuosissima, placativaque Dei Patris et totius superbeatissimæ Trinitatis, in quantum ipse Christus passionem illam acceptavit et pertulit ex ardentissima caritate Dei et hominum, atque ex misericordissima pietate qua humani generis periclitationi condoluit ; ex summa quoque patientia et ex obedientia maxima qua fa- *Philipp.* II, 8.
ctus est Patri obediens usque ad mortem, quam obedienter, sponte, amorose, patienter pieque pertulit, in quantum Pater per eam decrevit salvare et sibi reconciliare genus humanum. Unde ait Apostolus : Deus erat in Christo mundum reconcilians II *Cor.* V, 19.
sibi. Porro passio Christi ex parte inferentium, crudelissima fuit et maxime offensiva. Ex quibus patet responsio ad objecta.

ARTICULUS XXVI

QUOMODO DOMINUS JESUS DICATUR PASSUS PRÆCIPUE PROPTER AUFERENDUM ORIGINALIS PECCATI REATUM.

PRIMUS homo non in puris naturalibus, D sed in originali fuit creatus justitia, per quam caro fuit in eo subdita animæ, sensitiva pars rationi ac voluntati, ratio quoque et voluntas Deo ac legi divinæ ; et quamdiu ratio et voluntas manserunt in primo illo parente Deo obedientes atque subjectæ, tamdiu corpus ejus fuit sine re-

bellione obediens animæ, et sensitiva pars rationi. Quumque per transgressionem divini præcepti, ratio et voluntas fuerunt Deo inobedientes, mox fuit privatus originali justitia : sicque caro cœpit esse rebellis animæ, et sensualitas rationi. Porro originalis justitia fuit donum supernaturale, gratiose collatum primo parenti tanquam principio totius suæ posteritatis, ita quod si ipse permansisset in illa justitia, transfusa fuisset in posteros ejus ; et quia perdidit eam peccando, ideo justo Dei judicio tam ipse quam posteri ejus fuerunt ea privati. Et hujus exemplum ponunt S. Thomas et Ægidius de Roma : ut si terrenus rex conferret alicui militi ex gratia bonum feudale aut castrum sub ista conditione, quod si miles maneret regi suo obediens ac fidelis, bonum illud feudale seu castrum maneret tam militi quam posteritati ipsius ; si vero miles esset regi rebellis, amitteret illud tam sibi quam posteris suis. Si itaque miles ille fieret suo regi rebellis, non dubium quin justo judicio tam ipse quam sua posteritas privarentur illo feudo seu castro ; nec in hoc fieret præjudicium aut injuria posteris illis, quia hujusmodi bonum non debebatur eis aut patri eorum ex proprio jure, sed ex gratia regis et sub conditione.

Præterea, quoniam primus homo perdendo originalem justitiam, incurrit originale peccatum (quod tamen in ipso fuit etiam personale et actuale, quia a sua persona commissum) ; idcirco posteritas ejus originale peccatum ab ipso contraxit, et universi ac singuli (secundum communem legem loquendo) nascuntur infecti illo peccato, et concipiuntur in eo. Nam ut ait Anselmus, originale peccatum est defectus seu privatio vel carentia originalis justitiæ debitæ inesse, id est, quæ posteris inesse deberet : ita quod carentia illius justitiæ imputatur posteris Adæ aliquo modo in culpam, in quantum fuerunt in primo parente tanquam in prima radice, et quantum ad massam corpulentam seminalemque rationem, et velut in generativo principio ac speciei humanæ exordio. Verumtamen, quoniam originale peccatum non est in posteris personale aut actuale, id est propria eorum voluntate commissum vel admissum, idcirco pro illo peccato non infligitur eis pœna sensus, sed damni.

Quoniam ergo tota humana natura fuit ita infecta originali peccato, et propter illud privata felicitate æterna, indiguit universali redemptore qui ipsam repararet naturam, eamque a reatu seu obligatione ad pœnam damni redimeret, impedimentum salutis æternæ tollendo, et gloriam æternalem promereretur eidem ; hinc Christus Dei Filius dicitur specialiter passus ad auferendum originale peccatum, a quo tempore evangelicæ legis purgamur in sacramento Baptismatis virtute et merito dominicæ passionis, et in eodem Baptismo gratia et virtutes infunduntur, per quas ad originalis justitiæ conformitatem reducimur. Verumtamen, etiam propter alia totius mundi peccata tollenda passus est Christus, qui contra peccata illa instituit alia sacramenta, quorum virtus et efficacia a Christi passione procedunt et communicantur. Sacramenta namque sunt quasi quædam medicinalia vasa spiritualium medicaminum contentiva, ut ait Hugo. Unde et in sacramento Confessionis, virtute ac merito passionis totiusque conversationis Christi in sæculo isto, fit peccatorum remissio.

ARTICULUS XXVII

QUOMODO PASSIONIS TEMPORE, CHRISTI DOLOR QUUM INTERIOR TUM EXTERIOR, INTER OMNES FUERIT MAXIMUS.

QUEMADMODUM in tertia parte Summæ suæ, quæstione quadragesima sexta, asserit S. Thomas, in Christo tempore pas- art. 6. sionis fuit verus atque sensibilis dolor, qui causatur ex corporali nocivo, dolor quoque interior, qui causatur ex apprehensione alicujus nocivi ac mali, qui tristitia dicitur; et uterque dolor in Christo maximus fuit inter omnes vitæ præsentis dolores. Quod contigit propter quatuor.

Primo, propter causas doloris. Nam exterioris sensibilisque doloris causa fuit læsio corporis : quæ in Christo præcipuam acerbitatem habebat propter generalitatem suæ passionis. Passus est enim aliquid a gentilibus, a Judæis, a mulieribus (puta ancillis Petrum interrogantibus) et a viris, a principibus et ministris, a familiaribus et a notis, puta a Juda eum vendente, a Petro negante, atque a discipulis ab ipso diffugientibus. Idem patet ex parte eorum in quibus homo potest aliquid pati. Passus est namque in suis amicis ipsum deserentibus ; in fama, sustinendo blasphemias; in gloria et honore, patiendo irrisiones ac contumelias; in rebus, quia spoliatus est vestibus suis; in anima, per tristitiam, tædium et dolorem. Insuper passus est in omnibus principalibus corporis membris. Passus est enim in capite coronationem spinarum pungentium, in manibus et pedibus clavorum fixuram, in facie sputa ac alapas, in corpore toto flagella, et super humeros crucis bajulationem, totiusque corporis sui violentissimam extensionem. Passus est etiam in singulis corporis sensibus : in tactu, per flagellationem et clavorum perforationem; in gustu, aceto et A felle potatus; in olfactu, quia in fœtido loco mortuorum cadaverum, patibulo est affixus; in auditu, audiendo falsissimas accusationes, irrisiones, blasphemias et clamores dicentium, Tolle, tolle, crucifige eum, ac mortis sententiam a Pilato; in visu, *Joann.* XIX, 15. quoniam Matrem suam carissimam et discipulum prædilectum aliosque amicos et devotas matronas vidit maxime flentes ac desolatas. Itaque, sicut sublimatus est Jesus Christus in donis gratiarum supra alios universos, ita dejectus est infra omnes per B ignominiam passionis, prout per Isaiam Deus de ipso prædixit : Ecce intelliget servus meus, et exaltabitur et elevabitur, et sublimis erit valde; sicut obstupuerunt super eum multi, sic inglorius erit inter viros adspectus ejus, et forma ejus inter filios hominum. *Is.* LII, 13, 14. Secundo, læsio corporalis habuit acerbitatem in Christo ex genere passionis, quoniam mors confixorum in cruce est acerbissima : quia configuntur in locis nervosis et maxime sensibilibus, puta in manibus et pedibus; C ipsiusque pondus corporis pendentis continue auget dolorem; et cum hoc est etiam in eis diuturnitas pœnæ, quia non subito moriuntur ut qui gladio feriuntur. — Porro interioris doloris causa in Christo fuit primo congeries seu universitas omnium vitiorum generis humani, pro quibus satisfaciebat patiendo : propter quod quasi sibi ea adscribit, dicens in Psalmo, Verba *Ps.* XXI, 2. delictorum meorum. Secunda causa hujus interioris doloris in Christo, fuit casus Judæorum et aliorum in ejus morte delin- D quentium, et præsertim discipulorum qui in ipsius passione scandalum passi fuerunt. Tertia causa fuit amissio vitæ cor-

poralis : quæ amissio naturaliter horribilis est humanæ naturæ.

Secundo potest magnitudo doloris considerari ex perceptibilitate patientis. Nam et Christus secundum corpus erat optime complexionatus, eo quod corpus ejus fuerit miraculose formatum operatione Spiritus Sancti : sicut et alia miraculose facta, fuerunt ceteris potiora, ut Chrysostomus dicit de vino in quod Christus aquam convertit in nuptiis. Idcirco in Christo maxime viguit sensus tactus, ex cujus perceptione sequitur dolor. Anima quoque Christi secundum vires suas superiores, efficacissime apprehendit omnes causas tristitiæ. — Tertio magnitudo doloris Christi potest attendi ex puritate doloris. In aliis namque patientibus mitigatur tristitia interior et etiam dolor exterior ex aliqua consideratione rationis, per quamdam derivationem seu redundantiam a superioribus viribus ad inferiores : quod in Christo patiente non fuit. Unicuique etenim virium animæ suæ permisit agere quod sibi est proprium, ut loquitur Damascenus. — Quarto potest considerari magnitudo doloris Christi patientis, ex hoc quod passio illa et dolor fuerunt assumpta a Christo voluntarie, propter finem liberationis hominum a peccato : ideo tantam doloris quantitatem assumpsit, quod erat proportionata magnitudini fructus qui inde consequebatur.

Joann. II, 1 et seq.

Itaque ex omnibus causis iis simul consideratis patet quod Christi dolor exstitit maximus. Ideo, quamvis aliqui martyres graviores et diuturniores passiones sustinuerunt quam Christus, quantum ad aliquid, utpote Laurentius atque Vincentius, qui quantum ad corporalem læsionem gravius passi sunt, quia Laurentius in craticula est assatus, et carnes Vincentii ungulis ferreis laceratæ fuerunt ; tamen ex aliis causis multo gravior fuit Christi dolor, qui pro omnium peccatis doluit simul : cujus etiam vita corporalis tantæ exstitit dignitatis, præsertim propter deitatem unitam, quod de ejus amissione ad modicum tempus magis erat dolendum, quam de amissione vitæ alterius hominis per quantumcumque tempus. Nam et Philosophus tertio Ethicorum testatur, quod virtuosus tanto plus diligit vitam suam, quanto scit eam esse meliorem ; et tamen exponit eam periculis mortis propter bonum virtutis. Sic et Christus vitam suam maxime dilectam exposuit morti propter bonum caritatis, sicut ait per Jeremiam : Dedi dilectam animam meam in manu inimicorum ejus. — Hæc Thomas.

Jer. XII, 7.

Hinc etiam scribit Bonaventura : Passus est Christus passione generalissima, passione acerbissima, passione ignominiosissima et passione peremptoria. Passione, inquam, generalissima, quia non solum passus est quantum ad omnia principalia corporis membra, verum etiam secundum omnem animæ suæ potentiam. Passus est etiam passione acerbissima, quia non solum dolendo ut patiens per vulnera, sed etiam condolendo ut compatiens propter nostra delicta. Passus est quoque passione ignominiosissima, et propter patibulum crucis, quod erat supplicium pessimorum, et propter consortium iniquorum, puta latronum, inter quos fuit suspensus ac deputatus. Passus est etiam passione peremptoria, per separationem animæ a corpore, salva tamen unione utriusque cum deitate : anathema enim sit, qui dicit Filium aliquando reliquisse naturam quam semel assumpsit.

ARTICULUS XXVIII

UTER IN CHRISTO MAJOR FUERIT PASSIONIS AUT COMPASSIONIS DOLOR.

DICTUM est articulo præcedenti, quod tam dolor exterior quam dolor interior, fuit in Christo major quam unquam in aliquo homine alio. Sed quum tempore passionis in Christo fuerit tam dolor passionis quam dolor compassionis, quis horum fuerit major atque intensior?

Ad quod communiter dicunt doctores, quod dolor compassionis. Quod ex præhabitis potest probari. Dolor namque compassionis oritur ex consideratione tam mali pœnæ quam mali culpæ; atque in Christo præcipue causabatur ex considera- B tione culparum et ingratitudinum totius mundi, et quia intuebatur quod passio sua frustranda esset suo effectu ac fructu in tot millibus hominum : malum autem culpæ magis habet rationem nocivi et mali ac deplorabilis, quam malum pœnæ. Rursus, quanto quis est majoris sapientiæ et caritatis in sæculo isto, tanto plus dolet de vitiis, et tanto amplius peccantibus condolet. Quum igitur Christus etiam secundum naturam assumptam fuerit tam ineffabiliter præ ceteris sapiens et arden- C tissimæ caritatis, universorum ac singulorum peccata et crimina simul considerans, et finalem Judæorum derelictionem clarissime intuens, omnemque Deitatis inhonorationem et offensionem perpendens, constat quod dolor compassionis acerbissimus fuit in eo. Nam et Matri suæ carissimæ ineffabiliter condolebat, ceterisque electis et devotis personis dolorose adstantibus.

Hinc super tertium Sententiarum ait Bonaventura : Quamvis magna fuit causa D dolendi in sensitiva parte Christo propter separationem animæ suæ a corpore, magna quoque in eo fuit dispositio ad dolen- A dum in carne, propter optimam complexionem ; in dolore tamen compassionis amplior erat ratio dolendi, propter inhonorationem Dei et separationem ab eo in eis qui pereunt. Major etiam erat in eo dispositio ad condolendum, propter vehementiam caritatis. Nempe, secundum quod major exstat dilectio, secundum hoc majores sunt plagæ. Sicque compassio Christi multo plus excellebat aliorum compassiones, quam passio sua aliorum passiones. Denique, quod dolor compassionis major fuit in Christo, ex duplici signo colligitur. Primum est, quod maluit mori seu animam suam a suo corpore separari, quam quod nos maneremus a Deo separati. Secundum signum est, quia (ut dicit S. Bernardus) flevit pro nostris peccatis, sed non flevit pro suis pœnis. Et istud bene exprimit Cancellarius Parisiensis, in persona Philippus. Christi ad hominem loquens : Vide quæ pro te patior. Ad te clamo, qui pro te morior : vide pœnas quibus afficior, vide clavos quibus confodior. Quum tantus sit dolor exterior, intus tamen planctus est gravior, tam ingratum dum te experior.

Hoc itaque diligentissime ponderemus. Et non solum consideremus quid Christus pro nobis toleravit in corpore, sed etiam quid patiebatur in anima ; nec solum pensemus dolorem suæ amaræ passionis, sed item dolorem suæ amarioris compassionis: et universis istis afflictionibus atque doloribus Christi intime ac fideliter, affectuosa grataque mente condoleamus. Insuper, Christi exemplo discamus ac studeamus cordialiter compati proximis nostris tentatis, afflictis, lapsis et desolatis, imo et in purgatorio constitutis : quibus omnibus pro posse subveniamus caritative et pie.

Multoque vehementius doleamus et compatiamur de malis culpabilibus proximorum, quam de pœnalibus malis eorum, eo A quod peccata incomparabiliter plus noceant proximis, et deteriora sint magisque offensiva Dei, quam adversitates et pœnæ.

ARTICULUS XXIX

QUOD NON UNO MODO DICATUR CHRISTUS A PATRE, A SE, A JUDA, A JUDÆIS ET A PILATO TRADITUS.

CHRISTUM traditum esse a Patre, innotescit ex verbis Apostoli asserentis :
Rom. VIII, 32. Proprio Filio suo non pepercit, sed pro omnibus nobis tradidit illum. Quod vero Christus se ipsum tradiderit, elucescit ex
Is. LIII, 12. eo quod scriptum est per Isaiam : Tradidit in mortem animam suam. Judas quoque tradidit eum Judæis, ut patuit; et Judæi Pilato, secundum quod dixit ad Jesum :
Joann. XVIII, 35. Gens tua et pontifices tradiderunt te mihi;
Marc. XV, 15; *Luc.* XXIII, 25. quid fecisti ? Pilatus demum Jesum flagellis cæsum tradidit voluntati illorum ut crucifigeretur, sicut præhabitum est.

Itaque, prout in tertia parte Summæ suæ, quæstione quadragesima septima,
art. 3. disseruit Thomas, tribus modis dicitur Deus Pater Christum tradidisse. Primo, quoniam ab æterno præordinavit Christi passionem ad humani generis liberationem, quemad-
Is. LIII, 6. modum in Isaia fertur : Dominus posuit in eo iniquitatem omnium nostrum; et
Ibid. 10. rursus, Dominus voluit eum conterere in infirmitate. Secundo, quoniam inspiravit Christo voluntatem patiendi pro hominibus, infundendo ei tantam caritatem ad
Ibid. 7. homines : propter quod subditur ibi, Oblatus est, quia ipse voluit. Tertio, quia de manu persecutorum et crucifigentium non eripuit eum, sed potius potestati eorum exposuit et reliquit. Propterea pendens in
Ps. XXI, 2; *Matth.* XXVII, 46. cruce, clamavit : Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me ? Denique Christus

B secundum quod Deus, tradidit se in mortem eadem voluntate et actione qua et Pater tradidit eum; sed in quantum homo, tradidit se voluntate inspirata a Patre. Ideo non est contrarietas in hoc, quod Pater tradidit Filium, et quod Filius tradidit semetipsum : imo sicut Pater tradidit Filium ex caritate et pietate sua ad homines, ita et Filius semetipsum tradidit. Porro Judas tradidit Christum ex cupiditate ; Judæi, ex invidia; Pilatus, ex mundano timore quo timuit Cæsarem.

C Præterea, de hac re scribit Petrus super tertium, distinctione vicesima : In passione Christi est quatuor considerare. Primum ex parte naturæ humanæ passibilis, cujus passio fuit corruptiva; secundum ex parte voluntatis Christi passionem acceptantis; tertium respectu finis; quartum respectu inferentis. Et secundum hæc quatuor Pater dicitur Christum tradidisse diversis modis. Nam quoad primum, tradidit Christum mittendo ipsum in carne passibili; quoad secundum, voluntatem D patiendi inspirando voluntati suæ creatæ; quoad tertium, passionem Christi ab æterno ad humani generis salutem ordinando; quoad quartum, dando crucifixoribus potestatem occidendi Christum, non inspirando voluntatem : unde Christus dixit Pilato, Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi datum desuper tibi esset. *Joann.* XIX, 11.

ARTICULUS XXX

AN PRO REDEMPTIONE ET LIBERATIONE GENERIS HUMANI FUERIT NECESSARIUM, VERUM DEUM INCARNARI, PATI AC MORI, ET ITA PRO HOMINIBUS SATISFACERE.

RIDICULUM et absurdum visum est A Judæis et Sarracenis, multis quoque hæreticis, quod nos Christiani asserimus Deum verum incarnatum et crucifixum ad redimendum genus humanum. Credunt tamen Sarraceni Jesum Nazarenum fuisse summum prophetam, sapientissimum virum, et Messiam in lege ac Prophetis promissum, atque Judæos idcirco a Deo usque in finem abjectos, quoniam noluerunt Jesum Nazarenum suscipere pro rege Messia eis promisso: prout omnia ista in Alcorano evidenter habentur. Sed obtenebrati sunt B omnes illi sapientia sua carnali, mundana prudentia, et propriæ rationis stultitia, quibus magis innituntur quam auctoritati Scripturarum sanctarum.

Itaque, secundum doctores catholicos, quamvis Deus infinitæ potentiæ et sapientiæ prorsus immensæ, potuerit genus humanum multis modis liberare, iste tamen modus quo redempti sumus per incarnationem mortemque Filii Dei, qui Filius verus est Deus, convenientissimus fuit; nec de condigno potuit fieri liberatio ista C per hominem purum seu aliquam puram creaturam.

Unde super tertium Sententiarum, distinctione vicesima, Petrus scribit: Secundum quantitatem culpæ oportet fieri quantitatem emendæ. Culpa vero qua corrupta erat tota natura humana, infinita erat tripliciter. Primo, ex parte ejus cui facta erat injuria, utpote Dei, qui infinitæ est dignitatis ac majestatis. Ideo eum offendere et ei injuriari ac esse rebellem, est gravitatis quodammodo infinitæ: pensatur namque D quantitas offensæ ex parte personæ in quam peccatur. Secundo, culpa qua corrupta erat natura humana, fuit infinita ex parte boni quod per peccatum fuit ablatum, quod est Deus seu gloria fruitionis æternæ. Tertio, ex parte naturæ quæ per peccatum erat corrupta, quæ quamdam habet infinitatem in quantum de se multiplicabilis est per infinita supposita. Quum ergo injuria fuerit quodammodo infinita tribus (ut dictum est) modis, nec pura creatura posset infinitam emendam exhibere aut solvere, non potuit pro peccato humani generis satisfacere, ipsumve reparare.

Præterea, secundum Alexandrum et Bonaventuram super tertium, de duobus satisfactio solet fieri et requiri, videlicet de injuria et de damno. Si ergo Deus requirit satisfactionem ab humano genere, aut requirit pro utroque, aut pro horum alio tantum. Si pro utroque, planum est quod impossibile sit aliquam puram creaturam satisfacere Deo pro genere humano: pro eo quod tam gravis est injuria quæ Deo infertur ob ejus excellentissimam dignitatem, quod nulla pura creatura potest ei recompensare aliquid æquale pro tanta injuria. Si vero exigat satisfactionem de solo damno recompensando, nec sic potest pro toto genere humano aliqua pura satisfacere creatura. Aut enim creatura illa esset homo, aut non esset homo. Si homo, quum nullus homo purus possit æquivalere toti generi humano, talis homo offerendo se ipsum Deo, nunquam recompensaret damnum quod intulit Adam corrumpendo totum genus humanum. Si autem non esset homo, non satisfaceret, quia ad illud genus spectat satisfactio ad quod pertinet transgressio. Necessarius er-

go fuit satisfactor, redemptor et liberator dignitatis immensæ : qui non potuit esse nisi Deus. Sed Deo in deitatis natura non competit promereri, satisfacere aut liberare per modum mediatoris, quia hoc penitus derogaret majestati ipsius : hinc decuit Deum assumere naturam humanam, quatenus ex assumpta natura sibi conveniret promereri, satisfacere et pretio sanguinis sui redimere, atque ex unita deitate esset infinita idoneitas, dignitas et efficacia ad promerendum ac redimendum.

Amplius de ista materia scribit etiam Durandus de S. Portiano super tertium, dicens : Satisfactio potest dici sufficiens dupliciter. Uno modo simpliciter, quia condigna per adæquationem et recompensationem culpæ commissæ. Alio modo imperfecte, videlicet per acceptationem ejus qui contentus est de hujuscemodi satisfactione. Loquendo ergo de satisfactione condigna, nulla creatura pura potuit satisfacere pro peccato humanæ naturæ seu propriæ personæ. Cujus duplex est ratio : una de qualibet creatura, alia specialiter de descendentibus ab Adam. Prima talis : Non minus obligamur Deo ratione delicti quam beneficii ; sed nemo potest Deo reddere aliquid condignum pro beneficiis acceptis : ergo nullus potest Deo exhibere satisfactionem condignam pro peccatis commissis. Specialiter quoque probatur istud de posteris Adæ, quia nec Adam nec aliquis per viam naturæ ab eo descendens, potuit habere gratiam ante suam reparationem. Si autem loquamur de satisfactione secundo modo accepta, quæ vocatur satisfactio de congruo : aut loquimur præsupposita Dei ordinatione, aut absolute. Si primo modo, sic adhuc dicendum est quod nulla pura creatura potuit satisfacere pro natura humana, nec aliqua persona pro se ipsa, nisi virtute satisfactionis per Christum exhibitæ : quoniam Deus ipsum solum præordinavit esse redemptorem et propitiatorem pro peccatis nostris, ut dicitur ad Romanos, Justificati per gratiam (*Rom.* III, 24, 25.)

A (id est redemptionem) quæ est in Christo Jesu, quem Deus posuit propitiatorem per fidem in sanguine ipsius. Si autem absolute loquamur quid potuit fieri, sic probabiliter videtur dicendum quod pura creatura potuit satisfacere hoc modo, quamvis non ita sufficienter et congrue sicut Christus. Primum patet sic : Quando duo actus ita se habent, quod bonitas unius æquatur malitiæ alterius, bonus actus potest esse satisfactorius pro actu malo, saltem de congruo ; sed possibile est quod actus B puri hominis a Deo creati, æquaretur in bonitate malitiæ peccati Adæ, vel eam excederet, quantum ad habitum, quoniam bonus ille actus ex majori procederet caritate quam fuit malitia ex qua processit peccatum Adæ, et quantum ad objectum, quoniam esset respectu ejusdem objecti, ex quo objecto unus actus sortiretur tantam finitatem et infinitatem in bonitate quantam alius actus in pravitate : ergo actus talis puri hominis posset tantum satisfactorius esse de congruo, quantum C peccatum Adæ fuit demeritorium pro persona et natura. Secundo patet idem sic : Peccatum Adæ redundavit in totam naturam, quantum ad condemnationem. Ergo ejus pœnitentia potuit redundare saltem de congruo in totam naturam, quantum ad satisfactionem et reparationem : quia peccatum Adæ non redundavit in totam naturam nisi quia tota natura originaliter fuit in ipso, propter quod donum originalis justitiæ ei collatum pro se et tota sua posteritate, peccando amisit pro se et D pro posteris ; sed eodem modo, quando pœnituit, tota natura virtualiter erat in ipso : ergo quando satisfecit pro se, potuit satisfacere pro tota posteritate, nisi Deus aliter ordinasset. Et ponit exemplum de milite cui datur a rege castrum pro se et sua posteritate, qui per peccatum suum meruit castro privari in se et in posteris suis ; nihilo minus si mereatur castrum recuperare pro se, meretur etiam recuperare illud pro sua posteritate. Istud ex Durando recitative magis quam assertive

induco, quoniam multa objici possent positioni ipsius : quæ brevitati studens dimitto.

Verumtamen, sicut Thomas in tertia parte Summæ suæ, et super tertium Sententiarum, atque in Summa contra gentiles tertio libro declarat, convenientissimus modus liberationis humanæ fuit per incarnationem et passionem unigeniti Filii Dei. Nam tanto modus aptior est ad finem obtinendum, quanto per ipsum plura concurrunt expedientia ad finis consecutionem. Per hoc autem quod genus humanum liberatum est per incarnationem et passionem Filii Dei, multa concurrerunt atque collata sunt ad salutem hominis pertinentia, præter liberationem a peccato. Primo namque per hoc ipsum cognoscitur quantum Deus diligat hominem, et per id provocatur homo ad Deum rediligendum : in quo perfectio humanæ salutis consistit. Secundo per hoc datur nobis exemplum perfectius totius humilitatis, obedientiæ, constantiæ, justitiæ, et ceterarum virtutum in Christi passione ostensarum, quæ sunt necessariæ ad salutem. Tertio, quoniam Filius Dei per suam passionem non solum liberavit hominem a peccato, sed etiam promeruit ei gratiam justificantem et gloriam æternalem. Quarto, quia per hoc indicitur homini major necessitas præservandi se immunem a vitiis. Propter quod ait Apostolus : Empti estis pretio magno ; glorificate et portate Deum in corpore vestro. — Insuper in Jerusalem voluit Christus pati, quia Jerusalem fuit locus sacrificiorum, et urbs electa ad holocausta Deo immolanda : Christus autem per modum sacrificii obtulit se pro nobis, et pro nobis factus est hostia pro peccato, atque se totum obtulit Patri. Verumtamen crucifigi voluit extra portam, ut veritas responderet figuræ. Nam hircus et vitulus pro peccato et vacca rufa, quæ erant præcipua sacrificia pro peccatis Israelitici populi expiandis, extra castra comburebantur, quemadmodum in Levitico legitur. Propter quod ad Hebræos scribit Apostolus : Quorum animalium sanguis infertur in sancta pro peccato per pontificem, horum corpora cremantur extra castra. Propter quod et Jesus, ut sanctificaret populum, extra portam passus est. Secundo, ut per hoc daret nobis exemplum exeundi a conversatione mundana. Unde addit Apostolus : Exeamus ergo ad eum extra castra, improperium ejus portantes. Et item, quia ad litteram extra portam occidebantur iniqui, præsertim qui cruci appendebantur, inter quos Sanctus Sanctorum voluit reputari, ut nos peccatores inter Dei filios computemur, et meritis patientiæ, humilitatis passionisque Christi, justi efficiamur.

I Cor. VI, 20. — *Lev.* XVI, 27 ; *Num.* XIX, 3. — *Hebr.* XIII, 11, 12. — *Ibid.* 13.

ARTICULUS XXXI

AN JUDÆI CHRISTUM PERSEQUENTES, ET EJUS CRUCIFIXIONEM ILLI PROCURANTES, COGNOVERINT EUM ESSE CHRISTUM IN LEGE PROMISSUM AC DEI FILIUM.

QUÆSTIO ista difficultatem habet ex verbis Scripturæ canonicæ, quæ de hac re videtur diversimode loqui ; et item ex sanctorum verbis Doctorum, super re ista variis modis loquentium. Nam Christus in parabola de vinea locata agricolis, ad quos paterfamilias misit primo ministros, deinde proprium filium (quam parabolam Matthæus, Marcus et Lucas describunt), ait quod agricolæ videntes filium, dixerunt intra se : Hic est heres, venite, occidamus eum, et nostra erit hereditas.

Matth. XXI, 33 et seq. ; *Marc.* XII, 1 et seq. ; *Luc.* XX, 9 et seq. — *Marc.* XII, 7.

Ubi per vineam intelligitur Synagoga; per A agricolas, principes sacerdotum et seniores ac Scribæ; per filium, Christus, quem occiderunt ne terram et principatum amit- *Joann.* XI, 47, 48. terent, quia dixerunt : Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum; et venient Romani, et tollent locum nostrum et gentem. Ergo pontifices et superiores Judæorum noverunt Jesum esse Filium Dei et Christum in lege promissum, verumque regem et Dominum Synagogæ. Præterea super eadem verba scribit S. Hiero- B nymus : Manifestissime Dominus probat his verbis, Judæorum principes non per ignorantiam, sed per invidiam, Dei Filium *Cf.* p. 497 C'. crucifixisse. Præterea (sicut præhabitum *Luc.* XXIII, 34. est) super illud, Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt, dicit Glossa, quod inter Judæos quidam erant majores, et pro illis Christus non oravit, quia sciverunt Jesum esse Christum; alii erant minores ac imperiti, qui non cognoverunt hoc ipsum, et pro illis oravit. Idem dicunt Beda atque Chrysostomus. In Libro quoque C novi ac veteris Testamenti asseritur, quod principes Judæorum et majores noverunt, sicut et dæmones, Jesum esse Christum, quia viderunt in eo omnia signa quæ Prophetæ prædixerunt de ipso. — Sed hujus oppositum probatur ex eo quod ait Aposto- *I Cor.* II, 8. lus : Si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Petrus quoque prin- *Act.* III, 17. ceps Apostolorum, in Actibus : Scio (inquit), fratres, quia per ignorantiam fecistis, sicut et principes vestri.

Ad istud aliqui responderunt, quod D majores Judæorum noverunt quod Jesus esset Christus in lege promissus, sed nescierunt quod unigenitus Dei Filius exsisteret. Et hoc videtur super Lucam sentire Ambrosius, dicens : Noverunt eum esse Christum, sed ignoraverunt divinitatis suæ mysterium. Idem habetur in præallegato Libro novi ac veteris Testamenti. — Sed contra hoc objici potest, quia Prophetæ evidenter docuerunt Christum esse Filium Dei. Nam et Jeremias prædixit : Hoc est nomen quod vocabunt eum, Do- *Jer.* XXIII, 6. minus justus noster. Et Isaias : Puer natus *Is.* IX, 6. est nobis, et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis. Insuper Hieronymus protestatur, quod cognoverunt Jesum esse eum cui Pater dicit in Psalmo : Postula a me, et dabo tibi gentes *Ps.* II, 8. hereditatem tuam. Sed de illo in eodem psalmo præmittitur immediate : Dominus *Ibid.* 7. dixit ad me, Filius meus es tu, etc. Ergo ita noverunt Jesum esse Filium Dei, quemadmodum Christum. Adhuc autem, non videtur apparentiam ullam habere, quod ausi fuissent Jesum occidere, si cognovissent eum esse regem Messiam in lege et Prophetis promissum.

Hinc arbitror respondendum, quod non cognoverunt eum esse Christum certa et stabili agnitione, sed aliquando hoc putabant ex testimoniis beatissimi Joannis Baptistæ et ex Scripturis atque ex præclaris ac copiosis Christi miraculis. Verum tempore procedente, dum Christus cœpisset eorum scelera acriter et publice increpare, paupertatem docere, et vitam inter eos humillimam ducere, conceperunt adversus eum vehementissimum odium, et quotidie crevit in eis invidia; sicque propria excæcati malitia, interpretari cœperunt omnia documenta et opera ac signa ejus in pejus, nec credere voluerunt quod esset Filius Dei aut Christus, imo excogitaverunt multa vana et frivola ad probandum oppositum, dicentes : Non est hic homo a *Joann.* IX, 16. Deo, qui sabbatum non custodit; ac multa similia, ut ex Evangelio constat. Sicque tandem inter se concluserunt quod non esset Christus nec Filius Dei. Nempe, ut patuit supra, quum dixisset se Christum, dixerunt : Quid adhuc desideramus testi- *Luc.* XXII, 71. monium? ipsi enim audivimus de ore ejus. Verumtamen, secundum Augustinum, concluserunt hoc cum aliquali formidine *Cf.* p. 491 B et s. aut suspicione de opposito. Unde et tradiderunt eum Pilato, ut ipsi viderentur quasi immunes de morte ejus : prout de ista positione Augustini dictum est plenius su-

pra. Quod vero non fuissent ausi occidere A Jesum si scivissent eum esse Christum, patet ex verbis Augustini dicentis, quod primum Christi adventum oportuit esse occultum, ut judicaretur et occideretur. Quis enim ausus fuisset majestatem occidere? Verumtamen ignorantia ista Judæorum majorum non eos excusavit, quoniam fuit ignorantia affectata, quia veritatem intelligere noluerunt, ipsoque facto dixerunt Deo : Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. *Job* XXI, 14. Hinc passione instante, Christus post Cœnam dixit Apostolis : Si non venissem et locutus eis fuissem, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo. *Joann.* XV, 22. Itemque : Si opera non fecissem in eis quæ nullus alius fecit, peccatum non haberent; nunc autem viderunt et oderunt me et Patrem meum gratis. *Ibid.* 24, 25.

ARTICULUS XXXII

QUOMODO PIUM FUERIT CONDOLERE CHRISTO, LICET DEUS PATER VOLUERIT EUM PATI.

CIRCA finem primi Sententiarum introducit Magister, qualiter teneamur B voluntatem nostram conformari voluntati divinæ. Et circa hoc movent doctores : quomodo licuit Virgini gloriosæ aliisque Sanctis tempore passionis de Christi passione dolere, tristari, flere, turbari, præsertim quum Pater voluerit eum pati, et pro omnibus nobis tradidit eum, imo et Filius semetipsum? *Rom.* VIII, 32. Sicque voluntas illorum videtur fuisse contraria voluntati Patris ac Filii ejus. Denique Petro peroptanti Christum non pati, a Christo responsum est : C Vade retro me, satana, quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed quæ hominum. *Matth.* XVI, 23.

Itaque ad istud super primum Sententiarum Bonaventura respondet, quod dupliciter contingit dolere de aliquo. Primo sic, quod dolens velit contrarium absoluta voluntate et ex ratione deliberata : sicque non licuit de Christi passione dolere, et ita S. Petrus exstitit reprehensus. Secundo sic, quod dolens, ad contrarium ejus de quo dolet, moveatur voluntate pietatis, quamvis absolute velit id de quo dolet : D et sic pium est de passione Christi dolere, eique condolere, et pie affici circa passionem ipsius; sicque afficiuntur devoti, qui magnas agunt gratias de Christi passione, et tamen pia compassione moventur in consideratione sui doloris; sicque dulcissima Virgo suo Filio patienti, quantum sustinere potuit, compatiebatur : quamvis nequaquam sit dubitandum, quin virilis animus ejus voluit etiam Filium suum pati pro mundi salute, ut ipsa Mater conformis esset per omnia Deo Patri.

Denique, secundum Richardum de Mediavilla circa finem primi Sententiarum, de Christi passione doluit sacratissima Virgo in appetitu sensitivo, habendo respectum ad ipsam afflictionem absolute secundum se; verumtamen habendo respectum ad generis humani redemptionem procurandam per Christi passionem, et ad divinæ voluntatis ordinationem, et ad gloriam Christi patientis accidentalem quam meruit patiendo, voluit illam passionem voluntate deliberativa. Omnibus quoque bonis et sanctis hominibus placere debuit, et nunc debet, quod Christus patiebatur, puta intuitu nostræ redemptionis, non suæ afflictionis : quia sic ei ut patienti, pie est compatiendum, quum dicat Apostolus, Si compatimur, et conregnabimus. *Rom.* VIII, 17; II *Tim.* II, 12. De hac materia multa conscribit Antisiodorensis in Summa sua, libro tertio : de quibus prolixitatem devitans pertranseo. *Cf.* t. XX, p. 662 B etc.

Breviter autem faciliterque loquendo, possumus respondere quod Christo ut patienti et ejus passioni condolendum fuit et est, etiam secundum rationem deliberativam et appetitum intellectivum ac A sensitivum, considerando passionem ipsius secundum quod fuit afflictio innocentis, non autem secundum quod fuit humani generis salvativa ex præordinatione divina.

ARTICULUS XXXIII

DE MULTIPLICI EFFECTU SEU FRUCTU DOMINICÆ PASSIONIS.

SUPER tertium Sententiarum, Albertus, Alexander ac alii diffuse loquuntur de multiplicibus saluberrimisque effectibus passionis dominicæ. Operatus est enim Dominus et Salvator nostram salutem per modum meriti : imo quidquid in sæculo isto fecit ac pertulit, meritorium nobis fuit. Item per modum sacrificii,
Ephes. v, 2. quoniam obtulit se oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis. Apostolus quo-
I *Cor.* v, 7. que : Pascha (inquit) nostrum immolatus est Christus. Et rursus per modum redemptionis, quoniam pretio sanguinis sui nos redemit de servitute peccati, et de jure ac potestate diaboli, quemadmodum princeps
I *Petr.* I, 18, 19. ait Apostolorum : Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati. Et item per modum satisfactionis. Ille namque proprie dicitur satisfacere pro offensa, qui exhibet ei qui offensus est, id quod æque aut plus diligit quam oderit ipsam offensam. Porro Filius Dei ex ardentissima caritate et summa obedientia patiendo, plus Deo Patri exhibuit quam exigit recompensatio offensæ aut culpæ humani generis. Primo propter magnitudinem caritatis ex qua patiebatur. Secundo propter dignitatem vitæ suæ, quam pro satisfactione et recompensatione ponebat : quæ fuit vita Dei et hominis. Tertio propter generalitatem suæ passionis et vehementiam assumpti doloris. Propterea B passio Christi non solum sufficiens sed et superabundans satisfactio fuit pro totius generis humani peccatis : imo, quia ineffabiliter major fuit caritas et virtuositas Christi quam malitia occidentium eum, ideo potuit multo plus satisfacere sustinendo, quam illi potuerunt offendere ipsum crucifigendo, in tantum quod passio ejus superabundans fuit ad satisfaciendum pro peccatis crucifigentium ipsum. Unde super Joannem loquitur Augustinus : Sanguis Christi in remissionem peccato- C rum sic fusus est, ut possit delere etiam ipsum peccatum quo fusus est.

Itaque per Christi passionem redempti sumus a jugo diaboli, a servitute peccati, a damnatione inferni, a pœnis originalis peccati ; apertaque est janua regni cœlestis, et Deo reconciliamur, ac nostræ damnationis chirographum est deletum, atque charismata gratiarum consequimur, imo ab omni culpa in Baptismo mundamur. Christus sua passione spoliavit infernum, reparavit ruinam angelorum, D plenitudinem gratiæ et salutem nobis promeruit, sibi ipsi præmium accidentale promeruit, reparavitque pacem inter homines et angelos sanctos, et Judæos ac gentiles in unam congregavit Ecclesiam.

Insuper, passione sua nos instruit ad virtutes, confortat contra tentationes ; debilitat fomitem, supplet imperfectum nostrum, caritate accendit nos, et omni virtute nos armat. Hinc loquitur Augusti-

nus: Inspice vulnera pendentis, sanguinem A
morientis, pretium redimentis, cicatrices
resurgentis. Cor habet apertum ad diligendum, caput inclinatum ad osculandum,
extenta brachia ad amplexandum, totum
corpus expositum ad redimendum. Hæc
quanta sint cogitate, hæc in statera cordis
vestri appendite, ut totus vobis figatur in
corde, qui totus pro vobis fixus fuit in
cruce.

Postremo, ab omni excessu verborum,
ab omni immoderantia morum ac vitiorum nos reprimat ac refrenet jugis me- B
moria verborum quæ Christus in patibulo
pendens locutus est : quæ et nos spiritualibus instruunt doctrinis. Primo etenim
Luc. XXIII, 34. dixit : Pater, ignosce illis. Quod fuit verbum summæ patientiæ. Quo informamur
in omni adversitate patientiam custodire, iram refrenare, et pro injuriatoribus
exorare, eosque excusare pro posse, nec
immoderate eorum culpam gravare. Secundum verbum fuit quod dixit latroni :
Ibid. 43. Hodie mecum eris in paradiso. Quod erat
verbum maximæ consolationis, præcipuæ C
liberalitatis, atque potissimæ indulgentiæ.
Quo docemur consolari afflictos, et indigentibus liberaliter subvenire, veniamque
poscentibus cito ignoscere. Tertium fuit
verbum maximæ pietatis ac solertissimæ
provisionis, quo dixit ad adstantem desolatissimam suam Matrem : Mulier, ecce fi- *Joann.* XIX, 26, 27.
lius tuus ; et ad Joannem, Ecce mater tua.
Quo docuit nos curam habere parentum,
et providos esse ad ipsos. Quartum fuit
verbum prudentiæ et sanctæ dilectionis,
quum dixit, Sitio : quia et nostram sitivit *Ibid.* 28.
salutem, et corporalis suæ sitis veritatem
expressit. Quo erudimur propriam et proximorum ardenter affectare salutem, et
indigentiam nostram prudenter exponere.
Quintum fuit : Eli, Eli, etc. Quod fuit ver- *Matth.* XXVII, 46.
bum piæ cujusdam querimoniæ, ac confidentiæ certæ ad Patrem. Quo instruimur
necessitates nostras Deo pie conqueri et
confidenter fateri, atque in omni necessitate ad ipsum confugere ac orando clamare. Sextum, quum dixit : Consummatum *Joann.* XIX, 30.
est. Quod erat verbum felicis triumphi.
Quo docemur in bonis actibus perseverare usque ad finem. Septimum fuit : Pa- *Luc.* XXIII, 46.
ter, in manus tuas commendo spiritum
meum. Quod fuit verbum sapientissimæ
dispositionis. Quo docuit nos ut Deo nos
ipsos finaliter committamus, tanquam fidelissimo ac benignissimo Patri, qui est
super omnia Deus sublimis et benedictus.
Amen.

FERIA SECUNDA PASCHÆ

ENARRATIO IN EPISTOLAM

STANS PETRUS IN MEDIO PLEBIS, DIXIT : VIRI FRATRES, VOS SCITIS QUOD FACTUM EST VERBUM PER UNIVERSAM JUDÆAM, ETC. Act. x, 37-43.

SALVATOR noster sicut per se ipsum ante testatus fuerat (quemadmodum *Matth.* xv, 24. Matthæus scribit) se non missum nisi ad oves quæ perierunt domus Israel; ita et Apostoli primo Judaicæ genti Christum evangelizarunt, maxime autem Petrus, qui missus fuit in circumcisionem. Verumtamen, *Act.* x, 1 et seq. quum vocatus fuisset ad Cornelium, et illata ei esset visio de omni genere animalium occidendo et manducando, hoc est mundo et immundo, didicit nullum hominem immundum dici debere, id est a via salutis excludendum, sed omnes ad Christum trahendos.

Stans igitur *Petrus in medio plebis,* hoc est coram centurione et aliis gentilibus qui ipsum vocaverant, prædicavit illis Jesum, et *dixit : Viri fratres, vos scitis quod factum est verbum per universam Judæam,* id est prædicationem Jesu ibidem esse disseminatam. Miracula etenim Christi fecerunt eum in locis vicinis hinc inde famosum. *Incipiens enim* Jesus prædicationem suam *a Galilæa :* sicut in passione Judæi dixerunt, *Luc.* xxiii, 5. Commovet populum, docens per universam Judæam, incipiens a Galilæa usque huc; *post baptismum quod prædicavit Joannes, Jesum a Nazareth.* Joannes enim Baptista populum baptizando, insinuavit eis Christum venisse, dicendo : *Joann.* i, 26. Medius vestrum stetit quem vos nescitis. Vel sic : « Incipiens » Jesus publice prædicare « post baptismum » quo fuit a Joanne baptizatus : scitis, inquam, « quod prædicavit Joannes Jesum », tanquam ejus præcursor. Prædicavit autem Joannes Baptista, *quomodo unxit eum,* scilicet Jesum secundum naturam assumptam, *Deus* Pater seu Trinitas, *Spiritu Sancto et virtute,* hoc est plenitudine gratiæ et sanctitatis, seu potestate in miraculis peragendis. Nam et Spiritus Sanctus Christum ut hominem unxit et misit, juxta illud in Isaia : Et nunc Dominus misit me et Spiritus ejus. *Is.* xlviii, 16. Hinc de Christo dixit Baptista, Non ad mensuram dat Deus Spiritum, scilicet homini Christo : *Joann.* iii, 34. nam gratia ejus quodammodo infinita consistit. Hæc unctio spiritualis et invisibilis, data est animæ Christi in ipso suæ creationis primordio, quo simul cum carne unita est Verbo, totius gratiæ fonti æterno.

Qui pertransiit, inter homines conversando, *Baruch* iii, 38. ambulando et prædicando, *benefaciendo,* id est multa beneficia dando hominibus, *et sanando omnes oppressos a diabolo.* Multos quippe obsessos curavit. *Luc.* vi, 18; vii, 21, etc. Spiritualiter quoque dæmonibus plenos convertit ad Deum, sicut de Maria Magdalene ejecit septem dæmonia. *Marc.* xvi, 9. Imo, quantum in ipso fuit, sua benedicta passione universos peccatores salvavit. Quicumque autem in mortali jacet peccato, a dæmonibus est oppressus, prostratus, victus et excæcatus. Verum quod ait, « omnes oppressos », accipi potest de generibus singulorum, po-

tius quam de singulis generum. *Quoniam Deus erat cum illo,* scilicet Pater cum Filio, quemadmodum in Evangelio loquitur Christus : Non sum solus, sed ego et qui misit me Pater. (Joann. VIII, 16.) Verumtamen conjunctionem hanc, « quoniam », bene pensando, intelligendum est quod Deus erat cum Christo secundum naturam humanam : illa namque habuit efficaciam sic agendi, ex adsistentia Dei. Sicque intelligi etiam potest, quod Deus, scilicet Verbum æternum, erat cum illo, hoc est cum Jesu quoad suam humanitatem, per hypostaticam unionem : quamvis expositio ista non sit propria, secundum Bedam, ne Christi personam geminare videamur.

Et nos testes sumus omnium mirabilium *quæ fecit in regione Judæorum et in Jerusalem, quem occiderunt suspendentes in ligno. Hunc Deus suscitavit tertia die, et dedit eum manifestum fieri* post gloriosam resurrectionem, *non omni populo* immediate, imo nec omnibus absolute, *sed testibus prœordinatis a Deo : nobis qui manducavimus et bibimus cum illo postquam resurrexit a mortuis.* Hoc enim opus est ordinatissimus æternæ sapientiæ Dei processus, ut supernaturalia non omnibus immediate revelentur, sed primo quibusdam electis atque majoribus, et per illos ceteris. Quod in hierarchiis observatur angelicis, in quibus illuminationes divinæ a superioribus deveniunt ad inferiores per medios angelicos spiritus, ut divinus Dionysius edocet. (De Cœlest. hier. c. VIII.) Præterea advertendum quod Petrus ait : « nobis qui manducavimus et bibimus cum illo », etc. Nam licet in Evangelio legatur Christus post resurrectionem cum discipulis manducasse, (Luc. XXIV, 43.) non tamen ibidem exprimitur cum eis bibisse, sed ex his verbis id scitur. *Et præcepit nobis prædicare populo, et testificari quia ipse est qui constitutus est a Deo* Patre, secundum naturam humanam, *judex vivorum et mortuorum,* hoc est universorum istorum qui vel ante finem mundi erunt defuncti, vel circa finem mundi invenientur, et in igne conflagrationis morituri dicuntur. Vel, per vivos intelliguntur electi, qui vivunt per gratiam; per mortuos, reprobi, qui mortui sunt per culpam. Porro in judicio duo considerantur. Primum est auctoritas judicandi : et illa tribus Personis communis et una est. Secundum est judicii exsecutio seu prolatio sententiæ : quæ competit Christo secundum naturam humanam, quam ex sua humiliatione ac passione promeruit. Propter quod ait : Potestatem dedit ei, et judicium facere, quia Filius hominis est; (Joann. V, 27.) itemque, Neque enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio. (Ibid. 22.)

Huic, scilicet Christo, *omnes Prophetæ testimonium perhibent,* ut Domino servi, *remissionem peccatorum accipere per nomen ejus,* hoc est per invocationem et fidem ipsius, *omnes qui credunt in eum,* qui scilicet fide et caritate Christo incorporantur. Prophetæ enim concorditer loquuntur de Christo tanquam de omnium Salvatore : ita quod credentes, per gratiam ejus justificantur.

SERMO PRIMUS

CUJUSMODI MOVERE NOS DEBEANT AD ORANDUM, ET QUAM UTILIS SIT ORATIO.

O*RATIONES tuæ et eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Domini.* Act. X, 4.

Legimus de Cornelio centurione, viro justo, timente Deum, faciente quoque eleemosynas, et deprecante Deum semper,

quod angelus illum visitaverit, consolatus A *Act.* x, 4. sit, et dixerit : Corneli, « orationes tuæ et eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Domini », id est, a Deo acceptæ sunt, et misericorditer ab eo consideratæ. Hujus Cornelii occasione hodierna epistola legitur.

Pro informatione itaque videndum, quid sit orare. Orare, est divinum auxilium implorare, et dona Dei efflagitare. Idcirco, quo amplius ac multiplicius indigemus auxilio Dei et donis suæ clementiæ, eo instantius atque ferventius oportet oratio- B nibus vacare. Insuper, quædam sunt mala culpæ, quædam mala pœnæ, quædam mala infernalis miseriæ. Rursus, quædam sunt mala præterita, quædam mala præsentia, quædam mala futura. Multa sunt quoque quæ incitant et inclinant nos ad peccandum, videlicet : fomes peccati, concupiscentia carnis, consuetudo prava, societas mala ; quatuor vulnera animæ ex originali peccato inflicta et consecuta (quæ sunt, habitualis consuetudo quædam in concupiscibili, infirmitas in irascibili, ignorantia C in ratione, malitia in voluntate) ; mundus, et amabilitas quædam, pulchritudo ac delectabilitas creaturarum, atque invisibiles hostes.

Primo itaque divinam misericordiam jugiter invocare debemus propter peccata præterita, ut nobis indulgeantur quantum ad culpam et pœnam, ita ut in præsenti vita pro eis satisfaciamus, ne vitæ futuræ reservemur suppliciis. Hinc dicitur in Ec- *Eccli.* xxi, 1. clesiastico : Fili, peccasti ? ne adjicias iterum ; sed et de præteritis deprecare ut D tibi dimittantur. Nempe, ut alia ait scri- *Job* xxiv, 12. ptura, Deus peccata inulta abire non patitur. Idcirco necesse est ea vel in præsenti sæculo aut in futuro puniri. Pœna namque correspondet atque debetur culpæ. Verumtamen magna pars punitionis, satisfactionis et expiationis culparum, est cordialis contritio ac erubescentia de eisdem ; ardor quoque caritatis vitiorum consumit reatum. Præterea, quo Deum gloriosum et summum enormius, frequentius diutiusque offendimus, eo incessabilius, dolorosius, humilius et ferventius benignitatem Dei et veniam postulare debemus, et dicere cum Manasse : Peccavi super numerum arenæ maris, multiplicans offen- *Orat. Manassæ.* siones, abominationesque statuens, et non est respiratio mihi ; et cum Psalmista, Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt *Ps.* xxxvii, 5. caput meum, et sicut onus grave gravatæ sunt super me ; itemque, Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, cito *Ps.* lxxviii, 8. anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis ; atque cum Esdra : Deus meus, confundor et erubesco faciem meam levare ad te, quoniam ini- I *Esdr.* ix, 6. quitates nostræ multiplicatæ sunt super caput nostrum, et peccata nostra creverunt usque ad cœlum. Itaque contritio ex qua pro remissione culparum Dominum invocamus, debet esse adæquata gravitati et multitudini transgressionum nostrarum.

Secundo Omnipotentem quotidie exorare debemus propter peccata nostra quotidiana, quibus omittendo et committendo offendimus eum quotidie multoties valde, imo innumerabiliter plus et multo frequentius quam advertimus aut scire valemus, cogitatu, affectu, locutione et actione, omnique sensu exteriori et interiori, activis quoque passivisque scandalis et alienis peccatis, atque in cibo, potu, vestitu, incessu et somno ac negligentiis, levitatibus et dissolutionibus multis, ita quod orare indigemus : Ab occultis meis mun- *Ps.* xviii, 13. da me, Domine. Nam ut Jacobus ait apostolus, In multis offendimus omnes. Et *Jacob.* iii, 2. rursus oremus : Non intres in judicium *Ps.* cxlii, 2. cum servo tuo, Domine, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Merito ergo dixit beatissimus Job : Non *Job* ix, 2, 3, 20, 15. justificabitur homo compositus Deo, et si voluerit judicio cum eo contendere, non poterit respondere unum pro mille ; si justificare me voluero, os meum condemnabit me ; etiam si habuero quidpiam justum, non respondebo ei, sed ut meum judicem deprecabor. Ecce quam humiliter et contrite, quam frequenter ac fervide

oportet nos Dominum invocare pro quoti- A dianorum nostrorum remissionibus peccatorum.

Tertio oportet nos Deum jugiter exorare ut a peccatis nos præservare dignetur futuris, quæ nisi ab illo adjuti, protecti et præservati fuerimus, incidemus. Hinc affectuosissimo et devotissimo corde dica-
Ps. xxxvii, 22. mus illud Psalmistæ : Ne derelinquas me,
Ps. xvi, 8. Domine Deus meus ; et denuo, Custodi me, Domine, ut pupillam oculi, sub umbra
Ps. cxviii, 133. alarum tuarum protege me ; et, Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, et B non dominetur mei omnis injustitia; et,
Ps. lxxxv, 11. Deduc me, Domine, in via tua, et ingre-
Ps. xxiv, 5. diar in veritate tua ; et, Dirige me in veritate tua, et doce me.

Quarto indigemus sic deprecari propter pronitates et proclivitates peccandi, quibus infecti et pleni sumus in corpore et in anima. Deformatæ sunt etenim animæ vires, et ad peccandum pronissimæ : proclivis est intellectus ad ignorantias, falsitates, errores, deceptiones, obtusus et tardus ad capiendum salubria, promptus ad C curiosa, stulta, inania, in quibus facillime delectatur complacentiamque habet; memoria quoque vaga instabilisque consistit, tenax inutilium et malorum, obliviosa salutarium et bonorum ; sic et voluntas ad malitias, nequitias, dolos, aversiones, invidias invenitur proclivis. Insuper appetitus sensitivus, tam concupiscibilis quam irascibilis, ad diversarum passionum immoderantias et excessus, totus pronissimus est, miserabiliter infectus et deformatus. Difficillimum quoque est, interiores D et exteriores sensus sic refrenare et regere, ut circa sua non excedant objecta, ita ut nec videndo, nec audiendo, nec tangendo, nec odorando, neque gustando peccemus, nec vanis imaginationibus, nec phantasticis æstimationibus aut suspicionibus occupemur aut immoremur. Amplius, caro ipsa vehementer infecta est, gravis, libidinosa et rationi rebellis, imo (ut etiam Plato in Phædone testatur) mille impedimenta virtutum contemplationumque exhibens. Propter quod dixit Apostolus ad Romanos, et unusquisque nostrum dicere habet : Scio quia non habitat in me (id est *Rom.* vii, 18.
in carne mea) bonum ; et, Video aliam le- *Ibid.* 23.
gem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ; itemque, Infelix ego homo, *Ibid.* 24.
quis me liberabit de corpore mortis hujus? Quum ergo tam vehementer ac multipliciter, tam indesinenter ac lamentabiliter simus proni et celeres ad peccandum, imo ad carnalia ac spiritualia vitia, ad omissiones, negligentias et torpores, ad innumerabiles culpas ex parte corporis et animæ ; vehementissime ac indesinenter indigemus divinam implorare clementiam, ut ab omnibus his vitiis nos præservet, virtutibus nos confortet, et incessanter gubernet, tueatur ac dirigat, ut cum Psalmista mente grata ei dicere valeamus :
Tenuisti manum dexteram meam, et in *Ps.* lxxii, 24.
voluntate tua deduxisti me. Et rursus ait :
Protexisti me a conventu malignantium, *Ps.* lxiii, 3.
a multitudine operantium iniquitatem.

Quinto indigemus sic Dominum exorare, ne alliciamur et decipiamur a mundo, a mundanis et pravis hominibus, a periculosis consortiis, a delectabilitate, decore et desiderabilitate creaturarum, quæ fa- *Sap.* xiv, 11.
ctæ sunt in odium et in tentationem animæ hominum, atque in muscipulam pedibus insipientium. Ideo Deum ferventissime deprecemur, quatenus tanta gratia, virtute et illuminatione nos impleat, ne ad res creatas afficiamur inordinate, neque in eis culpabiliter delectemur, sed eis tantum utamur in Deo, hoc est secundum Dei præceptum atque consilium, in quantum deserviunt ad Creatoris notitiam, cultum, amorem, timorem ac servitutem. Nempe ut Salomon testatur in Ecclesiaste, Cuncta *Eccle.* iii, 14.
fecit Deus ut timeatur. Atque ut scriptum est in libro Sapientiæ, A magnitudine spe- *Sap.* xiii, 5.
ciei et creaturæ potest Creator cognosci : cujus excellentia, sapientia et potestas in cunctis creaturis relucent. Sicque quidquid amabilitatis, pulchritudinis, delectabilitatis atque dulcedinis in entibus reperimus creatis, ad superexcellentissimi

Creatoris honorem et gloriam, timorem, amorem et cultum referamus ac ordinemus, certi quod ipse universis et singulis in infinitum melior, amabilior, speciosior, delectabilior, dulcior, terribilior honorabiliorque consistit. Non ergo in amore aut delectatione creaturæ sistat, quiescat aut contentetur cor nostrum, sed intra se dicat : Si tam amabilis, tam decora, amœna, suavis est res creata, caduca, terrena, sensibilis seu carnalis, quam amabilis et superamabilis, speciosus, deliciosus, suavis est Creator immensus, cujus respectu totus mundus est tanquam pulvis exiguus? (*Is.* xl, 15.) Sicque ex intuitu et usu creaturarum, amore, timore, cultu et admiratione incomparabilis ac superhonorabilissimi Creatoris accendamur, stimulemur et illustremur.

Sexto oportet nos Deum infatigabiliter invocare, eo quod tot invisibilibus hostibus atrocissimis, callidissimis, invidiosissimis circumvallemur et impugnemur : qui infatigabiliter nil aliud sciunt, quærunt aut moliuntur, quam ut æterna felicitate nos privent, omni virtute, gratia et amicitia Dei nos spolient, spiritualiter perimant, ac secum damnationi involvant æternæ. Quum ergo tot et talibus inimicis, propriis viribus nullatenus prævalere valeamus, necesse est nos divinum subsidium incessanter efflagitare. Si quis iret per campum latronibus plenum, a quibus sciret se impugnandum, spoliandum et occidendum nisi aliunde adjuvaretur, haberetque aliquem secum euntem cujus auxilio posset juvari, defendi, evadere; quam non offenderet illum! Et si aliquando eum offendisset, quam instanter postularet sibi ignosci! Quam item humiliter et obnixe rogaret eumdem ut sibi adsistere dignaretur! Et hoc totum, ne temporalia damna et corporalem mortem brevem incurreret. Quum ergo in sæculo isto peregrini simus et viatores (*Hebr.* xi, 13; *Ps.* xxxviii, 13; I *Par.* xxix, 15), habeamusque Deum ubique et semper præsentem, quantum vitare debemus ejus offensam, et implorare ipsius indulgentiam atque subsidium, ut nos a præfatis hostibus dignetur protegere, ne ab eis spiritualiter occidamur, ne spiritualia damna patiamur, ne æterna beatissima vita privemur, et ne perpetuis intrudamur suppliciis?

Septimo Deum jugiter invocemus propter mala pœnalia quibus circumdamur, ne persecutionibus, ægritudinibus, damnis, injuriis, increpationibus et castigationibus superemur; sed ut in his omnibus patientiam habeamus immobilem, et cuncta adversa æquanimiter toleremus : imo per ea purgari in hac vita optemus.

Octavo, quatenus spiritualiter locupletemur, quia orandi officium maxime est lucrosum, per quod possumus omni hora in virtutibus crescere, merita vitæ æternæ augere, copiosioremque beatitudinem promereri. Si viderimus mercatorem otio, comessationi et substantiæ suæ dissipationi vacare, qui qualibet hora posset centum aureos nummos lucrari, insipientem ac miserum reputaremus hominem. Nonne ergo nos ipsi incomparabiliter insipientius ac infelicius nos habemus, qui quum omni hora possimus cœlestibus charismatibus, meritoriis actibus, æternis beatissimisque præmiis tam vehementer, orando, proficere et ditari, non solum a sancto orandi exercitio tepescimus et cessamus, sed etiam loquacitatibus variisque peccatis vacamus? Resipiscamus ergo a tanta insania.

Nono, ut jugiter orando, Deum incessabiliter honoremus, et ejus assidue accendamur amore, atque celerius ad regnum pertingamus cœleste. Decimo, quatenus indesinenter orando, pro nostris satisfaciamus peccatis. Oratione namque, eleemosyna atque jejunio præcipue satisfit pro omni peccato. Undecimo, ut a futuris purgatorii ac inferni eruamur suppliciis. Duodecimo, ut proximos ædificemus, et eorum necessitati ac indigentiæ succurramus. Tertiodecimo, quia ad exorandum assidue sacra Scriptura, et omnis sanctorum Patrum doctrina, exempla et vita nos uberrime admonent et informant. Quartodecimo, ut adversarios nostræ salutis invisibiles ho-

stes affligamus, fugemus et prosternamus, A quemadmodum scriptum est in Psalmo : Ps. xvii, 38. Persequar inimicos meos, et comprehendam illos, etc. Orationum namque instantia ac fervore potissimum affliguntur ac vincuntur. Quintodecimo, quoniam Christus, cujus omnis actio nostra est instructio, in Evangelio legitur sæpius orasse, quum tamen non posset peccare nec decipi, et non solum in quantum Deus omnia posset, sed etiam secundum assumptam humanitatem Matth. xxviii, 18. data ei esset omnis potestas in cœlo et in terra. Idcirco ad nostram instructionem B hoc egit. Sextodecimo, quia incerti sumus Eccle. ix, 1. an simus in caritate : idcirco assidue nos oportet orare, ut caritas vera nobis, si infusa non est, infundatur, aut jam infusa augeatur atque perficiatur.

Itaque, quum tot et tanta habeamus incitamenta, tot causas et necessitates incessanter orandi, nequaquam ab orationibus desistamus : imo quum tot et tantis simus vallati laqueis, periculis et peccatis, jugiter exclamemus ad Deum, præsertim quum tam fructuosissimum ac saluberrimum sit orare.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

DUO EX DISCIPULIS JESU IBANT IPSA DIE IN CASTELLUM QUOD ERAT IN SPATIO STADIORUM SEXAGINTA AB JERUSALEM, NOMINE EMMAUS, ETC. Luc. xxiv, 13-35.

POST manifestationem dominicæ resurrectionis, mulieribus primum, deinde C et Petro factam, tertio Lucas eam recenset quæ in eadem die duobus discipulis in Emmaus facta est. Quam modo describens, ait :

Duo ex discipulis Jesu, non ex numero Apostolorum, sed septuaginta duorum discipulorum, ut dicitur, *ibant ipsa die* dominicæ resurrectionis, *in castellum quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Jerusalem, nomine Emmaus.* Sedecim stadia faciunt leucam : et ita sexaginta stadia faciunt quatuor leucas, quatuor stadiis defi- D cientibus. Porro stadium continet passus centum viginti quinque; passus vero est spatium quinque pedum. *Et ipsi loquebantur ad invicem de his omnibus quæ acciderant* circa Christum, et circa mulieres visitantes sepulcrum. Itaque de utilibus conferebant. In quo itinerantes sequi debent eosdem, et vana vitare colloquia, atque sæpe orationibus meditationibusque vacare in ambulando.

Et factum est, dum fabularentur, hoc est, conferrent (sumendo verbum hoc, Fabulari, prout derivatur a verbo For, faris, non a Fabula), *et secum quærerent,* hoc est, invicem interrogarent, qualiter gesta et narrata se possent habere; *et ipse Jesus appropinquans,* id est, per modum itinerantis et peregrinantis eis se applicans, *ibat cum illis.* Ipse etenim dixit : Ubi fu- Matth. erint duo vel tres congregati in nomine xviii, 20. meo, ibi sum in medio eorum. Et quia de Christi passione contulerunt, et ei pie compatiebantur, apti fuerunt visitari et consolari ab eo. Specialiter etenim complacet Salvatori et compassio et collatio de sua passione.

Oculi autem illorum tenebantur ne eum agnoscerent : quia (ut Marcus habet) in Marc. xvi, alia effigie apparuit eis : et hoc, propter 12. dubitationem et incredulitatem eorum. Non tamen putandum quod faciei Christi dispositio sit mutata : quia vere fuit glorificatus, nec alia illa effigies fuit subjective in facie Christi, ut probabilior tenet opinio; quamvis aliqui dicant, quod Christus ad horam mutavit vultus sui effigiem, sic-

Luc. IX, 29. ut in transfiguratione. Verisimilius ergo fertur, quod altera illa effigies fuit subjective solum in oculis discipulorum, vel, ut aliqui opinantur, in aere. Potuit equidem Christus visum discipulorum diversimode immutare, per solam impressionem talium aut talium visualium specierum seu radiorum. Hinc aliqui dicunt, quod erant percussi specie cæcitatis quæ vo-
IV Reg. VI, 18. catur acrisia : quemadmodum Syri videntes Eliseum, nec tamen eum recogno-
Gen. XIX, 11. scentes; et Sodomitæ quærentes domum Lot, nec invenientes. Est quippe acrisia quædam cæcatio, qua aliquid confuse et imperfecte videtur, nec tamen sub propria specie apprehenditur. Unde secundum Gregorium, Christus discipulis istis ipsum amantibus et de ipso loquentibus, exhibuit se præsentem, et tamen de ipso dubitantibus, suæ cognitionis abstulit speciem.

Et ait ad illos : Qui sunt hi sermones quos confertis ad invicem, ambulantes, et estis tristes? Non ex ignorantia hoc quæsivit, sed ut ad eorum responsionem eos congruenter instrueret. *Et respondens unus, cui nomen Cleophas,* qui fuit de septuaginta duobus discipulis (alter, secundum
* Ammaon Ambrosium, fuit Amaus *; Gregorius vero in prologo super Moralia Job dicit, quod creditur fuisse Lucas iste evangelista, ita quod ex humilitate suum subticuit nomen), *dixit : Tu solus peregrinus es in Jerusalem, et non cognovisti quæ facta sunt in illa his diebus?* Hoc totum non assertive, sed interrogative protulit Cleophas, quasi diceret : Venisti tu solus in Jerusalem in hoc Pascha, ut ignores quæ in ea contigerunt uno horum dierum, hoc est in die Parasceves, et etiam ante, quando in die Palmarum et postea multa prodigia fecit in Jerusalem Christus? Nam ita te habes nos interrogando, quasi solus peregrinus hic fueris, et idcirco ab aliis peregrinis nihil audieris : quum tamen certum sit, quod his diebus innumerabiles fuerint in Jerusalem peregrini, a quibus merito percepisses quæ in ea facta sunt, quoniam peregrini libenter inquirunt atque percipiunt nova.

Quibus ille dixit : Quæ? id est, quænam sunt illa quæ in Jerusalem his diebus sunt facta? *Et dixerunt : De Jesu Nazareno,* id est, Jesum Nazarenum facta ista concernunt, et de eo ac in eo facta sunt, *qui fuit vir* sexu et omni perfectione virtutum, *propheta* summus, omnium præscius futurorum : ita quod gratia prophetiæ fuit in eo per modum habitus fixe, imo semper in actu et æque perfecte; *potens in opere,* id est in omni actu virtuoso perfecto, et in signis, prodigiis atque miraculis. Unde et dixit : Opera quæ dedit mihi Joann. V, 36.
Pater, testimonium perhibent de me; itemque, Si opera non fecissem in eis quæ Ibid. XV, 24.
nemo alius fecit, peccatum non haberent. *Et sermone :* quia in verbis sapientissimus ac eloquentissimus fuit, juxta illud : Diffusa est gratia in labiis tuis. Ps. XLIV, 3.
Et Lucas ait : Mirabantur omnes in verbis gratiæ quæ Luc. IV, 22.
procedebant de ore ejus. Adversarii quoque ejus coacti sunt dicere : Nunquam sic Joann. VII, 46.
locutus est homo, sicut hic loquitur. Et recte nunc dicitur, quod fuit potens in opere et sermone, præmittendo, In opere : cœpit enim facere, et docere, ita quod pri- Act. I, 1.
mo egit quod postmodum prædicavit. Sed jam multi sunt quasi potentes in sermone, debiles vero in opere : qui de humilitate, patientia, mansuetudine, temperantia, justitia, caritate copiose sermocinantur, et tamen faciliter a propriis passionibus superantur, inquinamentis carnis et animæ viliter infeliciterque succumbunt. Itaque, Jesus fuit potens in opere et sermone, *coram Deo,* id est vere et infallibiliter, virtuose, et meritorie sibi ipsi quantum ad præmium accidentale, et aliis absolute, *et omni populo,* id est secundum omnium, præsertim vulgarium reputationem : qui dixerunt, Nunquam apparuit sic in Israel; Matth. IX, 33.
et, Propheta magnus surrexit in nobis. Luc. VII, 16.
Porro, quidam sunt potentes in opere et sermone coram hominibus, sed non coram Deo, sicut hypocritæ.

Et quomodo, id est quam injuste, *tradi-*

derunt eum summi sacerdotes et principes nostri, videlicet pontifices et seniores, *in damnationem mortis,* id est, morte dignum eum judicaverunt, dicentes : Nos legem habemus, et secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit. Importune quoque impetraverunt a præside sententiam condemnationis ad mortem adversus Christum. *Et crucifixerunt eum,* quia ejus crucifixionem procuraverunt. *Joann.* xix, 7.

Nos autem sperabamus, ante passionem ipsius, *quia ipse esset redempturus Israel,* hoc est liberaturus Israeliticum populum, tanquam verus Messias in lege et Prophetis promissus, ab originali et omni peccato, et captivitate diaboli, et servitute peccati. Quasi dicerent : Hoc sperabamus, sed modo non speramus. *Et nunc super hæc omnia,* id est, ultra ea quæ dixi, *tertia dies est hodie, quo**, id est a die Parasceves in quo *facta sunt ista,* id est, Jesus morti adjudicatus et crucifixus est. *Sed et mulieres quædam ex nostris,* id est ad societatem nostram spectantes, quia nobiscum Dominum Jesum sequebantur devote, *terruerunt nos : quæ ante lucem,* id est valde diluculo, *fuerunt ad monumentum, et non invento corpore ejus,* quia jam resurrexit, *venerunt* ad Apostolos, *dicentes se etiam visionem,* id est visibilem formam, *angelorum vidisse :* ita quod angelos in assumptis corporibus corporaliter conspexerunt; *qui* angeli *dicunt eum vivere,* id est Christum resurrexisse. Itaque discipuli verbis mulierum istarum auditis, terrebantur, quia forsitan metuebant quod Judæi increduli imponerent eis quod corpus sui abstulissent magistri, et propterea eos persequerentur. *Et abierunt quidam ex nostris ad monumentum,* utpote Petrus et Joannes, *et ita invenerunt sicut mulieres dixerunt,* videlicet lapidem revolutum, et linteamina posita; *ipsum vero,* id est corpus Jesu, *non invenerunt.* *Ibid.* xx, 3.

* alias *quod*

Et ipse dixit eis : O stulti, id est, Scripturarum notitiam non habentes, et veræ fidei luce carentes, *et tardi corde ad credendum in omnibus* verbis et vaticiniis, *quæ locuti sunt Prophetæ* de mea passione ac resurrectione : quum tamen habeatis sufficientia inductiva ad credendum quod ego sum ille de quo illa prædixerunt Prophetæ, nam verbis et sufficientibus miraculis Christum me esse probavi. Quæritur, cur Christus discipulos istos vocaverit stultos, quum alibi dicat, Qui dixerit fratri suo, Fatue, reus erit gehennæ ignis. Et respondendum, quod peccata verborum pensantur penes intentionem, affectionemque cordium, quoniam ea quæ sunt in voce, sunt earum quæ sunt in anima passionum, affectionum intentionumque notæ. Christus ergo prohibuit dicere proximo, Fatue, ex contemptu, derisione, aut simili vitiosa radice, non autem ex caritate et zelo justitiæ, rationabili causa id exigente. *Matth.* v, 22.

Nonne hæc oportuit pati Christum, propter æterni Patris præordinationem, et Prophetarum verificationem, atque humani generis salvationem, sanctorum de limbo eductionem, cœlestis patriæ apertionem, cœlestis Jerusalem reædificationem, *et ita,* puta per passionem, *intrare in gloriam suam,* id est in cœlum ascendere, et corpore glorificari, gloriamque cœlestem plenarie possidere? Christus quippe sua humiliatione, passione et morte, promeruit sibi ipsi præmium accidentale, atque dominium omnis creaturæ, dicente Apostolo : Humiliavit se, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod et Deus exaltavit illum, etc. Et tamen hæc gloria debebatur Christo etiam aliunde, videlicet ratione hypostaticæ unionis cum Verbo, et propter plenitudinem beatificæ visionis, seu essentialis felicitatis animæ ejus : quæ redundasset indesinenter in corpus ipsius, et impassibile illud fecisset, nisi Deo dispensante, redundantia illa fuisset usque ad resurrectionem dilata, ut in epistola ad Dioscorum loquitur Augustinus. Et ita gloria illa fuit proprie gloria Christi. Sed et universa gloria curiæ cœlestis, fuit et est gloria Christi, secundum quod Deus est, tan- *Philipp.* ii, 8, 9.

quam domini ac datoris. Si itaque Chri-
stum per passionem et multiplicem tri-
bulationem oportebat propriam gloriam
ingredi, nos qui sumus, qui absque tribu-
lationibus et adversitatibus pœnitentiali-
busque operibus gloriam volumus ingredi
Joann. XIII, 16. alienam? Numquid servus major est do-
mino suo, aut membrum suo capite præ-
stantius, aut redemptus redemptore subli-
mior, aut fragilis creatura, creatore suo
Dei unico Filio? Merito ergo dixit Aposto-
Act. XIV, 21. lus : Quia per multas tribulationes oportet
nos intrare in regnum cœlorum; et item,
II Tim. III, 12. Omnes qui volunt pie vivere in Christo,
persecutionem patientur.

*Et incipiens a Moyse et omnibus Pro-
phetis :* id est, ex verbis Moysis sumpsit
exordium, quia primus et principalis fuit
inter eos qui libros ad vetus Testamentum
pertinentes scripserunt; deinde aliorum
Prophetarum allegavit oracula; *interpre-
tabatur illis,* id est, expositionem fecit
istis duobus discipulis, *in omnibus Scri-
pturis quæ de ipso erant* loquentes, id
est, prophetias de ipso prædictas eis de-
claravit et allegavit, vel in generali et
multas in speciali, vel omnes ad proposi-
tum pertinentes et sufficientes.

Et appropinquaverunt castello Emmaus
quo ibant. Et ipse se finxit longius ire.
Secundum Gregorium, Fingere, pro Com-
ponere sumitur in hoc loco, ut sit sensus,
quod Dominus Jesus composuit seu dispo-
suit se ad procedendum remotius. Potest
etiam dici, quod finxit, id est simulavit,
se longius ire : quia simulatio facti licita
est et commendabilis, quando fit ex ratio-
Josue VIII, 15. nabili causa et bono fine. Unde et Josue
cum filiis Israel simulavit fugam. Christus
autem sic simulavit, multiplici ratione :
primo, mystice, ad innuendum quod ad-
huc longe fuit ab illorum nondum creden-
tium mente; secundo, ut per hoc eis daret
occasionem operis misericordiæ, videlicet
invitandi et cogendi se ad hospitium;
tertio, ut per hoc ipsum doceret nos ut et
nos taliter faciamus.

Et coegerunt, hoc est, multum instanter
A et quodammodo importune invitaverunt,
illum, dicentes : Mane nobiscum, cœnam
et hospitium nobiscum sumendo, *quoniam
advesperascit, et* (pro id est) *inclinata est
jam dies,* sole ad occasum tendente. Sic
et nos quotidie Christum rogemus ac invi-
temus, ut in cordis nostri cubiculo mane-
re dignetur. Ipse etenim apud Joannem
loquitur : Qui manet in me, et ego in eo, Joann. XV, 5.
hic fert fructum multum. Atque ut in li-
bro Sapientiæ legitur, Neminem diligit Sap. VII, 28.
Deus, nisi qui cum sapientia inhabitat.
B Denique spiritualiter advesperascit, quo-
niam vita nostra ad occasum quotidie ten-
dit; et inclinata est dies, quando tempus
promerendi deficere incipit. Specialiter
quoque advesperascit in anima, dum pro-
pinquat ad culpam; et inclinatur dies,
quando elongatur a gratia, hoc est, quan-
do disponitur ad peccata.

Præterea, sicut prætactum est, ex hoc
loco atque exemplo elicitur, quam carita-
tive, instanter, imo et importune, peregri-
ni ac pauperes ad mensam et hospitium
C sint vocandi. Hoc namque est opus mise-
ricordiæ. Opera autem misericordiæ ad
Christianos potissimum pertinent, quum
lex Christi sit lex totius caritatis et pieta-
tis. Magna quoque est virtus hospitalitatis :
de qua et in veteri Testamento Abraham Gen. XVIII, 1-8; XIX, 1-3.
et Lot specialiter commendantur. Unde et
sanctus Job : Foris (inquit) non mansit Job XXXI, 32.
peregrinus; ostium meum viatori patuit.
Et Christus in Evangelio perhibet se in
die judicii esse dicturum ad electos, Ho- Matth. XXV, 35, 43.
spes fui, et collegistis me; ad reprobos
D vero, Hospes fui, et non collegistis me.
Hinc princeps Apostolorum hortatur : Ho- I Petr. IV, 9.
spitales invicem sine murmuratione. Et
Paulus : Hospitalitatem nolite oblivisci : Hebr. XIII, 2.
per hanc enim placuerunt quidam Deo,
angelis hospitio receptis.

Et intravit cum illis : in quo dedit ex-
emplum obtemperandi rationabili petitio-
ni, ne quis in proprio sensu sit pertinax.
Et factum est, dum recumberet, id est,
quiesceret et manducaret, *cum illis, accepit
panem et benedixit,* non tamen in suum

convertit corpus, sicut in Cœna, sed ut A moris est benedicere cibum : in quo instruxit nos, ut ante refectionem benedicatur cibus et potus: *ac fregit, et porrigebat illis* panem jam fractum, ad manducandum. *Et aperti sunt oculi eorum* : non quod corporales eorum oculi hucusque fuerint clausi, sed quia nunc aliter viderunt Christum quam ante. Nunc enim cœperunt eum in propria et cognoscibili et determinata effigie cernere, quem ante viderunt confuse. Sic oculi primorum parentum (*Gen.* III, 7.) dicuntur aperti post perpetrationem peccati, quantum ad alium modum videndi; et in libris Regum legitur Eliseus dixisse (IV *Reg.* VI, 20.) : Domine, aperi oculos istorum (puta Syrorum). Idcirco subjungitur : *et cognoverunt eum* in fractione panis, ut paulo post subditur (*Luc.* XXIV, 35.). Habuit enim Salvator consuetudinem sic accipiendi, benedicendi, frangendi distribuendique panem, ut ex Evangelio comprobatur (*Matth.* XIV, 19; XV, 36.) : sicut dum turbas refecit ex quinque panibus hordeaceis, et postmodum ex panibus septem. Aliqui vero dicunt, quod Christus manibus fregit panem ac si cultello fuisset divisus, et per hoc eum noverunt. Potest quoque intelligi de interioribus oculis, qui aperti sunt, id est illuminati, Christum cognoscendo. *Et ipse evanuit ex oculis eorum*, hoc est, repente et quasi imperceptibiliter ac velocissime per dotem agilitatis ab eorum adspectu disparuit : per quod monstravit corpus se glorificatum habere; non autem evanuit tanquam phantasma.

Et dixerunt ad invicem duo isti discipuli : *Nonne cor nostrum*, præsertim voluntas, *ardens erat in nobis*, id est inflammatum desiderio veritatis ac Christi, *dum loqueretur in via*, id est, quando Christus increpavit ac informavit nos, ambulando nobiscum, *et aperiret*, id est exponeret, *nobis Scripturas?* — Posset hic quæri, an discipuli isti in via fuerunt veræ caritatis fervore accensi. Et videtur quod imo : nam Glossa ait, quod cor eorum fuit igne Spiritus Sancti accensum et caritatis ardore. Sed videtur contrarium, quia non erant in fide, ergo nec in caritate. Ad hoc quidam respondent, quod non erant in caritate, nec veræ caritatis fervorem habebant, et quod ardor iste erat a Spiritu Sancto, sed non cum Spiritu Sancto, quemadmodum timor servilis. Et si objiciatur quia de istis duobus discipulis dicit Gregorius, quod esse extranei a caritate non poterant hi cum quibus Veritas gradiebatur; respondent, quod hoc propterea dixit Gregorius, quia habebant aliquid simile caritati et ejus effectui. Porro si istud quis B teneat, cogetur concedere quod et feminæ pergentes ungere corpus Jesu, erant extra caritatem atque in statu damnationis.

Et surgentes eadem hora a mensa, *regressi sunt in Jerusalem:* quia præ caritatis ardore quem nunc cum fide vere habebant, quiescere, et differre tam saluberrimum nuntium non valebant, nec senserunt viæ laborem; dilectionisque ardor exstinxit in eis servilem Judæorum timorem. *Et invenerunt congregatos undecim* Apostolos in conclavi, *et eos qui cum ipsis* C *erant*, videlicet alios quosdam Christi discipulos ex septuaginta duobus, aut feminas aliquas Christi discipulas. Itaque Thomas tunc aderat, sed paulo post exiit, non credens auditis; sicque defuit apparitioni quæ (*Joann.* XX, 24.) consequenter describitur, prout in Joanne legitur. *Dicentes, quod surrexit Dominus vere et apparuit Simoni.* Participium istud, « dicentes », quidam referunt ad verbum « invenerunt », ut sit nominativi casus : eritque sensus, quod duo isti discipuli invenientes undecim congregatos, dixerunt D eis, quod Dominus vere surrexit et Petro apparuit. Aptius tamen videtur, ut dictio ista, « dicentes », referatur ad « undecim congregatos », sitque accusativi casus : ut sit sensus, quod duo discipuli invenerunt congregatos undecim inter se recitantes, et etiam istis duobus dicentes, quod Dominus vere surrexit. Et istud ex duobus probatur. Primo, quoniam isti duo discipuli nondum scivisse videntur quod Christus apparuerit Petro, sed Petrus hoc Apostolis retulit. Secundo, ex modo loquendi ipsius Evan-

gelistæ in loco præsenti, quia post verba A prædicta mox subditur : *Et ipsi narrabant quæ gesta erant in via.* Ex quo apparet, quod participium illud, « dicentes », et pronomen hoc, « ipsi », referenda sint ad diversos : ita quod isti duo quum audissent verba Apostolorum, Christi resurrectionem et apparitionem Petro factam eis narrantium, tunc et ipsi narraverunt narrantibus sibi, quæ gesta erant in via, scilicet qualiter Christus se eis in via associavit, eosque interrogavit, increpavit, edocuit, *et quomodo cognoverunt eum in fractione panis.*

SERMO SECUNDUS

QUOMODO AD GUSTUM SPIRITUALIS CONSOLATIONIS PERVENIATUR ; ITEM DE DEVOTIONE CASTA AC PERFECTA, ET QUID ILLAM IMPEDIAT.

NONNE cor nostrum ardens erat in B *nobis dum loqueretur in via, et aperiret nobis Scripturas?* Luc. XXIV, 32.

Magnam tristitiam conceperant Apostoli et discipuli Domini ex morte piissimi, dilectissimi atque benedicti sui magistri, adeo ut hæc tristitia eos non aliunde sinebat cogitare aut loqui, nisi id quod amaverant et amisisse putabant. Accedens igitur Dominus, spirituali eos gaudio refecit : ita enim loquebatur, ita inspirabat, ut eorum corda recalescerent atque divino igne ferverent. Unde ejus colloquio non satiati, C coegerunt etiam, quem peregrinum suspicabantur, ad convescendum.

Considerandum est hic, quum actus activorum (secundum Philosophum) sint in patiente prædisposito, quomodo præparari debeat homo, ut gustum Spiritus et gaudii interni percipiat. Dicit enim Apostolus :
I Cor. II, 14. Animalis homo non percipit ea quæ sunt
Ibid. III, 1. Spiritus Dei ; et iterum, Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carna-
II Cor. VI, 14. libus ; et denuo, Quæ (ait) societas luci ad tenebras? Quum ergo consolatio illa D divina, interna atque cœlestis, seu gaudium spirituale delectatioque sincera in Deo, sit angelica quædam perfectio, supernaturalis refectio, ac futuræ beatitudinis prælibatio dulcis, non facile ad eam pertingitur a quocumque, nec quilibet eam experiri invenitur idoneus, secundum quod docet S. Bernardus, dicendo : Errat omnino, si quis illam cœlestem dulcedinem huic cineri, illud balsamum divinum huic gaudio venenoso carnali, charisma hoc Spiritus Sancti illecebris hujus sæculi arbitretur misceri.

Porro triplici instrumento, medio sive itinere, ad consolationem istam, qua gustatur quam dulcis est Dominus, pervenitur, videlicet : per depurationem animæ a passionibus et peccatis, seu vitiis et concupiscentiis ; quod fit per pœnitentiæ actus, per compunctionem internam et lacrimas, per refrenationem delectationum carnalium gustus et tactus, per sensuum exteriorum custodiam et linguæ coercitionem, per inanium inordinatarumque affectionum vigilantissimam depulsionem, per sæcularium consolationum aspernationem, omnisque vitiosæ affectionis circa creata, caduca et vana, omnimodam eradicationem. Hoc autem certum est pertinere ad viam purgativam et statum incipientium. Primo namque oportet declinare a malo, et a pristinis sordibus vitiorumque maculis emundari. Quo facto, restat iter secundum ad gustum suavitatis præfatæ : quod est per spiritualem et efficacem in sanctis virtutibus exercitationem ac divinorum illuminatam considerationem, orationi, me-

ditationi, ac laudibus Dei insistendo, sacræ Scripturæ mysteria speculando, verba et opera Christi sapienter perpendendo, novi ac veteris Testamenti consonantiam admirando. Quod utique pertinet ad viam illuminativam ac statum proficientium. Tertium vero iter est, per amorosam mentis in Deum elevationem, quæ transcendens se ipsam et cuncta creata, in Creatorem suspenditur, in divitias gloriæ rapitur, in divinæ majestatis admiratione inæstimabiliter exhilaratur. Sicque juxta Pauli sen-
II Cor. III, 18. tentiam, revelata facie gloriam Domini speculans, transformatur, decoratur, atque progreditur a claritate in claritatem, in universis Spiritus Sancti charismatibus inclyte proficiendo. Quod totum ad viam perfectivam seu unitivam ac statum perfectorum noscitur pertinere.

Verumtamen in unoquoque gradu ac statu præmemorato, solet animæ religiosæ aliquid consolationis divinæ spiritualisque gaudii divinitus impertiri, atque a Spiritu Sancto, qui naturaliter, totaliter atque interminabiliter clemens, bonus munificentissimusque consistit, infundi, sed ordine quodam. Nempe in primo gradu præfata suavitas odoratur, in secundo gustatur, in tertio usque ad ebrietatem hauritur atque potatur : ubi intromittitur anima divini amoris jaculo transfixa ac
Cant. II, 4; VIII, 2. languida, in cellam vinariam, ut bibat de vino condito superessentialis ac superbenedictissimæ Trinitatis. O felix ebrietas, quam concomitatur animæ et corporis tam casta et sancta sobrietas, ubi efficitur anima instar ebrii plena, eructans, lætabunda et gaudens : per quod redditur in adversis robusta, in periculis tuta, in prosperis quoque discreta, in remissione injuriarum promptissima, sicque tandem quieta, quiescens in Deo atque obdormiens, ac recumbens in divinis amplexibus.

Denique consolatio ista præclarissimum devotionis donum est, procedens ex contemplatione ignita bonitatis, caritatis, opulentiæ beatitudinisque divinæ, vel de spe veniæ ac felicitatis futuræ ; et gustus boni bonificus, quamvis venturæ dulcedinis comparatione exiguus. Suavissima utique delectatio, qua clementissimus Deus mœstam propter se recreat animam ; per quam ad quærendum Dominum gloriæ invitatur, atque ad amandum Deum ferventius vehementer accenditur. O dilectissimi, utinam sæpe ista gustemus experimentaliterque noscamus. Quidnam utique est tam dulce tamque suave, quod in recordatione Dei super omnia incomparabiliter prædilecti, animas amorosas, devotas ac mundas solet tangere, et tam suaviter eas afficere, ut jam a se ipsis omnino alienari incipiant, conscientia exhilaretur, omnis dolor oblivioni tradatur, animus ipse exsultet, intellectus resplendeat, cor illuminetur, affectus lætetur ? Jam nesciunt ubi se esse conspiciunt, amplexibusque sanctæ dilectionis aliquid intra se tenent, et pene ignorant quid sit ; nihilo minus totis visceribus tenere id concupiscunt. Luctatur quodammodo delectabiliter animus, ne quod gustat ab eo recedat, quasi in eo desideriorum suorum finem invenerit. Hinc ait Bernardus : Nonnunquam, Domine, quasi oculis clausis ad te inhio. Nam mittis mihi in os cordis, quod non licet mihi scire quid sit. Saporem quidem dulcedinis sentio adeo confortantem, quæ si perficeretur in me, ultra nil quærerem. — Hoc inæstimabile donum humano non potest studio obtineri, humano vix merito poterit promereri, sed a Deo largissimo humillimis precibus, a digne dispositis ex divinæ pietatis condecentia potest utique impetrari. Omne enim aurum in comparatione Sap. VII, 9.
illius est velut arena exigua, et argentum illi comparatum, pro nihilo reputatur. Utinam mihi omnium minimo devotorum congruat dicere illud cujusdam devoti in Soliloquio suo : Non accessit oculus meus, Eckbertus.
neque appropinquavit cor meum usque ad multitudinem dulcedinis quam intrin- Ps. XXX, 20.
secus abscondisti filiis tuis : solo ejus odore utcumque sustentor. Spiramentum suavitatis tuæ de longinquo venit ad me, quæ est mihi super odorem balsami ac fragran-

tiam thuris et myrrhæ, omnisque generis A suavia odoramenta. Concupiscentias mundas parit in me, quarum est adustio dulcis, vix tamen portabilis. O Domine, si tam suavis ac nobilis est tuæ bonitatis atque dulcedinis odor, quam præclarus ac suavissimus ejus est sapor? Si tantæ virtutis est modica degustatio viæ, quam inæstimabilis jucunditatis erit plena inebriatio patriæ? Postremo, sicut Doctor devotus, dominus Bonaventura, vir vere illustrissimus atque divinus, fatetur, unctio ista deliciosa quæ amantissimis Dei præstatur B a Spiritu Sancto in via, est velut quidam roseus liquor, qui per totam animam se diffundens, eam confortat, disponens eam suaviter ad veritatis luculentias suscipiendas ac pariter contemplandas.

Si ad hanc cœlicam unctionem ac cœliformem in Deo delectationem concupiscit cor nostrum pertingere, oportet ab inferiori ac fundamento humiliter inchoare.
I Cor. xv, 46. Non enim prius quod spirituale, sed quod animale, secundum Apostolum. Quantum enim ad primum, quo ad præfatam con- C solationem attingitur, oportet nos quod
Luc. xxi, 34. docet Salvator implere : Videte (inquit) ne graventur corda vestra crapula vel ebrietate, aut curis hujus sæculi. Nam iterum
Ibid. vi, 25. ait : Væ vobis qui saturati estis, quia esu-
Rom. xiii, 14. rietis. Ideo ait Apostolus : Curam carnis ne feceritis in desideriis. Oportet quoque
Ps. cxl, 3. nos ponere custodiam ori nostro, et ostium circumstantiæ labiis nostris. Ab omni autem vanitate risuum, jocorum, ludorum,
Eccli. xxi, 2. confabulationum, quasi a facie colubri oportet nos fugere; sed et cor omni vigi- D lantia a cogitationibus vanis, ab affectionibus inordinatis, ab omni occupatione prava atque inerti temporis negligentia oportet præcipue præservare.

Agamus ergo viriliter, præliemur contra desidiam nostri torporis instanter, vincamus nos ipsos. Cogitemus quæ superventura sunt nobis, et perseveremus in iis
Sap. iii, 15. usque in finem, scientes quod bonorum
Rom. viii, 18. laborum gloriosus est fructus, quod item non sunt condignæ passiones hujus temporis ad gloriam fortibus Dei militibus præparatam. Quibus Deus sublimis et benedictus non aliud præparavit quam se ipsum, ut sit ipse dator ac donum, præmiator ac præmium : quoniam hoc ad liberalissimum pertinet amatorem, ut dando munera sua simul præstet se ipsum. Tanta ergo divinæ dilectionis liberalitas circa nos, mentem nostram inflammet, vigilantem, gratam, atque in omni Divinitatis amoroso obsequio perseverantem, proficientem, feliciterque consummantem efficiat. Quum enim perfectio, nobilitas, beatitudo summaque dignitas creaturæ, præsertim intellectualis, sit suo (ut fas est) Creatori assimilari, suamque voluntatem ejus beneplacito conformare, atque mandatis sive consiliis ejus se in omnibus subjugare : quid vilius, miserabilius, turpius atque declivius esse valet, quam delectari in his quæ displicent sancto atque mundissimo Deo, ea amplecti et approbare quæ horret ac reprobat ille, ea eligere et amare quæ prohibet?

Denique, quid vituperabilius damnabiliusque potest quis mente concipere, quam rationalem creaturam ad supersanctæ Divinitatis similitudinem conditam, superbeatissimæ Trinitatis imagine insignitam, summæ felicitatis capacem, cœlestium spirituum in natura conformem, relicto summo, immenso, superessentiali et incommutabili bono, neglecto vero, vivo adorandoque Deo, contempto creatore, salvatore et beatificatore suo, in his terrenis et sensibilibus sordidari, carnalibus oblectari, transitoriis implicari, corporalibus voluptatibus superari et obsequi, ac per hoc Deo inimicari, dæmonibus complacere et subjici, bestiis decies millies deteriorem constitui? Insuper, nonne prorsus infinita calamitas est, negligentia stultitiaque immensa, amore harum brevissimarum mundi carnisque deliciarum ac vitiosissimarum delectationum atque inanium gloriationum, non jam dumtaxat in vita præsenti, sanctis, internis ac spiritualibus gaudiis, deificis consolationibus, purissi-

mis, cœlestibus dignissimisque delectationibus spoliari, sed sempiterna quoque beatitudine patriæ, superdignissima Divinitatis fruitione et ejus beatifica visione in æternum privari ; et ultra hæc omnia, sempiternam infernalium suppliciorum inexplicabilem acerbitatem mercari, innumerabilia Beatorum gaudia perdere, atque innumera damnatorum tormenta incidere?

O infelicissimi hujus sæculi amatores, voluptatum turpissimi sectatores, densissimis interioris cæcitatis tenebris obvoluti, palpabilibus vitiorum erroribus obtenebrati, cur vobismetipsis crudelissimi estis? Cur non miseremini propriis animabus? Cur incessanter augetis et thesaurizatis vobis amarissimas infernalis foveæ
Is. XLVI, 8. pœnas ? Redite, prævaricatores, ad cor ; attendite quod in sæculo isto peregrini et exsules estis, nec aliter quam per vitam pœnitentialem, per viam arctam seu conversationem virtuosam salvari potestis.

Ecce quantum se ipsum vilificat homo peccando, reddens se Deo deformem, ingratum, contrarium atque odibilem, dæmonibus similem, corde turpissimum, brutis deteriorem.

Præterea, quantum iniquus se ipsum turpiter delectando vilificat, tantum se justus in solo Creatore lætando nobilitat. Nonne præclarum et optimum est, sic proprium affectum divinæ conformare ac subdere voluntati, ut in his tantummodo delectetur in quibus delectatur et Deus ; ea vitare quæ ille censet vitanda ; in divinis et spiritualibus potius quam in vilissimis hujus sæculi materiis deliciari ; propter spiritualia gaudia tam vitæ quam patriæ, inanissima mundi solatia detestari? Erubesce ergo, o anima, consolari in cœno, quæ es de cœlo ; erubesce in minimis delectari, quæ non potes nisi summis satiari. Natura cœlestis es, cœlestemque consolationem (si carnalis insania permitteret)

A quæreres. O quam dulce ac delectabile esset, secundum naturam gratia decoratam et bene institutam vivere, in terris cœlestem vitam ducere, ab exterioribus ad interiora redire, ab inferioribus ad superiora ascendere, cunctaque facere secundum nobilissimum quod præexcellit in homine, hoc est secundum intellectum ! O anima, si te ipsam perfecte cognosceres, ex tua cognitione mundum et ea quæ mundi sunt, sperneres. Si te cœlestis esse naturæ, deiformis ac immortalis essentiæ
B sapienter perpenderes, terrenam consolationem et vilem in jocis ac risibus dissolutionem contemneres.

Ecce mundana delectatio quam inimici Creatoris requirunt, amplectuntur et diligunt, primo vilitatem habet in objecto, quum sit circa immunda et infima. Secundo habet immunditiam in subjecto, quoniam habentem se maculat. Tertio habet brevitatem in se ipsa, momentaneum siquidem hoc delectat. Quarto habet mœrorem in termino, dum impii in puncto in *Job* XXI, 13.
C infernum descendunt. Quinto habet magnam miseriam in effectu, quoniam spirituali gaudio privat hominem in præsenti sæculo ac futuro. Contrario autem modo per omnia est de consolatione ac delectatione spirituali et virtuosa. Vere ergo, sicut Hieronymus loquitur, gaudere atque ridere in sæculo isto non est hominis sensati, sed phrenetici : quoniam mundana gaudia excludunt homines a vita beata. Hinc quintodecimo Moralium dicit Gregorius : Gaudia vitæ hujus, quæ injusti magna bona
D existimant, justi velut stercora deputant, et æternitatis intuitu tanquam nihil ac somnium parvi pendunt. Unde in Job scriptum est : Laus impiorum brevis est, et *Ibid.* XX, 5.
gaudium hypocritæ ad instar puncti. Et primo Machabæorum : Gloria impii ster- I *Mach.* II,
cus et vermis ; hodie extollitur, et cras 62, 63.
non invenietur.

SERMO TERTIUS

DE MULTIPLICI ET JUCUNDISSIMA AMICORUM DEI EXSULTATIONE AC GAUDIO VITÆ PRÆSENTIS ET FUTURÆ.

VOX *exsultationis et salutis in tabernaculis justorum.* Ps. CXVII, 15.

Sicut doctores concorditer adstruunt, et S. Thomas in secunda secundæ, quæstione vicesima octava, declarat, ex eadem virtute possunt procedere plures actus ad invicem coordinati et ejusdem rationis, quorum unus oritur a virtute illa per alium : unde et ipsa virtus ab illo actu denominatur ac definitur qui primo et principaliter ab ipsa progreditur. Porro amor est prima affectio appetitivæ potentiæ, et ex amore desiderium gaudiumque nascuntur. Hinc idem est habitus virtuosus, puta caritas, appetitum seu voluntatem inclinans ad diligendum bonum et ad desiderandum illud, itemque ad gaudendum in illo. Et quoniam actuum horum prior est dilectio, idcirco a dilectione, non a delectatione vel gaudio, caritas nomen ac rationem sortitur. Unde gaudium non est habitus aut virtus a caritate distincta, sed ejus effectus : potestque dici actus caritatis, si per actum intelligatur quicumque effectus habitus virtuosi; non autem, si actus proprie accipiatur pro actu proprio, immediato, directe elicito. Sic enim gaudium non est actus immediate a virtute elicitus, sed actum virtuosum consequitur, et ei annexum est tanquam complementum et quietatio potentiæ operantis, quæ in objecto sibi convenienti gaudendo quodammodo contentatur, quietatur et conquiescit. Quamvis autem gaudium asseratur principaliter caritatis effectus, nihilo minus quælibet virtus habet proprium gaudium. Sed quemadmodum caritas omnes virtutes imperialiter movet ad operandum, tanquam regina et forma ac finis virtutum, sic ejus est de omnium virtutum actu gaudere, dicente de ea sancto Apostolo : Non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati. Haud dubium quin et æquitati, omnique virtuti. Denique gaudium et tristitia ex caritate opposito modo procedunt : quoniam sicut ex boni amati præsentia, vel prospero ejus quem amamus successu, aut quia perfectio sua sibi jam inest, gaudemus ; ita ex absentia vel adversitate boni amati tristitia oritur.

(art. 4.) (A) (I Cor. XIII, 6.)

Insuper quæri potest, quomodo gaudium nostrum de Deo, esse possit vel dicatur plenum : præsertim quum de Deo nulla mens creata tantum queat gaudere, quantum de Deo dignum est gaudere. Nam sicut per suam puram atque immensam bonitatem est infinitæ amabilitatis et desiderabilitatis, ita est utique per eamdem infinitæ gaudiositatis seu delectabilitatis. Quod autem gaudium nostrum de Deo, valeat esse plenum, innotescit per id quod apud Joannem ait Salvator : Petite et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum. — Et respondendum, quod gaudium istud dicitur plenum dupliciter. Primo, ex parte objecti, videlicet ejus de cujus bonitate quis gaudet : sicque solius Dei gaudium est plenum, tanquam vere ac intensive immensum. Secundo, ex parte subjecti, puta gaudentis, quando videlicet desiderium ejus perfecte satiatur, contentatur et quietatur : ita quod potentialitas ejus ad suum actum completum et ultimum perfecte deducitur. Sicque gaudium nostrum plenum erit in patria, in qua quilibet Beatorum attingit terminum sibi a divina prædestinatione præstitutum atque præfixum : idcirco nil ultra exspectat aut pe-

(B) (Joann. XVI, 24.) (C) (D)

tit, neque appetere potest. Interim vero, A in via hujus exsilii, quotidie crescere et proficere possumus et debemus.

Præterea contemplandum, quod gaudium spirituale ex divina procedens contemplatione ac dilectione, secundum quod bonitas Dei in se ipsa consideratur et propter se ipsam pure diligitur, non habet admixtam tristitiam sibi contrariam, sicut et bonitas Dei non habet malum sibi admixtum. Gaudium vero ex contemplatione aut dilectione Dei descendens, secundum quod bonitas Dei seu Deus consideratur B sive diligitur per respectum ad nos, secundum quod participatur aut participari potest a nobis, habere potest tristitiam contrariam sibi annexam, propter ea quæ participationem aut fruitionem seu cetera dona Dei a nobis vel a proximis carisque nostris excludunt. Quemadmodum enim de participatione et præsentia boni quis gaudet, ita de ejus absentia aut impedimentis tristatur. Ideo Sponsa ait in Canti-
Cant. I, 6. cis : Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie. Et Psal- C
Ps. XLI, 4. mista : Fuerunt mihi lacrimæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie,
Ps. CXIX, 5. Ubi est Deus tuus? Itemque : Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus est. Apo-
Rom. VII, 24. stolus quoque de se loquens : Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus? Sic enim et luctus ex caritate procedit.

Et hoc sciendum, quod tristitia quæ gaudio opponitur et vitium est, oritur ex sui ipsius inordinato amore, qui dicitur amor privatus ac improbus; nec est vitium spe- D ciale, sed radix omnium vitiorum generalis.

Verumtamen non obstantibus præinductis, Guillelmus Parisiensis in tractatu suo de Virtutibus, ponit quamdam specialem gaudii et doloris acceptionem : Sunt (inquiens) dolor et gaudium quæ nomen habitus sortiuntur. Ponit itaque quoddam gaudium habituale, quod secundum eum, est pene continua serenitas cordis ex præsentia inhabitantis Dei, quam non obnubilat neque obscurat adversitas. Est quoque, ut ait, gaudium spei, gaudium caritatis, gaudium patientiæ : non enim est virtus quæ gaudium proprium non habeat annexum. Unde, sicut dicitur in Proverbiis,
Gaudium est justo facere judicium ; ita et *Prov.* XXI, 15.
casto facere quod castitatis est. Gaudium spei est de bonis futuris; gaudium caritatis, de honore Dei et proximorum salute; gaudium patientiæ, de ipsa tribulatione.

Simili modo dicit ipse : Datur dolor qui et donum luctus et gratia lacrimarum usitate vocatur : qui quantacumque vehementia crescat, quantacumque amaritudine mentem affligere videatur, non sine dulcedine et gaudio unquam est. Hinc generaliter virorum sanctorum vultus nunquam gratiosiori serenitate resplendent, quam quum eorum corda compunctionis gratia amaricaverit, lacrimisque eorum ora perfuderit. Et hic dolor non opponitur gaudio vero (imo secum compatitur), sed gaudio vano, carnali, mundano. De hoc autem dolore intelligitur illud Mat-
thæi : Beati qui lugent, quoniam ipsi con- *Matth.* V, 5.
solabuntur; et illud Ecclesiastæ, Qui addit *Eccle.* I, 18.
scientiam, addit et dolorem. De qua scientia et dolore loquitur Augustinus in primo de Doctrina christiana : Scientia hæc facit hominem non foris jactantem, sed interius lamentantem.

Insuper, secundum Guillelmum, vir sanctus gaudet ex præsentia Dei ipsum inhabitantis, non quia sentit, præscit vel præsumit præsentiam Dei in se ipso (hoc namque esset jam aliud gaudium, utputa fidei aut spei); sed sic de Dei inhabitantis præsentia gaudet, quemadmodum prædicto dolore saluberrimo ac jucundo de ejus absentia dolet. Deus quippe donat hujusmodi gaudium, sicut et gratiam compunctionis. Nec mirum, si ex præsentia lucis divinæ serenitas præmemorata in cordibus Sanctorum diffunditur. Huic gaudio
opponitur tristitia sæculi operans mortem, *II Cor.* VII, 10.
et specialiter ipsa acedia, quæ est spiritualis boni fastidium. Itaque, secundum istum

doctorem, hæc est specialis gaudii acceptio, quod dicitur habituale, estque speciale donum Dei, sicut et gratia compunctionis.

De gaudio isto Sponsa fatetur in Canticis : Introduxit me rex in cellam vinariam, ordinavit in me caritatem. Rex enim est Christus, cella vinaria ipsa Ecclesia, in qua vinum spiritualis gaudii bibitur, quo omnia temporalia vilipenduntur, quorum dilectio est impedimentum ordinis caritatis : et ita per gaudium spirituale impedimentis remotis, caritas ordinatur in Sponsa. Hoc ergo gaudium, quod est causa ordinis caritatis per hoc quod removet impedimenta, videtur esse donum Dei, quod anima ex ejus præsentia adipiscitur.

Cant. II, 4.

Præterea, aliis satis probabiliter rationabiliterque videtur, non utique oportere ponere tale gaudium habituale distinctum a caritate considerata in suo esse perfecto, quod competit sibi in animo plene purgato seu viro divino atque heroico. Nempe, quum caritas habeat se ut proprium vexillum Spiritus Sancti, per quod ipse venit, atque in paternam hereditatem infeudat eos ad quos venit, ita quod ipsa caritas est signum potissimum regiæ præsentiæ Spiritus Sancti : fluit ab ea deliciosissima dilectio fruitiva, quam consequitur perfectum, non impugnatum imperturbatumque gaudium actuale. Istud quoque est de mente venerabilis Patris nostri domini Bartholomæi, sacræ theologiæ professoris condigni, et in dictis scholasticorum doctorum multum exercitati et prompti. Cui etiam in hac parte potius quam positioni Guillelmi Parisiensis consentiendum opinor, si tamen Guillelmus intendat asserere quod gaudium habituale sit quid fixum in anima, distinctum realiter a gaudio actuali, intermediansque inter actualem dilectionem et gaudium actuale : quo enim caritas est in suo esse perfectior, eo actus ejus est stabilior, continuior atque sincerior; idcirco gaudium consequens eum, est fixius, purius ac deliciosius, ita quod non cogimur ponere habitum medium inter actualem dilectionem et gaudium actuale. Si vero secundum Guillelmum, gaudium spirituale viri perfecti qui est quasi in quadam continua serenitate mentis, ideo habituale vocetur quoniam propter fixionem, permanentiam sive frequentiam suam, habet se per modum habitus seu habitualis perfectionis, quemadmodum donum seu gratia prophetiæ in Prophetis eximiis (quod tamen non dicitur proprie habitus, sed potius quædam perfectio actualis); sic arbitror positionem illam posse teneri.

Gaudium autem quod justi in tabernaculis suis habent in cœlo, tam copiosum est et multiplex, quod quocumque se verterint, causam et incitamenta gaudendi inveniant. Nam supra se primo et maxime gaudent de benedicta et adoranda Trinitate. Deinde supra se gaudent de omni beatitudine, perfectione, decore et eminentia humanitatis Filii Dei. Tertio gaudent supra se in conspectu virginis gloriosæ Mariæ, de omni pulchritudine, excellentia, beatitudine et honore ipsius. Quarto gaudent supra se de omnibus angelis sanctis, et de animabus seu hominibus sanctis qui eis in gloria sunt superiores. Gaudent quoque in se de universa beatitudine, gratia et excellentia eis collata. Insuper gaudent circa se de felicissima Sanctorum societate, et beata communione qua unusquisque eorum alteri beatitudinem suam communicat. Gaudent et infra se non solum de his qui inferiores sunt eis in gloria, sed et de tota machina mundiali, quæ post diem judicii erit pulcherrime decorata.

Itaque de humanitate Filii Dei multipliciter exsultabunt. Primo de omni pulchritudine ejus quam habet in donis gratiæ et gloriæ, tam in corpore quam in anima. Tota namque capacitas animæ Christi ac virium ejus, ab exordio suæ creationis et unionis cum Deitate, fuit repleta omni gratia et virtute, omni dono et fructu Spiritus Sancti : imo et intellectus ejus repletus fuit beatifica Deitatis visione. Porro, post passionem suam humanitas sua plenissi-

me glorificata est in sua resurrectione et A ascensione, quantum ad corpus suum inferioresque vires suas. Et quanto anima Christi præ omnibus Sanctis excellentius fruitur Deo, et gloriosior sanctiorque consistit, tanto corpus Christi mirabilius atque splendidius est glorificatum quatuor dotibus corporum hominum electorum: ita quod claritas pulchritudinis ejus, et pulchritudo suæ claritatis, venustissimusque adspectus, et pulcherrimus ejus vultus, ineffabiliter major ac delectabilior est omni claritate et decore solis, lunæ ac side- B rum, omniumque corporum glorificandorum. Quum igitur tota Christi humanitas sit tam incomparabiliter speciosior, dulcior, gloriosior ac sublimior omnibus creaturis, tam angelis quam ceteris Sanctis, constat quod omnes Beati in conspectu humanitatis Christi vehementissime delectentur : ita quod maximum gaudium quod habent post beatificam Deitatis visionem, est gaudium istud ex intuitu humanitatis Christi conceptum ; cujus humanitas tanta gratiositate, venustate et C
I *Petr.* I, 12. gloria est perfusa, quod et angeli sancti desiderant in eam prospicere, et cum indicibili jucunditate eam inspiciunt omnes Beati.

Secundo cives cœlestes gaudent de Christi humanitate et de ejus inspectione, in quantum per ipsam sunt liberati vel reparati, et multa ac maxima beneficia consecuti. Itaque animæ sanctæ in cœlis inæstimabiliter gaudent de humana natura Filii Dei, et de omni excellentia ac gloria ejus, quia per eam sunt ab æterna damnatione D ereptæ, donis gratiæ in via hujus sæculi adimpletæ, atque ad felicitatem sempiternam perductæ. Et quo majora et digniora sunt beneficia ista, eo humanitatem Christi jucundius intuentur, ardentius diligunt, et præcordialius Domino Jesu Christo salvatori suo regratiantur, tanto certe præcordialius atque devotius, quo plura ac majora pro eorum salute fecit ac pertulit. Porro sancti angeli gaudent de Christi humanitate, quia per eam ipsorum ruina est instaurata, societas aucta, et gloria multiplicata.

Tertio omnes Sancti in cœlo gaudent potissime de Christi humanitate, eo quod ipsa unita est unione personali unigenito Dei Filio, vero Deo : quod est dignitas infinita, et majus bonum ac eminentius donum, quam omne bonum ac donum ceteris Sanctis et reliquis omnibus creaturis collatum. Hinc de tanta humanitatis Christi exaltatione amplius gaudent Sancti, quam de omni beatitudine, pulchritudine, gratia et gloria omnium ceterorum Sanctorum ; et quanto plus diligunt Christum secundum utramque suam naturam, tanto exuberantius gloriantur de omni perfectione, excellentia et gloria utriusque suæ naturæ, videlicet æternæ deitatis, atque assumptæ humanitatis.

Præterea omnes Sancti in cœlo de præsentia et adspectu gloriosissimæ Virginis Matris Filii Dei, mirabiliter ineffabiliterque lætantur, et tanto intensius quanto eam amant ferventius. Primo ergo lætantur in ejus adspectu, quoniam ipsa præ omni pura creatura in esse creato subsistente, est inenarrabiliter speciosa, sancta, perfecta et gloriosa, bona, amabilis, pia, et ad intuendum delectabilis ac jucunda, imo omnino dulcissima. Si enim de Esther regina veraciter ait Scriptura, Erat formo- *Esther* II, 15.
sa valde et incredibili pulchritudine, et omnium oculis gratiosa et amabilis videbatur : quam incomparabiliter excellentius dicendum est illud de gloriosissima et glorificatissima Virgine Dei Matre, quæ fontem concepit ac peperit pulchritudinis infinitæ ? Et si Creator omnipotens tantam pulchritudinem, amabilitatem et gratiositatem ponit in modica humani corporis parte, puta in facie : quam incomprehensibiliter ac infinite pulcher, amabilis et gratiosus est ipse in semetipso ? Secundo universi Beati gloriantur in Virgine summa, quia per eam consecuti sunt gratiosa dona, et beneficia gloriosa a Domino multa et magna. Ipsa namque genuit mundo Salvatorem ; ipsa est advocata Ecclesiæ

militantis, peccatorum refugium, mater et A consolatrix miserorum. Ei commissum est misericordiæ regnum, et per eam innumerabiles peccatores veniam, gratiam et salutem adepti sunt; et quidquid gratiæ est in nobis, per ipsam datum est nobis. Tertio gaudent præsertim in ea et de ea, de ejus excellentia ac honore, eo quod ipsa sit Mater veri Dei, comparentalis Deo Patri, eumdem filium habens cum illo : quod est dignitas quodammodo infinita. Propter quam tota curiæ cœlestis militia, singulari præcipuoque honore eam devo- B tissime honorat, veneratur, tantoque abundantius congratulatur excellentiæ ejus, quanto ferventius diligit eam; et quanto quis Beatorum misericordiam majorem ab ea et per eam a Deo est consecutus, tanto præcordialius diligit eam et honorat, ac ei in omnibus istis congaudet.

Insuper unusquisque Beatorum gratulatur supra se de universis angelis sanctis, ac ceteris qui eo sunt majores in gloria : quoniam omnibus illis toto corde favet, congaudet, nec appetit esse aut habere C quod illi sunt et habent, sed plene contentatur de suo; et quod non habet plene in se, gaudet se per caritatem et participationem habere in alio. O quis excogitare aut dicere queat, quantum inferiores Sancti lætantur ex intuitu, præsentia et consortio sanctorum Apostolorum ac Prophetarum et virtuosorum pastorum, ac aliorum quorum doctrinis, subsidiis et protectionibus tantam beatitudinem sunt adepti, et præsertim de illorum adspectu ad quos specialiorem et ampliorem habuerunt dile- D ctionem atque devotionem? Certe omnia gaudia hujus mundi simul collecta, comparari nequeunt gaudio quod unusquisque Beatorum habet de beatissimæ virginis Mariæ præsentia et conspectu : quod etiam quibusdam electis amatoribus ejusdem Virginis sanctæ datum est in vita hac experiri, quibus ipsa Virgo piissima visibiliter apparere dignata est. Nec dubium quin multo plus delectentur in adspectu humanitatis Filii Dei. Et tamen hæc omnia gaudia ad accidentale pertinent præmium Beatorum, quod totum simul sumptum, incomparabiliter minus est gaudio præmii essentialis, videlicet beatæ fruitionis qua excellentissima Trinitate et ejus una simplicissima deitate fruuntur.

At vero qualiter Sancti intra se gaudeant de propria felicitate, perfectione et gloria, et de universis ac singulis suis concivibus, angelis sanctis et animabus beatis, tactum est alibi [1].

Adspiremus ergo, festinemus et cursitemus ad ineffabilem gloriam electorum : ad quam currere, est eam ferventer appetere; ad quam festinare, est tempus indultum fructuose expendere, et Dei præcepta diligenter implere; ad quam adspirare, est ejus desiderio ac amore flere et gemere in hac lacrimarum valle, exemplo Prophetæ qui dixit, Heu mihi! quia incolatus meus *Ps.* CXIX, 5.
prolongatus est; atque Apostoli clamantis, Infelix ego homo! quis me liberabit de *Rom.* VII, 24.
corpore mortis hujus? Certe si in regno cœlorum non esset aliud gaudium aut præmium, nisi videre speciosissimam, optimam dulcissimamque Mariam Christiferam, merito totis viribus conaremur illuc pertingere : quanto magis quum in adorandi Dei gloriosa et fruitiva visione constituta sit principaliter salus et merces nostra, quæ (ut sanctus fatetur Bernardus) tam grandis est quod non potest metiri, tam multa quod non valet numerari, tam copiosa ac diuturna quod nequit finiri? Unde rursus locutus est : Revera illud est verum solum gaudium, quod non de creatura, sed de Creatore concipitur : cui comparata omnis aliunde concepta jucunditas, mœror est; omnis suavitas, dolor est; omne dulce, amarum; omne decorum, fœdum; omne quod aliunde delectare possit, molestum.

[1] *Cf.* de Mutua cognitione Beatorum in patria (inter Opera minora).

AD RELIGIOSOS

SERMO QUARTUS

DE COMPENDIOSISSIMO MODO PROFICIENDI PER EXSTIRPATIONEM PRIVATI AMORIS, ET VARIIS ALIIS SALUTARIBUS DOCUMENTIS.

PRO *omnibus mortuus est Christus, ut qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est.* II Cor. v, 15.

A

Hæc sunt verba Pauli apostoli, ad Christi pro nobis crucifixi imitationem nos invitantis. Nam ut idem ait Apostolus, [*Rom.* VIII, 17; II *Tim.* II, 12.] Si Christo compatimur, conregnabimus ei. Non enim est servus major domino [*Joann.* XIII, 16.] suo. Si ergo oportuit Christum pati et [*Luc.* XXIV, 26.] ita intrare in gloriam suam, quomodo nos gloriam istam intrabimus, si Christum sequi negligimus, ejus humilitatem, patientiam, mansuetudinem, obedientiam, caritatem non curantes sectari, præsertim [I *Petr.* II, 21.] quum Petrus dicat apostolus, Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus? Quid autem est Christi vestigia sequi, nisi per præfatas virtutes suæ sanctissimæ conversationi ac passioni nostram conversationem (quantum possibile est) conformari? Quemadmodum docet evangelista Joannes: [I *Joann.* II, 6.] Qui se dicit in Christo manere, debet sicut ille ambulavit, et ipse ambulare. Igitur, sicut vita Christi in mundo hoc tribulationibus et persecutionibus exstitit plena, sic electorum Christianorum vita in sæculo isto diversis tribulationibus et persecutionibus exercetur, probatur, et coronatione gloriæ sempiternæ digna efficitur. Propter [II *Tim.* III, 12.] quod dicit Apostolus : Omnes qui volunt pie vivere in Christo, persecutionem pati- [*Act.* XIV, 21.] entur ; et rursus, Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum ; [II *Tim.* II, 5.] itemque, Non coronabitur nisi qui legitime certaverit. Etenim contra tres hostes forte et incessabile prælium habent electi, videlicet contra diabolum, mundum, et propriam carnem : imo et contra propriam voluntatem, quam laboriosum ac difficillimum est in omnibus abnegare et vincere, rectificare, et divinæ voluntati subjicere. Quod tamen Christus in Evangelio multipliciter monet ac docet : ut abnege- [*Luc.* IX, 23, 24; XIV, 26; *Matth.* XVIII, 8, 9; V, 44; XVIII, 35; etc.] mus, relinquamus et odiamus nos ipsos ; ut oculum, manum, pedem scandalizantem eruamus, abscindamus et projiciamus

B

a nobis ; ut adversarios diligamus, odientibus benefaciamus, et pro calumniatoribus ac persecutoribus deprecemur, omnique in nos peccanti indulgeamus ex corde ; et alia quædam similia, quæ ad exsequendum forsitan videntur difficilia.

Verumtamen omnium horum documentorum seu præceptorum, imo et omnium moralium doctrinarum ac jussionum totius Scripturæ, vis et summa atque sententia, in paucis videtur consistere, ut scilicet privatum amorem eradicemus om-

C

nino ex nobis : quod faciendo, in omni proficiemus et perficiemur virtute, etiam in divino amore. Etenim Augustino testante, amor privatus est omnium vitiorum origo ; amor autem divinus seu caritas, omnium bonorum est radix. Duo quippe amores, duas constituunt civitates. Nam amor sui crescens usque ad contemptum Dei, constituit civitatem Babylonis, quæ est ecclesia malignantium, et corpus ac regnum diaboli ; sed amor Dei crescens

usque ad contemptum sui, constituit civitatem Dei, quæ est Ecclesia militans, et corpus et regnum Christi. Itaque minoratio privati amoris est augmentatio seu profectus amoris divini seu caritatis; plena autem privati amoris evulsio est perfectæ caritatis adeptio. Oportet igitur scire, quid sit amor privatus seu amor sui, quid item sit amor Dei.

Itaque amor sui est inordinata affectio qua homo amat se in se. Et amor iste vocatur improbus, ad se reflexus, privatus et vitiosus, quoniam non est ordinatus ad Deum, ac ultimum finem, qui est æterna felicitas. Quum enim homo creatus sit ad Dei honorem et gloriam, ejusque beatificam visionem, ita quod Deus seu beatifica visio est hominis finis: ideo debet homo semetipsum et totam vitam suam, omniaque quæ habet, ad Deum referre, et ad ejus honorem ac gloriam visionemque beatificam ordinare, nec aliter se amare nisi in Deo et per ordinationem sui ad ultimum finem suum. Hinc amare se in se, est inordinatum, perversum atque damnabile. Porro amare se in se, est ea velle atque affectare quæ sunt homini delectabilia, utilia seu honesta, quoad propriam inclinationem et naturam in se ipsa consideratam. Sicque ex amore isto privato statim procedit sensualis concupiscentia et omnia vitia carnis, in quantum ex amore privato appetit homo delectabilia sibi in se. Sic enim ex isto maledicto amore procedunt gula, luxuria, desiderium delicati cibi et potus, oscula et amplexus, lascivi adspectus, carnalis affectus, libidinosi contactus, applicatio corporalis, confabulatio vana, mollis et diuturna dormitio, horror pœnitentiæ et laboris, ridere et jocari, et inordinate solatiari, hoc est, in se et in rebus caducis, non in Deo, consolari et gloriari. Præterea, in quantum homo ex amore privato appetit utilia sibi in se et secundum se, sic ex pessimo isto amore procedunt avaritia sive cupiditas, sollicitudo superflua, fraus, dolus, furtum, rapina, adulatio, quæstus, thesaurizatio,

A occupatio, timor perdendi terrena, dolor superfluus de amissione eorum, curiosus et superfluus vestitus. Amplius, in quantum ex pestifero sui amore appetit honesta sibi in se et secundum proprium appetitum, sic ex amore isto nascuntur ambitio, desiderium prælationis, cupido propriæ libertatis, simoniaca pestis, blanda promissio, prava suspicio, partialitas, simulatio, calliditas, infidelitas, hypocrisis, singularitas, complacentia vana, aliaque diversa ac gravia vitia, sicut inobedientia, B contentio, rebellio, induratio, pertinacia, atque similia. Præterea, sicut ex privato amore homo appetit delectabilia et honesta sibi in se, sic ex eodem amore horret et fugit contraria illis. Sicque ex amore privato procedit detestatio tristium, puta eorum quæ pœnalia et molesta sunt corpori, ut sunt: abstinentia, jejunium, vigiliæ, disciplinæ, rigor pœnitentiæ, obedientia, labor, asperitas vestis, perpessio nuditatis, carentia fabulationum, jocorum ac terrestrium. Hinc sciamus et advertaC mus, tantum adhuc nobis inesse et animæ nostræ visceribus inhærere de privato amore, quantum de prætactis ejus effectibus vitiisque præfatis exstat et invenitur in nobis.

Porro amor Dei seu caritas, est pura ac spiritualis dilectio, qua super omnia diligimus Deum, et nos ipsos in Deo, hoc est secundum doctrinam, præceptum et beneplacitum Dei. Itaque amare se in Deo, est omnia illa appetere et amplecti quæ sunt homini expedientia aut necessaria ad D complacendum Deo, ad proximandum ei, ad proficiendum in gratia et caritate ejus, ad obtinendum æternam salutem. Sicque ex Dei amore seu caritate procedunt: castitas, castigatio corporis, refrenatio desideriorum carnalium, patientia in adversis, amor injuriarum, increpationum et correctionum; obedire in omnibus, velle subesse, nolle præesse, se ipsum despicere, ab aliis despici velle, operibus pœnitentiæ insudare, et omne tempus fructuose deducere, bona pro malis rependere, in divinis

alacriter laborare, sibi ipsi non parcere A nec blandiri; injuriantibus, increpantibus, accusantibus, detrahentibus nunquam irasci, indignari nec contristari, neque se vindicare; paupertate, inopia, dejectione gaudere; Deum totis viribus omnique modo possibili honorare, et alios ad idem pro posse inducere, eorumque scandalizationem toto conatu vitare; in Dei laudibus, orationibus, meditationibus delectari ac immorari. Ecce isti sunt effectus et signa divini amoris veræque caritatis; et quantum ab istis actibus deficimus, tantum a B perfecta caritate et a divini amoris perfectione et puritate deficimus.

Si itaque affectamus universa vitia amputare, omnes passiones refrenare, in omni virtute proficere, in caritate et gratia perfici, nostræ satisfacere professioni, et juxta nostræ vocationis exigentiam digne Deo jugiter conversari, studeamus indesinenter privatum amorem expellere, atque in Deo nos vere diligere : quia in hoc consistit, ut tactum est, tota summa et vis ac sententia omnium moralium documentorum C ac præceptorum totius Scripturæ et Ecclesiæ, omniumque doctorum fidei christianæ.

Præterea si quæratur, qualiter possit ac debeat homo ista implere; respondetur, quod ad hoc sunt plurimæ viæ. Prima est, ut homo incessanter ac fervide invocet Deum pro virtute et gratia sic agendi. Secunda, ut etiam invocet Virginem gloriosam, et angelum sanctum suæ vitæ custodem, ac Sanctos ad quos majorem habet affectum ac devotionem, ut intercedant pro eo ad Dominum, istamque gratiam sibi impetrare dignentur. Tertia est, ut faciat etiam assidue quod in se est, faciendo sibi forte propositum reformandi se taliter, et amandi se in Deo dumtaxat, et dicendi frequenter in animo suo : Ecce in Deo solo volo, intendo, propono me amare, et omnia illa desiderare, et cum gaudio tolerare ac facere ea per quæ possum ei placere, approximari et uniri. Quarta est, considerare quam ineffabilem fructum consequitur homo sic faciendo, et quantum damnum incurrit hoc negligendo. Quinta est, intueri Christum et ceteros Sanctos, qui ita egerunt, et eorum sequi vestigia. Sexta est, ut discat et assuescat quotidie se frangere in parvis, ut paulatim se frangat ac vincat in majoribus, et tandem in maximis; seque in cunctis ex toto corde humiliet, quia per hoc specialissimam opem ac gratiam desuper obtinebit.

SERMO QUINTUS

QUOD RELIGIOSI OMNE QUOD AGUNT, ORDINARE DEBEANT AD PROFECTUM, PURITATEM FERVOREMQUE DIVINI AMORIS.

COR *nostrum ardens erat in nobis* de D Jesu. Luc. XXIV, 32.

Nihil nobis salubrius, nihil utilius, nihil denique magis necessarium est caritate. Caritas enim inter universas virtutes tenet primatum, estque præclarissima omnium virtutum regina, imperatrix, motrix, vita et forma : ita quod sine caritate nihil est meritorium vitæ æternæ, nil Deo acceptum. Et sicut anima est vita corporis, sic caritas vita est animæ : caritas namque maxime unit nos Deo. Ideo omnium ceterarum virtutum actus et exercitia, sunt quotidie ordinanda ad sanctæ ac divinæ caritatis augmentum et inflammationem; et quidquid agimus boni, quidquid laudabiliter loquimur aut patimur, ad hoc ordinare debemus, ut per ea crescamus in Dei

amore. Denique, ob hoc religiosæ personæ mundum, parentes, propinquos, et omnia quæ sunt mundi, relinquunt, quatenus ab omnibus illis abstractæ, corda sua cum majori caritatis fervore, cum puriori et stabiliori amore uniant Deo, sicque per sanctas affectiones et contemplationes ac meditationes quiescant in ipso : quoniam mens humana tanto integrius atque perfectius occupari et affici potest in uno, quanto minus circa diversa et multa distrahitur, occupatur et afficitur. Hinc quoque religiosæ personæ faciunt votum perpetuæ castitatis, ne per carnales voluptates et concupiscentias sensuales impediantur et avertantur a puritate spiritualis et divini amoris. Ob hoc etiam paupertatem promittunt, ne per sollicitudines, occupationes et cupiditates circa temporalia ac terrena, ab integritate, stabilitate, sinceritate et fervore divini amoris retrahantur ac delabantur. Ob eamdem causam et obedientiam vovent, ne propria voluntate et libertate abutendo, agant et incidant in ea quæ divinæ caritati contrariantur; atque ut divinæ voluntati se conformando, et juxta sui superioris ac Ordinis imperium conversando, celerius copiosiusque proficiant omni die in Dei amore. Et breviter, ad divinæ caritatis perfectionem pertingere, est finis ac ratio omnium evangelicorum, quæ Christus dedit ac docuit, consiliorum. Quemadmodum enim præcepta Dei jubent ea quæ necessaria sunt ad caritatem, et prohibent ea quæ caritati contrariantur directe; ita evangelica Christi consilia docent et persuadent ea vitare quæ solent a caritate Dei et ejus profectu ac perfectione impedire atque retrahere, quamvis non sint mala in se : sicut habere uxorem ac propria possidere. Ea quoque suadent arripere et amplecti, quæ accommoda sunt et compendiosius ducunt ad profectum et plenitudinem caritatis divinæ : ut sub obedientia vivere, propria non habere, perpetuam castitatem servare.

Præterea, caritas virtus est a Spiritu Sancto infusa et data, per quam Deum

A primo et principaliter, super omnia et incomparabiliter diligimus, propter puram et infinitam bonitatem ipsius, et quia prior I *Joann.* IV, 10, 19.
dilexit nos, et propter universa beneficia ac promissa ipsius, et maxime propter ea quæ Unigenitus Patris æterni pro nostra salute assumpsit, fecit ac pertulit. Qui autem crediderit se esse in caritate et Deum vere diligere, penset an inveniat in se ea quæ Apostolus de caritate affirmat : *Caritas (inquiens) patiens est, benigna est;* I *Cor.* XIII, 4-7.
caritas non æmulatur, non agit perperam, B *non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate,* et omnia suffert. Amplius ad caritatem pertinet, voluntatem amantis conformare voluntati amati : etenim amantium se invicem est, eadem velle et nolle. Idcirco ad hoc quod quis diligat Deum, requiritur ut præcepta Dei adimpleat, et peccata quæ odit Deus, detestetur ; virtutes quoque ac opera sancta, quæ diligit Deus, amet. Nec aliter blandiatur quis sibi, quod diligat C Deum. Rursus, amans cupit felicitatem et honorem ejus quem diligit : idcirco qui diligit Deum, congaudet infinitæ beatitudini ejus, et veneratur eum pro posse, cupitque eum ab omnibus honorari, et proximos suos pro viribus suis avertit ab inhonorationibus Dei, eos quoque verbo et opere inducit, quantum valet, ad honorationem majestatis divinæ.

Præterea potest quis sciscitari, qualiter possit ac debeat in caritate proficere. Ad quod respondendum, quod multis modis. D Primo, ut dictum est, omnia quæ agit ac patitur, propter hoc agendo ac patiendo ut per ea crescat in sancta Deitatis dilectione. Sic namque assidue cogitando de profectu et inflammatione divini amoris in se, et adspirando ad talem caritatis profectum, fovet in se caritatem, et aptat se ad hoc quod Spiritus Sanctus veram caritatem in ipso augmentet, accendat atque perficiat. Nam quanto plus homo disponit se ad aliquam Dei gratiam ac virtutem, tanto plus perficitur in eis a Deo.

Secundo proficit ac perficitur homo in caritate, Deum fideliter et instanter orando ut suam divinam dilectionem dignetur in se augere, inflammare, perficere. Tertio, frequenter adspirando et gemendo ad Deum cum his et consimilibus verbis : O Deus dulcissime, quando te toto corde amabo? O pulcherrime et incomparabilis Deus, quamdiu a tua sanctissima caritate tam frigidus remanebo? O bone et superoptime Domine, quando tibi jugiter ac fervide adhærebo? Quarto, assidue considerando quam admirabilis et superadmirabilis sit Dominus Deus omnipotens, quam infinite pulcherrimus, sapientissimus, piissimus perfectissimusque consistat, et quod prior tam vehementer dilexit nos. Cognitio enim est via ad amorem. Quinto, indesinenter pensando universa beneficia ejus, generalia ac specialia, corporalia et spiritualia, naturalia et supernaturalia, et quod ad æternam beatitudinem nos creavit : itemque, quod Pater æternus unigenitum Filium suum misit et dedit pro nobis, et quod Spiritus Sanctus tam gratiosissime egit nobiscum, et quod Deus tam diu sustinuit nos in vitiis et excessibus nostris, et toties nos ad suam gratiam reduxit.

I Joann. IV, 10, 19.

Ibid. 9, 10.

Sexto, frequenter se elevando ad actualem Dei amorem. Ex multis enim actibus gignitur habitus, et tandem consuetudo; unaque actio bona disponit ad aliam sibi consimilem ac meliorem, sicut et unum peccatum trahit ad aliud. Septimo, peccata vitando intuitu et amore Dei, id est propter Deum, ne offendatur : quemadmodum legitur de sanctissima et admirabili illa Elisabeth de Thuringia, quod quando ad gerendum aliis morem cogebatur quodammodo chorizare, statim quum semel circuierat, dixit : Alia volo dimittere propter Deum; et ita consuevit dicere et facere in aliis ludis. Octavo, animam ab omni carnali et sensuali amore purgando, quatenus possit amore repleri divino et spirituali : quia hi duo amores simul inesse et stare non queunt. Imo, quum omne mortale peccatum contrarietur caritati, necesse est ab omni peccato mortali diligentissime abstinere. Et quia venialia peccata caritatis fervorem, puritatem et incrementum impediunt, ipsamque caritatem infrigidant atque debilitant, necesse est a venialibus quoque peccatis sollicite præcavere, et cordis puritati studere, sicque cum summa vigilantia devitare quidquid offensivum est oculorum majestatis divinæ. Nono, quidquid amabilitatis, suavitatis et excellentiæ in creaturis conspicitur et occurrit ac placet, statim referre ad præconium Creatoris, qui largitus est illud, ac taliter cogitare debemus : O quam gloriosus atque amabilis est Deus creator universorum, qui rebus istis corporeis tantam amabilitatem, virtutem, suavitatem aut eminentiam indidit et concessit : quibus omnibus ipse in se ipso infinite est amabilior, virtuosior, dulcior atque perfectior.

Porro, ut eam caritatem obtineamus, indigemus multis supernaturalibus donis, mediis atque auxiliis, et primo gratia gratum faciente, quæ ipsam intellectualis ac rationalis naturæ essentiam ornat ac perficit, atque in esse supernaturali, divino, et ad promerendam vitam æternam idoneo, statuit. Insuper caritas qua Deus proximusque amatur, supernaturaliter pure gratuite nobis a Spiritu Sancto infunditur; sed et fides quoque et spes. Hæc caritas in habente præponderat amore totius universi, ita ut plus diligat Deum quam universa creata : imo minimus gradus caritatis facit Deum plus toto universo amari : aliter homo non esset in statu salutis, prout Thomas pulchre deducit. Præterea, secundum doctores, quicumque habet caritatem, habet et gratiam jam præfatam; habet etiam septem dona Spiritus Sancti, saltem secundum aliquem gradum, ceterasque virtutes infusas, caritati et gratiæ connexas. Quo autem in caritate et gratia magis profecerit, eo in donis et virtutibus sublimius crescit.

Denique tanta est dignitas atque excellentia horum supernaturalium bonorum, ut nec comprehendi facile nec explicari

possit. Nulla quippe naturalis perfectio, A forma, decor aut claritas, eis potest æquari. Non tantum neque tam pulchre ornat lux cœlestis substantiam solis et lunæ, quantum gratia decorat essentiam animæ ; nec sol tantum venustat regionem cœlestem, quantum caritas Dei venustat animæ voluntatem. Sed nec septem planetæ tantum ornant orbes cœlestes, quantum septem dona Spiritus Sancti ornant atque clarificant animæ vires. Neque universitas denique siderum tantum decorat ac perficit firmamentum seu sphæram octavam, B quantum universitas ceterarum virtutum dignificat, ornat et perficit animam.

Quemadmodum juxta Philosophum, beatitudo potius consistit in actu quam habitu, sic apud theologos magis perfectio consistit in actibus virtuosis quam in ipsis habitibus. Nobiliorum quoque habituum nobiliores sunt actus. Quum ergo præhabita gratiæ bona ac dona sint habitus tam præstantes ac summi : nonne nobilissima, deiformis atque prælucida tibi videtur anima christiana, quæ horum habituum actibus jugiter occupatur, quæ tam spiritualiter, supernaturaliter ac deiformiter conversatur, Deum tam eminenter colit et veneratur, cujus utique conver- *Philipp.* III, 20.
satio est in cœlis ? Hinc nimirum anima talis, est Dei filia, amica et sponsa, secretorum cœlestium conscia, Deo familiaris, conformis in affectu ac intima, heres Dei, coheresque Christi ; quæ revelata facie II *Cor.* III, 18.
Deum contemplans, in eamdem transformatur imaginem a claritate in claritatem : quia in fastidium versa sunt ei omnia ista mundana, caduca, carnalia, humana solatia, laudes, honores et pompæ sæculares, et quidquid displicet Deo ; quidquid vero noverit Deo placere, hoc toto affectu amplectitur.

FERIA TERTIA PASCHÆ

ENARRATIO IN EPISTOLAM

SURGENS PAULUS, ET MANU SILENTIUM INDICENS, ETC. Act. XIII, 16, 26-33.

Act. XIII, 13 et seq. QUUM apostolus Paulus cum Barnaba a A Papho navigasset, atque Pergen Pamphyliæ transeuntes, venissent Antiochiam Pisidiæ, ingressi sunt synagogam. Et post lectionem legis et Prophetarum, miserunt ad eos principes synagogæ, invitantes illos ad aliquem sermonem faciendum ad plebem.

Surgens itaque *Paulus,* principibus et toti congregationi honorem impendens, *et manu silentium indicens,* ut attentius audiretur, *ait : Viri fratres, filii generis,* id est tribus, *Abraham, et qui in vobis* B *timent Deum* (quod referri potest ad conversos ad Judaismum), *vobis verbum salutis hujus,* id est prædicatio ; vel, « verbum salutis hujus », id est Verbum Dei incarnatum, humanæ auctor salutis, *missum est* primo, specialiter ac principaliter, ita Matth. XV, 24. ut ipsemet Christus testatus sit : Non sum missus nisi ad oves domus Israel quæ Ibid. X, 5, 6. perierunt. Discipulis quoque præcepit : In viam gentium ne abieritis, sed ad oves perditas domus Israel.

Qui enim habitabant Jerusalem, puta C vulgares, *et principes ejus, ignorantes Jesum* esse Messiam (quod quomodo verum sit, dicetur super epistolam feriæ sequen- Act. III, 17. tis, super illa verba, Scio, fratres, quia per ignorantiam fecistis, sicut et principes vestri), *et voces Prophetarum, quæ per omne sabbatum leguntur* in synagogis seu scholis eorum : quia verba Prophetarum de Christo non intellexerunt; *judicantes* quod morte esset condignus, *impleverunt* quæ de Christi passione prophetata fuerunt. *Et nullam causam mortis invenientes in eo,* secundum veritatem, *petierunt a Pilato ut interficerent eum,* id est, ex ejus sententia per milites interfici facerent : quod Joann. XIX. et fecerunt. *Quumque consummassent omnia quæ de eo scripta erant,* videlicet de ejus comprehensione, ligatione, consputione, passione, *deponentes eum de ligno, posuerunt in monumento.* Non utique iidem numero interfecerunt, et deposuerunt ac sepelierunt : sed illud, impii ; hoc, justi, videlicet Joseph ab Arimathea et Nicode- Ibid. 38-42. mus. Verum Scriptura more solito loquitur de diversis quasi de eisdem, sicut in Psalmo : Quum occideret eos, quærebant Ps. LXXVII, 34. eum ; et iterum, Et non recessit retro cor Ps. XLIII, 19. nostrum, et declinasti semitas nostras a via tua.

Deus vero suscitavit eum a mortuis tertia die : qui visus est per dies multos his qui simul ascenderant cum eo de Galilæa in Jerusalem, scilicet viris ac feminis, præsertim Apostolis ; *qui usque nunc sunt testes* resurrectionis *ejus ad plebem,* quod ipse sit Christus pro hominibus crucifixus et suscitatus. *Et nos vobis annuntiamus eam quæ ad patres nostros repromissio facta est* de Christi adventu et salvatione generis humani per ipsum ; *quoniam hanc Deus adimplevit filiis nostris,* id est Judæis qui nunc sunt, scilicet ad eorum salutem : qui si cre-

diderint in Christum, immaculateque vixerint, non habebunt necesse ad limbum descendere, ut patres eorum quantumli- A bet sancti, sed morientes mox evolabunt; *resuscitans Jesum Christum Dominum nostrum.*

SERMO PRIMUS

DE PERFECTÆ CARITATIS ADEPTIONE PER EXSTINCTIONEM PRIVATI AMORIS, QUI EST OMNIS PECCATI ORIGO.

DEUS *suscitavit* Jesum *tertia die.* Act. XIII, 30.

Ad hoc Christum credimus mortuum, ad hoc credimus resurrexisse, ut et nos cum Christo moriamur, et cum eo resurgamus : moriamur peccatis et vitiis, resurgamus per novitatem vitæ in virtutibus; moriamur amori privato, et resurgamus amori divino. Duos namque esse amores docet S. Augustinus, qui duas constituunt civitates. Nam amor Dei crescens usque ad contemptum sui, constituit civitatem Dei Jerusalem, quæ est Ecclesia electorum : id est, dum electi in tantum crescunt atque proficiunt in divino amore, quod contemnunt se ipsos, tunc vere sunt membra Ecclesiæ. Porro amor sui crescens usque ad contemptum Dei, civitatem efficit Babylonis, regnumque mundi : cujus princeps vocatur diabolus, sicut Christus disseruit, Venit ad me princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam. (Joann. XIV, 30.) Dum enim perversi sic crescunt in sui ipsius privato amore, quod Dei præcepta non curant, nec Deum honorant, tunc vere sunt membra diaboli, suntque de numero congregationis damnandorum. Constat ergo quod omnium vitiorum origo est amor sui, seu amor privatus. Unde si in Dei amore omniumque virtutum decore optamus proficere, omnino oportet ut istum amorem privatum conemur funditus exstirpare et ebannire : et quanto in hoc magis proficimus, tanto in Dei amore et universis virtutibus sublimius promovemur et crescimus. Oportet itaque scire quid sit amor B iste privatus ita nocivus, et quid sit amare se in se; quid item sit amare se in Deo.

Considerandum est itaque, quod amare se in se seu amor privatus, et amare se in Deo seu amor divinus, penitus contrariantur, et se mutuo expellunt seu destruunt. Quum enim amare sit alicui bonum velle, amare se in se, est sibi ipsi bonum velle per comparationem seu respectum ad se ipsum et propriam voluntatem seu concupiscentiam, non per relationem atque intuitum ad Deum et ultimum finem veram- C que felicitatem : sicut dum aliquis amat et appetit delectabilia, utilia vel honesta, quoad statum et vitam præsentem, propriam carnem, ac voluntatem perversam, per quæ impeditur et elongatur a Deo. Denique, se amare in Deo, est ipsum Deum gloriosum ac omnipotentem super omnia diligere, et ea quæ bona ac proficua sunt quoad Deum, ad ultimum finem seu vitam æternam, ad beatitudinem consummatam, cordiali affectu appetere; omnia quoque semper ac ubique principaliter ad Dei ho- D norem referre.

Patet ergo quod amor sui seu amor privatus, est amor inordinatus, vitiosus, ad se ipsum reflexus, quo bona terrena, vana, caduca, videlicet fama et gloria hujus mundi, divitiæ et honores sæculi hujus, plus amantur quam Deus æternus et bona cœlestia, spiritualia ac divina : quemadmodum faciunt ambitiosi, avari, superbi, carnales, et omnes vitiosi, qui ea exquirunt quæ propriæ voluntati et affectioni atque naturæ (quoad se ipsam) dulcescunt et

placent carnaliterque delectant, eos quoque qui talia sibi impendunt, carnaliter diligunt. Ea vero quæ propriæ affectioni contrariantur, quamvis saluberrima sint, detestantur, videlicet increpationem, disciplinam, carnis macerationem, et humiliationem : unde et his qui talia eis inferunt, indignantur aut irascuntur.

Itaque ex isto privato amore innumerabilia vitia oriuntur, puta superbia, ira, impatientia, vana gloria, præsumptio, invidia, ambitio, vitia quoque carnalia, gula et avaritia. Ex hoc nempe quod aliquis prædicto modo amat se ipsum, statim oritur desiderium propriæ excellentiæ, quod est superbia; deinde affectus vindictæ contra eos qui aliquid injuriæ vel parvipensionis irrogare videntur : qui affectus est ira; ulterius tristitia contra eos qui adversa infligunt : quæ est impatientia. Sicque ex isto amore sui ad se, universa scaturiunt vitia.

Idcirco si cuncta peccata superare optamus, non amemus nos per reflexionem privatam ad nos, sed solum in Deo, evellamusque funditus privatum amorem, omnia detestando per quæ elongamur aut separamur a Deo : per peccata quippe mortalia separamur a Deo, per venialia vero quodammodo elongamur ab eo. Omnia quoque per quæ promovemur, perducimur seu juvamur ad Deum, cordialiter diligamus et amplectamur.

Insuper ad vitam æternam optima et
Ps. LXV, 12. compendiosissima via est, per ignem et aquam transire, hoc est diversas tribulationes æquanimiter ferre, ignominiam pati, ab omnibus vilipendi, vituperari, nesciri; corpus affligere, sacris vigiliis insudare, piis laboribus fatigari, in orationibus et meditationibus sanctis pernoctare, in omni Divinitatis obsequio ferventer ac indesinentissime occupari. Omnia ergo hæc amat, qui se ipsum in Deo efficaciter diligit; et sicut ista desiderat, sic horum opposita, scilicet adversa non pati, ab omnibus honorari, vane laudari, famari, deliciose nutriri, somno otioque

A vacare, a Dei cultu cessare : hæc (inquam) spernit, odit et vitat.

Quum autem quis aliquid vere desiderat, tunc in illius adeptione atque præsentia cordialiter delectatur; dum vero aliquid odit et fugit, tunc plane in illius eventu tristatur. Si ergo nos ipsos in Deo vere diligimus, tunc summe ac intime gloriamur dum tribulationibus conquassamur, dum ignominias patimur, et ab universis contemnimur, deridemur, arguimur, reprobamur; amamus nesciri, cupimus sub-
B esse et obedire, affectamus in omnibus nos ipsos relinquere; in carnis afflictione, et in sanctis vigiliis, continuis precibus, meditationibus bonis, ceterisque exercitiis virtuosis ac piis laboribus vehementer lætamur; adversarios nostros intime diligimus, vituperantibus atque spernentibus nos, pium ac caritativum rependimus affectum : siquidem per illos purgamur a vitiis, gratiam impetramus, Christo atque martyribus assimilamur, et Deo placemus. Hæc etenim ad christianam pertinent per-
C fectionem : nihil in hac vita consolationis requirere, nihil quietis, nec velle recipere bona in vita præsenti, sed honores refugere, subjectione et abjectione gaudere, paupertatem studio quærere; non solum facultates, sed etiam cupiditates a cordibus eradicare.

Ecce in istis consistit profectus noster, atque perfectio. Qui ad ista (Deo auxiliante) pertingit, potest dicere cum Paulo : Christo confixus sum cruci; vivo autem *Galat.* II, 19, 20. jam non ego, vivit vero in me Christus.
D Et iterum : In omni fiducia magnificabitur Christus in corpore meo, sive per vitam, sive per mortem; mihi enim vivere Christus est, et mori lucrum. *Philipp.* I, 20, 21. Sic namque privatum amorem exstirpare, est vere se ipsum salubriter mortificare, carnem cum vitiis et concupiscentiis crucifigere, *Galat.* V, 24. mori mundo et vivere Deo. Quod qui facit, dicere cum Apostolo potest : Ego stigmata Domini Jesu in corpore meo porto. *Ibid.* VI, 17.

Itaque, secundum quod Aggæus propheta hortatur, Ponamus corda nostra super *Agg.* I, 5.

vias nostras, considerando diligenter quotidie, imo frequenter quolibet die, quid nobis quoad Deum, bonum et utile sit, idque jugiter diligamus; quid item nos a Deo avertat, impediat aut elonget, idque infatigabiliter evitemus. Verum, quoniam ista difficilia sunt, nec cito adipiscuntur (virtus enim est circa difficilia, et quo perfectio altior est, tanto opus est majorem adhibere conatum); idcirco totam spem nostram constituamus in Deo, ejus A opem et gratiam incessabiliter implorando, fideliter quoque quod in nobis est faciendo. Inchoemus fiducialiter, prosequamur viriliter, ut obtineamus feliciter, considerantes quod ait Apostolus : Stabiles estote et immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes quod labor vester non est inanis in Domino. Itemque Psalmista : Exspecta Dominum, viriliter age, et confortetur cor tuum, et sustine Dominum.

I *Cor.* xv, 58.

Ps. xxvi, 14.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

STETIT JESUS IN MEDIO DISCIPULORUM SUORUM, ETC. Luc. XXIV, 36-47.

DESCRIBIT Lucas apparitionem illam B Salvatoris post resurrectionem suam, qua discipulis suis collectis in cœnaculo apparuit, videlicet quum discipuli duo qui iverant in Emmaus, reversi narrabant Apostolis quomodo in via se Dominus associasset illis, et quomodo cognovissent illum in fractione panis.

Luc. xxiv, 35.

Hæc itaque dum loquerentur, *Stetit Jesus in medio discipulorum suorum,* hoc est, repente januis clausis intravit, atque in medio stetit, sicut promisit : Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine C meo, ibi sum in medio eorum. Stetit autem in medio ad litteram, ut ab omnibus melius videretur et audiretur, seque monstraret esse eumdem qui ante passionem in medio eorum consistere solitus erat; spiritualiter vero, ut humilitatem commendaret, et virtutum magistrum se esse ostenderet : nam virtus consistit in medio; et ipse ante passionem disseruit, Ego in medio vestrum sum, sicut qui ministrat. Per hoc quoque ostendit dilectionem suam ad discipulos suos.

Matth. xviii, 20.

Luc. xxii, 27.

Et dixit eis : Pax vobis, hoc est, pacem pectoris, quæ est tranquillitas seu quies mentis in Deo, habete modo per gratiam, et pacem æternitatis habete nunc per spem et aliquam prægustationem. Itaque, sicut Salvator ante suam passionem præcepit discipulis, In quamcumque domum intraveritis, primum dicite, Pax huic domui; sic ipsemet post resurrectionem visitando eos, primum locutus est, Pax vobis. Quo constat quam magnum bonum sit pax vera, spiritualis et interna. *Ego sum* vere magister et Dominus vester, paulo ante crucifixus, et nunc vere resuscitatus : qui secundum deitatem sum æternaliter et perfecte, cujus esse est plenum, infinitum, simplicissimum omniformiterque perfectum; qui dixi ad Moysen : Ego sum qui sum. *Nolite timere* inordinato timore, quasi velim vos fallere aut nocere.

Luc. x, 5.

Exod. iii, 14.

Conturbati vero præ admiratione, *et conterriti,* sicut naturale est fragilitati humanæ defunctorum apparitionem horrere, et insolitas expavescere visiones, sed et propter periculum, *existimabant se spiritum videre,* videlicet animam Christi, aut alium spiritum forte fallacem in corpore D assumpto. Sed mirum quomodo hoc putabant, quum jam paulo ante dixissent, quod surrexit Dominus vere : quod audierunt a sanctis mulieribus, et a Petro, a duobus

Luc. xxiv, 34.

quoque discipulis, atque (ut reor) a Jacobo A Minore, cui ante hanc horam apparuit Christus. Et respondendum, quod ideo forsitan putabant se spiritum videre, non verum corpus, quoniam clausis introiit januis : quod adhuc impossibile forsitan æstimabant vero humanoque corpori. Verumtamen Petrus et duo prædicti discipuli, et Jacobus Minor, de resurrectione Christi non dubitabant, quamvis virtutem et dotes corporis glorificati nondum cognoscerent.

Et dixit eis : Quid turbati estis, hoc B est immoderanter inquietati, formidolosi et stupidi, *et cogitationes* erroneæ *ascendunt in corda vestra,* ex proprii intellectus imbecillitate, quia suspicamini spiritum vos videre? *Videte manus meas et pedes,* in quibus manent vulnerum cicatrices, ad insinuandum quod vere in proprio corpore resurrexi, *quia ego ipse sum,* qui fui mortuus, et nunc corporaliter vivo atque appareo; *palpate,* ut certificemini etiam tactu, *et videte,* exteriori interiorique oculo, me veraciter surrexisse et appare- C re; *quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere :* spiritus enim in sua natura est simplex. *Et quum hoc dixisset, ostendit eis manus et pedes,* et cicatrices in eis : forsan etiam latus, ejusque cicatricem. Voluit autem cicatrices in suo corpore reservare : primo, ad probandum veritatem suæ resurrectionis; secundo, in signum victoriæ; tertio, ut per hoc electos et Sanctos in patria in suo magis accendat amore; quarto, ut eas Patri pro nobis præsentet; quinto, ad majorem im- D piorum et ingratorum confusionem.

Adhuc autem illis non credentibus quod verum conspicerent corpus Christi, ob causam prætactam; nec omnes erant æque increduli, imo quidam omnino credebant, et quidam nondum complete : ideo subditur, *et mirantibus præ gaudio,* quia ut apud Joannem legitur, Gavisi sunt disciputi viso Domino. Ergo aliquo modo credebant; sed mirabantur de tam nova et insperata consolatione et apparitione, de qua vehementer gaudebant; atque præ gaudio mirabantur, quod et qualiter tam bene et optime eis contigerit, qui paulo ante tam desolatissimi erant : quia ut asserit Augustinus, quæ multum læta sunt, vix creduntur. Occulte etenim metuit animus ne forsan contingat oppositum, et tunc duplex mœror nascatur. Sic Jacob patriarcha audito a filiis, Joseph vivit, quasi de gravi somno evigilans, non tamen credebat eis. *Dixit,* non ex ignorantia quærens, sed solitum loquendi modum observans, ut magis agnosceretur: *Habetis hic aliquid quod manducetur?* quatenus non tantum per visum, tactum, auditum, sed etiam per gustum meam vobis resurrectionem demonstrem. *At illi obtulerunt ei partem piscis assi,* cujus forsitan partem jam comederunt, *et favum mellis. Et quum manducasset coram illis, sumens reliquias dedit eis,* ut secum comederent. Nec dubium quin et potavit cum eis, secundum quod princeps Apostolorum dixit : Manducavimus et bibimus cum illo, postquam resurrexit. Porro, Christus comedit, non tamen aliquid convertebatur in corpus ipsius; sed potestative cibum et potum consumpsit, quemadmodum aquam consumit radius solis calens.

Et dixit ad eos : Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos, hoc est, isti effectus, videlicet apparitiones et meæ resurrectionis probationes, sunt res significatæ per verba quæ vobis prædixi, *quum adhuc essem vobiscum,* quando adhuc inter vos ante meam passionem passibilis conversabar, a quibus nunc carnis immortalitate et plenæ beatitudinis statu disto. Itaque, Verbum, hic sumitur pro re verbo significata, sicut in libris Regum loquitur Ezechias : Non fuit verbum in domo mea et in omni potestate mea, quod non ostenderim eis, videlicet nuntiis regis Babylonis. *Quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysis, et Prophetis, et Psalmis de me.* Eodem modo necesse fuit illa impleri, quo necesse fuit Christum pati. Itaque necesse fuit illa impleri,

Joann. XX, 20. — *Gen.* XLV, 26. — *Act.* X, 41. — IV *Reg.* XX, 13, 15; *Is.* XXXIX, 2, 4.

necessitate conditionata, non absoluta : hoc A
est, necessitate consequentiæ, non conse-
quentis, seu in sensu composito, non in
sensu diviso ; non necessitate coactionis
liberi arbitrii, sed præordinationis divini
decreti. Porro in lege Moysis multa de
Christo conscripta sunt : ut quod Deus
Gen. XXII, 18 ; XXVI, 4 ; XXVIII, 14. dixit ad Abraham, Isaac et Jacob, In se-
mine tuo benedicentur omnes familiæ ter-
Deut. XVIII, 15. ræ ; et, Prophetam suscitabit vobis Domi-
nus, etc. Insuper, quamvis Psalmista fuit
propheta, tamen liber Psalmorum proprie
inter Hagiographa computatur : et ita nunc B
Psalmi a Scriptura Prophetarum distin-
guuntur.

Tunc aperuit illis sensum, id est, intel-
lectum eorum illuminavit, *ut intelligerent
Scripturas.* Verumtamen non tam perfecte
Act. II, 1 et seq. eos jam illustravit, sicut in die Penteco-
stes, quando limpidissimam Scripturarum
intelligentiam eis infudit ; nunc tamen eos
aliqualiter illuminavit, quia ut habet Jo-
Joann. XX, 22. annes, insufflavit in eos, et dixit : Accipi-
te Spiritum Sanctum.

Et dixit eis : Quoniam sic scriptum C
est, id est de mea passione et resurre-
ctione prophetatum in Daniele, Osee, in
Psalmis, aliisque Prophetis. Scriptum est
Dan. IX, 26. enim : Post hebdomades sexaginta duas
Osee VI, 3. occidetur Christus. Et Osee ait : Vivifica-
bit nos post duos dies, in die tertia susci-
Soph. III, 8. tabit nos. Sophonias quoque : Exspecta
me, dicit Dominus, in die resurrectionis
Ps. XL, 11. meæ in futurum. Atque in Psalmo : Tu
autem, Domine, miserere mei, et resuscita
me ; et retribuam eis. *Et sic oportebat
Christum pati* pro mundi salute, quia ille D
fuit convenientior modus humanæ redem-
ptionis, et Deus ita præordinavit, *et resur-
gere a mortuis tertia die,* quia non decuit
Christi resurrectionem ultra tertium diem
differri, *et prædicari in nomine ejus pœ-
nitentiam et remissionem peccatorum in
omnes gentes,* id est, universis mundi ho-
minibus, Judæis atque gentilibus, evan-
gelizari ut in fide Christi pœnitentiam
agant, atque per gratiam ejus confidant
se remissionem peccatorum suorum posse
suscipere, virtute et merito passionis ipsi-
us, per sacramenta ejus, primo in Bapti-
smo, deinde in sacramento Pœnitentiæ,
quæ est secunda post naufragium tabula.
Hinc in Actibus Paulus ait Judæis : Per Act. XIII, 38.
Jesum vobis remissio peccatorum annun-
tiatur, ab omnibus a quibus non potuistis
in lege Moysis justificari. Et rursus lo-
quens gentilibus : Tempora (inquit) prioris Ibid. XVII, 30, 31.
ignorantiæ despiciens Deus, nunc annun-
tiat hominibus ut omnes ubique pœniten-
tiam agant, eo quod statuit diem in quo
judicaturus est orbem in æquitate, in viro
quem statuit, fidem præbens omnibus, re-
suscitans illum a mortuis. Et iterum lo-
quitur Petrus : Primum Deus suscitans Ibid. III, 26.
Filium suum, misit eum ut convertat se
unusquisque a nequitia sua ; itemque, Non Ibid. IV, 12.
est nomen aliud sub cœlo datum homini-
bus, in quo oporteat nos salvos fieri.

De hac omnium gentium conversione ad
Christum, et diffusione catholicæ Ecclesiæ
per totum orbem terrarum, copiosissime
et apertissime prædixerunt Prophetæ. Scri-
ptum est namque in Psalmis : Reminiscen- Ps. XXI, 28.
tur et convertentur ad Dominum universi
fines terræ, et adorabunt in conspectu ejus
universæ familiæ gentium ; itemque, Be- Ps. LXXI, 17.
nedicentur in ipso omnes tribus terræ,
omnes gentes magnificabunt eum. Unde
et per Isaiam loquitur Christus : Glorifica- Is. XLIX, 5, 6.
tus sum in oculis Domini. Et dixit : Parum
est ut sis mihi servus ad suscitandas tri-
bus Jacob, et fæces Israel convertendas ;
dedi te in lucem gentium, ut sis salus
mea usque ad extremum terræ. Sed et in
Daniele legitur : Omnes populi, tribus et Dan. VII, 14.
linguæ servient ei. Quod totum impletum
est : quia etsi nunc magna et latissima re-
gna ad stolidissimam spurcissimi Maho-
meti legem aliasque perfidias sint colla-
psa, longo tamen tempore in eis viguit
religio christiana. Nihilo minus ante finem
sæculi prædicta plenius implebuntur.

SERMO SECUNDUS

DE PACE INTERNA, SPIRITUALI AC VERA, ET VARIA EJUS ACCEPTIONE, ET QUID IN HABENTE EFFICIAT.

STETIT *Jesus in medio discipulorum* A *suorum, et dixit eis : Pax vobis.* Luc. xxiv, 36.

Christus in mundum veniens, mox ut Luc. ii, 14. natus est, pacem annuntiari fecit; abiens Joann. xiv, 27. in mortem, pacem reliquit; hic a morte resurgens, pacem obtulit : ut illud apostolicum verificaretur, I Cor. xiv, 33. Non est Deus dissensionis, sed pacis.

Ubi considerandum : quoniam pax est quies mentis in bono, sicut duplex est bonum, ita et duplex est pax. Est equidem verum bonum, in quo pax vera consistit, B quæ dicitur spiritualis, virtuosa atque interna. Quæ primo et principaliter fundatur, habetur et consistit in Deo; secundario autem in rebus creatis per relationem earum ad Deum, quæ etiam esse possunt objectioni caritatis infusæ ac gaudii spiritualis. Aliud autem est bonum, apparens, vanum et fallax, in quo consistit pax falsa, vitiosa, carnalis, mundana. Estque concordia vel consensus seu quietatio alicujus aut plurium in malo. De qua apud Matthæum loquitur Christus : Matth. x, 34. Non veni pacem C mittere in terram, sed gladium.

Denique pax virtuosa est multiplex, secundum diversum gradum aut statum perfectionis eorum quibus inhæret : alia namque est pax incipientium, qui animales dicuntur; alia proficientium, qui rationales vocantur; alia perfectorum, qui spirituales feruntur. Denuo alia est pax viatorum, alia comprehensorum seu Beatorum.

Pax mala ponitur multiplex. Prima est inordinata, quum superior consentit inferiori in malo : Gen. iii, 6. quemadmodum Adam uxori magis quam Creatori, vel prælatus D subdito in derogationem justitiæ, vel anima seu spiritus carni. Quocirca Salomon ait in Proverbiis : Per tria movetur terra : per Prov. xxx, 21, 22. servum, quum dominari cœperit, etc. Et rursus fatetur : Non decet servum dominari principibus. Ibid. xix, 10. Secunda est simulata, quæ competit proditoribus, astutis atque fallacibus. De quibus ait sermo divinus : Simulatores et callidi provocant iram Dei. Job xxxvi, 13. Itemque in Ecclesiastico : Qui sophistice Eccli. xxxvii, 23, 24. loquitur, odibilis est; in omni re defraudabitur; non est illi data a Domino gratia, omni enim sapientia defraudatus est. Attende hæc, o simulator ac perdite. Talis fuit pax Judæ ad Christum, Matth. xxvi, 49. et Joab ad Abner ac Amasam, quos occidit in dolo. II Reg. iii, 27; xx, 9, 10. Unde ait Psalmista : Qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum. Ps. xxvii, 3. Et Jeremias : Sagitta vulnerans lingua eorum; Jer. ix, 8. in ore suo pacem cum amico suo loquitur, et occulte ponit ei insidias. Tertia est inquinata, videlicet luxuriosorum ac gulosorum. Quarta est scelerata, eorum qui in pessimis sunt concordes, utputa hæreticorum, schismaticorum atque rebellium.

Insuper, quoniam paci contrariatur dissensio seu repugnantia, ideo sicut quadruplex assignatur dissensio, ita et quadriformis est pax. Est quippe dissensio una inter carnem et spiritum, dicente Apostolo : Caro concupiscit adversus spiritum. Galat. v, 17. Huic dissensioni opponitur pax inter carnem et spiritum. Quam efficit domatio passionum, seu carnis sub ratione subjectio : quemadmodum ad Romanos docet Apostolus, Obsecro vos per misericordiam Rom. xii, 1. Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem. Secunda dissensio est inter Deum et homi-

nem, propter peccatum. Cui opponitur pax A inter eosdem. Quam fecit passio Christi, et quotidie facit pœnitentia ex parte nostri, et miseratio ex parte Dei. Unde dicit Apo-
II *Cor.* v, 20. stolus : Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. Tertia fuit inter homines et angelos. Cui opponitur pax eorum. Quam fecit præcipue incarnatio Verbi. Videntes enim angeli sancti Deum suum hominem factum, naturam nostram, quam propter vitia despexerant, honorare cœperunt præ solito. Quarta est inter homines mutuo. Cui opponitur pax fraterna. Ad quam præ- B sertim inducunt mansuetudo, humilitas et patientia.

Amplius, ponitur adhuc pax triplex, scilicet temporis, pectoris, æternitatis. Pax temporis nuncupatur temporalis tranquillitas, sive sit bona sive mala. De bona enim loquitur Ezechias quarto Regum :
IV *Reg.* xx, 19. Sit tantum pax et veritas in diebus meis. De mala, Christus ad Jerusalem apud Lu-
Luc. xix, 42. cam : Et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi. Secunda est pax pectoris, scilicet requies mentis. De qua dixit Christus C
Joann. xvi, 33. Apostolis, passione instante : Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis ; in mundo pressuram habebitis. Tertia est pax æternitatis, videlicet quies Beatorum in Deo, quo beatifice perfruuntur. De qua
Is. lxvi, 23. Isaias : Erit sabbatum ex sabbato. Sabbatum enim dicitur quies.

Hæ species pacis non distinguuntur semper realiter, sed formaliter, quandoque autem realiter. Nulla vero specierum vitiosæ pacis dici potest pax vere, absolute, et proprie. Propter quod dicit Leo Papa : D Non habet mundus amicitias veras, et multos facit perverso amore concordes : sunt enim in vitiis pares animi, et similitudo desideriorum æqualitatem gignit affectuum. Verumtamen pacem veram, arctissima amicitiarum vincula et indiscretæ similitudines non sibi veraciter vindicant, quum non cum voluntate divina concordant.

Postremo, adhuc ponitur pax triformis, videlicet : corporalis, quæ est quies ab hoste visibili adversitateque corporali; spiritualis, quæ est tranquillitas sinceræ conscientiæ, orta ex confidentia immunitatis mortalis culpæ ; et cœlestis, quæ est requies patriæ.

Itaque in Scripturis sæpe sumitur pax pro pace vera et virtuosa, quandoque pro vitiosa, interdum quoque pro concordia sive in bono sive in malo.

Per pacem proprie sumptam (ut ex præinductis elici valet), non jam dumtaxat quietus est homo, consentaneus, unitus atque tranquillus ad Deum et proximum, sed insuper ad se ipsum. Idcirco ad pacem requiritur, ut appetitus hominis non solum concordet cum proximi sui affectu, sed ut diversi appetitus in homine existentes, sibi invicem sint concordes : quod fit, dum appetitus sensitivus voluntati secundum rationis divinæque legis censuram substernitur et obedit. Hinc pax non est convertibiliter idem quod concordia. Concordia quippe proprie dicta, est semper ad alterum, utputa diversarum voluntatum seu cordium in idem consensus. Sicque pax includit concordiam, ita quod ubicumque est pax, ibi est quoque concordia ; et aliquid superaddit, videlicet appetituum ejusdem appetentis (seu hominis pacem habentis) coordinatam ad invicem unionem, ne unus appetitus alteri sit repugnans, nec aliquis appetituum ejus in diversa feratur quæ simul assequi nequit, eo quod unum aliud secum non compatiatur : velut si quis velit simul carnalium voluptatum spiritualiumque deliciarum experiri dulcedinem, vel Deo servire *Matth.* vi, 24.
ac mammonæ. Hinc concordia potest esse in impiis, non pax. Frequenter tamen in *Is.* xlviii, 22 ; lvii, 21.
sacris Scripturis concordia sumitur solum in bono, et pro pace, ut quum in Ecclesiastico inducitur : In tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo *Eccli.* xxv, 1, 2.
et hominibus : concordia fratrum, amor proximorum, et vir et mulier sibi bene consentientes. Et Christus in Evangelio : Vade (inquit) et reconcilia te fratri tuo, *Matth.* v, 24.
id est, concorda cum eo, utique non nisi

in bono ; et tunc veniens offeres munus A tuum.

Ex iis evidens est, quod paci opponitur duplex dissensio : una hominis ad se ipsum, secundum quod per unum appetitum ad aliquid afficitur quod per alium detestatur ; alia unius hominis ad hominem alium. Et hæc secunda dissensio solum opponitur ipsi concordiæ : potest namque quis cum alio concordare, quamvis in se ipso inordinatus sit atque turbatus, præsertim quum de reprobis scriptum
Is. xxviii, 15. sit : Dixistis, Percussimus fœdus cum mor- B te, et cum inferno fecimus pactum. Et in
Sap. i, 16. libro Sapientiæ : Impii manibus et verbis arcessierunt eam, scilicet mortem, utique culpæ. Tales sunt omnes qui se ipsos carnaliter diligunt : qui se veraciter non amant,
Ps. x, 6. sed odiunt. Qui enim diligit iniquitatem, odit animam suam. De quibus in Prover-
Prov. i, 22. biis habetur : Usquequo, parvuli, diligitis infantiam, et stulti ea quæ sibi sunt nociva cupient, et imprudentes odibunt scientiam ? Quum etenim amare sit alicui bonum velle, qui id appetit quod animæ suæ C non expedit nec veræ beatitudini consonat, vere se odit atque fallaciter diligit. Quumque tales sint plurimi, Salomon lo-
Eccle. i, 15. quens de eis : Stultorum (inquit) infinitus est numerus. Nonne veraciter stultus probatur, qui ab æternæ, summæ ac infinitæ sapientiæ lege, doctrina, præceptis consiliisque discedens atque dissentiens, proprias adinventiones, diabolicas suggestiones, et mundanorum consultationes hominum imitatur ? Ideo juxta Aposto-
I Cor. i, 20. lum, Stultam fecit Deus sapientiam hujus D mundi.

Denique vita æterna seu beatitudo est perfectissima actio, operatioque perfecta. Pax autem, juxta præhabita, potius quietem quam operationem designat. Ideo asserit Thomas, quod pax non sit beatitudo seu felicitatis essentia, aut vita æterna, vel finis civitatis Dei, sed propinquissima dispositio ad hunc finem. Quum enim secundum Augustinum nonodecimo de Civitate Dei, pax omnium rerum sit tranquillitas ordinis earumdem, constat quod ratio pacis ex hoc sumitur, quod aliquid a recto suo ordine non impeditur. Pax autem potissimum respicit ordinem illum quo voluntas in aliquid ordinatur, tendit aut fertur. Hinc dicimus hominem habere pacem, quando voluntatem ejus nil impedit ab adeptione et conservatione boni ad quod ordinatur. Similiter dicimus pacem esse in civitate, dum nihil perturbat debitam ordinationem rectumque ordinem civitatis quem habet a suo gubernatore, qui vult inferiores superioribus subjici, turbativa pacis auferri, et omnia ordinate deduci. Quum itaque beatitudo sit operatio convenientissima, non impedita neque turbata, palam quod ad beatitudinem requiritur pax, non quæ sit ipsa beatitudinis essentia seu realiter idem cum ea, sed sicut remotio eorum quæ possunt beatitudinem impedire. Et quia ex hoc quod aliquid naturaliter desideratur, contrarium ejus seu impedimentum naturaliter evitatur sive refugitur, et id sine quo haberi non valet desideratum, etiam naturaliter affectatur ; hinc sicut omnes naturaliter beatitudinem appetunt, ita et pacem, pacique contraria et beatitudinis impedimenta refugiunt. Aliqui autem non obstantibus nunc inductis, affirmant quod pax Beatorum sit vere beatitudo fruitioque ipsorum : quod ex multis auctoritatibus Augustini, imo (quod majus est) etiam divini ac magni Dionysii, comprobare conantur.

SERMO TERTIUS

DE TESTIMONIO ET VERITATE CHRISTIANÆ FIDEI, ATQUE DE JUDÆORUM OBSTINATA EXCÆCATIONE.

Necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysis, et Prophetis, et Psalmis de me. Luc. xxiv. 44.

Testatur hic magister et Salvator noster clare, legem et Prophetas a Deo esse, et de se scripsisse : contra errorem quorumdam hæreticorum, qui neque legem neque Prophetas recipiunt. Siquidem inveniuntur nonnulli qui dicant legem nullam imitandam nisi naturalem. Quidam alii hæretici asserunt Prophetas non Spiritu Sancto afflatos, sed irrationali quodam excessu velut insensatos esse locutos. Sed legem Moysis a Deo donatam, et Prophetas divinitus inspiratos, sufficienter manifestant sublimia illa signa et miracula tam solennia, quibus olim tam multifarie populum legis illius magnificavit Deus sublimis et fortis. Ceterum, quod tam concorditer Prophetæ vaticinati sunt, et multo amplius, quod tam veraces inventi sunt, efficax veritatis argumentum præbet vatum oraculis. Quæcumque namque inducta sunt, quod Jesus sit verax et vere legis dator, contestantur Moysen et Prophetas a Deo edoctos. Salvator quippe in evangelio Joannis Judæis dixit : Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in illis vitam æternam habere; et illæ sunt quæ testimonium perhibent de me. In quo innuit se in lege et Prophetis repromissum. Qui autem non nisi naturalem legem recipiunt, naturaliter salvare indigent omnia quæ fides ad sui manifestationem introducit : quod tamen facere nequeunt, quoniam verum est per supernaturalia divinæ virtutis argumenta fidem stabiliri.

Joann. v, 39.

Suscipientibus itaque Moysen et Prophetas facile poterit patere, hunc Jesum quem colimus, esse Christum in lege et vatibus promissum. Percurrentibus equidem omnem Scripturæ antiquæ seriem, id ipsum elucescit : populum illum olim tam electum et honoratum a Deo, nunquam derelictum ab eo, aut e terra sua expulsum, ex quo inhabitare eam cœperant, nisi propter peccatum aliquod; et quo tale facinus erat majus, eo vel durius vel longius tribulati sunt ab inimicis suis, e terra sua expulsi atque derelicti. Constat vero quod gravissima peccata quæ se fecisse fatentur, sunt idololatria et occisio Prophetarum; et pro iis nunquam receperunt tam longam atque pœnalem afflictionem et captivitatem, sicut quando in Babylonia septuaginta annis captivi ducti manserunt : in quibus etiam annis misit eis Deus Prophetas, qui de futura reductione consolarentur eos, videlicet Jeremiam et Ezechielem. Postquam autem reversi sunt ex captivitate illa, mirabili zelo abominati sunt idololatriam, neque Prophetam dicunt se interim occidisse. Sed jam in captivitatem quamdam relegati sunt, quæ ex tunc cito incepit quando nostra religio initiata est, et duravit per mille et quadringentos pene annos; neque fuit interim Propheta, redemptionis spem annuntians. Unde restat quod hi peccatum aliquod majus commiserint peccatis patrum suorum : aliter sæpe visitasset eos Deus eorum, qui olim tam largissimam caritatem ostendit eis. Non possunt aliquod tale crimen assignare, quod tam incomparabiliter excedat peccata patrum suorum, nisi fateantur se Christum Dominum Prophetarum occidisse : quod omni peccato incomparabiliter majus est.

Jer. L, 4 et seq.; *Ezech.* xxviii, 25, 26; xxxvi, 1 et seq.

Præterea omnis honor et ritus legis eorum pene ablatus est, et gloria signorum ac prodigiorum, quibus perhibuit eis Deus quondam testimonium, ad legem christianam devoluta est : quod nullatenus permitteret Deus, qui Sanctos suos nunquam deserit, si non gravissimo quodam et implacabili scelere offendissent eum. Ubi equidem est vox illa gratulationis, qua olim dicere consueverunt Deo excelso et adorando : Quis est populus in universa terra, sicut populus tuus Israel? (*I Par.* XVII, 21.) Et denuo : Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus (*Ps.* LXXI, 18.); et rursus, Quanta audivimus et cognovimus ea, et patres nostri annuntiaverunt nobis? (*Ps.* LXXVII, 3.) Ab occisione denique Sancti Sanctorum revelatio eis facta non est, Propheta missus non est, miracula cessaverunt, et nullum argumentum ostendit eis Deus, quo agnoscere potuerint se sub gratia et beneplacito Dei ac spe redemptionis exsistere. Non enim aliquid horum assignare aliquando potuerunt. Porro, ubi sacerdotium, ubi templum et altare, ubi hostia et sacrificium, ubi denique unctio, et omnis illa legis honoranda quondam observatio? Manifestum quippe est ex eorum codicibus, quod Deus a principio juravit ipsis et patribus eorum dare ipsis terram promissionis in possessionem sempiternam : quod intelligendum est, non impediente peccato. Jam tot annis abstulit eis Terram sanctam, quod sine gravissimi criminis merito esse nequit; præsertim quum sint jam omnes universaliter in quatuor plagas terræ dispersi, et cunctis gentibus subjecti, factique sint contemptibiliores omnibus hominibus, regnante nihilo minus in ipsorum cordibus ea superbia qua se omni populo præferunt : quum tamen gloria ac magnificentia signorum quibus eis Deus olim testimonium perhibebat, ab ipsis quidem ablatæ sint, et nostræ religioni tam multipliciter, ut ostensum est, donatæ.

Amplius, id ipsum plenius ostendi potest ex prophetiis quas ipsi solennizant : in quibus nedum cuncta quæ de Christo A facta credimus, prænuntiata valemus eis ostendere, sed et ipsorum quoque incredulam obstinationem desolationemque perennem comperimus prædictas. Quid nempe clarius eos convincere potest quam sancti patriarchæ Jacob vaticinium, quo ait, Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femoribus ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit exspectatio gentium? (*Gen.* XLIX, 10.) Cernunt etenim sceptrum, regnum et ducem ab eis ablata, præsertim a vastatione Jerusalem et destructione sanctuarii, B quæ per Titum et populum Romanum facta est; terram propriam non habent, et ubique subditi sunt potestati alienæ.

Danielis quoque prophetia occisionem Christi impletam, ac perpetuam desolationem ipsis superinductam, manifeste ostendit, dum ait : Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, et non erit ejus populus, qui eum negaturus est; et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio. (*Dan.* IX, 26.) C Et post pauca : Et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio. (*Ibid.* 27.) Si igitur negent Christum occisum ab eis, et perennem desolationem inductam super eos, tunc constat quod adhuc restat ut occidatur, inducatur quoque super eos desolatio, quæ usque in finem perseverabit. Sed non videtur quæ possit gravior esse desolatio, ea quæ modo præoccupat ipsos : in qua (ut ostensum est) privati sunt honore cærimoniarum legis suæ, hostia et sacrificio, omni insuper gloria signorum, D et oraculis ac consolatione Prophetarum.

Enimvero ne quempiam moveat, aut a fide christiana elonget ipsorum infidelitas, hanc ipsam quoque eorumdem incredulitatem Spiritus Sanctus per os Prophetarum frequenter prædixit. In Psalmo quippe dicitur : Obscurentur oculi eorum, ne videant. (*Ps.* LXVIII, 24.) In eo etiam quod Daniel vastationem quamdam perennem venturam testabatur, (*Dan.* IX, 26, 27.) infidelitatem Judæorum clare annuntiavit. Amos etiam propheta ait : Super tribus sceleribus Israel transferam * eos, super (*Amos* II, 6; cf. in *Amos* I, 3; II, 8. * convertam)

convertam quarto autem non transferam. Est ergo A quoddam scelus ob quod prorsus usque in finem derelinquendi sunt. Porro, si ab eis investigetur quodnam sit hoc quartum scelus, neque idololatriam, neque Prophetarum occisionem, neque venditionem justi Joseph a fratribus suis in Ægyptum respondere poterunt. Super omnibus enim his reduxit eos Dominus, et misertus est eorum. Neque enim aliquando tam pœnaliter captivi ducti sunt, ex quo inhabitare cœperant Terram sanctam, sicut in Babylonia. Unde restat, hoc quartum scelus B occisionem esse Christi, quemadmodum (Dan. IX, 26, 27.) Daniel dicit. Ratione cujus ait David : (Ps. LVIII, 12.) Disperge illos in virtute tua, et depone eos, protector meus Domine.

Judæi autem aliqui, licet ex præinductis et aliis his multo fortioribus crebro ad susceptionem christianæ fidei inclinentur, incomprehensibilitas tamen eorum quæ fides proponit, ut est Personarum trinitas, et quod de sancta Eucharistia credimus, unio quoque personalis Dei cum homine, potissimum avertit eos a receptione fidei. C Si ergo ex consideratione qualitatis doctrinæ Christi corroborari possit veritas fidei, tunc utique hoc erit Christicolis cibus quod ceteris venenum est. Hoc vero fieri potest hoc modo. Omnes enim qui propriam gloriam et non Dei quæsierunt, quærentes sibi allicere gentes mendacibus callidisque adinventionibus, et sic vel legem aliquam, aut certe doctrinas recentes inducentes, hoc proprium habuerunt, quod ea per quæ populum facilius attrahere poterant, proponebant, et ea quibus obedire fuit hominibus magis in promptu, in- D troduxerunt : sicut in Mahometo evidenter claret, et cunctis hæreticis, qui semper a sublimibus ac incomprehensibilibus fidei testimoniis declinabant, asserentes ea quæ humanæ rationi connaturaliora sunt. Legis autem nostræ institutor, hic Jesus quem colimus, omnino alia via progressus est, ea jubens ac instruens, quæ neque humana ratione comprehendi possunt, et affectui difficillima exsistunt, ut sunt mundi ac deliciarum ejus contemptus, et quidquid carnaliter oblectat despicere. Istud itaque signum est bene consideranti, quod non humana industria aut subtilitate naturali usus est in assertione legis suæ. Nunquam enim tam supernaturalia docuisset, neque tam ardua ac alta jussisset, si non aliquid divinum quod omnino super hominem est, habuisset in se, quo agnovit se habere supernaturalem potentiam confirmandi supernaturalia fidei testimonia.

Præterea, si ea quæ docuit vera non essent, tunc utique præsumptuosissima essent, et divino honori nimis obviantia. Docuit nempe se unum esse cum Patre, et verum Dei Filium, et mundi Salvatorem. Si igitur Deus tot signa tantaque mirabilia ad fidei confortationem fecisset, aut etiam fieri permisisset, quæ ab exordio nostræ legis initiata sunt et nunc usque continuata, sæpe quoque tam multipliciter aucta ut conscribi vix potuerint; tunc non videretur Deus satis resistere huic homini se Deo conformanti in naturæ veritate : qui olim angelum e cœlo expulit, non tam vehementer volentem se conformare Altissimo sicut iste se conformare ausus est. (Is. XIV, 13, 14.)

Porro, si forma institutionis Eucharistiæ sapienter contempletur, elucescet quod hic Jesus cui credimus, passionem suam, passionisque tempus et modum ac causam plene præagnovit. In quo considerari potest eum utique fuisse de quo in Prophetis et Psalmis futuræ passionis Christi vaticinia inducuntur. Quippe hoc Eucharistiæ sacramentum proximo die ante passionis suæ diem instituit, mortis suæ maneriem ac sui ipsius commemorationem in eadem integre figurans ac relucere faciens, quatenus toties rememoremur eum sponte pro nobis oblatum, quoties tanti sacramenti celebrationi intersumus.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUARTUS

DE ASSUEFACTIONE OMNI LOCO ET TEMPORE LEVANDI MENTEM AD DEUM, ET QUIBUSDAM MEDIIS SPIRITUALIS PROFECTUS.

S*I consurrexistis cum Christo, quæ sur-* A
sum sunt sapite. Coloss. III, 1, 2.

De se ipso sanctus David testatur et ait :
Ps. XXIV, 15. Oculi mei semper ad Dominum. Quod de
interioribus oculis, utpote intellectu et ratione, est intelligendum. Hi oculi semper sunt dirigendi ac elevandi ad Deum per contemplationem ac dilectionem ipsius, per meditationes devotas, per ferventes orationes, per rectam intentionem, per adspirationem assiduam ad cœlestis regni introitum æternalisque gloriæ secu-
ram possessionem, atque per jucundam et B
internam omnipotentis Creatoris laudationem. In his actibus sanctis religiosus debet mentem suam jugiter exercere et occupare, quemadmodum rursus beatissi-
Ps. XV, 8. mus David se fecisse fatetur : Providebam (inquiens) Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi ne commovear. Ecce si David rex, in exterioribus Israelitici regni negotiis multipliciter occupatus, atque in medio hominum omni die conversans, mentem suam tam
indesinenter devote erexit et recte direxit C
ad Creatorem : quanto magis religiosa persona, ab exterioribus occupationibus liberata, a tumultu et inquietudine hominum segregata, et in devota congregatione consistens, aut in monasterio clausa, debet cor suum incessanter ad Deum suum erigere, et animam suam Sponso cœlesti unire, nec ab ejus invocatione et laude cessare?

Sed forsan quis dicet : Qualiter potest fragilis et instabilis creatura mentem suam indesinenter ad Deum levare, præsertim quum oporteat interdum dormire, quandoque manducare et bibere, aliquando cum hominibus loqui, nonnunquam manualiter laborare, et etiam uti exteriori solatio? Ad hoc respondendum, quod religiosus debet cor suum elevare ad Deum indesinenter et semper, id est omni tempore opportuno, secundum quod Salvator
in Evangelio loquitur : Oportet semper *Luc.* XVIII, 1.
orare, et non deficere. Et Psalmista : Be- *Ps.* XXXIII, 2.
nedicam Dominum in omni tempore; semper laus ejus in ore meo. Præterea, quod homo non potest ex se ipso ac propriis viribus, potest per adjutorium gratiæ, et per confortationem Omnipotentis, sicut ait
Apostolus : Omnia possum in eo qui me *Philipp.* IV, 13.
confortat. Idcirco religiosus debet Deum cum omni fiducia et fervore omni hora orare, ut mentem suam in ipso quotidie magis ac magis stabiliat, et cordi suo gratiam tantam dignetur infundere, quod mentem suam jugiter levet ad ipsum, omnium fontem bonorum.

Insuper, sicut communiter dicitur, Consuetudo est quasi altera natura, nihil est homini ita difficile, quin per consuetudinem facile ei fiat. Consuetudo autem ex multis actibus frequenter reiteratis generatur. Et sicut consuetudo mala ac vitiosa gignitur ex actibus pravis, sic consuetudo virtuosa oritur et conservatur ex actibus bonis. Ideo certum est, quod si homo studeat mentem suam ad Deum omni hora

levare, non solum in oratione, celebratione et psalmodia, sed item in refectione, et exteriori labore, colloquioque humano, et in omni actu et occupatione, cito veniet ad consuetudinem bonam ac optimam ; et erit sibi quotidie magis ac magis facile et suave, cor suum ad Dominum elevare, et cogitare de ipso, in sanctis quoque meditationibus inflammari amore ipsius, quemadmodum ait Propheta : Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignis, id est flamma divini amoris. *Ps. xxxviii, 4.* Assuesce ergo, o religiose, cor tuum assidue ad Deum elevare, ipsum intra te cogitando, ipsum laudando et exorando, ejus infinitam excellentiam contemplando, et suæ superpurissimæ bonitatis amore te inflammando. Hinc quippe Salomon dixit : In omnibus viis tuis cogita illum, et ipse diriget gressus tuos. *Prov. iii, 6.* Fac tibi violentiam salutarem, et a distractionibus vanis et cogitationibus frivolis reprime intellectum ; et sicut per ancoram figitur navis ne fluctuet, ita per virtuosum istum conatum diligentiamque quotidianam, fige, stabili et confirma mentem tuam in Deo, dicens cum viro sancto : Mihi adhærere Deo bonum est. *Ps. lxxii, 28.* Quidquid ab ista recollectione et occupatione mentis tuæ in Deo, impedit et avertit, fuge tanquam venenum et pestem : omnem videlicet confabulationem inutilem, et quidquid offensivum est Dei.

Postremo amor est vis unitiva, uniens amantem cum amato, et frequentem dilecti memoriam ingerens cordi amantis ; et quanto quis aliquid ardentius amat, tanto frequentius recordatur illius. Propter quod Salvator disseruit : Ubi fuerit thesaurus tuus, ibi et cor tuum. *Matth. vi, 21.* Augustinus quoque testatur : Ubi amor, ibi oculus. Si ergo religiosa persona digne studuerit quotidie in Dei amore proficere, et in vera ac fervida creverit caritate, sentiet sibi non solum possibile, sed etiam dulce ac facile esse, mentem suam præfato modo ad Dominum elevare : et ita, sive eat ad mensam, sive ad laborem, sive ad lectum, memor erit Domini Dei sui. Et si hominem alloquatur, aut humanæ intersit collationi, frequenter tamen mente loquetur cum Deo per orationes internas et laudes secretas. Denique et in exteriori solatio præcavebit ne mens sua immoderanter aut inaniter resolvatur. Quemadmodum enim ignis jugiter sursum movetur, et sicut calor solis vapores trahit in altum, sic fervidus amor Dei mentem amantis excitat, movet et erigit sursum ad Deum, et cogitationes affectionesque animæ trahit ad Creatorem, in quo solo dulciter requiescit, nec alibi quietatur.

Etiam ad hoc quod religiosa seu devota persona digne Deo ambulet in sua vocatione et professione, primo perutile est ut penset quotidie diligenter ad quid venerit, *Ephes. iv, 1.* hoc est, cur reliquerit mundum, et cœnobium seu congregationem devotam ingressa sit. Ideo namque hoc egit, quatenus varias occasiones peccandi vitaret, et Deo liberius perfectiusque serviret. Non ergo in congregatione admittat nec quærat peccandi occasiones, propter quas vitandas semel reliquit mundum. Porro occasiones peccandi sunt, sollicitudo circa exteriora, societas mala, frequens et diuturna locutio, humanum solatium, sensualis affectio, propria libertas, rumorum perceptio. Igitur omnia ista statim ac prorsus devitet religiosa persona a primo die quo congregationem seu religionem intraverit. Omnia quoque mundana, quæ propter Deum reliquit, excludat de sua memoria ; nisi quod pro suis propinquis, amicis ac notis spiritualiter * oret. **specialiter* Non inquirat rumores, sed cum Propheta dicat humiliter Deo : Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua. *Ps. cxviii, 85.* Nec superfluas narrationes advertat. Quod si persona excellens habuerit secum in monasterio personas sibi olim in sæculo servientes aut cognatas, seu familiariter notas, nequaquam tamen afficiatur ad illas sensuali amore, nec immoderatam habeat familiaritatem cum ipsis, nec in eis quærat vel habeat privata solatia ; sed universam suam affectionem, intentionem

et occupationem in Deo constituat, simplificet ac conservet. Nec acquiescat neque permittat se ab illis more solito specialiter honorari, vel dominum aut dominam appellari ; sed quo nobilior, excellentior majorque exstitit et exsistit, eo præ cunctis se ipsam humiliet, in tantum ut potius velit vocari et esse servus quam dominus, et soror quam domicella. Carnis nobilitatem arbitretur quasi pro nihilo, atque in infimo plus reputet minimum gradum humilitatis quam omnem suæ nobilitatem propaginis.

Secundo, ad proficiendum in congregatione, valde perutile necessariumque consistit ut persona spiritualis non sit curiosa ad observandum aut considerandum aliorum defectus, nec eos imprimat suæ memoriæ, nec temere judicet quemquam, sed proprios defectus quotidianasque culpas assidue intueatur, ponderet, puniat, defleat, et emendare conetur. Valde etenim attendendum est quod Filius Dei in Evangelio ait : Quid vides festucam in oculo *Matth.* VII, 3, 5. fratris tui, et trabem in oculo tuo non vides? Hypocrita, ejice primo trabem de oculo tuo, et tunc videbis ut ejicias festucam de oculo fratris tui. Hinc ait Gregorius : Grave curiositatis est vitium, quod dum hominem immoderate occupat circa aliorum defectum, abscondit ei se ipsum. Propterea sancti Patres in eremo maxime abhorruerunt hoc vitium, et omne temerarium judicium.

Tertio, ad proficiendum in congregatione et religione, omnino proficuum est, non intromittere se de impertinentibus sibi, sed quod ad se pertinet, et quod Deus requirit a se, primo et principaliter adimplere. Ideo personæ in officiis non constitutæ, non debent se de exterioribus rebus et officialium factis inutiliter occupare, nec velle ad consilium evocari, nec aliquam ad officia promotionem optare. Unde in Vitaspatrum narratur, quod dum sanctus vir abbas Pastor percepisset quemdam Fratrem ita in monasterio facientem, vocavit eum ad se, interrogavitque illum : A Unde tibi, o frater, hæc virtus? Qui respondit : A primo die quo congregationem ingressus sum, posui in corde meo, quod ego et asinus unum sumus. Hinc quoque religiosa persona non debet contristari, si viderit sua verba non reputari.

Quartum est, ut religiosus a principio sui ingressus in monasterium, discat et assuescat non esse proprii sensus, nec proprio judicio pertinaciter inhærere, sed docilis ac dirigibilis esse in omnibus, et superiorum ac sapientiorum informationi B libenter obtemperare. Hinc Salomon ait : Ne sis sapiens apud temetipsum, et ne innitaris prudentiæ tuæ. *Prov.* III, 7, 5. Isaias quoque : Væ (inquit) vobis qui sapientes estis in oculis vestris. *Is.* V, 21. Nam ut sanctus testatur Bernardus, Pessima animæ lepra est, immansio proprii sensus.

Quintum est, ut omnes tentationes quas patitur, et universas suggestiones ac vitia quibus pulsatur et impugnatur, superioribus suis humiliter ac confidenter et clare aperiat, omni periculosa erubescentia con- C culcata, et juxta illorum consilium ac doctrinam procedat, resistat ac operetur. Et istud etiam in sacramentali confessione est faciendum. Verumtamen periculosum esset, inexpertis et indiscretis sic revelare proprii cordis secreta.

Sextum est, ut a principio suæ conversionis discat et assuescat se ipsum in omnibus abnegare et frangere et salubriter mortificare, subjectione et abjectione gaudere, superioribus quoque hilariter obedire, ac perseverare in his usque in finem. D Hoc namque est vere ac saluberrime sequi Unigenitum Patris æterni, qui venit non propriam sed Patris facere voluntatem, *Joann.* VI, 38. cui factus est obediens usque ad mortem, *Philipp.* II, 8. et dixit : Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me. *Luc.* IX, 23.

Qui in congregatione ista servaverit, mirabiliter crescet in gratia, celeriterque pertinget ad veram perfectionem, atque de die in diem abundantius in spirituali conversatione gaudebit, et copiose experietur

Matth. XI, 30. in se quam verissime dixit Salvator : Jugum meum suave est, et onus meum leve.

Prædictis addi potest et septimum, ut scilicet quotidie discutiat conscientiam suam, et penset quid Deo promiserit, qualiter hucusque professionem suam impleverit, quousque in via virtutum pervenerit, quid omiserit boni et commiserit mali : sicque conetur quotidie cum grandi diligentia adimplere ea ad quæ tenetur et quæ Ordinis sunt, ut ultra hæc aliquid supererogationis Deo offerre conetur.

SERMO QUINTUS

DE ACTIBUS CARITATIS DIVINÆ IN ANIMA AMOROSA ET SPIRITUALI.

VIDETE *manus meas et pedes.* Luc. XXIV, 39.

Christus Dominus discipulis post resurrectionem ostendisse manus et pedes legitur, ut vulnera quæ sibi caritas inflixit, viderent, et Dominum amantissimum cognoscerent. Caritate enim efficimur ejus filii, ejusque discipuli. Caritatem qua ipsum diligere debemus, ex amore saltem quo hominem homo diligit, discere possemus, etiam si Christi caritatem non attenderemus.

Porro quam magna, quam mirabilia vel potius miserabilia operetur in hominibus carnalibus ac mundanis amor carnalis, videmus ad oculum. Quantis periculis ac laboribus exponunt se aliqui fatui amatores amore personæ dilectæ, in quibus amor carnalis interdum sic crescit et invalescit, quod præ amore rei amatæ, vix queunt comedere aut dormire, nec aliud cogitare nisi quam diligunt, cujus amore quandoque vulnerantur ac languent, et tandem præ amore tam vili ad carnem mortalem mori dicuntur? Quum igitur spiritualis dilectio sit incomparabiliter fortior, nobilior et efficacior carnali amore, non mirum quod amor spiritualis magna et vere miranda ac præclarissima in hominibus virtuosis ac fervidis operetur : sicut in beatissimis martyribus singulariter patuit ac refulsit, qui immanissima tormenta pro Deo pertulerunt cum gaudio. Quorum unus, præsentatis et comminatis sibi variis gravissimisque suppliciis, dixit : Has ego epulas semper optavi. Et alius, quum super ardentes ambularet carbones : Videtur (inquit) mihi quod super dulcissimas rosas deambulem. Imo tenerrimæ ac nobilissimæ virgines, non obstantibus teneritudine sui corpusculi et fragilitate sexus feminei, crudelissimas pœnas et violentissimas mortes amore Sponsi cœlestis, victoriosissimo animo prorsus imperterrito atque promptissimo pertulerunt. Quarum una post dira sibi illata supplicia, ivit cum omni alacritate ad terribilem tenebrosumque carcerem, tanquam ad refectionem lautissimam. Hoc amore succensus sanctus martyr Genesius, in martyrio positus dixit : Non est rex præter Christum, pro quo si millies patiar, ipsum mihi de corde auferre nequaquam poteritis. Denique illustrissima, pulcherrima, doctissima, atque magnanimissima virgo præamabilis Catharina, caritate hac inflammata, persecutori locuta est : Quæcumque tormenta potes excogitare, non differas, quoniam carnem meam et sanguinem Christo offerre desidero, sicut ipse pro me obtulit semetipsum; paratam me videbis ad omnia sustinenda. Et quoniam caritas efficit amantem unum esse spiritum cum amato, et caritas illa ardentissima plene conformat voluntatem amantis cum amato, ita ut idem velint et nolint, et unus voluntati alterius faciliter

acquiescat ; hinc Sancti et Sanctæ divino A amore ineffabiliter inflammati, facillime impetraverunt a suo dulcissimo atque dilectissimo Deo, quod ad eorum petitionem multa et præclara fecit miracula, et affluentissime gratiæ dona non solummodo eis, sed aliis quoque infudit.

Insuper sancti confessores, Deitatis caritate succensi, magnificam vitam duxerunt in carne, nostræ fragilitati ac frigiditati mirabilem magis quam imitabilem. Nam multi illorum frequentiam hominum et adspectum vitantes, in vastissimis et hor- B rendis habitaverunt desertis, et inter ferocissimas feras tanquam inter mansuetissimas oves ambulaverunt illæsi. Non solum sicco pane et aqua contenti, verum etiam panem et aquam in arcta mensura sumpserunt parcissime, et interdum in hebdomada non nisi semel edebant : qui et modico somno contentabantur, et frequenter totas noctes in orationibus et contemplationibus duxerunt insomnes. Quorum unus disseruit : Sufficit monacho una hora ad dormiendum, si tamen operarius est. Hi C inclytissimi ac præclarissimi viri ubertim a corporeis sensibus abstrahebantur, tamque validissime et profundissime rapiebantur in Deum, et in divitias gloriæ ejus demergebantur per contemplationem purissimam æstuantissimumque amorem, quod nullo sensu corporeo, nullo corporis motu utebantur : imo quidam eorum in tali divinissimo supernaturalique raptu fixi manserunt non tantum per plures horas, sed per plures etiam dies. Horum unus in exordio suæ ingressionis in cœno- D bium, sic fuit præventus a Spiritu Sancto, et ita transformatus in Creatorem, quod pro cervisia bibit oleum, et pro butyro sanguinem manducavit, nec sensit. Talis fuit et ille seraphicus Franciscus, qui in contemplationibus atque fervoribus suis ad Deum, frequenter elevabatur in aere, imo quandoque tam alte, quod a stante in terra videri vix poterat. Nec solum tales fuerunt confessores electi et viri perfecti, sed et virgines sanctæ ac viduæ virtuosæ, imo et aliquæ feminæ maritatæ. Quarum quædam et in brevi fuerunt, ut virgo innocentissima S. Catharina de Senis, Brigitta quoque beatissima vidua.

Præterea caritas sancta ac fervida, multos occultos, saluberrimos ac divinos actus facit in mente, quam in primis suo Creatori, Salvatori ac sponso conjungit, desponsat, amabilem et amplexabilem efficit. Imo per caritatem fit anima Dei sui filia et amica, imprægnatur ac fructuosa efficitur a Spiritu Sancto lumine gratiæ, semine verbi cœlestis, conceptu sapientiæ, splendore operibusque virtutum. Sicque deinceps caritas crescens et incalescens, mentem amantis transformat in dilectum, ita quod sicut ferrum missum in ignem, quasi transformatur in ignem, quoniam fit ignitum, et propriis frigiditate, duritia et inflexibilitate amissis, in calorem vehementem mutatur, et flexibile atque in diversas figuras vertibile redditur; sic mens amantis transformata in Creatorem, tota repletur igne increati amoris qui est Spiritus Sanctus, qui est ignis consumens atque innocue ardens. Sicque abjecto frigore negligentiæ et torporis, et sublato corde lapideo, fit facillime flexibilis et ductilis ad omne bonum virtutis, et ad omnem obedientiæ actum, ad omnem compunctionem, compassionem et fletum piissimum. Cupitque fervide universorum salutem, et pro cunctis orat hominibus, ac per hoc divina efficitur, quærendo bonum commune ; et zelo divini honoris ardentissime appetit ac precatur, ut Deus a cunctis hominibus debite honoretur, ut infideles convertantur, credentes reformentur, et omnes salventur. Deinde hæc caritas amantem inseparabiliter ligat cum Deo, quem tam fervide amat ut millies malit occidi quam Deum semel offendere ; et tota sua affectio sic in Deum conversa est, collecta et stabilita, ut nil aliud cogitet et affectet, nisi quod complaceat Deo ; sicque cum Apostolo dicere queat : Quis nos separabit a caritate Dei? Et item : Neque mors, neque

Rom. VIII, 35.
Ibid. 38, 39.

vita, neque creatura alia poterit nos sepa- A
rare a caritate Dei.

Insuper caritas animam amorosam ac sanctam salubriter vulnerat, et desiderii
Cant. II, 5, juxta LXX. jaculo penetrat, ita ut dicat, Vulnerata caritate ego sum; et instar aquæ ebullientis foris erumpat in gestus et signa, ex vehementia, impetu et excessu caritatis exsilientia. Hoc S. Augustinus expertus, dicit ad Dominum : Sagittaveras tu cor meum caritate tua, et gestabam verba tua transfixa in visceribus meis, et clamabam alto
Ps. IV, 9. cordis mei clamore : In pace in id ipsum B
dormiam et requiescam. O in pace, o in id ipsum, o qui dixit, Dormiam et requie-
Malach. III, 6. scam! Tu es enim id ipsum, qui nunquam
Ps. CI, 28. mutaris. Tu æternaliter idem ipse es. In te solo requies vera, faciens oblivisci universorum laborum. Tu tarditatem meam rupisti; coruscasti et splenduisti in anima mea, et cæcitatem fugasti. Sero te amavi, o pulchritudo tam antiqua (id est æterna) et tam nova, sero te amavi. Intus eras, et ego te foris quærebam; nec redii ad te, quousque revocasti et duxisti me C
ad te.

Insuper caritas ista tam calida, animam tam salubriter vulneratam efficit languidam, ita ut illud in Canticis scriptum di-
Cant. II, 5. cat : Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Etenim ex vulneratione oritur languor : ideo anima divino vulnerata amore languet, id est, grandi dolore affligitur præ nimio desiderio claræ visionis et plenæ ac beatificæ fruitionis Sponsi cœlestis; et suæ exspectationis
Prov. XIII, 12. dilatione torquetur, quoniam spes quæ D
differtur, affligit animam. Ideo clamat ta-
lis amator : Quemadmodum desiderat cer- Ps. XLI, 2, 3.
vus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus; sitivit anima mea ad Deum fortem, vivum; quando veniam et apparebo ante faciem Dei? Et rursus : Heu Ps. CXIX, 5.
mihi, quia incolatus meus prolongatus est. Sic languebat Apostolus, quando dixit : Infelix ego homo! quis me liberabit de Rom. VII, 24.
corpore mortis hujus? Itemque, Cupio dis- Philipp. I, 23.
solvi et esse cum Christo.

Postremo caritas ista facit hominem penitus introversum, et summe intentum atque sollicitum circa Deum, et omnia ista carnalia ac terrena fastidientem; et jugiter excitat mentem ad elevationem sui ad Creatorem, ad contemplationem et amorem ejus flammigerum. Et quoniam Dei amore renuit inaniter consolari ac viliter dele- Ps. LXXVI, 3.
ctari in verbis, signis, rebus ac factis illicitis, in cogitationibus vanis, in ludis, jocis ac risibus puerilibus, in laudibus atque honoribus hominum; ideo promeretur frequenter ac copiose consolari et exhilarari a Domino. Et quoniam delectabile est homini diu conferre cum eo quem fervide diligit, et eum amplecti; ideo homo caritate hac vehementer succensus, orationibus, meditationibus ac laudibus Dei libentissime occupatur, eisque diuturne et quasi infatigabiliter cum ingenti lætitia immoratur, ac tædiosum est ei a talibus exercitiis spiritualibus et internis avelli, atque ad necessaria corpori suo reverti : imo frequenter ad mensam et ad lectum quasi ad carcerem pergit. Tamen in hoc uti discretione necesse est, quia in omni actu virtuoso moderatrix, ductrix et velut auriga debet esse discretio.

FERIA QUARTA PASCHÆ

ENARRATIO IN EPISTOLAM

APERIENS PETRUS OS SUUM, DIXIT : VIRI ISRAELITÆ, ETC. Act. III, 12-15, 17-19.

INÆSTIMABILIS Dei dignatio in hodierna ostenditur epistola, Christum videlicet passum, mortuum, et a morte veraciter resuscitatum pro hominibus, quorum et Deus dici dignatur. Itaque sumpta occasione loquendi per claudum quem ad portam templi Speciosam in nomine Jesu sanavit, *Aperiens Petrus os suum, dixit :* (*Act.* III, 1-8.)

Viri Israelitæ, et qui timetis Deum, audite. His verbis benevolentiam captat, ut fructuosius audiatur. *Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob.* In hoc ineffabilis dignatio, caritas et misericordia Dei ad homines designantur, quod Deus ille altissimus et immensus, Deus utique universorum, qui digne nominari non potest, dignatur se hominum Deum vocare, quasi principalem habens dilectionem et curam ad eos. Hinc etiam ait ad Moysen : Hæc dices ad filios Israel : Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, misit me ad vos. Hoc nomen mihi est in æternum, et hoc memoriale meum in generationem et generationem. (*Exod.* III, 15.) Unde quia Petrus loquebatur Judæis, conformat se modo loquendi patrum veteris Testamenti. *Deus patrum nostrorum glorificavit Filium suum* unigenitum, naturalem, æternum, non adoptivum, scilicet *Jesum,* per multa miracula soli Deo possibilia (singulariter autem per claudum jam per nos in nomine Jesu curatum) ostendens quod vera sit ejus doctrina, et prædicatio nostra de ipso. *Quem* A *vos quidem tradidistis* judici, *et negastis* esse regem vestrum aut Filium Dei, *ante faciem Pilati,* dicentes : Non habemus regem nisi Cæsarem ; et rursus, Tolle, tolle, crucifige eum. (*Joann.* XIX, 15. *Ibidem.*) *Judicante illo,* puta Pilato, *dimitti* hunc Jesum tanquam innocentem. Nam dixit : Nil causæ invenio in eo ; et iterum, Corripiam illum et dimittam. (*Luc.* XXIII, 4. *Ibid.* 22.) Hoc tamen non protulit sententialiter et ultimate, sed interloquendo dimittendum asseruit.

Vos autem Sanctum et Justum negastis, B videlicet Jesum, qui secundum divinitatem suam est essentialiter sanctus et justus, secundum humanitatem vero, per virtutes et actus earum, justior et sanctior universis ; *et petistis virum homicidam donari vobis,* hoc est ad vestram instantiam liberari a morte, videlicet Barabbam, qui fuit seditiosus et latro. (*Matth.* XXVII, 20, 21. *Luc.* XXIII, 19 ; *Joann.* XVIII, 40.) *Auctorem vero vitæ interfecistis,* utpote Unigenitum Dei : qui est totius vitæ fontale principium secundum naturam divinam, a quo derivatur vita naturæ, vita gratiæ, vitaque gloriæ ; C qui secundum naturam assumptam, sua occisione vitam gratiæ et gloriæ instrumentaliter reparavit, imo et vitam naturæ restituit his quos a morte corporea suscitavit. *Quem Deus suscitavit a mortuis, cujus nos testes sumus,* quos Deus misit ad annuntiandum vobis viam salutis : et jam testimonium nostrum confirmavit in curatione claudi hujus. Nota quod merito fidei Apostolorum, non ipsius claudi, præ-

stitit illi Deus sanitatem. Miracula autem fiunt quandoque fide facientium ea, quandoque fide eorum quibus fiunt.

Sap. VII, 21. Ecce qualis artifex est Spiritus Sanctus, qui huic pauperi piscatori infudit tantam constantiam, ut tot millibus hominum non vereretur improperare tam incomprehensibile scelus, videlicet occisionem injustissimam unigeniti Filii Dei, quod solo auditu horrendum est. Verumtamen, quoniam discretio exigit ut rigori pietas misceatur, quia et nostra perfectio est Deo assimilari, qui in omni effectu justitiæ misericordiam miscet, hinc Petrus post asperam invectionem blanda verba inducit, et territos consolatur.

Et nunc, fratres, scio quod per ignorantiam fecistis, sicut et principes vestri, id est pontifices ceterique majores. Et hæc ignorantia excusavit crimen eorum aliqualiter, non totaliter, imo nec multum, præsertim quantum ad principes. Tanta enim miracula fecit Dominus Jesus, et tot Scripturarum auctoritatibus demonstravit se esse Messiam in lege promissum, quod merito debuissent credidisse in eum. Sed
Ibid. II, 21. excæcavit eos malitia eorum. Quomodo autem pro tempore aliquanto principes et alii quidam noverunt Jesum esse Messiam, et quomodo non, qualiter etiam ad tantam cæcitatem inducti sunt ex impatientia sua propter prædicationem Christi contra eos,
Cf. in *Matth.* XXI, 46; in *Luc.* IV, 3. nunc omitto, quia super Matthæum et Lucam, ex verbis Augustini dixi hoc plenius.

Deus autem qui prænuntiavit per os omnium Prophetarum pati Christum suum, implevit sic, sicut prædixit : quia divina ordinatione passus est Christus; et eo modo Deus illud implevit, quo sensu

A dicitur Deus eum tradidisse. Quamvis enim Judas impie eum tradiderit, Deus tamen per Prophetas eum tradendum prædixit, *Matth.* XXVI, 47-49. prædeterminavit, et in sua sempiterna præscientia pro hominibus moriturum prædefinivit. Unde et apostolus Paulus ait : Proprio Filio suo non pepercit Deus, sed *Rom.* VIII, 32. pro nobis omnibus tradidit illum. Deus quoque Pater seu Trinitas benedicta inspiravit animæ Christi voluntatem moriendi pro hominibus; rursusque eidem contulit tam juste conversari et loqui, quod Judæi
B ad invidiam concitabantur, ex qua ultra ad Christi occisionem progressi sunt. Sicque passio Christi, quantum ad causam ejus bonam principiumque spontaneum, fuit directe et effective a Deo, ratione cujus etiam ipse Christus (ut inquit Isaias) tradidit in mortem animam suam. *Is.* LIII, 12. In tantum ergo Deus implevit quod prædixit, ut palam protestetur : Propter scelus populi *Ibid.* 8. mei percussi eum. Non tamen induxit Judæos ad faciendum hoc maximum peccatum, sed malis actibus eorum usus est
C Deus ad bonum. Ex hac autem auctoritate elicitur, quod universi Prophetæ verbo vel scripto aut mystico facto Christum prænuntiaverunt passurum, sicut etiam Zacharias fatetur : Visitavit, et fecit redem- *Luc.* I, 68, 70. ptionem plebis suæ, sicut locutus est per os sanctorum, qui a sæculo sunt, Prophetarum ejus.

Pœnitemini igitur de peccatis vestris, præsertimque de Christi occisione dolete, *et convertimini* ad Dominum Salvatorem, *ut deleantur peccata vestra* merito vitæ,
D passionis, mortis, sanguinis et resurrectionis Domini nostri Jesu Christi in sæcula benedicti.

SERMO PRIMUS

DE UTILITATE CONFESSIONIS SACRAMENTALIS, ET QUOMODO FIERI DEBEAT.

PŒNITEMINI *et convertimini, ut de-* A *leantur peccata vestra.* Act. III, 19.

Peccatum mortale est læsio animæ, imo et mors ejus, quia per mortale peccatum perdit anima vitam gratiæ, caritatem Dei, et omnes virtutes ac merita præcedentia. Unde quamdiu est homo in mortali peccato, coram Deo spiritualiter mortuus est. Insuper, sicut per caritatem et gratiam Spiritus Sancti fit anima sponsa Christi, amica et filia Dei, ac heres regni cœlestis; ita per mortale peccatum fit adultera diaboli, filia perditionis, præda inferni. B Peccatum ergo maxime nocet homini. Confessio autem, post Baptismum, est præcipuum remedium contra peccatum, quoniam in confessione vulnera animæ curantur, omnia ejus peccata tolluntur, virtutes redduntur, et homo reconciliatur Domino Deo suo. Hinc saluberrimum est, frequenter et sinceriter confiteri, præsertim quia in confessione sunt multa quæ ad remissionem peccatorum cooperantur et prosunt, videlicet potestas clavium Ecclesiæ, oratio et absolutio confessoris, pudor et dolor C atque humilitas confitentis; et frequenter contingit, ut confitens qui sine vera contritione ac sufficienti dolore ad confitendum accessit, in sua confessione veram contritionem et sufficientem dolorem de suis a Deo acquirat peccatis. Insuper, ex hoc quod homo raro confitetur, obliviscitur pro magna parte sua peccata, nec ponderat ea, sed induratur ita, quod dum confiteri vult, vix unum de centum attendat ac memoretur. Expedit ergo valde multoties confiteri, videlicet in Adven- D tu, et in profestis quatuor festorum, aut circiter, in principio quoque jejunii, et in bona hebdomada, atque in festis præcipuis divæ Virginis gloriosæ.

Præterea, antequam homo ad confitendum accedat, primo se præparet, peccata sua diligenter ad memoriam revocando, et gravitatem multitudinemque eorum prudenter pensando, Deumque orando ut dignetur sibi gratiam veræ contritionis, integræ confessionis et efficacis emendationis tribuere. Deinde ad confitendum accedat corde humili et contrito, et confessori quasi Deo loquatur, universaque vitia sua distincte et plene confiteatur, cum cordiali dolore et pudore interno, quod scilicet Deum infinitæ dignitatis ac sanctitatis, tam frequenter, tam graviter turpiterque offendit. Tunc etiam exprimat ea quæ aggravant culpam, videlicet tempus et loca, et personas cum quibus peccavit, tamen in generali, non nominando eas, nec aliquid dicendo per quod possint a confessore cognosci, quantum id potest vitari. Exprimere etiam debet pro posse, quam sæpe peccavit, et utrum peccavit ex ignorantia aut fragilitate humana, an ex certa scientia, et ex proposito ac usu perverso, et an post peccatum de eo pœnituit, vel an se de peccato suo jactavit. Conjugati autem specialiter confiteri debent, an in actu matrimoniali excesserunt, cognoscendo se ex concupiscentia prædominante, quia tunc esset grave peccatum; et an circa proles suas atque familiam bene ac juste, an injuste et negligenter se habuerunt. Item [exprimere debent pœnitentes], an pœnitentiam injunctam bene persolverunt, non in mortali peccato exsistentes.

Postremo, quoniam peccatum est incomparabiliter pejus ac vilius et fugibilius omni damno et corporali incommodo, ideo de peccatis suis debet homo summe dolere, et magis utique quam de aliqua adversitate aut afflictione temporali ac corpo-

rali. Et quanto peccata fuerint plura ac graviora, tanto oportet contritionem esse majorem. Maxime namque debet homo dolere quod Deum creatorem ac salvatorem suum tam infinite bonum, sanctum et gloriosum (quem summe amare et honorare tenetur) toties impudenter ac graviter offendit, ejusque beneficiis ingratissimus fuit.

Quia ergo corpus et animam, membra corporis viresque animæ a Deo accepimus ut Deum per hæc omnia honoremus, qualiter per ea Deum offendimus, succinctim tangere volumus. Dicat ergo confitens hoc vel simili modo :

In primis reddo me culpabilem, quod Deum offendi per sensus exteriores. Visu nempe libenter vana et inutilia adspexi, ut choreas, spectacula, hastiludia, ludos diversos, et alia. (Talibus delectando efficitur homo particeps peccatorum illorum, et sæpe mortaliter peccat.) Item hinc inde vage et incaute circumspexi, viros et feminas libidinose intuendo (quod est grave peccatum); ac tempore Missæ et divini Officii ista feci, diebusque sacris et festivis. Cordis quoque superbiam, iram, concupiscentiam, vanitatem et dissolutionem frequenter ostendi per visum, et sic alios scandalizavi, interiora vitia mea foris monstrando; et aliis variis modis peccavi per visum. Peccavi etiam per auditum, verba vana, scurrilia, mendosa, detractoria, contentiosa, pungitiva, cantus lascivos, inanes, amatorios, symphonias, et similia libenter cum delectatione audiendo; ac verba salubria et sermones, correptiones et informationes bonas invite audivi. Peccavi quoque per gustum, cibos et potus delicatos avide cum carnali delectatione sumendo; et per odoratum, in suavitatibus odorum carnaliter delectando; item per tactum, propria membra aut membra et corpora aliarum personarum impudice et libidinose tangendo, et per hoc me ipsum aliasque personas ad peccata varia et gravia provocando. Amplius peccavi per sensus interiores, variis

A phantasiis, turpibus imaginationibus, illicitis cogitationibus immorando, vitiosis affectionibus non resistendo, passiones animæ meæ, videlicet motus sensuales, non frangendo. Peccavi quoque multipliciter et innumerabiliter nimis per linguam, mentiendo, obloquendo, jurando et perjurando, aliis convitiando, maledicendo, verba vana, lasciva, frivola proferendo ; item cum vana delectatione cantando, et cantus sæculares, inanes, amatorios canendo aut præcinendo.

B Præterea, graviter nimis peccavi contra decem præcepta. Primo, quod Dominum Deum creatorem meum toto corde non dilexi nec timui pro posse, non honoravi nec colui, sed contempsi, ejus præcepta non advertendo nec implendo, sed multa vana atque vilissima, carnalia ac caduca ei injustissime et insipientissime præferendo : sic creaturis et rebus carnalibus magis quam Deo adhæsi, et propter harum amorem Deum reliqui, contempsi et oblitus sum. Item inaniter sæpe juravi, et C absque reverentia nomen Dei assumpsi; ac perjuravi scienter ac sponte, propter aliquod commodum temporale. Dies quoque festivos non debite celebravi, nec divinum Officium pro posse audivi : imo tunc magis peccavi quam ceteris diebus, ludendo, chorizando, potando, gyrovagando, inania intuendo, ac alia diversa vitia committendo. Insuper, parentes et superiores meos debite non honoravi, eis frequenter inobediens fui; quando fecerunt aut dixerunt quod mihi non placuit, faci- D liter et frequenter indignationem et iram contra eos concepi, dure et irreverenter eos adspexi et affatus sum; et si feci quod mihi injunxerunt, non tamen cum debita promptitudine ac reverentia mentis, sed cum murmuratione, impatientia aut tædio id feci. Bona, labores et sudores eorum, gulose, vane turpiterque consumpsi. Senioribus, sapientioribus, virtuosioribus, religiosis et sacerdotibus reverentiam decentem non impendi. Præterea alios læsi in corpore, vel in fama; aut quocumque

modo percussi eos; consilio vel auxilio, aut læsioni eorum pro posse meo non restiti, vel aliquorum mortem seu læsionem optavi, vel inde gavisus sum. Item aliorum bona furatus sum aut retinui; et debita male persolvi, ita quod alii inde damnum incurrerunt; et parentibus meis aliqua occulte subtraxi. Peccavi quoque per vitia carnis, et per testimonium falsum, atque per hoc damnum aliis intuli. Desideravi etiam aliquorum uxores aut opes, et vitiosæ concupiscentiæ non restiti debito modo. Sed et præceptis Ecclesiæ non obedivi, jejunando certis temporibus ut præceptum est.

Præterea peccavi in septem peccatis mortalibus. Primo, per superbiam, magnum me reputando, laudem et gloriam temporalem optando, de donis et beneficiis Dei inaniter gloriando, quasi illa a me ipso, non a Deo, haberem. Vanam complacentiam habui in me ipso, alios sprevi ac temere judicavi. Et quando me laudari audivi aut novi, inaniter delectabar, quamvis false laudabar. Item superbivi, et aliis me prætuli, ac jactavi me de nobilitate, de opulentia, pulchritudine, ingenio, prudentia, eloquentia, multitudine amicorum ac propinquorum, atque potentia sæculari, aut fortitudine corporali seu dignitate officii. Fui quoque superbus in verbis, me ipsum laudando præsumptuose et jactanter, propria vitia excusando, alios inordinate, invidiose aut mendaciter accusando, de aliis despectorie loquendo. Fui item superbus in factis et operibus meis, superbe eundo, et curiose me vestiendo; increpantibus et informantibus me fui ingratus, molestus et durus: atque aliis modis diversis magis quam possum exprimere, per superbiam Deum offendi.

Præterea per invidiam Deum offendi, aliis mala optando, de eorum prosperitate tristando, et de eorum adversis gaudendo, ipsisque detrahendo, et alios ad eorum odium inducendo, seu ipsos cum aversione et nausea inspiciendo, atque de ipsis cum prava affectione cogitando.

Insuper peccavi per iram, irrationabiliter irascendo, pro parva injuria magnam vindictam inferendo, aut inferre optando sive procurando; et nimis excessive fui sæpe commotus, ita quod ratio mea totaliter excæcabatur, et velut brutum ac stultum me exhibui, perturbationisque signa foris ostendi, et alios per hoc scandalizavi et perturbavi. Sed et contra irrationalia et inanimata, ac contra superiores meos per iram commotus, furore et impatientia sæpissime plenus fui. Ex ira quoque in diversa vitia lapsus sum, scilicet : in læsionem et contumeliam, in diffamationem ac detractionem maledictionemque aliorum, in revelationem secretorum, imo in manifestationem eorum quæ in fide suscepi celanda (quod est mortale peccatum, nisi propter bonum commune talia oporteret manifestare); item in murmurationes, juramenta atque perjuria.

Amplius, peccavi per avaritiam, bona terrena superflue appetendo, congregando, videlicet plus quam mihi aut meis necesse aut utile est quoad Deum et veram salutem. Filiis quoque ac filiabus meis temporalia concupivi, collegi ac reservavi plus quam eorum conditioni ac statui congruit. Ex avaritia quoque in diversa lapsus sum vitia, scilicet : in dolos, furta, mendacia, perjuria, violentias et rapinas. Et in emendo ac vendendo alios defraudavi; male et tarde persolvi indigentibus, mutuum dare nolui aut sub usura concessi, aliorum bona optavi, ludos illicitos et lucrosos exercui, et ad idem alios induxi ex affectu lucrandi; aliis ablata et male acquisita non restitui, nec in pios usus converti.

Præterea peccavi per acediam, quia ad Dei obsequium fui piger et negligens, opusque Dei cum tædio et irreverentia feci. Pœnitentias mihi injunctas omisi, aut imperfecte et absque contritione solvi. Missas, sermones et alia divina Officia, quum satis vacarem, non audivi, præsertim in festis juxta præceptum Ecclesiæ: imo tunc intentus fui ludis, potationibus, trufis, aliisque diversis peccatis; valde diu mansi

in lecto, sicque divina neglexi, et tempus A mihi concessum infructuose et vitiose consumpsi.

Insuper, peccavi graviter ac sæpissime, imo quotidie pene, per gulam, cibum et potum superflue capiendo, horam comedendi ac potandi præveniendo, nimis diu in mensa sedendo, pretiosa et delicata cibaria sumendo, delectationem in cibis et potibus, et non solam naturæ necessitatem, quærendo. Post prandium et cœnam immoderate potavi; vana, illicita et detractoria verba tempore comestionis B et potationis locutus sum. Per inanem lætitiam animum relaxavi. Per crapulam ad opera bona ineptum me feci. Somnolentiam incidi in divinis, et tempore divini Officii obdormivi; ad vitia carnis me provocavi, tempus damnabiliter expendi; et ante refectionem cibo et potui non benedixi, nec post refectionem gratias egi.

Amplius, peccavi per luxuriam, cogitationibus immundis, affectionibus lascivis, verbis scurrilibus, provocatoriis, libidinosis, fallacibus, osculis, tactibus, amplexibus C ac aliis blandimentis carnalibus, ac meretriciis gestibus. Opere quoque in hoc peccato excessi per simplicem fornicationem, per meretricium, per adulterium, per stuprum (quod est violatio virginum), per sacrilegium (quod est concubitus personæ religiosæ, aut in sacris ordinibus constitutæ, vel cum personis hujusmodi), per incestum (qui est concubitus cum persona consanguinea aut affini, aut legali cognatione propinqua), aut cum propria conjuge modo prohibito me miscendo (ut D dictum est); vel per peccatum contra naturam (quod fit pluribus modis). Item non solum in ipsam vitiosam carnis copulam, sed in ipsam quoque veneream delectationem consensi (quorum utrumque est peccatum mortale). Insuper, cogitando, adspiciendo, tangendo, loquendo, osculando et amplectendo, in me ipso et in aliis personis stimulationem inflammationemque carnis, concupiscentiam sensualitatis aut pollutionem vitiose et lamentabiliter provocavi. Et dum aliquid tale in corpore meo sensi, non statim a talium causis, videlicet osculis, tactibus, amplexibus, imaginationibus, adspectibus, confabulationibus, me retraxi, sed morose, periculose, insipienter ac turpiter immoratus sum talibus. Alias quoque personas ad prætacta peccata induxi, imo inducere plures ac plures optavi quam potui. Nec solum peccavi ex vehementia passionis atque humanæ fragilitatis, verum etiam ex proposito, et usu ac habitu vitioso; et substantiam meam taliter devoravi: sicque levis fui ac procax in verbis, petulans et lascivus in oculis, inquietus in membris, inconstans in mente. Præfata etiam vitia commisi temporibus sacris et festis, ut in Quadragesima, in Adventu, feria sexta, die dominica, quando specialiter a talibus est cavendum; et cito postquam communicavi, et antequam pœnitentiam mihi injunctam complevi. Item de perpetratis peccatis non statim pœnitui, sed me de ipsis jactavi. Atque sub Missa ac divino Officio in ecclesia feminas libidinose adspexi, et concupivi etiam maritatas ac virgines, et earum adspectibus me objeci, ut ab eis appeterer et complacerem; ibi eis arrisi, et si attendi me ab eis adspici, gloriabar : sicque animam meam aliorumque animas interfeci. Et infinitis fœditatibus ac peccatis ego vilissimus sum pollutus.

Hæc in speciali de modo confitendi tacta sufficiant: de quibus quilibet quantum sua eum conscientia redarguit, se reddere debet culpabilem. Quum vero quis dubitat an in hoc vel illo peccato culpabilis sit, quamvis non debeat affirmare se esse culpabilem, sed sub dubio confiteri, de hoc tamen ita se debet ad emendationem et satisfactionem offerre, quasi certissime sit reus : et hoc securius est.

ENARRATIO IN EVANGELIUM

MANIFESTAVIT SE ITERUM JESUS AD MARE TIBERIADIS, ETC. Joann. XXI, 1-14.

DESCRIBIT Evangelista in hoc evangelio apparitionem factam in Galilæa certis Apostolis, dicens :

Manifestavit se iterum Jesus ad mare Tiberiadis, hoc est prope littus maris situati juxta urbem cui nomen Tiberias, quæ in honorem Tiberii Cæsaris sic vocata est. *Luc.* v, 1. Quod mare alio nomine appellatur stagnum Genesareth, et mare Galilææ, quia *Matth.* iv, 18; xv, 29. in provincia Galilææ habetur. Patet ergo quod ista apparitio facta sit in Galilæa. Ut enim in Matthæo legitur, Jesus in die re- *Ibid.* xxviii, 10. surrectionis dixit mulieribus : Nuntiate fratribus meis ut eant in Galilæam, ibi me videbunt. Disciputi igitur ex præcedentibus apparitionibus confortati in fide et animati, exierunt in publicum, et Galilæam ingressi sunt : ubi quum paucis diebus demorarentur, contigit quod nunc attestatur Joannes. Primo autem refert rem gestam summatim. Deinde refert ordinem quo fiebat. Dicit ergo :

Manifestavit autem sic, id est modo qui sequitur. Christus nempe dum volebat, repente disparuit, et dum volebat, subito rursus apparuit ; nec erat continuo cum discipulis, sed certis locis atque temporibus, secundum præordinationem divinam, prout utile vel necesse fuit ad informationem et consolationem primitivæ Ecclesiæ. *Erant* autem *simul Simon Petrus,* qui a nativitate vel circumcisio- *Joann.* i, 42. ne dictus est Simon, et a Christo nominatus est Petrus ; *et Thomas, qui* cognomento *dicitur Didymus,* id est dubius ; *Ibid.* xx, 24. *et Nathanael* legis doctor, frater Philippi apostoli, *qui* Nathanael *erat* oriundus *a Cana* villa *Galilææ,* ubi Christus convertit *Ibid.* ii, 1 et seq. aquam in vinum. Huic Nathanaeli perhibuerat Christus testimonium hoc : Ecce *Ibid.* i, 47. A vere Israelita, in quo dolus non est. *Et filii Zebedæi* Joannes et Jacobus, *et alii ex discipulis ejus duo,* *Matth.* iv, 21. quorum nomina reticentur. Omnes ergo simul septem fuerunt.

Dicit eis Simon Petrus, qui in omnibus operosior atque ferventior comprobatur : *Vado piscari. Dicunt ei : Venimus et nos tecum.* Licuit autem discipulis ad tale officium reverti propter victus necessitatem, quia in se licitum erat. Matthæus vero ad telonium non rediit, quia hujusmodi opus raro vel nunquam exercetur sine peccato, B secundum Gregorium. Hi ergo discipuli, quoniam pauperes erant, et Jesus provisor eorum recesserat ab eis, ad piscandum profecti sunt. In quo patet Nathanaelis magna humilitas, quia vir tantus ad humile opus accessit. *Et exierunt, et ascenderunt in navim,* forsitan accommodatam, locatam, communem, sive vacantem. Proprias enim naves et cetera reliquerunt. *Marc.* i, 20; *Matth.* xix, 27. *Et illa nocte nihil prendiderunt,* hoc est, nullum piscem ceperunt. Quod licet ex naturali causa accidisse potuerit, tamen divina C factum est dispensatione, ut mox futura captio miraculosior appareret, atque ad Christum declarandum efficacior.

Mane autem facto, stetit Jesus in littore. Tota igitur nocte permisit discipulos infructuose laborare et fatigari, ut postea, viso Jesu et piscibus copiose comprehensis, sincerius exsultarent. Permittit autem Dominus electos suos in nocte sæculi hujus, id est in tempore præsentis vitæ, quæ tribulationibus, culpis atque miseriis plena est, multipliciter laborare, affligi, su- D dare, ut tandem quietem sortiti, plenius jucundentur, juxta illud : Lætati sumus *Ps.* lxxxix, 15. pro diebus quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala. Porro, mane facto,

apparet Jesus taliter laborantibus, id est, A consummato cursu temporis hujus tenebrosi, traducit eos de hoc mari magno, turbulentoque sæculo, ad portum securitatis æternæ seu patriam electorum, ubi *Sap.* v, 6. Sol intelligentiæ incessabiliter oritur, nec dies tendit unquam ad occasum. Potest quoque per « mane » istud, intelligi finis tentationis et persecutionis cujuscumque, in quo splendor gratiæ menti infunditur, spiritualis consolatio datur, et omnia interiora animæ renovantur. Tunc Jesus apparet his quibus tale mane conceditur, statque B « in littore », hoc est in loco tranquillo, ubi *Ps.* xc, 10. flagellum non appropinquat tabernaculo suo, videlicet extra et supra hunc mundum inquietudinibus plenum, invitans suos ministros ut festinent venire ad ipsum, adspirando indesinenter ad patriam.

Denique ad litteram, stetit Christus in littore maris, non supra aquæ fluenta, quia volebat discipulos suos paulatim ad suam cognitionem perducere. Si autem stetisset super aquam, obstupefacti fuissent et territi, arbitrantes phantasma esse vel spiri- C tum, quemadmodum ante passionem quan- *Matth.* xiv, 25. 26. do ambulavit super mare. Tunc enim præ timoris magnitudine clamaverunt. Mystice vero, stetit in littore, ad insinuandum quod amplius cum eis non erat in aquis tribulationum, et fluctibus vitæ mortalis, sed ad impassibilem tranquillissimamque vitam resuscitatus consisteret. Unde ad innuendum quod hoc modo cum illis non esset, quibus tamen præsens loquebatur, *Luc* xxiv. 44. ait apud Lucam : Hæc sunt verba quæ locutus sum vobis, quum adhuc essem D vobiscum.

Non tamen cognoverunt discipuli quia Jesus est. In alia namque effigie apparuit *Joann.* xx. 14. eis, quemadmodum etiam Magdalenæ. Apparuit autem discipulis suis, secundum Chrysostomum, in specie viri volentis emere pisces : quod convincitur ex eo quod subditur. *Dixit ergo eis Jesus : Pueri.* Pueros vocat discipulos, non ætate vel indiscretione, sed simplicitate, puritate et innocentia. Per quem modum Christus ait de se ipso : Ne avertas faciem tuam a puero *Ps.* LXVIII, 18. tuo. Et de ipso dicit primitiva Ecclesia : Convenerunt adversus sanctum puerum *Act.* IV, 27. tuum Jesum, Pontius Pilatus et Herodes. De prædictis pueris suis atque discipulis ait Christus per Isaiam : Ecce ego et pueri *Is.* VIII, 18. mei quos dedit mihi Dominus. *Numquid pulmentarium,* id est aliquid cibi quod decoctum apponatur ac manducetur cum pane ut sapidus sit, *habetis?* quasi dicat : Habetis aliquos pisces ? Quærit, ut ex illorum responsione convenienter consulat atque subinferat. *Responderunt ei : Non.*

Dicit eis : Mittite in dexteram partem *navigii rete,* id est, rete vestrum projicite in aquam ad dexteram partem naviculæ, *et invenietis* quod quæritis, scilicet pisces in copia. Prædicit effectum futurum, in se penitus contingentem, ut quum factum viderent quod prædixit, scirent eum esse Christum. *Miserunt ergo* rete in aquam, *et jam non valebant illud trahere præ multitudine piscium.* Ex quo elici potest, quod divino nutu pisces subito illuc adducti atque collecti sunt, vel fortassis divina virtute producti. Non enim paulo ante ibi fuerunt, quia discipuli tota nocte circa locum illum erant piscati.

Dicit ergo discipulus ille quem diligebat Jesus, Petro : Dominus est. Quemadmodum discipuli ante passionem vocabant Jesum, nunc magistrum, nunc Dominum (juxta illud, Vos vocatis me magister et *Joann.* XIII, 13. Domine), ita et post passionem. Denique Jesus est ille Dominus de quo ait Psalmista, Tu dominaris potestati maris : qui in *Ps.* LXXXVIII, 10. exordio mundi quinto die fecit pisces ma- *Gen.* I, 20-23. ris. Loquitur autem Joannes specialiter Petro, tanquam familiariori et principaliori. Joannes vero cognovit Jesum per miraculosam piscium captionem, et quia vidit verbum ejus tam copiose impletum. Vel Jesus primo ostendit ei speciem sui cognoscibilem.

Simon Petrus, quum audisset quia Dominus est, tunica succinxit se : erat enim nudus. Quod Petrus dicitur tunica se succinxisse, quia nudus erat, intelligi potest

dupliciter. Primo, quod super simplicem A vestem qua erat indutus, succinxit se, quia discinctus fuit. Erat enim nudus, hoc est parum vestitus, ita quod comparatione solitæ vestitionis dicitur nudus, quemadmodum ei qui parum vestitus est dicimus, Cur vadis nudus? Secundo, quia erat simpliciter nudus, saltem usque ad lineas vestes : et ergo tunica se succinxit, illam induendo atque cingendo. Eratque nudus secundum consuetudinem piscatorum, ut expeditior esset ad opus. Porro succinxit se propter reverentiam Christi, ut ad eum B honeste veniret.

Dicitque Beda, quod venit, non ambulando super undas maris, ut ante Christi passionem, sed natando vel peditando. (*Matth.* XIV, 29.) Quod improbat Lyra, quia si voluisset natare, non succinxisset se tunica, nec poterat peditare propter profunditatem aquæ. Distabat namque a littore quasi ducentis cubitis, et potuit ibi currere navis. Videtur autem quod Lyra sufficienter probet quod Petrus non accessit natando. Nihilo minus puto cum Beda dicendum, quod non am- C bulavit super aquas, sed peditavit. Primo, quia hoc videtur evangelicæ veritati amplius concordare. Sequitur enim in textu : *et misit se in mare.* Ex hoc apparet quod aquam intravit usque ad magnam corporis partem. Secundo, quia non est verisimile quod Evangelista tantum miraculum tacuisset. Pro eo enim quod ait, Misit se in mare, poterat dicere, Ambulavit super mare. Quod vero arguitur de aquæ profunditate, non cogit. Quamvis enim Evangelista appellet hanc aquam mare, non D tamen proprie fuit mare, sed stagnum. Loquitur quippe secundum consuetudinem sermonis Hebraici, qui quamlibet congregationem aquarum notabiliter magnam nominat mare, juxta illud : Congregationes aquarum Deus appellavit maria. (*Gen.* I, 10.) Non ergo oportet asserere aquam tam profundam fuisse.

Misit se ergo Petrus in mare, ex fervore et gaudio, cupiens celerrime venire ad supercarissimum suum magistrum ac Dominum, quem nunc toties vidit; nec dubium quin multa ab eo audivit, quæ non sunt conscripta. *Alii autem discipuli navigio venerunt,* quia non adeo fervidi erant ut Petrus ; nec indigebant se in aquam mittere : *non enim longe erant a terra,* id est littore in quo stetit Jesus, vel de prope, *sed quasi cubitis ducentis,* ideo poterant quasi tam cito venire ad Jesum ut Petrus; *trahentes rete piscium* per aquam, ut moris est piscatoribus. *Ut ergo descenderunt in terram* de aqua vel navi, *viderunt prunas positas,* scilicet ignem carbonum, *et piscem superpositum* prunis, qui assabatur ut esset esui aptus, *et panem* juxta prunas. Viderunt ergo necessaria victui. Chrysostomus ait quod Christus hæc tria creavit ibidem de novo, videlicet piscem, panem et prunas; alii, quod de novo formata sunt ex præjacenti materia. Voluit autem Christus suæ resurrectionis veritatem rursus ostendere per manducationem : ideo hæc tria præparavit, sciens etiam discipulos fame confectos, utpote qui tota nocte laboraverunt.

Dicit eis Jesus: Afferte de piscibus quos prendidistis nunc. (*Joann.* XXI, 3.) Quamvis enim Christus potuit omnes satiare de pisce superposito prunis, voluit tamen ut de piscibus captis afferrent : quia dum aliunde habemus, non debemus ad miracula perpetranda confugere; nec supernaturalia efflagitare præsidia, dum naturaliter habemus quod opus est. Hoc enim esset Deum tentare. *Ascendit Simon Petrus,* præ aliis semper promptior atque ardentior, *et traxit rete in terram, plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus.* Magnitudinem et multitudinem piscium exprimit Evangelista, ad ostendendum excellentiam tanti miraculi. Propter quod subditur : *et quum tanti essent, non est scissum rete,* quod naturaliter vix triginta pisces poterat sustinere, ut putatur.

Multa mirabilia in ista apparitione peracta sunt : primo, quod Jesus ostendit se in alia forma, qua cognosci non poterat; secundo, quod tot pisces repente collecti

et capti sunt; tertio, quod prunæ ac piscis A et panis de novo formata sunt; quarto, quod rete tot piscibus repletum, manserit integrum.

Dicit eis Jesus : Venite, prandete. Comedit autem Christus cum eis de pisce *Luc.* xxiv, 42, 43. asso nunc, quemadmodum ante in conclavi, quamvis Joannes non exprimat. *Et nemo audebat discumbentium interrogare eum, Tu quis es? scientes quia Dominus est.* Quoniam ergo id noverant, non audebant inaniter interrogare. Frustra enim petissent quod certo cognoscebant. *Et venit Jesus,* non a longinquo, sed ivit ad B panem : *et accepit panem, et dabat eis, et piscem similiter,* id est, cibos illos distribuit eis, vel anteposuit : et forte divisit, quemadmodum duobus discipulis qui *Luc.* xxiv, 30, 31, 35. cognoverunt eum in fractione panis.

Hoc tempore *jam tertio,* id est tertia vice, *manifestatus est Jesus discipulis suis quum resurrexisset a mortuis,* loquendo de apparitionibus in hoc libro descriptis et viris exhibitis. Sæpius tamen apparuit discipulis suis ante hoc tempus, quam ter. Joannes quoque alibi descripsit tres manifestationes Christi post resurrectionem, *Joann.* xx, 14, 19, 26. præter istam ; sed prima illarum exhibita est, non ipsis discipulis, sed Mariæ Magdalene.

SERMO SECUNDUS

QUOMODO TRIA PRÆCEPTA PRIMÆ TABULÆ AD DEUM OBSERVANDA SINT.

Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Matth. xix, 17. C

Quicumque ad annos discretionis pervenerit, si Christi incarnatione, passione et resurrectione cupit salvari, necesse est ut mandata ejus sollicite studeat implere, juxta illud : Qui dicit se nosse Deum, et *I Joann.* II, 4. mandata ejus non custodit, mendax est. Quomodo ergo illa observanda sint, auribus et mentibus nostris sæpius iterum atque iterum inculcare debemus.

Exod. xx, 2-6 ; *Deut.* v, 6-10 ; vi, 4, 5. Itaque primum mandatum est, credere unum Deum, hoc est, ut fide, caritate or- D nata ac bonis operibus decorata, credamus, amemus, colamus, adoremus, timeamus ac veneremur unum solum, verum, æternum, omnipotentem Deum, unum ac trinum, qui solus nos potest salvare, cui propter suam infinitam majestatem et excellentiam summus honor debetur, qui est infinita reverentia dignus, cui a nulla creatura potest tanta reverentia exhiberi quin dignus sit reverentia in infinitum majori. Idcirco, tam incomparabilis eminentiæ Deum, regem ac principem universorum inhonorare, non timere, eique non obedire, injustissimum est : præsertim quum peccatum tanto sit gravius quanto major est dignitas ejus in quem peccatur. Quam enorme ergo est, Deum immensæ dignitatis offendere, et tam viliter contemnere?

Contra hoc præceptum agunt non solum increduli, idololatræ, infideles et hæretici, sed etiam omnes iniqui et intimorati Christiani, mortali peccato fœdati : quoniam rebus creatis magis inhærent quam Deo, et ista carnalia atque caduca plus amant, colunt, quærunt, cogitant ac venerantur, quam summum et incommutabile bonum, Creatorem dignissimum. Tales sunt omnes impii Christiani, qui non attendunt se in præsentia summi ac metuendissimi Judicis omnia intuentis, agere universa quæ agunt, atque de cunctis suis cogitationibus, affectionibus, verbis, operibus et omissionibus, et de omnibus bonis a Deo acceptis se rationem daturos; imo tam turpiter et intimorate agunt et vivunt, et tam

innumerabiliter peccant, quasi non esset A Deus, nec providentia, nec futurum judicium. De quibus Salomon ait : Quia non cito profertur contra malos judicium, absque ullo timore filii hominum perpetrant mala. Hi sunt qui lætantur quum malefecerint, et exsultant in rebus pessimis. Non enim est timor Dei ante oculos eorum. Insuper, contra præceptum istud gravissime peccant, qui vana et vitiosa opera sua in tantum amant, quod mallent Deum non esse, quam illa relinquere ; et qui vellent Deum non esse omnia cognoscentem, nec B hominum vitia ulciscentem, quatenus possent libere et impune peccare.

Eccle. VIII, 11.

Prov. II, 14.

Ps. XIII, 3.

Agunt etiam contra hoc præceptum, qui sortilegos consulunt vel divinos, et qui utuntur pomis inscriptis aut schedulis collo suspensis, aut characteribus, seu aliis credulitatibus vanis, quasi non esset Deus satis bonus, potens ac sapiens ad subveniendum eis quantum expedit saluti eorum. Adversitas enim, infirmitates, damna et ceteræ afflictiones frequenter permaxime expediunt homini, suntque signa amo- C ris Dei ad homines, quemadmodum ipse ait : Ego quos amo, arguo et castigo. Ideo nihil illicitum facere debet homo, ut liberetur aut præservetur ab illis; imo patienter cum gratiarum actione sustineat castigationes piissimi Patris. Nam præcipuum signum quod homo a Deo sit electus, est si habeat multa adversa, et patienter sustineat ea. Hinc ait Scriptura : Multæ tribulationes justorum; et rursus, Omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes et tentationes transierunt fideles; et, Per D multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum.

Apoc. III, 19.

Ps. XXXIII, 20.

Judith VIII, 23.

Act. XIV, 21.

Postremo, contra hoc præceptum agunt, qui opus Dei negligenter persolvunt, qui cum tædio et torpore serviunt Deo, qui temporalibus dominis magis student placere diligentiusque obsequuntur quam Deo, et qui illis propter temporalia commoda blandiuntur; item qui filios aut filias aut uxores aut amicos volunt ditare et exaltare, et qui illos aut aliquam creaturam plus amant quam Deum, in tantum quod propterea agunt contra Dei præcepta.

Ecce pensemus quam gratum et delectabile sit esse, vivere, sentire, intelligere, sanum exsistere, satis habere; quam invite hæc perderemus, quam dolenter uno sensu vel membro privaremur. Cur ergo non diligimus illum a quo omnia hæc habemus, sine cujus conservatione nec ad momentum ea tenere valemus? Cur tam omnipotenti atque piissimo Creatori, conservatori ac provisori sumus ingrati, eumque quotidie toties inhonoramus, ac membris et viribus nostris, quæ ipse nobis largitus est ut ei fideliter serviremus, abutentes, omnia accepta dona in obsequium vertimus adversariorum ejus, videlicet diaboli et peccatorum, in contumeliam omnipotentis Dei creatoris nostri, velut infideles milites ab optimo Domino nostro in partem hostis sui turpiter deficientes ? Quid igitur restat, nisi ut vere nos emendemus, resipiscentes a diaboli laqueis, a quo tenemur captivi, et Dei obsequio et honori nos et omnia quæ ab eo accepimus, rependamus?

II Tim. II, 26.

Secundum præceptum est, non vane jurare per Deum, id est, ea quæ falsa sunt, cum juramento non affirmare, nec etiam absque vera et rationabili causa jurare. Hoc præcepto prohibetur juratio falsa et irrationabilis, per Evangelium, per Sanctos, per Sanctorum reliquias, et alias creaturas, per quas interdum licet jurare, non in quantum sunt creaturæ, sed in quantum in eis relucet ac repræsentatur virtus et veritas Dei. Unde qui falsum scienter jurant, peccant mortaliter, quia assumunt Deum in testem suæ falsitatis. Quamvis autem ex lapsu linguæ aut inadvertentia jurare interdum quod verum est sine rationabili causa, sit veniale peccatum, consuetudo tamen ita jurandi mortalis est culpa : est namque contrarium reverentiæ Deo altissimo debitæ, ipsum frustra in testem assumere. Item, qui jurat contra conscientiam, quamvis sit verum quod jurat, transgreditur hoc præce-

Exod. XX, 7; Deut. V, 11.

ptum. Insuper, qui jurant per intestina A Dei, per membra, vulnera aut sanguinem Christi, enormiter peccant. Et contra tales juratores sunt positæ leges punitivæ per prælatos et principes; et valde dolendum est quod non observantur. Istud quoque præceptum damnabiliter frangunt, qui causa lucri faciliter jurant et sæpe perjurant, ut aliqui mercatores, venditores atque lusores; et qui promissa non implent, et qui fidem conjugalem non servant; qui promittunt aut jurant illicita aut spiritualis profectus impeditiva, quoniam eo ipso B quo talia jurant sive promittunt, crimen perjurii aut fractionis voti incurrunt: quia quandocumque votum aut juramentum contrariatur veritati aut justitiæ vel discretioni, vitiosum est et non observandum.

Amplius, quam periculosa sit inanis vel falsa juratio, patet ex verbis Christi qui ait : Ego dico vobis non jurare omnino, neque per cœlum, neque per terram. Sit sermo vester, Est, est; Non, non. Quod his abundantius est, a malo est. Jacobus quoque apostolus ait : Ante omnia, fratres, C nolite jurare. Hinc rursus scriptum est : Jurationi non assuescat os tuum, multi enim casus sunt in ea. Nam vir multum jurans, replebitur iniquitate, et non recedet de domo illius plaga. Præterea Augustinus affirmat : Qui provocat hominem ad jurationem, et scit eum falsum juraturum, pejor est homicida : quoniam homicida corpus occidit, ille animam, imo duas animas, scilicet suam et ejus quem jurare compellit. Ideo magis tenetur homo rem suam amittere et damnum sustinere, quam D aliquem ad falsum jurandum compellere, quia tenetur plus diligere animam proximi quam temporalia cuncta. Iterum dicit Augustinus : Qui exigit juramentum, valde interest si nescit illum falsum juraturum, aut scit. Si enim nescit, et ideo dicit, Jura mihi, ut ei fides fiat; non audeo dicere non esse peccatum, tamen humana tentatio est. Si autem scit, et compellit eum, homicida est. Dicunt etiam sancti Doctores : Quacumque arte verborum quis jurel, Deus, qui conscientiæ testis est, ita hoc accipit sicut ille cui juratur intelligit.

Matth. v, 34-37. — *Jacob.* v, 12. — *Eccli.* xxiii, 9, 12.

Postremo, quod Christus dicit, Non jurare omnino, intelligendum est de juramento vano et falso. Et ideo sic loquitur Dominus, ut ostendat quam periculosum sit jurare sine sufficiente et cogente causa, quoniam consuetudo verum jurandi, ducit in consuetudinem perjurandi. Pravissimam ergo consuetudinem jurandi abjiciant Christiani. Et quoniam longe est a peccato vani aut falsi juramenti, qui omnino non jurat nisi coactus, studeat unusquisque penitus non jurare : et hoc maxime necessarium est his qui consuetudine jurandi polluti sunt. Porro, si quis ex rationabili causa, cum debita reverentia, congruo loco et tempore jurat, hoc licitum est et actus virtutis. Ideo scriptum est : Dominum Deum tuum timebis, et per nomen ejus jurabis.

Matth. v, 34. — *Deut.* vi, 13.

Tertium præceptum est, ut dies festivos celebremus. Nam et ratio dictat, ut aliquo die hebdomadæ homo specialiter vacet Deo, et aliorum dierum negligentias et peccata reparet, defleat et emendet. Sunt igitur dies dominici et festivi celebriter observandi, quoniam etsi quotidie, tunc tamen specialiter a vitiis est cessandum; et gravius est tunc peccare. Oportet ergo illis diebus ab operibus mechanicis et servilibus, scilicet agricultura, mercatura, placitis, et ceteris vacationem ad Deum impedientibus desistere; Deo vacare, propriam conscientiam examinare, mentem purgare, verbum Dei libenter audire, divinum Officium frequentare, beneficia Dei recolere, et de eis Deo gratias agere; orationibus devote insistere, propria peccata ad memoriam revocare, deflere, confessionem et emendationem proponere. Et præsertim tenentur fideles tunc Missam audire, nisi impedimento excusentur legitimo. Tunc præcipue sunt vitandæ scurrilitates ac superfluitates verborum, saltationes et cantus lascivi et vani, comessationes, potationes, ludi indecentes, immoderatæ consolationes, voluptates carnales, et cordis disso-

Exod. xx, 8-11; *Deut.* v, 12-15.

lutiones. Hinc S. Apollonius ait : Die dominica nihil aliud est agendum, quam Deo vacandum. Nulla operatio in illa sancta die agatur, nisi tantum psalmis et hymnis et canticis spiritualibus dies illa transigatur. Sanctus quoque Gregorius loquitur : Die dominico a labore terreno cessandum est et orationibus insistendum, ut si quid negligentiæ per dies sex agitur, die dominico precibus expietur. Hinc Origenes dicit : Si desinas ab omnibus sæcularibus operibus, si spiritualibus operibus vaces, si ad ecclesiam convenias, divinis sermonibus aurem præbeas, de cœlestibus cogites, de futura spe sollicitudinem geras, futurum judicium præ oculis habeas, nec respicias ad visibilia atque præsentia : hæc est Christiano vera observatio diei dominicæ ac festorum.

Et quia Dei vacationi nihil plus contrariatur quam peccatum, ideo asserit S. Augustinus : Melius faceret colonus aliquid utile in agro suo die dominico, quam si in theatro seditiosus exsisteret*; et melius feminæ lanam nerent, quam in festis saltarent. Sed, heu ! omnia nunc subversa sunt. Nam diebus dominicis ac festivis Christiani vanitatibus, carnalitatibus, confabulationibus vitiosis, variisque peccatis vacant plus quam ceteris diebus, non attendentes quod toties peccent mortaliter, quoties præceptum Dei aut Ecclesiæ transgrediuntur. Hinc vitiosum est, quod quidam diebus festivis barbam radunt, aut equos subverrunt, nisi necessitas magna excusaret. Nec talia facientes impudenter se excusent. Non enim justus est, aut Deum veraciter diligit, qui amore lucri aut timore damni vel humanæ offensæ, Dei aut Ecclesiæ præceptum transgreditur. Interdum etiam mercatores, sartores, et alii mechanici in hoc sunt multum rei et negligentes. Judicet quisque se ipsum, et postponat proprium commodum divino honori, ut mereatur inter fideles servos comprobari in die Domini nostri Jesu Christi.

* seditioni insisteret

SERMO TERTIUS

DE SEPTEM SECUNDÆ TABULÆ MANDATIS ERGA PROXIMUM SERVANDIS.

S*I diligitis me, mandata mea servate.* Joann. XIV, 15.

In tribus præceptis supradictis docetur qualiter se habere debeat quilibet erga Deum ; in aliis septem præceptis sequentibus docetur quomodo se habere debeat erga proximum.

Exod. XX, 12; *Deut.* V, 16. Quorum primum est, honorare parentes. Hoc primo intelligitur de carnalibus parentibus, deinde de prælatis et spiritualibus patribus, ac omnibus superioribus, atque de his qui ætate, sapientia aut virtute patres vocari merentur. Carnales ergo parentes filii honorare tenentur, quia ab illis habent esse, et educationem, ac informationem. Varios quoque dolores, labores ac curas parentes sustinent propter sobolem suam. Ideo sufficienter et digne a filiis et filiabus suis honorari vix possunt. Propterea Aristoteles ait, quod Deo et parentibus non potest reddi æquivalens. Itaque filii et filiæ obligantur parentes suos cordialiter valde diligere, verbis et factis honorare, eisque necessaria vitæ ministrare si indigent, et obedire eisdem, sicut ait Apostolus : Filii, obedite parentibus vestris per omnia, hoc est in omnibus ad quæ se extendit auctoritas parentum super sobolem suam, videlicet in bonis moribus, et in his quæ ad dispensationem rei familiaris gubernationemque domus spectant. Unde contra præceptum hoc *Coloss.* III, 20.

graviter et mortaliter peccant, qui parentibus aut prælatis et superioribus suis facile indignantur, irascuntur, obloquuntur aut maledicunt, et qui præcepta sanctæ matris Ecclesiæ parvi pendunt, aut excommunicationem non curant, et qui oblationes et decimas debitas ministris Ecclesiæ, renuunt aut tardant persolvere.

Præterea hoc præcepto jubentur subditi, suis sæcularibus principibus obedire in his quæ ad illorum spectant officium: quorum ordinationes et jussa non debent insipienter arguere, neque contemnere, nisi evidenter essent contra justitiam, contra Deum, contra fraternam caritatem, aut Ecclesiæ libertatem. Honorandi quoque sunt avi et aviæ, et ceteri seniores cognati. Quemadmodum autem parentes vivos filii ac filiæ honorare tenentur, ita pro eisdem defunctis orare et aliis aptis modis illorum animabus succurrere obligantur.

Eccli. III, 8, 9, 13-15, 18. Hinc ait Scriptura: Qui timet Dominum, honorat parentes, et quasi dominis serviet eis in opere et sermone cum omni patientia. Gloria hominis ex honore patris sui, et dedecus filii pater sine honore. Fili, suscipe senectam patris tui, et ne contristes eum in vita illius; et si defecerit sensu, veniam da, et ne spernas eum. Quam malæ famæ est qui relinquit patrem; et est maledictus a Deo qui exasperat matrem. Hinc sanctus Tobias præcepit filio *Tob.* IV, 3, 4. suo: Honorem semper habebis matri tuæ; memor enim esse debes quæ et quanta pericula passa sit propter te in utero suo. *Eccli.* VII, 29. Hinc rursus ait Scriptura: Gemitus matris tuæ ne obliviscaris. Insuper Deus per Moysen jussit: *Exod.* XXI, 17; *Deut.* XXI, 18-21. Qui maledixerit patri aut matri, occidatur. Et iterum, filium contumacem, comessationibus ebrietatibusque vacantem lapidari præcepit. Idcirco contra hoc præceptum enormiter peccant filii ad studium missi, qui non curant proficere, sed bona parentum gulose turpiterque consumunt.

Postremo, ut præceptum hoc meritorie impleatur, oportet ut parentes honorentur non solum aut principaliter quia pa- A rentes sunt, aut ex naturali amore, sed principaliter quoniam Deus hoc jussit, ex divino aut spirituali amore: ad gloriam Dei, non propter laudem humanam aut commodum proprium, aut ad placendum hominibus.

Quintum præceptum est, Non occides. *Exod.* XX, 13; *Deut.* V, 17. Hic primo et maxime prohibetur corporalis occisio hominis non secundum ordinem juris facta. Et quia peccata in proximum tanto sunt graviora quanto proximum amplius lædunt, ideo inter peccata in proxi- B mum, homicidium est maximum. Præterea hoc præcepto prohibetur implicite omnis ira, invidia, inordinata percussio, læsio, depilatio, contumelia, persecutio, violentia, oppressio atque detractio. Agunt itaque contra præceptum istud, qui consilio, auxilio, consensu aut simili modo ad homicidium cooperantur, et qui illud non impediunt si congrue possint, et qui necessaria vitæ non dant constitutis in extrema necessitate, et qui alios scandalizant, ad mortale peccatum illos trahendo C aut inducendo; item qui peccatorem a peccatis suis non retrahunt per correptionem fraternam aut correctionem paternam, seu per exhortationem aut instructionem, quum possint et debeant, tempore et loco opportunis. Insuper, ut S. Clemens testatur, beatissimus Petrus apostolus dixit triplex homicidium esse: unum corporale, quo vita naturalis aufertur; aliud spirituale, quo quis ad mortem animæ (hoc est ad mortale peccatum) inducitur, vel quo corporalis aut spiritualis mors alicu- D jus optatur, sicut et Joannes apostolus loquitur: Omnis qui odit fratrem suum, *I Joann.* III, 15. homicida est. Deus namque affectum computat pro effectu. Tertium homicidium est, quo quis in corde aliorum vilescit, et esse bonæ famæ amittit: sicque detractio homicidium appellatur. Ideo et Salomon ait: Si mordeat serpens in silentio, nihil *Eccle.* X, 11. minus eo habet qui occulte detrahit. Detractio namque mortale peccatum est, et gravius furto, ut dicunt doctores, quoniam majus bonum aufert detractor quam fur.

Fur enim aufert substantiam, detractor bonam famam, quæ præponenda est opibus, sicut ait Scriptura : Curam habe de bono nomine : hoc enim plus proderit tibi, quam mille thesauri. Et Salomon ait : Melius est nomen bonum, quam pretiosa unguenta. Porro christianus homo appetere debet famam bonam, non in quantum fama bona est pro suo honore, sed in quantum est ad gloriam Dei ædificationemque proximi.

Eccli. XLI, 15. *Eccle.* VII, 2.

Amplius, contra præceptum hoc agunt, qui inter fratres discordiam seminant : quod est mortale et valde enorme peccatum, quia caritatem corrumpit, et multa peccata inducit. Ideo Salomon dixit : Detestatur anima mea eum qui seminat inter fratres discordiam. Et iterum ait Scriptura : Susurro et bilinguis maledictus, multos enim turbavit pacem habentes. Detractoribus autem et discordiæ seminatoribus non solum consentire non debemus, sed faciem quoque ab eis avertere, et tristem vultum eis ostendere, ne communicemus peccatis illorum : quia ut Salomon ait, Per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis. Et Sapiens ait : Sepi aures tuas spinis, et noli audire linguam nequam.

Prov. VI, 16, 19. *Eccli.* XXVIII, 15. *Eccle.* VII, 4. *Eccli.* XXVIII, 28.

Postremo homicidæ gravissime peccant, non solum quoniam corpus interimunt, sed etiam quia animam æternæ damnationis periculo exponunt. Frequenter namque qui occiduntur, ad mortem sunt imparati : quod homicida attendere debuit. Faciunt etiam contra istud præceptum, qui propter injuriam sibi aut proximis illatam, aliquem quærunt propria auctoritate occidere, damnificare aut lædere, quum non sint judices illius, nec publica auctoritate fungantur. Imo, si judex reum occidat non amore justitiæ, sed appetitu vindictæ, aut ex livore, etiam peccat contra hoc præceptum.

Exod. XX, 15; *Deut.* V, 19.

Sextum[1] præceptum est, non furari. Ubi non solum prohibetur reale furtum, sed etiam furandi affectus, imo omnis illicita appetitio, contrectatio, ablatio, retentio ac defraudatio rei alienæ, videlicet rapina, latrocinium, injusta mercatio, mala mensuratio, infidelis labor, simonia, usura, patrocinatio falsa. Itaque contra hoc præceptum agunt, quorum peccato seu adulterio accidit quod non verus heres in hereditatem succedit. Similiter ecclesiastici viri, qui bona Ecclesiæ superflue carnaliterque consumunt : ideo ad restitutionem tenentur. Item qui scienter et ex carnali affectu indignos ad ecclesiastica promovent bona, quæ non nisi dignis, videlicet Deum timentibus ac devotis, debentur. Hi quoque qui parentibus suis aliqua furtive auferunt ; et qui debita non persolvunt pro posse, dum repetuntur : quod est periculosum, quia si hi quibus tenentur, ex dilatione persolutionis damnum patiuntur, debitores tenentur eis recompensare hoc damnum juxta doctrinam viri discreti ac sapientis.

Exod. XX, 14; *Deut.* V, 18.

Septimum[2] præceptum est, non mœchari seu fornicari. Quo præcepto, ut loquitur Augustinus, prohibetur omnis illicitus concubitus, atque membrorum generationi deservientium illegitimus usus, omnis quoque libidinosus contactus etiam in conjugatis, quo non servatur naturalis ordo inditus a natura, imo omnis copula sive commixtio viri et feminæ extra limites legis ac vinculi matrimonialis. Nec solum prohibetur isto præcepto omnis illegitimus coitus, sed etiam ejus appetitus : quoniam omnis consensus deliberatus in illicitum coitum aut in delectationem veneream, est mortale peccatum. In libidinosis quoque osculis et amplexibus mortalis est culpa. Oportet ergo vitare occasiones concupiscentiæ vitiosæ et commixtionis illicitæ, scilicet incautum feminarum adspectum, colloquia secreta, immoderata et impudica, contactus, amplexus et oscula, convivia, arrisus, munuscula ; et se co-

[1-2] *Ita* non solum hoc loco, sed in tractatibus de Vita curatorum, art. XXVIII, XXIX ; de Laudabili vita conjugatorum, art. XXVI ; et alibi.

ram Deo timorate habere. Quod si tentatio A venerit, statim immundam cogitationem oportet abjicere, passionem Christi adspicere, de stricto ac metuendissimo Dei judicio cogitare, pœnas inferni pensare, Dei auxilium invocare, seque ab adspectu, cogitatu et consideratione eorum quæ concupiscentiam causant, avertere, convertendo se ad cogitationes et occupationes bonas.

Exod. xx, 16; *Deut.* v, 20. Octavum præceptum est, Non falsum testimonium dices. Hoc namque est valde grave peccatum ; et qui falso testimonio B est alicui causa damni, ad restitutionem tenetur. Si autem famam ejus corrumpit, eam pro posse restituere obligatur. Si vero per falsum testimonium est causa mortis alicujus, homicida est coram Deo. Ideo
Prov. xix, 5. Salomon ait : Testis falsus non erit impunitus. Hoc etiam præcepto prohibetur mendacium perniciosum, quod scilicet alicui
Sap. i, 11. nocet. De quo ait Scriptura : Os quod mentitur, occidit animam. Et de quo Propheta
Ps. v, 7. loquitur Deo : Perdes omnes qui loquuntur mendacium. Porro omne mendacium, sive C sit officiosum quod alicui prodest, sive jocosum quod delectat, ad minus est veniale peccatum, et potest esse mortale per assiduitatem et nimiam delectationem in eo. Quemadmodum autem præceptum est, falsum testimonium non proferre, ita mandato isto præcipitur, veritatem non silere tempore necessitatis, nisi causa digna excuset.

Exod. xx, 17; *Deut.* v, 21. Nonum præceptum est, Non concupisces uxorem proximi tui. Ubi specialiter prohibetur appetitus adulterii, ille scilicet appe- D titus cui ratio non renititur, sed consentit. Et sicut viro præcipitur non concupiscere alicujus uxorem, ita mulieribus ac puellis præcipitur non concupiscere alicujus maritum. Insuper hoc præcepto prohibetur omnis motus ac gestus exterior inordinatus, ad luxuriam provocans, sive per internuntium, sive per litteras, vel per minas aut munera, per adspectum, incessum, verba, sive per vestimentorum ornatum vanum, provocativum ac indecentem. Hinc diligentissime pensandum est quod sanctissimus ait Hieronymus : Si vir aut mulier se ornaverit, et vultus hominum ad se provocaverit, etiam si nullum inde sequatur damnum, supplicium tamen patietur æternum, quia venenum attulit si fuisset qui biberet. Tales ergo mortaliter peccant. Hinc etiam constat quam vitiosa sit illa vestium fractillatio deridenda ac fatua. Gravissime quoque peccant feminæ se ornantes et linientes ut viris complaceant ; similiter viri et juvenes, si tale quid faciant. Hic posset declarari quam enorme peccatum sit adulterium.

Decimum præceptum est, Non concupisces rem proximi tui. Ubi prohibetur desiderium ex deliberata ratione procedens, ita quod illicitum est desiderare quamcumque rem alienam. Est enim contra justitiam, et innumerabilia mala ex tali desiderio oriuntur, videlicet avaritia, furtum, rapina, latrocinium, homicidium, violentia, falsum testimonium, dolus, mendacium, proditio, impatientia et murmuratio contra Deum qui tam dissimiliter bona terrena distribuit. Tale quoque desiderium mentem quiescere non permittit. Propter quod ait S. Gregorius : Nihil laboriosius in hac vita, quam terrenis desideriis æstuare ; et nihil quietius, quam nihil hujus mundi appetere. Certum est autem, quod qui rem suam carius vendunt aut vendere optant quam valet, contra præceptum hoc agunt, quia aliorum bona desiderant. Et quidam sunt valde intimorati ac omnino leves, qui quidquid vident, mox appetunt. Exstirpanda est ergo concupiscentia hæc maligna, et veræ divitiæ mentis semper sunt appetendæ, videlicet gratia Dei, caritas, ceteræque virtutes ac dona Spiritus Sancti, et opera virtuosa, quæ sunt immortalium nostrarum animarum vestimenta, decor, robur, refectio, nobilitas, armatura et salus.

Hæc ergo decem præcepta Christiani semper gerant in mente, et satagant adimplere ; atque in eis velut in speculo considerent semetipsos, et vitam suam

discutiant, ac perpendant quomodo obedierint Deo, et an jam obediant Deo; seque in cunctis emendent, et præcepta A hæc jugiter observare conentur, et de hoc quod ea non servaverunt, maxime contristentur.

AD RELIGIOSOS

SERMO QUARTUS

DE MULTIPLICI TENTATIONUM UTILITATE.

F*ILI, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore, et præpara animam tuam ad tentationem.* Eccli. II, 1.

Jacob. I, 2. Quum apostolus Jacobus moneat omne gaudium nos existimare debere quum in tentationes varias inciderimus, et omnes ad Deum accedentes Sapiens hortetur ad tentationis occursum, non est formidan-
Ibid. 3, 4. dum : quandoquidem probatio fidei nostræ patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet. Est itaque saluberrima admonitio strenuissimi pugnatoris, ut ex incidentia tentationum, quantumlibet multarum atque magnarum, non solum non contristemur, nec pusillanimes aut diffidentes efficiamur, sed gloriemur in Domino, qui nos paternaliter visitat, et in præsenti exercet, castigat, humiliat, purgat et informat, ne æternaliter pereamus. Oportet namque in adversis gaudere, in quantum necessaria sunt aut utilia ad salutem.

Præterea, quamvis tentatio quæ est a carne et ex prævia imaginatione, sit ad minus veniale peccatum, nec quoad hoc sit de ea gaudendum, sed contristandum, atque pro ejus plenaria exstirpatione assidue laborandum; tamen et ipsa est electis
Rom. VIII, 28. occasio boni multiplicis, quum et omnia cooperentur prædestinatis in bonum, qui ex suorum consideratione excessuum et culparum, profundius se ipsos humiliant, cautiores redduntur, et Deo frequenter cor- B dialius regratiantur, atque in ejus amore validius inardescunt : sicque ubi abunda- *Rom.* V, 20.
vit iniquitas, superabundat et gratia, ut ait Apostolus. Tentatio autem quæ directe a Deo infligitur, ordinatur semper ad profectum tentati, sicut adversitas. Tentatio vero quæ a diabolo et a mundo infertur, quamvis in eo qui tentatur rationem non habeat culpæ, quamdiu tentatus non cooperatur ei per dilectionem, neque per consensum aut exsecutionem, est tamen tendens et inclinans ad malum culpæ, nec C utilis in se; sed adjutorio gratiæ Dei, et prudentia ejus qui bene utitur tali tentatione, est materia et occasio utilitatis multiplicis, et copiosæ fructuositatis. Verum reprobis et perversis omnia cooperantur in malum : qui de sua correctione et tribulatione fiunt pejores. De quibus Jere- mias dicit Deo : Percussisti eos, et non *Jer.* V, 3.
doluerunt; attrivisti eos, et renuerunt accipere disciplinam ; induraverunt facies suas supra petram, et noluerunt reverti.

Itaque loquendo de tentatione in generali, dicendum quod tentatio primo utilis D est ad instruendum. Inducit enim tentatum ad sui ipsius recognitionem, et docet eum qualiter debeat aliis qui tentantur, consulere : sicque efficit hominem in spirituali militia, id est in pugna contra vitiorum aciem et dæmonum, eruditum, expertum et promptum. Hinc communiter dicitur, quod tentatio tentatum illuminat,

sicut et tribulatio. Unde et in Jeremia, ubi A
Jer. vi, 8. nostra habet translatio, Erudire, Jerusalem,
Septuaginta interpretes transtulerunt : Per omnem dolorem et flagellum erudieris, Jerusalem. Quocirca scribit Hieronymus : Dum crebris angustiis subjacemus, hujus versiculi recordemur, quatenus per adversa redeamus ad cor, juxta quod loquitur
Is. xxviii, 19. Isaias : Sola vexatio dabit intellectum au-
Ibid. xxvi, 16. ditui; et rursus ad Dominum, In tribulatione (inquit) murmuris, doctrina tua eis.
II Mach. ix, 5 et seq. Hinc de Antiocho legitur, quod gravissimis afflictus doloribus cœpit ad agnitionem B
sui venire. In Ecclesiastico quoque scribi-
Eccli. xxxiv, 9, 10. tur : Qui non est tentatus, quid scit? Qui non est expertus, pauca cognoscit; vir in multis expertus, cogitabit multa. Et Salo-
Prov. xxix, 15. mon ait : Virga et correctio tribuit sapientiam. Nempe, ut testatur Gregorius, oculos quos claudit culpa, aperit pœna.

Secundo, tentatio hominem examinat an Creatori suo fidelis sit atque obediens : quemadmodum exterior pugna militis contra adversarios sui regis, demonstrat an sit regi suo fidelis. Nisi enim hosti regis sui C
reluctetur, infidelis suo domino reputatur. In cujus rei figura scriptum est in Judi-
Judic. iii, 4, 2. cum libro : Dimisit Dominus Chananæos, ut in eis experiretur Israelem, utrum audiret mandata Domini an non, et ut discerent posteri eorum certare cum hostibus, haberentque consuetudinem præliandi. Sic ergo oportet nos discere dimicare contra tentationes et tentatores iniquos, et sic devenire ad consuetudinem sacrorum conflictuum, per quam in omni tentatione, Deo auxiliante, faciliter præ- D
valeamus, imo et delectabiliter contra hostes divini honoris ac nostræ salutis certemus : quemadmodum de strenuissimo Juda
I Mach. iii, 2. et fratribus ejus narratur quod præliabantur prælia Israel cum lætitia. Nam et teste Philosopho, signum virtutis est delectatio fiens in opere. Itaque in tentationibus et adversis ostendamus fidelitatem nostram ad Dominum Deum nostrum, qui modo jam tacto non cessat examinare suos ele-
Sap. iii, 6. ctos, juxta illud : Tanquam aurum in fornace probavit electos, et quasi holocausti hostiam accepit eos. Amicitia quippe et fidelitas in adversis monstrantur. Propter-
ea scriptum est : Si possides amicum, in Eccli. vi, 7, 8.
tentatione posside eum; est enim amicus secundum tempus suum, et non permanebit in tempore tribulationis. De tali homi-
ne ait Salvator : Hic est qui verbum Dei Matth. xiii, 20, 21.
audit, et cum gaudio suscipit illud, sed non habet in se radicem : facta enim tribulatione et persecutione, continuo scandalizatur. Sic multi in prosperitate gratias agunt Deo, sed in adversis deficiunt. Unde
dicitur in Psalmo : Confitebitur tibi quum Ps. xlviii, 19.
benefeceris ei.

Tertio, tentatio tentatum humiliat : quia ex hoc quod ipsum illuminat ad cognoscendum se ipsum et propriam infirmitatem sive virtutem, facit eum aspernari ac vilipendere semetipsum, eo quod ad resistendum impedimentis suæ salutis, atque ad abjicienda vana, fœda ac vilia, tam tardus debilisque sit, et quia tam cito ac facile movetur ad passiones et vitia, neque in parvis ac minimis victor exstiterit, quum amici Dei in gravibus ac maximis tentationibus fuerint tam constantes. Si autem prævaluerit, admonet eum tentatio et ejus victoria, ut Deo regratietur, hu-
militer dicens : Nisi quia Dominus adjuvit Ps. xciii, 17.
me, paulo minus habitasset in inferno anima mea. Hinc asserit Prosper : Ad magnam utilitatem hominum reservata est et exsurgit materia certaminum, ut non superbiat sanctitas, dum pulsatur infirmitas. Unde et beatissimum Vas electionis de se
ipso fatetur : Ne magnitudo revelationum II Cor. xii, 7.
extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Satanæ. Gregorius quoque disseruit : Pia dispensatione nobiscum agitur ut tentationibus impugnemur, ne virtutibus quibus proficimus, extollamur; itemque, Dum vitia nos impugnant, virtutes in nobis proficientes humiliant. Hinc
in Threnis fassus est Jeremias : Ego vir Thren. iii, 1.
videns paupertatem meam in virga indignationis ejus. Hac ratione solent discreti spiritualesque viri subditos seu carissimos

suos fortiter et frequenter increpare, atque A adversitatibus exercere, ne ex spirituali intumescant profectu, sed jugiter humilient semetipsos. Unde recitat Cassianus de quodam Paulo abbate, qui in præsentia quasi innumerabilium Patrum ac Fratrum in suo refectorio comedentium, unum e fratribus suis secum edentibus ministrantem, tam dire absque illius culpa percussit ad genam, quod sonus per totum refectorium audiebatur, et ictui pallor seu livor successit, nec tamen ulla turbatio orta fuit in Fratris mente, nec signum im- B patientiæ alicujus in facie.

Quarto, tentatio purgat hominem a vitiis multis : fugat enim stultitiam, exstirpat præsumptionem, jactantiam arrogantiamque repellit, eo quod faciat hominem intueri ac noscere semetipsum. Unde ait Gregorius : Tentationis inquietudo interrogat an homo in quiete positus, veraciter Deum diligat. Etenim tentationis pondere pressus, a vana suarum virium præsumptione compescitur, a jactantia cohibetur, ab elatione frenatur, dum propriam imbe- C cillitatem, insufficientiam, ac divini subsidii indigentiam experitur, sicque cum
Job VI, 13. sancto Job protestatur : Ecce non est auxilium mihi in me. Hinc ait Gregorius : Nemo sibi innotescit nisi tentatus ; nec vires suas quis in pace recognoscit. Hinc refert Cassianus de quodam eremita inexperto ac indiscreto, qui Fratrem quemdam tentatum, sua imperita responsione pene ad desperationem induxit. Quo cognito, sanctus quidam anachoreta Fratrem illum sapienter consolans, oravit Deum ut ten- D tationem Fratris illius in senem illum converteret. Quo facto, cœpit senex ille instar insanientis discurrere. Quem Sanctus ille accedens, interrogabat cur taliter agitaretur. Quod dum ille dicere verecundaretur, instruxit eum Sanctus ille et increpavit. Sicque senex ille cœpit se vere cognoscere, et omnem præsumptionem abjicere.

Quinto, tentatio facit hominem ad Deum confugere, exclamare, atque subsidium implorare, sicut scriptum est : Et clama- *Ps.* CVI, 6, 13, 19, 28.
verunt ad Dominum quum tribularentur, et de necessitatibus eorum liberavit eos. Dum enim tentatus, ex pondere atque molestia suæ tentationis propriam fragilitatem ac infirmitatem agnoscit, cernit se viribus suis resistere ac prævalere non posse : idcirco de viribus suis diffidens, confugit ad Deum ; et sperans in misericordia et ope ipsius, invocat ejus subsidium, qui ait : Invoca me in die tribulatio- *Ps.* XLIX, 15.
nis ; eruam te, et honorificabis me. Ideo scriptum est in Isaia : Domine, in angustia *Is.* XXVI, 16.
requisierunt te. Imo tentatio, pœna, afflictio, et quæcumque adversitas facit hominem festinare ad Deum et cito converti, sicut Dominus ait in Osee : In tribulatione *Osee* VI, 1.
sua mane consurgent ad me. Et Psalmista : Multiplicatæ sunt (inquit) infirmitates eo- *Ps.* XV, 4.
rum, postea acceleraverunt ; itemque, Con- *Ps.* XXXI, 4.
versus sum in ærumna mea, dum configitur spina.

Sexto, tentatio facit hominem coram Deo sollicitum, sicque negligentiam et torporem, dissolutionem et periculosam securitatem expellit. Timor namque periculi quod sentitur, efficit diligentem et custoditum ; et qui impugnatur, expugnari veretur : ideo, qualiter resistat, sollicitatur et quærit consilium. Hinc super illud, Proba *Ps.* XXV, 2.
me, Domine, et tenta me, asserit Glossa : Nisi tentaremur, negligentes essemus. Hinc tentationi adscribitur quod hominem conservat in gratia, et virtutes ejus custodit.

Septimo, spiritualem profectum producit. Qui enim impugnari se sentit, ad repugnandum accenditur : sicut et naturalia fortius agunt, dum a suis contrariis eis resistitur. Nam ignis flatu repressus, latius se diffundit ; et aqua, occurrente sui cursus obstaculo, magis impellit. Sic homines boni sentientes obstacula suorum profectuum, ac repugnacula suorum desideriorum ferventium, validius inardescunt ad bona : quemadmodum gloriosus martyr Laurentius, præsentatis sibi omnium tormentorum generibus, dixit, Has ego epulas semper desideravi. Sic et strenuissimus

prœliator magnus Antonius, a dæmonibus A crudelissime flagellatus, et velut mortuus a loco quo fuerat percussus sublatus, fecit se illuc reportari, et dixit dæmonibus : Ecce hic sum; non fugio vestra certamina. Hinc loquitur Augustinus : Vita nostra in hac peregrinatione esse non valet sine tentatione, quia profectus noster per tentationem efficitur, nec sibi quisquam innotescit nisi tentatus, nec potest nisi qui
II Tim. II, 5. vicerit coronari, nec vincere potest nisi certaverit, nec certare nisi tentetur.

Octavo, tentatio confert spem placendi B Deo. Unusquisque enim quo amplius displicet vita sua diabolo, tanto acrius solet impugnari ab illo. Idcirco quo gravius quis tentatur, tanto plus fiducia ejus in Domino augeatur. Unde ait Gregorius : Adversarius noster quanto plus rebellare sibi nos conspicit, tanto plus debellare nos contendit; illos autem impetere minus curat, quos quasi hereditario jure possidere se cernit. Et rursus : Plerumque contingit, quod qui plus in contemplatione rapitur, tentationibus amplius impugnetur; quem- C admodum quibusdam digne proficientibus frequenter accidere solet, quos dum compunctio afficit, aut contemplatio supra se rapit, statim tentatio sequitur, ne de suo profectu aut contemplationis altitudine ex-
II Cor. XII, 9. tollantur. Recte ergo dixit Apostolus : Virtus in infirmitate perficitur. Et Augustino testante, gravissima tentatio est, nulla tentatione pulsari.

Nono, tentatio tentationem expellit, dum una aliam ejicit : sicut tentatus de vana gloria, tentationem superat gulæ. Et qui- D dam de stimulo carnis graviter impugnatus, a confratribus suis de industria multipliciter injuriatus, stimulum carnis oblitus fuit.

Decimo, per tentationem Christo assimilamur, qui propter nos a mundo atque
Matth. IV, 1 et seq. diabolo multipliciter fuit absque peccato tentatus.

Undecimo, per tentationem fit homo proximis exemplaris, qui ejus exemplo ad patientiam et resistentiam contra tentamenta animantur, ut patet de sancto Job. Unde de Tobia habetur : Hanc tentationem Tob. II, 12. permisit Dominus evenire illi, ut posteris daretur exemplum patientiæ ejus, sicut et sancti Job.

Duodecimo, per tentationem consolationem et tranquillitatem meremur, prout in Tobia dicitur Deo : Post tempestatem Ibid. III, 22. tranquillum facis, et post fletum exsultationem infundis. Merito igitur dixit apostolus Jacobus : Beatus vir qui suffert ten- Jacob. I, 12. tationem. Deus namque pugnantibus pro se gratiose adsistit.

Tertiodecimo, tentatio facit hominem etiam in hoc mundo famosum et gloriosum, ita quod alii innituntur ei ut sustentamento. Hinc in Apocalypsi Dominus loquitur : Qui vicerit, faciam illum colum- Apoc. III, 12. nam in templo meo. Et S. Antonio dixit Salvator : Quia viriliter dimicasti, in toto orbe te faciam nominari.

Quartodecimo, tentatio facit hominem cunctis dæmonibus triumphantem. Hinc beatissimi anachoretæ Macarius, Moyses, Pastor, et eis consimiles, non plus timuerunt dæmones quam muscas. Quum enim magnus ille Macarius nocte quadam in templo dormiens idolorum, calvariam quamdam suo capiti supposuisset, diabolus cernens ejus fiduciam, ex calvaria illa cœpit alteri dæmoni respondere. Porro Macarius nil penitus metuens, calvariam capite suo tundebat, dicens diabolo : Fac, si aliquid potes.

Quintodecimo, tentatio coronationem acquirit. Quum enim dixisset apostolus Jacobus, Beatus vir qui suffert tentationem, Jacob. I, 12. adjecit : Quoniam quum probatus fuerit, Ibidem. accipiet coronam vitæ. Imo toties coronari meremur, quoties tentationi prævalemus : sicut in Vitaspatrum scribitur de sancto quodam eremita, qui in visione noctis vidit septem coronas super discipuli sui caput descendere, quoniam septem vicibus discipulus ille nocte illa restiterat cogitationibus suis, et patientiam habuit.

Sunt autem et alii multi salubres effectus ex tentationibus provenientes. Quod

quum ita sit, non recusemus tentari, sed A vitemus tentationibus superari, id est in tentationem induci. Hæc enim dicta sunt, ut ad perferendum atque vincendum tentationes animemur et accendamur. Nullus tamen debet tentationes appetere in quantum a tentante ordinantur aut tendunt in malum culpæ et nocumentum tentati ; sed in quantum ille qui tentatur, potest tentatione uti in bonum per gratiam Dei, atque ex illa consequi fructum multiplicem, sic appeti potest, præsertim secundum quod necessaria est ad salutem, B
II Tim. II, 5. eo modo quo ait Apostolus, Non coronabitur nisi qui legitime certaverit : sicut et adversa appeti possunt, non in quantum adversa atque pœnalia, sed in quantum purgamur per ea, et ex eis proficimus ac multa bona consequimur. Nullus etiam debet tentationes appetere, præsumendo de propriis viribus ; sed considerata fragilitate sua, confidat in Deo, et innitatur ejus gratioso auxilio, oretque quod Deus tentationem sic moderetur, taliterque adsistat ei, quod non vincatur. Unde in Vitaspatrum quidam in tentationibus constituti, non petierunt liberari ab eis, sed pro gratia resistendi efficaciter oraverunt.

SERMO QUINTUS

DE TENTATIONE MULTIPLICI, ET AN OMNIS TENTATIO SIT PECCATUM.

* tribulationes

OMNES qui Deo placuerunt, per multas tentationes transierunt fideles ;* C *qui autem tentationes non susceperunt in timore Dei et in patientia, exterminati sunt.* Judith VIII, 23-25.

De tentatione nobis dicturis videndum est quotuplex sit tentatio. Richardus de S. Victore ponit septem species seu modos tentationis. Quarum prima est importuna, qua homo tam assidue ac improbe impugnatur, ut eam a se amovere vix queat. Nam frequenter abjecta, non cessat reverti, et omni pene hora hominem inquietat, quatenus quem nec vi nec fraude D subvertit, improbitate atque frequentia incessabili alliciat ad consensum : quemadmodum gutta cavat lapidem, non vi, sed sæpe cadendo; et tellus ab unda paulatim
Job XIV, 19. consumitur : juxta illud beati Job, Lapides excavant aquæ, et alluvione terra paulatim consumitur. Contra tentationem hujusmodi necesse est indesinenter infatigabiliterque pugnare.

Secunda species tentationis vocatur dubia, quoniam ambiguitatis obscuritate animum sic involvit, ut nequeat clare discernere quid certi debeat de re unde tentatur, sentire ; sicque facit mentem diversimode fluctuare, et de eadem re nunc istud, nunc illud opinari, ita ut illud Eliæ mentibus sic tentatis objici possit : Usquequo clau- III Reg. XVIII, 21.
dicatis in duas partes ? Et homo sic fluctuans, illud Job dicere valet : Idcirco co- Job XX, 2.
gitationes meæ variæ succedunt sibi, et mens in diversa rapitur. Quocirca scriptum est : Non ventiles te in omnem ventum ; Eccli. V, 11, 12.
esto firmus in via Domini et in veritate sensus tui. Hinc Apostolus ad Ephesios hortatur : Non jam simus parvuli fluctuan- Ephes. IV, 14.
tes, nec circumferamur omni vento doctrinæ.

Tertia tentatio dicitur subita, quæ judicium prævenit rationis, in tantum ut cor tentati præventum impetu hujusmodi belli, ejus insidias per considerationem non queat anticipare ; imo, frequenter sentiat se jaculo pravæ delectationis transfigi, antequam circumspectionis suæ scuto possit se præmunire, ita ut illud Threnorum pos- Thren. IV, 19.
sit proferre : Velociores fuerunt persecu-

tores nostri aquilis cœli. Sic ex intuitu A
II *Reg.* xi, 2-4. Bethsabee subito transfixus est David hujusmodi telo.

Quarta vocatur occulta, quia per eam mens quadam caligine ita fuscatur, ut negligenter se habeat ubi sollicita esse debuerat, nec ea quæ sibi proponuntur, debita diligentia perscrutetur, imo perniciosa et noxia multa acceptet tanquam salubria. Et, heu! multo sæpius per negligentiam talem committimus mala, atque omittimus bona, quæ forsitan toto tempore vitæ hujus nunquam rite dijudicamus : sicque B male securi sumus. Hoc sanctus David
Ps. xviii, 13. considerans, dixit : Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me. Vas quoque
I *Cor.* iv, 4. electionis : Nihil (inquit) mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum. Imo et magnus ille Job, qui fiducialiter dixit,
Job xxvii, 6. Nunquam reprehendit me cor meum in omni vita mea; profundius pensans quanta homo habeat peccata occulta, quæ ipsummet latent, deprecatus est Dominum : Re-
Ibid. xiii, 22, 23. sponde mihi, Quantas habeo iniquitates et peccata? Scelera mea et delicta ostende C mihi.

Quinta tentatio nuncupata est violenta, quæ adeo fortis est, tamque acriter et acute impugnat, ut videatur superari vix posse aut sustineri, in tantum ut Apostolus
II *Cor.* i, 8. fateatur : Supra modum gravati sumus, supra virtutem, ita ut tæderet nos vivere.
Job xxx, 14. Unde et sanctus Job dixit : Quasi rupto mu-
Ibid. vi, 11. ro irruerunt in me; et rursus, Quæ est fortitudo mea ut sustineam, et quis finis meus ut patienter agam? In tali ergo conflictu oportet ad Dominum in fortitudine D cum insuperabili confidentia exclamare et
Ibid. xiii, 15. dicere : Etiam si occiderit me, in ipso sperabo.

Sexta vocata est fraudulenta, quæ animum vehementer obscurat ac fallere nititur, et quandoque in errore pertinaciter figit, dum mala ac pessima sub specie bonorum et optimorum proponuntur et acceptantur, sicque noxia defenduntur, et de damnabilibus malis tanquam vere salubribus mens lætatur. Hinc Salomon loquitur : Sunt viæ quæ videntur homini *Cf. Prov.* xiv, 12; xvi, 25.
bonæ, et novissima earum ducunt ad mortem. Nam et Satanas transfigurat se in an- II *Cor.* xi, 14.
gelum lucis. Quid horribilius dici potest, quam quod inde damnatio provenit unde salus sperabatur æterna?

Septima appellatur perplexa, dum simul et tempore uno impugnatur homo vitiis multis, ut si vicerit unum, vincatur ab alio. Et sæpe artifex tentator tam callide contra hominem præliatur, ut unde robustius uni peccato disponit resistere, inde gravius in aliud labatur : ut si quis simul de vitiis gulæ et vanæ gloriæ impugnetur, quo fortius vicerit gulam, tanto acrius impeteretur per vanam gloriam. Denique prætactæ tentationes interdum impugnant hominem sigillatim, interdum permixtim, et quædam earum simul : et juxta hoc necesse est vel simul vel successive diversa virtutum arma contra ipsas assumere.

Possunt quoque his septem tentationibus coaptari quæ leguntur in psalmo quo dicitur : Scuto circumdabit te veritas ejus; *Ps.* xc, 5-7.
non timebis a timore nocturno, etc. Ad primam namque tentationem, quæ dicitur importuna, pertinet tanquam remedium scuto circumdari veritate Dei, illuminatione Spiritus Sancti, ut importunæ, improbæ atque assiduæ tentationi pro medela objiciatur veritas Scripturarum, dicentium quod per multas tribulationes oporteat *Act.* xiv, 21.
nos intrare in regnum cœlorum, et quod omnes qui volunt pie in Christo vive- II *Tim.* iii, 12.
re, persecutiones tentationesque patientur; itemque : Esto fidelis usque ad mortem, *Apoc.* ii, 10.
et dabo tibi coronam vitæ. Porro secunda tentatio, quæ ambigua seu dubia appellatur, designatur quum dicitur : Non timebis a timore nocturno. In caligine enim noctis homines frequenter verentur, putantes se videre exercitum hominum, quum videant summitates monticulorum aut arborum. Sic qui dubia tentatione vexatur, ex defectu claritatis veræ cognitionis frequenter timet ubi non est timendum, et segnior fit ad bene agendum, dum pro certo non novit an illud quod facit sit

Omnipotenti acceptum. Per sagittam volantem in die, intelligitur tentatio tertia, quæ dicitur subita, et instar sagittæ emissæ ferit antequam prævideatur. Quarta tentatio, quæ dicitur occulta, insinuatur quum subditur : A negotio perambulante in tenebris. Quemadmodum enim tale negotium versatur in tenebris noctis, sic occulta tentatio in tenebris falsitatis. At quinta tentatio, quæ dicitur violenta, exprimitur quum dicitur in psalmo prædicto, Ab incursu. Quo nomine impetus violentiæ designatur. Sexta tentatio, quæ fraudulenta nominatur, tangitur ibi, A dæmonio meridiano : quia (ut patuit) in hac tentatione frequenter mala ac pessima sub specie bonorum ac optimorum persuaden-
II Cor. xi, 14. tur, et angelus tenebrarum in angelum lucis transfiguratur. Et quoniam septima tentationis species, quæ nominatur perplexa, plures in se tentationes complectitur, et circa diversa vitia occupatur, recte ipsa intelligi datur quum subditur : Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis.

Præterea quædam tentationes de carnalibus vitiis, quædam vero de peccatis spiritualibus, et quædam de vitiis manifestis, quædam de vitiis palliatis, speciem quamdam virtutum habentibus, nos impugnant.

Sanctus autem Bernardus super Cantica ponit quatuor genera tentationum. Quorum primum est de inordinato timore quo homines trepidant aggredi viam arctam, sicut religionis ingressum, ac corporis castigationem, et contra peccata conflictum, non attendentes auxilia gratiarum, magnitudinem præmiorum, consolationem Spiritus Sancti, adsistentiam angeli sancti, et quam dulce fiat cordi proficienti Christo
Matth. xi, 28, 30. servire, qui ait verissime : Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos; jugum enim meum suave est, et onus meum leve. Hoc genus tentationis vocatur timor nocturnus. Secundum appellatur sagitta volans in die, id est tentatio laudis humanæ et gloriæ vanæ, quæ leviter volat, sed non leve vulnus infligit.

A Tertium est negotium perambulans in tenebris, puta hypocrisis, quæ fingit et simulat quod non est : idcirco in tenebris versatur erroris : et ex desiderio laudis humanæ vel proprii commodi solet procedere. Hæc maledicta hypocrisis non solum virtutes beata remuneratione evacuat, sed et in tenebras infernales hypocritam insensatum et vilem præcipitat. Postremo, ei qui hæc tria tentationum genera vicerit, imminet quartum : ne sub specie boni fallatur, nec indiscreto debilitetur fervore,
B nec immoderato zelo judicet, aspernetur aut arguat proximum ; sed vera compassione discretionisque radio decoretur in omnibus, atque rationabile obsequi- Rom. xii, 1.
um perseveranter in finem suo offerat Creatori.

Ceterum posset quæri, quando tentatio sit peccatum, et an omnis tentatio sit peccatum. Ad hæc respondendum (ut Beda scribit), quod tentatio tribus modis agitur, utpote suggestione hostis, delectatione humanæ fragilitatis, et consensu cordis.
C Primo etenim concupiscentia oritur, per quam incipit homo abstrahi a vero bono, imo a prima veritate incommutabili summaque bonitate. Deinde concupiscentiæ conjungitur delectatio quædam, per quam homo in malum illicitur, manens adhuc infra terminos venialis peccati. Quumque delectationi consensus deliberatus accesserit, est culpa mortalis. Porro, si hoste seu mundo suggerente atque tentante, non delectamur in re de qua tentant, nec consentimus eisdem, non peccamus in tali
D tentatione : imo talis tentatio est nobis materia exercendæ virtutis atque occasio meriti ac triumphi, non culpa, prout Magister Sententiarum libro secundo ex verbis Augustini declarat. Itaque juxta doctores concorditer, tentatio ab extra nobis proveniens, utpute a diabolo vel a mundo, non est peccatum in se, nec imputatur nobis ad culpam, quamdiu nos ipsi non cooperamur taliter nos tentanti, per delectationem vel consensum ; sed resistendo ei meremur atque proficimus, sicut ait

I Cor. x, 13. Apostolus : Deus faciet cum tentatione proventum. Tentatio autem quæ est ab intra, id est a carne et fomite seu sensualitate, est semper peccatum quando procedit ex aliqua prævia apprehensione, imaginatione, seu cogitatu.

Quocirca pensanda sunt verba Bonaventuræ, qui ait : De ortu actualis peccati tenendum est, quod actuale peccatum originem trahit a libera voluntate per suggestionem, delectationem et consensum. Si autem suggestio et delectatio sistant citra consensum, est veniale peccatum ; si vero B sequatur consensus aut opus in his quæ lege prohibentur divina, mortale peccatum est. Quod si consensus est sine opere, hoc contingit dupliciter. Primo, quod vult in opus procedere, sed non valet : et tunc voluntas reputatur pro facto. Secundo, quod non vult in opus procedere, sed voluptuari in delectatione seu cogitatione: et tunc quamvis peccatum non sit plene consummatum, est tamen inter mortalia computandum. Quum enim peccatum dicat recessum voluntatis a Deo, in quantum C nata est moveri ac regi ab ipso et secundum ipsum et propter ipsum, omne peccatum est inordinatio mentis aut voluntatis, in qua esse possunt virtus et vitium. Deinceps inordinatio ista aut tanta est, quod ordinem justitiæ exterminat : et sic est mortale peccatum, quoniam aufert vitam gratiæ separando animam a Deo, a quo vivificatur per gratiam anima justa ; aut est tam modica, quod ordinem justitiæ non perimit, sed in aliquo turbat seu lædit : et sic est veniale peccatum, quia de ipso pos- D sumus veniam cito et faciliter adipisci, quia per ipsum homo gratiam non amittit nec inimicitiam Dei incurrit. Est autem ordo justitiæ, ut bonum summum et incommutabile præferatur bono commutabili, bonum honestum utili, voluntas Dei voluntati humanæ ; sicque judicium rectæ rationis præferatur sensualitati. Et quoniam lex Dei præcipit ordinem istum, et vetat oppositum ; idcirco dum bonum commutabile præfertur divino, et bonum utile honesto, et voluntas nostra præfertur voluntati divinæ, aut sensitivus appetitus rationi, committitur peccatum mortale. Dum vero bonum commutabile et creatum plus debito diligitur, non tamen bono increato præfertur, nec utilitas præponitur honestati, nec voluntas nostra divinæ, nec sensualitas rationi, tunc est veniale peccatum : quoniam quamvis hoc sit præter legem, non tamen directe est contra legem. Sensualis autem appetitus rectæ rationi non præfertur, nisi dum ei a ratione consentitur : idcirco mortale peccatum citra rationis consensum nequaquam incurritur. Si tamen sensualitas moveatur inordinate, quum inordinatio illa ad malum inclinet, quamvis non consentiat ratio, peccatum est aliquod, quoniam aliqualiter lædit justitiæ ordinem.

Verumtamen, ut Thomas scribit, motus concupiscibilis potest dupliciter surgere. Primo, ex organi qualitate, sicut organo calefacto insurgit motus libidinis absque imaginatione : et iste motus est pure naturalis, nec rationem culpæ sortitur. Et hoc facere potest diabolus potestate suæ naturæ, qua potest corporalia transmutare, nisi divina cohibeatur virtute. Secundo, motus concupiscibilis surgit ex apprehensione alicujus rei delectabilis : et ex hac parte appetitus concupiscibilis participat in homine aliquid libertatis, secundum quod obedire potest imperio rationis ; sicque in concupiscibili vi potest esse peccatum. Sed motum hunc extorquere non potest diabolus.

INDICES

LOCA S. SCRIPTURÆ PRÆCIPUA

GENESIS.

EXODI.

LEVITICI.

DEUTERONOMII.

JOSUE.

JUDICUM.

I REGUM.

II REGUM.

III REGUM.

IV REGUM.

I PARALIPOMENON.

I ESDRÆ.

TOBIÆ.

JUDITH.

ESTHER.

JOB.

PSALMORUM.

PROVERBIORUM.

JEREMIÆ.

THRENORUM.

BARUCH.

EZECHIELIS.

DANIELIS.

OSEE.

AMOS.

HABACUC.

AGGÆI.

ZACHARIÆ.

MALACHIÆ.

II MACHABÆORUM.

MATTHÆI.

MARCI.

LUCÆ.

JOANNIS.

ACTUUM.

AD ROMANOS.

I AD CORINTHIOS.

II AD CORINTHIOS.

AD GALATAS.

AD EPHESIOS.

AD PHILIPPENSES.

AD COLOSSENSES.

I AD TIMOTHEUM.

II AD TIMOTHEUM.

AD TITUM.

AD HEBRÆOS.

JACOBI.

I PETRI.

I JOANNIS.

APOCALYPSIS.

INDEX

NOMINUM ET RERUM NOTABILIUM

B

C

D

E

F

G

H

I

J

L

M

Q

R

S

T

V

Z

INDEX GENERALIS

AD SECUNDAM MISSAM NATIVITATIS DOMINI IN ORTU DIEI.

AD SUMMAM MISSAM NATIVITATIS DOMINI.

Ad religiosos.

IN FESTO S. STEPHANI PROTOMARTYRIS.

Ad religiosos.

IN FESTO S. JOANNIS APOSTOLI ET EVANGELISTÆ.

Ad religiosos.

IN FESTO BEATORUM INNOCENTIUM.

Ad religiosos.

IN FESTO S. THOMÆ EPISCOPI ET MARTYRIS.

IN FESTO S. SILVESTRI PAPÆ.

IN FESTO CIRCUMCISIONIS DOMINI.

Ad religiosos.

IN DIE EPIPHANIÆ DOMINI.

Ad religiosos.

AD CLERUM

QUI ROMANO UTITUR KALENDARIO

In utroque ritu, Romano scilicet ac Cartusiano, epistolæ et evangelia, a Dionysio enarrata, concordant, diebus quibusdam exceptis.

1° Require enarrationes

In Vigiliæ Immaculatæ Conceptionis epistolam et evangelium, pag. 43, 48.
In Immaculatæ Conceptionis evangelium, pag. 393.
In sancti Thomæ epistolam, pag. 344.
In Cathedræ sancti Petri evangelium, t. XXXII, pag. 213.
In sancti Matthiæ evangelium, t. XXIX, pag. 263.

2° Ritui Romano sunt propria, ideoque a Dionysio non enarrata :

In festo sancti Nicolai, epistola ;
In festo Immaculatæ Conceptionis, epistola ;
In festo sancti Thomæ, evangelium ;
In festo Conversionis sancti Pauli, epistola ;
In festo Cathedræ sancti Petri, epistola.

3° Iisdem festivis diebus sunt enarrationes in epistolas et evangelia ritui Cartusiano propria, quarum paginas invenies in altero indice.

EMENDANDA. — Pag. 289 A, lin. 9 : Luciæ, *lege* Lucinæ ; — 357 B', lin. 1 : etiam et si,... etiam si ; — 434 C', lin. 2 : rapit,... recipit ; — 533 A', lin. 8 : Spalbeec,... Spalbeeck ; — 588 D, lin. 5 : sanguinem,... sagimen ; — 602 B, lin. 5 : nec,... ne.



Typis Cartusiæ Sanctæ Mariæ de Pratis. Tornaci.
A. Baudechon typographus.

